SC. SUP. 21. Pl. 5.

Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
4 B
14

Digitized by Google

Digitized by Google

4

ELVCIDATORIVM ECCLESIASTICVM, AD OFFICIVM

eccleſiæ pertinentia planius exponens: & quatuor libros complectens.

Primus, hymnos de tempore & ſanctis per totũ anni ſpacium, adiecta explanatione, declarat.

Secundus, nõnulla cantica Eccleſiaſtica, antiphonas & reſponſoria: vnà cum benedictionibus candelarum, cærei paſchalis & fontium: familiariter explanat.

QVARTA AEDITIO.

PARISIIS.

Apud Poncetum le Preux, in via S. Iacobi, ſub interſignio Lupi, è regione Maturinorum.

1548.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDO IN CHRISTO *Patri ac Domino D. Ioanni Gozthon, de Zeleſthe ſuperiore in Pannonia: Eccleſiæ Iaurienſis Epiſcopo digniſsimo, locique eiuſdem comiti perpetuo: Iudocus Clichthoueus Neoportuenſis: ſacræ Theologiæ profeſſor humillimus.*

AD monet nos diuinus Pſaltes, ſacratiſsime antiſtes: quod deo ſapienter pſallamus, non ſola ſcilicet nuda verba ore proferentes, ſed & piam eorũ intelligentiam ac ſenſum, mente in deum excitata meditãtes. Quod planè non tantum ad pſalmodiam & ſacram pſalmorũ decantationem accommodandum putem: verumetiam & ad omnem quæ deo ritè exhibetur laudationem ac orationem: quandoquidem omnis illa ſicut rectè integréque proferri à myniſtris eccleſiaſticis debet: ita & ſanè intelligi, quo animum orantis intentius in deum erigat & ſyncerius affectum reddat. Idẽ quoque docet deiloquus Paulus ad Corinthios ſcribens. Orabo (inquit) ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Vbi & ſpiritu & mẽte orare vocat, diuinas quidem laudes ore depromere, & eas intelligẽtia mẽteque capere. Quod ſi deſit eorum quæ deo concinuntur intellectus: mens orantis plerúmque ocioſa eſt, & ſine operatione intentionéque in deum. Et tunc potiſsimum id locum habet: quod dominus per Eſaiam prophetam conqueritur, cùm ait. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. Quod præſertim in viris eccleſiaſticis ſummopere dignum eſt

Pſal. 46 — *1. Cor 14* — *Eſa. 29*

reprehenſione,& vitio dandum: quoniam ipſorum partes ſunt & munia, non modo pro ſeipſis, ſed & pro tota fidelium eccleſia preces ad deum fundere, & iugiter illi ſacrificium laudis & orationum libamina publico myniſterio offerre. Aſtipulatur eidẽ ſententiæ præclarus etiam vir Caſsiodorus,in prologo expoſitionis pſalmorum dicens. Veruntamen nequaquam nobis vt pſitatis meruliſque vernandũ eſt qui dum verba noſtra conantur imitari, quid tamen canant, noſcuntur modis omnibus ignorare. Melos ſiquidem blandum, animos oblectat ſed nõ cõpellit ad lachrymas fructuoſas, permulcet aures, ſed non ad ſuperna erigit audientes. Corde autem compungimur, ſi quod ore dicimus animaduertere

Pſal. 88 valeamus. ſicut in pſalterio legitur. Beatus populus qui intelligit iubilationem. Et iterum. Quoniam rex omnis terræ deus, pſallite ſapienter. Philippus

Pſal. 46 quoque apoſtolus cùm reginę Candacis enuchum,

Actuum. 8 Eſaiam legere cognouiſſet, ſcripturas ei ſanctas cõpetẽter expoſuit. Qui poſtquam quod legebat aduertit ſtatim gratiã baptiſmatis exquiſiuit, & mox perfectè munera ſalutis accepit. In Euangelio etiam dominus ait. Omnis qui audit verbum regni & non

Matth. 13 intelligit, venit malus & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius. Vndè congruè datur intelligi hæc illis prouenire non poſſe, qui ſcripturas ſanctas puro corde merẽtur aduertere. Hæc Caſsiodorus. Quocirca vel maximè curandum eſt & enitendũ vt quicunque eccleſiaſticis addicti ſunt officiis, ſaltem mediocriter intelligant ea quæ ſingulo quoque die decantanda occurrunt, & lectitanda in perſolutione diuinarum laudum, vt puta hymnos, canonem miſ-

Digitized by Google

ſæ,proſas, & cætera id genus ad officium eccleſiaſticum attinentia: quo ſycæriorem deo exhibeant famulatũ,& tam corde quàm voce, tam animo quá corpore debitum illi præſtent obſequium, ipſumque adorent in ſpiritu & veritate: quemadmodum teſte Euangelio deus qui ſpiritus eſt,adorari petit.

Id ſanè frequentius ſolicito reuoluens animo grauiſsima tua paternitas,zœlo domus dei ſuccẽſa,multo iam tempore indoluit tantam in eccleſia dei inualeſcere inſitiam atque tam craſſam eorum qui ſancto myniſtrãt altari, & diuinas ex officio perſonãt laudes, ignorantiam vt rari admodum inueniantur qui exactẽ & integrè quæ legunt aut canunt, intelligant,qui eorũ quæ ore expromunt ſenſum capiant, aut rectã teneant percipiantve ſententiá. Vnde permulti ipſorum,redduntur animo aridi, inſtar aquæ gelidi,& in diuinis perſoluẽdis officiis prorſus(extincto ſpiritus feruore)tepidi,qui labiis quidem perſtrepunt ſacra cantica ſed intimo corde nullam eorum tenent intelligentiam. Cæterum vt huic graui morbo iam latè graſſanti & totum penè occupanti Chriſtianum orbem, pro viribus occurrere mederíve poſsit inſignis tua dignitas,cum apud celeberrimam Pariſiorum academiam diuerſaretur ad tempus,non pertæſa tam difficilem & longinquam à ſolo natali peregrinationem: vt more Pythagoræ & Platonis illuſtrium philoſophorum etiam apud exteros præclaras exquireret,& capeſſeret diſciplinas: me pro incredibili ſua hamanitate in mutuam familiaritatem & quotidianam congreſsionem aſcitum: aſsiduis adhortata eſt impulſibus, & cõtinua efflagitatione ſolicitauit: vt hymnos eccleſiaſticos qui in Ioan.4

Digitized by Google

horis canonicis quotidie decantantur facili planáque expoſitione elucidarem, quod illi nonnunquã multis ſcateant mẽdis liberariorum incuria paſsim inductis: & plærique eorum non ſtatim peruiã pręferant ſententiam, ſed abſtruſiorẽ latentiorémq; & lucis indigã, vt etiã ſacrum miſſæ canonẽ auguſtiſsima cõplectentẽ myſteria verbaq; ſacratiſsima annotationibus breuiuſculis patentiorẽ redderẽ & detectiorẽ. vt denique proſas quæ in celebrando altaris ſacrificio ante Euangelium pro more eccleſiaſtico leguntur: necnon orationes benedictionum eccleſiaſticarũ & cæteræ id genus familiari & aperta explanatione enodarẽ: ꝙ & in iis occurrant ſæpius errata, & intellectu difficiles contextus. At ero diutius, fateor, hanc detractaui ſubire prouinciam: cauſatus eam ad me nequaquam ſpectare, aliis occupatũ grauioribus ſtudiis & arctioribus implicatũ negotiis, ſed potius ad peritũ grãmaticæ profeſſorẽ: cuius partes ſunt de generibus carminũ hymnicorũ diſſerere, & cuiuſq; Latini ſermonis aperire ſententiam: illud inſuper afferens, eos qui vel mediocriter grammaticis elementis ſunt inſtituti, ſenſum hymnorum, proſarum & conſimilium orationum aut proprii ingenii perſpicacitate ſuáque minerua, aut librorum ſuper his æditorum diligenti lectione penetrare facilè poſſe, neq; me ſuperuacuo illo labore conſumi debere: quo actum agere viderer Aut clariſsimo ſoli faculam admouere velle, quæ illum reddat conſpectiorem. Et certè viſum eſt mihi ſtudium illud aliquanto humilius & ſubmiſsius quàm quod à me ſuſcipi deberet, aut meæ profeſſionis rationẽ diceret. Verũ digniſsima tua paternitas

nitas ex euangelio compertũ habẽs improbam importunitatem inſtantiámque quotidianã & in pulſando perſeuerantiam efficaciſsimam eſſe ad quippiam & à deo & ab hominibus impetrandũ exemplo mulieris Chananeæ poſt crebram repulſam filiæ ſuæ ſalutem conſecutæ, exemplo itidem amici ab amico nocte intempeſta tres panes, & viduæ interpellãtis iniquum iudicem pro ſumenda vindicta de ſuo aduerſario: non deſtitit obnixius me quotidianis quatere efflagitationibus, & ſancta improbitate importunis petitionibus: donec euictũ me in ſuam perpuliſſet ſententiam. Conteſtata eſt enim, idipſum ad ſacerdotis munus, quo (licet indignus) fungor, congruenter attinere, quod ſacerdotale officium clarius reddat, illiúſque inuolucra & nodos diſſoluat, neque me publicam docẽdi prouinciam quã ſuſcepi, fructuoſius, vtiliúſve ad quicquàm accommodare poſſe aut exercere: quàm quòd ſacerdotes dei doceam vt quæ legunt intelligant. Cõtendit inſuper ſingularis tua prudentia, in mediũq; adduxit, quòd ſicut rectè docent fabrilia fabri, & ventorum naturam nautæ: ſicut item agriculturam probê tradit durus arator: & artem militarẽ, qui impigre & aſsiduê grauibus ſudauit in armis: ita congruum eſſe ac decens, quod ſacris initiatus, eccleſiaſticæ ſorti addictos ſuæque militiæ viros ea quæ ſunt eccleſiaſtica ritè edoceat, & præcipuam eos ſalutaribus documentis inſtituendi curam gerat. Itaque victus ſum, fateor, importunitate tua digniſsime pſul, ſed q̃ omni oportunitate tẽpeſtiuior eſt, & cõmẽdabilior Victus ſũ itidẽ illa animi tui eximia ſynceritate: qua non propriæ vtilitatis, ſed publicę

tantum rationem habens ea impenſius expetis fieri quæ ad dei honorem, in omnibus quærẽdum & ad animarum noſtrarum ſalutem atttinent,quæque ad cultum eccleſiaſticum & maiorem diuinarum rerũ ſpectant celebritatem. Victus ſum denique incredi bili tua in me beneficentia, qua ob ſuſcepta cumu-latiſsimè à tua reuerenda paternitate munera vſque adeò illi ſum obſtrictus , vt ne minimam quidem il lorũ partẽ condigna cõpenſatione æquare poſſem. Ne tamen ob hãc tuorũ in me meritorũ inæſtimabi lem magnitudinem nulla prorſus ipſis referatur gra tia, quibus certè debetur quã maxima cõnixus ſum pro viribus elucubrare ſucciſiuio ſtudio hoc quod tãtopere efflagitaſti opus: non quidem quantũ ex-poſcit ipſa rei dignitas ſed quantũ valet tenuis mea facultas: perſuaſum habens ſingularem tuam bene-uolentiam mihi quidem perſpectiſsimã facili venia id excuſaturã: quod minus ſufficienter aut plenè di-ſcuſſum eſt in eo negotio , aut non ſatis recluſum. Enimuerò hãc noſtrã qualemcũque elucubrationẽ, Elucidatoriũ eccleſiaſticum inſcripſi quoad eccle-ſiaſticũ pertinẽtia officiũ atque in eo legenda,dicẽ-dave clarius elucidet. Eãdem quadrifidam quadri-partitam digeſsi:atque in quatuor libros diſſectam. Quorũ primus hymnos eccleſiaſticos: ſecundus nõnulla cãtica.antiphonas, reſpõſoria & peculiares quaſdã benedictiones: tertius aliquas miſſæ partes præcipuè præfationes & canonẽ: denique quartus proſas miſſarum explanabit. Non tamen paſsim om nes hymnos aut proſas promiſcuè dilucidare inſti-tui: quandoquidẽ id maiorẽ exigeret operã & ociũ quàm ipſe poſſem in re præſenti impẽdere ſed eos dun-

taxat qui in frequētiore eccleſię vſu habētur, & quos hinc diſcedēs apud me ſcriptos reliquiſti præ cæteris exponendos. Nihilo ſecius præter illos interdū alios adiiciam: quorū crebrior eſt vſus & ſentētia di gnior queadmodū etiam fieri à me debere expetiſti. Meū vtique erit ſtudiū: genera carminū quibus hymni cōtexti ſunt paucis deſcribere, rhythmorum eccleſiaſticorū in proſis obſeruatorū leges & nume ros recēſere. ſi qua in illis errata aut mendoſa depre hēſa fuerit ad limā reducere: authores ipſorū vbi mi hi cōperti fuerint nominatim exprimere. Demū ſi-qua deinde occurrerit annotationē ꝓpriā diffuſius expoſcētia, aut ex grāmatica, aut ex ſcriptura ſacra pendētem illā adducto probatorū authorū teſtimo nio, approbationeve ſanctorū eloquiorum ordine verſuū obſeruato ſubnectā, neque exhorrebo etiā ea quæ humilia videbūtur aut rudimentis puerilibus perſimilia interdum vbi locus id expoſtulauerit afferre, mihi perſuadens nō dedecoroſum eſſe illa familiarius explicari quæ ignominioſum eſt igno rare, & longè ſatius eſſe illa ipſa latius expromi: quā ignorata intelligentiā infirmis præcludere. Siquidē vt ita facerē, mihi legē præſcripſiſti: & eorū etiam quæ ad grāmaticā attinent rationē, expetiſti declarationē, ſi quando res ipſa popoſcerit adiectum iri. Si itaque id à me factū eſſe damnauerint aut improbauerint aliqui tibi hoc exigenti eā culpā, quæ certè nulla eſt, aſcribāt cui malui vt par erat in re tam ſeria morem gerere, quàm aliorū ſuggillationē reprehenſionēve reformidare, Tui itaque grauiſsimi nominis (cui hoſce meos labores nuncupatos iure volui) authoritate ac patrocinio ſuffultus malo pro

legentium

legentium instructione videri vtilia, quàm præclara & ardua hic dicere. Cæterùm quoniam non ſolum hanc operam noſtram inſigni eccleſiæ tuæ Iaurienſi aut Pãnoniæ, ſed & galliæ noſtræ & quibúſvis aliis profuturã ſperaui, ratus ſum id cunctis conducibile fore ſi in lucem ædatur arte chalcotypa, profeгatúrque in publicum quo in plures extendatur atque propagetur ipſius (ſi qua eſt futura) vtilitas. Audiuiſti nãque ex diuino patre Dyoniſio (cuius præter cęteros es ſtudioſiſsimus) ſpiritualia munera ſui in plura diſtributione nequaquam imminui, ſed magis ac magis exundare, quo diuinæ bonitatis inexhauſtum propius imitentur fontem, qui iugi perpetuáque bonorum in creaturas elargitione non diminuitur, ſed immenſus ſemper & exuberantiſsimus permanet. Itaque ampliſsimæ tuæ paternitati dedicatum hoc opus, atque pollicitationis noſtræ ſatiſfactorium, ſereniore vultu ſuſcipe quęſo, atque illud in mei (quo te merito proſequor) monumentum & pignus amoris, & vel exiguũ gratitudinis in te meæ argumentum apud te repone, nõ quidem vt ea quæ complectitur euoluendo diſcas, qui literis cum humanis, tum diuinis liberaliter ac præclarè inſtitutus longè hæc omnia tranſcendiſti neque eorum indiges elucidatione aut enodatione: ſed vt frequentiore codicis huius aſpectu atque attrectatione, crebrior mei te ſubeat memoria, qui tibi cliẽtulus ſum deditius, tuæque dignitatis obſeruantiſsimus. Valeat quàm diutiſsime, venerãda & mihi ſemper colenda tua paternitas. Ex Pariſiis, anno verbi incarnati. 1515.

AD

AD LECTOREM.

CAndide lector, id vnum te admonitum velim: quod cum ſecunda huius operis pararetur æditio, ipſiuſque à vertice ad calcem vſque mea opera rurſum ſuſciperetur recognitio: operæprecium duxi eam cum ampliore fœnore & incremento fieri debere. Proinde nulla propemodum antè dictorum facta ſubtractione, & paucis admodum ſicubi res efflagitabat commutatis, cuique librorum præſentis operis facta eſt aliquanta acceſsio, & adiectio eorum quæ in priore volumine nequaquam continebantur. Siquidem in primo libro interiecti ſunt (ſuo quiſque loco) complures hymni, prius nequaquam expoſiti. Secundus cantica ferialia cuiuſque diei totius hebdomadæ cõplectitur adiectitia, & nonnullas benedictiones calci eius annexas. Tertius aliqua ad ſanctiſsimum altaris ſacrificium pertinentia generatim in ipſa fronte comprehendit adiuncta, præſertim quæ conſecrationem, Eccleſiæ & altaris, indumentorum ſacerdotalium rationem, & miniſtros ipſos templi ac ſacerdotes concernunt. Demùm in quarto libro ſuperadditæ percipientur aliquot proſæ eccleſiaſticæ cum ſuis explanationibus, ſuo quæque loco (vt certus expoſcebat ordo) diſpoſitæ. Quæ omnia, ex collatione huius ſecundæ emiſsionis cum prima, facilè conſtabunt. Vale, anno dominicæ incarnationis: 1520.

INDEX HYMNORVM ECCLEſiaſticorum, in primo libro huius operis declaratorum, ſecundum ordinem literarum alphabeti collectus, à quibus ſuum ſumunt exordium.

AD cœnam agni prouidi 154
Adeſto ſancta trinitas. 183
Aeterne rerum conditor 17
Aeterne cæli gloria 43
Aeterne rex altiſsime, redemptor 164
Aeterne rex altiſsime reddēs 302
Aeterna Chriſti munera 353
Agnoſcat omne ſeculum 67
Ales diei nuncius 28
Alma chorus domini 175
Annue Chriſte ſeculorum 356
A patre vnigenitus, ad nos venit 95
A ſolis ortus cardine 65. & 87
Aſſunt feſta iubilea 275
Audi benigne conditor 109
Aue maris ſtella 244
Aue Catharina martyr 342
Aure aluce & decore roſ. 267
Aureas ad noſtras deitatis 110
Aurora iā ſpargit polum 47
Aurora lucis rutilat 148

B

Beata nobis gaudia 170
Beatæ martyr proſpera 362

C

Catharinæ collaudemus 345
Choris nouæ Hieruſalem 152
Chriſte redemptor gentiū 63
Chriſte qui lux es & dies 105
Chriſte cunctorum dominator 205
Chriſte ſanctorum decus 321
Chriſte redemptor omnium 325
Chriſte lucis ſplendor veræ 374
Clarum decus ieiunij 106
Claris coniubila Gallia 242
Cleri patrem & patronū 213
Cæli deus ſanctiſsime 35
Conditor alme ſyderum 55
Cōſcendat, vſque ſydera 295
Conſors paterni luminis 27
Corde natu ; ex parentis 69
Cultor dei memento 121

D

Deus creator omnium 49
De patre verbum prodiēs 79
Deus tuorummilitum 300
Deus tuorum militum 359
Deus pſalmator cunctorum 575
Dies abſoluti prætereunt 100

E

Ecce iam noctis tenuatur 3
En miranda prodigia 278
En martyris Laureum 294
Ex more docti myſtico 103
Exultet aula cælica 210
Exultet cælum laudibus 350

F

Feſtū nunc celebre, magnáque

a

que 161
Fu porta Chriſti peruia 247
Fœlix per omnes feſtum 271
Fratres vnanimes fœdere 336

G

Gaude mater pietatis 287
Gaude viſceribus mater 304
Gaudent cæli noua luce 346
Gaude mater eccleſia 381
Gaude fœlix Hungaria 338
Gloria laus & honor 131
Gratulare Cæſarea 231
Gratuletur eccleſia 14

H

Hallelu ia dulce carmen 97
Hoſtis Herodes impie 84
Hymnũ dicamus domino 139

I

Iam Chriſte ſol iuſtitiæ 115
Iam Chriſtus aſtra aſcẽderat 172
Iam lucis orto ſydere 5
Iã ter quaternis trahitur 113
Ieſu quadrageſimæ 116
Ieſu ſaluator ſeculi, verbum 157
Ieſu noſtra redemptio 164
Ieſu corona celſior 234
Ieſu ſaluator ſeculi, redẽptis 327
Ieſu redemptor omnium 271
Ieſu corona virginum 379
Immenſe cæli conditor 25
In maieſtatis ſolio 186
Inter æternas ſuperum coronas 237
Inuentor rutili dux bone 141
Iſte confeſſor domini ſacratus 369

L

Landa mater eccleſia 383
Lignũ crucis miraculis 254
Lucis creator optime 11
Lucis huius feſta: colat 285
Lux ecce ſurgit aurea 36
Lux mundi beatiſsima 221

M

Magnæ deus potentiæ 39
Magne pater Auguſtine 354
Magno ſalutis gaudio 135
Martine confeſſor dei 332
Martine par apoſtolis 433
Martyr dei qui vnicum 360
Martyris ecce dies Agathæ 227
Martyris Chriſti canimus 292

N

Nocte ſurgentes vigilemus 1
Nox tenebræ & nubila 33
Nox atra rerum cõtegit 36
Nouum ſydus exoritur 290
Nouum ſydus emicuit 341
Nunc ſancte nobis ſpiritus 7
Nunciũ vobis fero de ſupernis 91

O

O Chriſti mater fulgida 277
O glorioſa domina excelſa 66
O lux beata trinitas, & principalis 49
O lux beata trinitas tres vnũ 188
O nazaræne dux Bethleẽ 119
O pater ſancte, mitis atque pie 52
O quàm glorifica luce coruſcas 348

P

Pange chorus hymnum deo filio

filio 280
Pange lingua glorioſi, prælium 127
Pange lingua glorioſi corporis 190
Pange lingua Nicolai præſulis 213
Plaſmator hominis deus 44
Plaude parens Pannonia 329
Præco præclarus ſacer 263
Primo dierum omnium 140
Q
Quem non præualent ꝓpria 88
Quem terra, pontus, æthera 223
Quod chorus vatum venerãdus 218
R
Rector potens, verax deus 8
Regis regum ciuis aue 265
Rerum creator optime 32
Rerum deus tenax vigor 9
Rex angelorũ præpotens 355
Rex Chriſte factor omniũ 138
Rex glorioſe martyrũ 368
S
Sacræ Chriſti celebremus coronæ 297
Sacris ſolenniis iũcta ſint 194
Salue crux ſancta, ſalue 251
Salue feſta dies toto 146
Saluete flores martyrum 82
Sancte dei pretioſe protomartyr 72
Sanctorũ meritis inclyta 364
Somno refectis artubus 21
Splendor paternæ gloriæ 22
Stephano primo martyri 77
Summæ deus clementiæ 46
Summi largitor præmij 117
T
Te Chriſte rex piiſsime 216
Te lucis ante terminum 12
Te lucis author perſonẽt 151
Telluris ingens conditor 30
Tibi Chriſte ſplendor patris 323
Tu trinitatis vnitas, orbẽ 41
V
Veni creator ſpiritus 168
Veni redemptor gentium 61
Verbum ſupernum prodiens, à patre 57
Verbum ſupernum prodiens, nec patri 198
Vexilla regis prodeunt 124
Virgo dei genitrix, quem totus 249
Virginis proles, opifexq; matris 376
Vita ſanctorum decus angelorum 159
Vox clara ecce intonat 59
Vrbs beata Hieruſalem 200
Vt queant laxis reſonare fibris 256

IN SECVNDO LIBRO PRÆſentis operis, contenta.

Canticũ ſanctorũ Auguſtini & Ambroſii cũ ſua expoſitiõe 385
Canticũ triũ puerorũ hebræorum, pro die dominico 391
Canticum Eſaiæ prophetæ, &c

riæ ſecundæ aſsignatū 397
Canticum Ezechiæ regis Iuda, pro feria tertia 401
Canticū Annæ matris Samuelis, pro feria quarta 406
Canticum Moyſi & filiorum Iſrael. feriæ quintæ accommodatum 413
Canticum Abachuc prophetæ, feriæ ſextæ adaptatū 421
Canticū moyſi, laudibus matutinis in die ſabbati deſignatum 434
Canticū Zachariç: patris ſancti Ioannis baptiſtæ 447
Symbolum Athanaſii, epiſcopi Alexandrini 455
Cāticū ſacroſāctę virginis Mariç, paucis explicatum 464
Cantic. ſācti Simeonis: officio cōpletorij aſsignatum 469
Antiphonæ in aduētu domini ad canticum beatæ virginis cantari ſolitæ 471
Antiphonæ poſt natiuitatem domini, beatæ Mariæ virgini peculiares 480
Antiphonæ in octauis epiphaniæ decantandæ: de myſteriis baptiſmi 487
Nonnulla, de natiuitate domini & beata virgine reſpóſoria 495
Nonnulla, quadrageſimalis paſchalis temporis, reſponſoria 504
De ſancto euchariſtiæ ſacramēto, dedicatiōe eccleſię, & ſanctis martyrib. nōnulla reſpōſoria, cum ſuis expoſitionibus 512
De horarum eccle. numero & denominationib. & primùm de officio matutino 615
Quid ſignet dictio halelu ia, Quid homilia, & amen 521
De prima, tertia, ſexta & nona horis ecclaſiaſticis 524
De officio veſpertino, & completorij 527
De variis eorū denominationib. qui ad eccleſiā ſpectant, aut ab eius gremio ſunt ſeparati ibidem
De ſeptē ordinū eccleſ. nominib. earūq; rationibus 533
In feſto purificationis beatæ virginis, benedictio cereorum 536
In die ſācto paraſceues: 546
In ſabbato ſancto paſchæ: benedictio noui ignis, quo ſūt Incendendi cerei 553
Benedict. cerei paſchalis 557
Benedictio fontis baptiſmalis in ſabbato paſchæ 569
Benedictio carnium, in die ſancto paſchæ 580
Benedictio aquæ 555
Benedictio panis dominicalis 387
Benedictio palmarum 598

YDICIS CVM PRIMI TVM SEcundi elucidatorij eccleſiaſtici libri: finis.

IVDOCI CLICHTOVEI, NEOPORTVENSIS, DOCTOris Theologi, Elucidatoriū eccleſiaſticū: cuius primus liber, hymnos eccleſiaſticos, tum de tempore tum Sanctis facili declaratione depromit.

¶ DIEBVS DOMINIcis ad nocturnum matutinū:

1 HYMNVS.

NOcte ſurgentes vigilemus omnes:
Semper in pſalmis meditemur, atque
Niſibus totis domino canamus
Dulciter hymnos.

2 *Vt pio regi pariter canentes:*
Cum ſuis ſanctis mereamur aulam
Ingredi cæli, ſimul & beatam
Ducere uitam.

3 *Preſtet hoc nobis deitas beata*
Spiritus: cuius reboat in omni
Patris ac nati, pariterque ſancti
Gloria mundo. Amen.

¶ Præſens hymnus ſapphico carmine & adonio decurrit. Nempe in vnoquoque verſu tria complectitur carmina ſapphica continuo ſe ſequentia: quibus ſubnectitur quartum adonium: ſemper verſum claudens. Conſtat autem carmen ſapphicum, quod ſemper eſt endecaſyllabū, vndecimque ſyllabarū, quinque ſedibus & locis. Quorū primo ſolus conſtituitur trocheus, ſecundo ſpondeus, tertio loco dactylus, quarto ſolus trocheus, quinto verò & poſtremò trocheus vel ſpondeus. Carmē verò adonium: pentaſyllabum ſemper eſt & quinque ſyllabarū, duos ſolum habens locos: in quorum primo ſolus ponitur dactylus: in ſecundo verò ſpondeus vel trocheus. Seruat autem hic hymnus exacte ſupraditi carminis legem: prȩterquàm

in tertio carmine poſtremi verſus: in cuius quarto loco ponitur pyrrichius pro trocheo: contra huiuſce carminis regulam: quod ſcriptorum vitio potius quàm authoris factum crediderim: cum eadem ſententia facile ita potuerit exprimi, cuius reboat per omnem, gloria mundum. Cæterum author iſtius hymni eſt beatus Gregorius: in quo ad ſacras vigilias nocturnas nos hortatur & decantãdas deo laudes: quo tandem cæleſtis regni conſortium aſſequamur, & fœlicem perpetuò viuamus vitam.

Gregorius.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nocte ſurgẽtes vigilemus. Cũ admonet author nocte ſurgendũ nobis eſſe & vigilandum: tempus exprimit proprium & congruum huic hymno decantando, in officio ſcilicet matutino: quinimmò in eius ferè principio & ante Pſalmorum modulationẽ. Quod ſanè matutinũ officium, ſecundũ primitiuæ eccleſiæ inſtitutionẽ circa medium noctis curriculum celebrari ſolitum eſt: ad imitationem ſancti prophetę dicentis. Media nocte ſurgebam ad confitendũ tibi: ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Et adhuc in permultis inſignibus eccleſiis, vt ſacroſãctæ virginis Mariæ apud Pariſios: & cõpluribus aliis, in omnibus etiã ferè monaſteriis & religioſis domibus obſeruatur hic mos celebrandi officium matutinum circa medium noctis ſpacium. ¶ In eiuſdem verſus carmine tertio. Niſib⁹ totis domino. Dictio niſib⁹: ablatiuus pluralis eſt à nomine niſus quartæ inflexionis: quod vim, laborem ac conatum ſignificat: formatúrque à verbo depotente nitor, vt habet niſus in præterito, quod quidẽ præteritum, ſicut & nomen verbale, de quo hic ſermo: etiã in vſu eſt probatorũ authorũ. Sedulius in primo libro diuinorum mirabilium loquens de Arrhio hæreſiarcha. Qui curua per auia rectum flectere niſus iter: foueã dilapſus in atrã corruit. Nixus vero nomen itidem quartę declinationis: partũ ſignat. Virgilius in Georgicis. nec fœtus nixibus ædunt: deducitúrque ab eodẽ verbo nitor: ſed vt præteritũ facit nixus. Cæterum nixus etiam interdum laborẽ & conatum ſignat. Mantuanus in vita ſancti Georgij. Magnanimos nixus iuuet deus. Et rurſũ ibidẽ. Semper ab extremo pendet victoria nixu: horáque præteritos fœlicitat vna labores. ¶ In eiuſdem verſus carmine quarto. Dulciter hymnos: nomen hymnus (vt probati ſentiunt

Pſal. 118.

ſentiunt authores)græcum eſt vocabulum:laudem dei ſignificans,alicuius metri lege cōpoſitā:ſicut & omnes pſalmi in hebræa lingua dicũtur certa carminis lege eſſe formati:vt aſſerit Caſſiodorus in expoſitione pſalmi ſexageſimi ſexti. Proinde & Pſalmodia ſæpenumero hymnus dicitur:vt eo loco pſalmi 64. Te decet hymnus deus in Siō: & tibi reddetur votum in Hieruſalem. Aptè itidem & hęc diuinarum laudum cantica (quorũ nunc expoſitionē deo adiutore aggredimur)dicuntur hymni:quoniã in dei laudem concinuntur, & certa aliqua lege carminis conſtructa ſunt atque comprehēſa. Neque quiſpiam hymnorum vſum tanquàm leue quiddam & futile repudiet: quandoquidem is à tota eccleſia approbatus eſt vt oſtendunt ſanctiones canonicæ,ſanctorúmque patrum decreta,de cōſecratione diſtinctione prima,cap.de hymnis,hiſce verbis. De hymnis canendis: & ſaluatoris & apoſtolorum habemus exemplũ. Nã & ipſe dominus hymnum dixiſſe perhibetur:Matthæo euangeliſta teſtãte. Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum, Et Paulus apoſtolus ad Epheſios ſcribit dicens. Impleamini ſpirituſancto: loquētes vobiſipſis in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus. Et quia nōnulli humano ſtudio hymni in laudem dei atque apoſtolorum & martyrum triũphos cōpoſiti eſſe noſcuntur:ſicut ij quos beatiſsimi doctores Hilarius atque Ambroſius condiderunt. In eodē quoque loco deinde refellitur & confutatur acriter eorũ ſententia:qui putant hymnos non eſſe recipiēdos eò quòd non de ſcripturis ſanctorum canonũ vel apoſtolica traditione exiſtunt. ¶ In tertio verſu,carmine tertio Reboat in omni. Reboare verbũ ſignificat reſonare. Virgili⁹ in Georgicis. Reboãt ſyluæque & magnus Olympus. Compoſitũ eſt ex præpoſitione re, & verbo boo,as,quod à boũ mugitib⁹ tractũ ſignificat mugire ſiue ſonare. Inde boat⁹ nomē:idē eſt quod mugitus ſiue ſonitus.

Hymnus. *Matth. 26.* *Ephe. 5.*

DIEBVS DOMINICIS AD LAVDES matutinas.

1

Ecce iã noctis tenuatur umbra:
Lucis aurora rutilans corruſcat.
Niſibus totis rogitemus oēs
Cunctipotentem.

2 *Vt deus noſter miſeratus:omnem*
Pellat langorem,tribuat ſalutem,
Donet & nobis pietate patris,
Regna polorum.

3 *Preſtet hoc nobis deitas beata.ut ſupra.*

Hymnus iſte eiuſdem eſt generis cum præcedente, carminiſque ſapphici & Adonij rectam ſeruat legẽ,præterquàm in primi verſus ſecundo carmine: in cuius tertio loco ponitur tribrachus pro dactylo. At ſi quis dixerit lucis exortus rutilãs coruſcat: & eandẽ ſeruauerit ſententiã & exactam carminis legem. In ſecundi etiam verſus ſecundo carmine:ſpondeus primo loco collocatur pro trocheo:quod quidem vitiũ carminis emendaretur: ſi ita cõtexeretur. Pellat angorẽ tribuat ſalutem. ¶ Eius author ignotus,quem tamen facile crediderim fuiſſe ſanctũ Gregorium:ob continuatam præcedentis hymni materiam & idem carmẽ. In eo, noctis ambitionẽ deſcribit & propinquum diei exortum:hortatur deum,oremus:vt noxia omnia à nobis auferat,ſalutaria tribuat, & deniq; cæleſte regnum conferat.

1 ¶ANNOTATIONES.In primo verſu. Ecce iam noctis. Hic deſcribitur tempus iſtius hymni decãtandi:vtpote in fine ipſius officij matutini & poſt pſalmos laudum: ꝙ ferme contingit circa ipſum diluculum,quo noctis opacitas paulatim diſcedit,& diei aduenientis percipitur ſubluſtris & ſubrutila affulgentia. 2 ¶ In ſecũdo verſu: vt deꝰ noſter miſeratus omnem. Miſeratus participium: à verbo deponente primæ coniugationis miſeror,aris,deducitur. quod ſignificat opem ferre, alicuius miſeriam leuare,& accuſatiuo iungitur. Virgilius in Aeneide. O ſola infandos Troiæ miſerata labores. At vero miſereor verbũ etiã depones ſed ſecũdæ cõiugationis: ſignificat ſuper alicuiꝰ miſeria moueri miſericordiæ affectu,præteritũ habet miſertus:& potiſsimum expoſcit genitiuum. Virgilius in Bucolicis. Nil noſtri miſerere:mori me deniq; cogis. In eiuſdẽ verſus ſecũdo carmine. Pellat lãgorẽ,tribuat ſalutẽ. Vt modo dictũ eſt ſi id carmẽ eo modo legeretur ex vſu&more eccleſiaſtico. Pellat angorẽ,tribuat ſalutẽ, & tũc lenior ac ſuauior eſſet ꝓlatio, ſi ſeruaretur carminis ĩtegritas &

tiæ abti-

ſentẽtiæ aptitudo. Eſt enim angor,oris,nomẽ à verbo ango, is(quod cruciare & vexare ſignificat)deductũ:idẽ quod cruciatus,anxietas, anxietudo ſiue anguſtia cum corporis,tũ animi,quem merito à nobis repelli oraremus:nam vbi inualeſcit, bonorum operum graue infert impedimentum. Quod & recte nos admonet Eccleſiaſticus dicens. Triſtitiam longe expelle à te:multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in ea. Quid autem langor ſignificet: omnibus eſt perſpicuum. Eccle. 30

1 ¶AD PRIMAM.

Iam lucis orto ſidere
Deũ precemur ſupplices:
Vt in diurnis actibus
Nos ſeruet à nocentibus.
2 *Linguã refrenãs tẽperet:*
Ne litis horror inſonet.
Viſum fouendo contegat:
Ne uanitates hauriat.
3 *Sint pura cordis intima:*
Abſiſtat & uecordia.
Carnis terat ſuperbiam
Potus cibique parcitas.
4 *Vt cum dies abſceſſerit*
Noctẽque ſors reduxerit:
Mundi per abſtinentiam
Ipſi canamus gloriam.
5 *Deo patri ſit gloria*
Eiusque ſoli filio.
Cum ſpiritu paraclito
Et nunc & in perpetuũ.
Amen.

¶Hymnus iſte vniformis eſt,& vno dũtaxat genere carminis cõſtans,ſcilicet iãbico dimetro:duos pedes pro vno metro menſuráque peculiariter obtinente, & idcirco à duabus cuiuſque carminis menſuris ſiue metris: dimetrum ab authoribus paſſim nuncupatur. Ipſum autem quatuor ſedibus atque locis compingitur ac coaleſcit. In primo quidem loco conſtituitur ſpondeus vel iambus: in ſecundo ſolus iambus. In tertio itidem ſpõdeus vel iãbus,in quarto vero & poſtremo loco iambus vel pyrrhichius,ſecundum poſtremæ ſyllabæ ipſius carminis quantitatem & conditionẽ. Itague quiſque verſus iſtius hymni & conſimilium(nam quamplurimi hymnorum eccleſiaſticorum hac metri lege ſunt contexti: quinimo ferè omnes) quatuor continet huiuſmodi carmina, & quod que carmẽ octo complectitur ſyllabas,& duæ ſyllabæ ſemper

vnum conſtituunt ipſius carminis pedem. Vnumquodq; autem carmen huius generis, hypercatalecticum eſt: quod in eo neque abūdet ſyllaba neque deficiat. Et archilochiū etiā dicitur ab archiloco, primo ei⁹ īuctore. De quo Hor. ī arte poetica Archilocū ꝓprio rabies armauit iābo. Porrò ī toto hoc hymno, ꝑdicti carminis regula ad vnguē ſeruatur: præterq̄ ī quīti verſ⁹ poſtremo carmine, vbi tertio loco ponitur troche⁹ pro ſpōdeo, contra legē hui⁹ metri.

Eius author eſt ſanctus Ambroſius: in quo nos exhortatur quod exorto iam die rogemus deum vt per totū diei curriculum nos cuſtodiat à vitiis, detqne diē ipſum in laude ſua perficere. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Iam lucis orto ſidere. Hoc loco temp⁹ exprimitur: quo ſoleat hymnus iſte ex ritu eccleſiaſtico cantari, qui officio primæ peculiater eſt addictus. Illud aūt officium circa ipſius ſolis exortum eleuationem ſuper nos, ſolet quotidie celebrari. Dicitur autem hic ſol per inſignem quandam excellentiam ſyd⁹ lucis: quod cæteris ſyderibus ſit lucidior, & totum hunc mundum ſua lampade illuſtret.

2 ¶ In ſecundo verſu. Linguam refrenans temperet. Alludit hic ad hanc prophetæ orationem in pſalmo. Pone domine cuſtodiam ori meo: & oſtium circunſtantiæ labiis meis. Ita cum dicit viſum fouendo contegat: exprimit hāc pſalmi ad deum orationem. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Et ita fermè omnes hymnorum ſententiæ deprecatoriæ locum habent aliquem ſcripturæ ex quo ſūt deſumptæ: & cui conformitate ſenſus aptè reſpondent, vt facile reprehendere poſſunt qui ſacris literis vel mediocriter ſunt inuerſati. 3 ¶ In tertio verſu Abſiſtat & vecordia. Vecordia pro ſtultitia & ſtoliditate animi, rectè hic ſumitur: ad bona opera inertis ac inepti. Dicitur enim vecors: quaſi ſine corde, qui inſipiens eſt & ſtolidus, quod à ve particula negatiua, & nomine cor compoſitum eſt. Cor autem pro prudentia beneque operandi ſcientia interdum ſumitur. vt apud Hieremiam. Audi populę ſtulte, qui non habes cor. Inde cordatum hominē dicimus prudentē & maturū. 4 ¶ In quarto verſu. Noctemque ſors reduxerit. Sors hic non pro fortuito rei euentu, aut parte quæ ſortiendo cuiquam euenit ſumitur: ſed pro ſucceſsione viciſsitudinéque tēporis, cuius certa ſerie ac alternatione, diei ſuccedit hora nocturna. Et tūc deo gloriam cana-

Pſalm. 40
Pſalm. 118
Hiere. 5.

mus,rationabile eſt:quod ei⁹ munere diem totum tranſegerimus ſine incommodo ac malo.

1 ¶AD TERTIAM.

Nunc ſancte nobis ſpiritus
Vnũ patri cũ filio:
Dignare promptus ingeri
Noſtro refuſus pectori,
2 *Os,lĩgua,mẽs,ſẽſ⁹,uigor:*
Confeſſionem perſonent
Flammeſcat igne charitas
Accẽdat ardor proximos
3 *Præſtá pater piiſſime:*
Patrique compar unice:
Cum ſpiritu paraclito:
Et nunc & in perpetuum.
Amen.

¶Eodem genere carminis hymnus iſte conſtringitur: ſicut præcedens, & vbique rectam ſeruat illius metri legem præterquã in poſtremo carmine tertii verſus:in cuius tertio loco ponitur trocheus proſpondeo:quod quidem vitium tolleretur:ſi quis ita verſum illum clauderet ,nũc & per omne ſeculum. ¶ Author eius eſt beatus pater Ambroſius:in quo ſãnctum inuocat ſpiritum:vt dignetur nobis illabi.hortatur deinde:vt & corpore & animo diuinas perſonemus laudes:ac feruentem charitatis affectum in proximos habeamus. ¶ANNOTATIONES. In primo verſu, Nunc ſancte nobis ſpiritus. Quoniam hic prim⁹ verſus intricatã & difficilem prima fronte habet ſtructuram atque contextum:ita eſt ordinanda eius ſententia. O ſancte ſpiritus qui es vnũ in ſubſtãtia ipſi patri cũ filio: dignare promptus ac facilis ingeri illabiq́;nobis ,refuſus atq́;infuſus noſtro pectori ſiue animæ noſtræ . vt datiuus nobis:ad verbũ ingeri nectatur,& noſtro pectori: ad participiũ refuſus,quod ibi tãtũdẽ valet atq́; illapſus vel infuſus.Cæterũ ibidẽ dicitur ſpũs ſanctus eſſe vnũ patri cũ filio:quia vnius ac eiuſdẽ eſt ſubſtantiæ & naturæ cũ deo patre & filio:á quibus ineffabiliter procedit.Cũ enim vnica ſit & indiuidua diuina ſubſtantiæ, tribus ſuper diuinis perſonis communis ac eadem:haud dubiè ſpiritus ſanctus & patri & filio cõſubſtantialis eſt,& vtrique vnitate ſubſtãtia cõiũgitur.Quod aptè & accõmodatè per neutrũ gen⁹ vnũ,hic ĩſinuatur:ꝙ ipſũ ſubſtantiæ eſt ſignificatiuum. quẽadmodũ filius dei vt ſeipſũ vni⁹ & eiuſdẽ ſubſtãtiæ cũ deo patre eſſe ĩnueret:dixit.Ego & pater vnũ ſumus. Nõ *Iohan.* 10. eſt aũt admittẽdũ.quod ſpirit⁹ ſanct⁹ ſit vn⁹ patri cũ filio.

Nam ſermo ille indicaret vnam eandémque eſſe perſonã ſpirit⁹ ſancti cum patre & filio: quod maſculinum genus, perſonæ ſit inſinuatiuum. Illud autem nequaquã recipiẽdum eſt: cum inter ipſas tres diuinas perſonas ſit diſcretio perſonalis. ¶ In ſecundo verſu. Os, lingua, mens, ſenſus, vigor. Hęc quinque, os, lingua, mens, ſenſus, vigor: ponũtur ad indicandum omnia quæ ipſius hominis ſunt, ſiue ad corpus ſiue ad animam pertinent. Os enim & lingua, & ſẽſus: ad corpus attinent: mens autem & vigor ſiue virtus animi: ad ſpiritum. Debet enim & caro in nobis & ſpiritus diuinas laudes perſonare: vt dicamus cum propheta. Be-

Pſal. 102 nedic anima mea domino: & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ei⁹. Et cõfeſsio eo in loco non pro confeſsione peccatorũ aut fidei accipitur: ſed pro confeſsione laudis, vt frequẽtiſsime in ſcriptura. Deniq; ignis ibidẽ ꝑ ſpiritu ſancto recte ſumitur: qui ignis eſt ille cæleſtis, quem

Luce 12 dominus venit mittere in terrã, & corda noſtra terrena: & nihil aliud vult: niſi vt ſacer ille ignis ĩ nobis ſuccẽdatur.

I AD SEXTAM.

Rector potẽs uerax deus:
Qui temperas rerum uices.
Splendore mane inſtruis:
Et ignibus meridiem.

2 Extĩgue flãmas litiũ.
Aufer calorem noxium.
Cõfer ſalutem corporũ:
Veráq; pacẽ concordiũ.

¶ Hymnus iſte, carminis iambici dimetri legem vbique obſeruat. In tertio tamen carmine primi verſus vocalem habet alteri vocali continuo ſine colliſione præpoſitam, quod non paſsim cuique licet. Neque in quarto eiuſdem verſus carmine trocheus tertio loco ponitur pro ſpõdeo: vt putarent illi qui primam ſyllabã dictionis meridie crederent eſſe longam & ſecundam breuem. Nam ediuerſo prima eius ſyllaba breuis eſt & ſecunda longa: quare eo loco apte ponitur iambus. At verò primã datæ dictionis ſyllabam breuem eſſe & ſecũdam longam: teſtis eſt Mart. in hoc carmine iambico ſenario. Inter repentes poſt meri diem buxos. Idem obſeruat Catullus in hoc verbo meridio, as, in hoc carmine phaleutio. Iube ad te veniam meri diatum. Author eius: ſanctus Ambroſius. In eo diuinã laudat omnipotentiam à prouida ordinatione ac diſpoſitiõe temporum, oratque vt ardores concupiſcentiarum à ne-

bis tollat: & ſalutaria tam corpori quam animæ tribuat: corpori quidem ſanitatem, animæ vero tranquillitatem. 1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Splẽdore mane inſtruis. Hoc in loco mane, non aduerbij ſed nominis locum tenet & ſignificationem. tempus enim matutinum ſignat: & accuſatiuus eſt. Sic & apud ſacram ſcripturam frequenter ſumitur in primo cap. Geneſeos. Sic & apud Perſium ponitur cum ait. Nempe hoc aſsidue? nã clarũ mane feneſtras intrat. Vbi mane nominatiuus eſt & adiectiuo neutri generis annectitur. 2 ¶In ſecũdo verſu. Extingue flammas litium. Hoc loco flãma, calor, ignis, ſumuntur (vt ita dixerim) in malam partem: pro commotione & vehementia noxiarũ concupiſcentiarũ militantiũ contra ſpiritum: quomodo & in ſacris eloquiis ſæpenumero accipiũtur. vt apud prophetam. Omnes adulteri quaſi clybanus ardens. Et Paulus. In quo poſitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere. Denique Iacobus. Lingua ignis, vniuerſitas iniquitatis. inflammat rotã natiuitatis noſtræ inflammata à gehenna. In eodem verſu. Veramque pacem cordium. Pax quam dat hic mundus: non vera eſt pax ſed adumbrata & ſimulata. Non eſt enim pax impiis: dicit dominus. Pax verò quam deus confert, trãquilitas ſ. cõſcientiæ, atq; cõcordia cũ deo, ſeipſo & proximo, vera eſt & ſyncera pax, ſummoperéque expetẽda. de qua dicit pſal. Pax multa diligẽtib⁹ legẽ tuã & nõ eſt illis ſcandalũ.

Oſee.7 *Ephe.6* *Iaco.3* *Iohann.14* *Eſaia.49* *Pſal.118*

1 AD NONAM.

Rerum deus tenax uigor,
Immotus in te permanens
Lucis diurnæ tempora:
Succeſsibus determinans.

2 *Largire clarum ueſpere:*
Quo uita nuſquã decidat
Sed præmium mortis ſacræ
perennis inſtet gloria.

¶Hymn⁹ iſte, carminis iambici dimetri regula apte coercetur. Author eius: S. Ambroſius, in quo diuinam laudat prouidentiã ſua virtute omnia cõſeruãtem: & diei partes ſuis vicibus diſtinguẽtem. Orat vt item fœlicem & beatũ vitæ exitũ deus largiatur nobis: & poſt mortem ſanctam ac piam, vitam æternã. 1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Rerum deus tenax vigor. Hic dicitur deus

deus eſſe vigor tenax rerum,quoniã omnitenenti ſua vir tute cuncta conſeruat in ſuo tenore: in ſeipſo tamen permanet immotus:quia apud ipſum nõ eſt tranſmutatio nec viciſsitudinis obũbratio,ſtabiliſque manẽs dat cuncta mo ueri. Demum dei tempora ſucceſsibus determinat:quoniã horis diurnis ſuas viciſsitudines & ordinẽ aſsignat, Ordinatione enim ipſius(vt ait Pſalmus)perſeuerat dies. & alio loco. Fecit lunam in tempore : ſol cognouit occaſum
*Iaco.*1. ſuum In ſecundo verſu.Largire clarum veſpere. Iſtius ſẽ
Pſal. 118. ſibilis & tẽporalis diei veſpere, etiã tẽporariũ ac fluxũ,
Pſal. 103. vt pote tempus veſpertinum atque ſerotinum obſcurũ eſt & atrum nam ob vicinum noctis creſpuſculũ & ſolis occa ſum:paulatim decumbit in tenebras. Veſpere autem ſpiri tuale & myſticum : ſcilicet ſacer beatus vitę exitus,qui no bis eſt veſpera præſentis incolatus,eſt clarum & lucidum quoniam ſuccedentem non habet tenebrarum horrorem: ſed lucidam regni cæleſtis habitationẽ, nullo fine claudẽ dam. Et in iſto claro veſpere vita nuſquam decidit ſiue de ficit:quia mors ibi amplius locũ non habet,ſed immortali tas & perennitas eſt indeficientis vitæ.Poteſt itaque poſte rioris verſus ſecundum carmen de vita futura & alterius ſeculi intelligi:ſicut nunc expoſitum eſt: necnon & de vi ta præſenti:quam petimus hic ita a nobis tranſigi: vt ipſa nunquam decidat à rectitudine neque prolabatur in mor tem animæ per peccatum ſed æterna nobis gloria deinde adueniat,quæ eſt præmiũ atque remuneratio mortis ſan-
*Apoca.*14. ctæ.Qui enĩ in domino moriuntur,beati ſunt, atque ſem
*Gene.*1. piternam vitam in mercedẽ accipiunt. Inſuper & hic annotatione non eſt indignum:quod veſpere nomen indeclinabile neutri generis,ꝑ extrema diei parte:apud ſacrã ſcripturam in frequenti eſt vſu: vt, factum eſt veſpere & mane dies vnus. Apud authores verò ſingularis literaturæ non id nomen in vſu verſatur:ſed veſper, eris, veſpera,æ,& veſperum,i.quorum trium vnumquodque ſignificat vltimam diei partem:cum iam noctis inſtat opacitas quoniam eo tempore ſtella poſt occaſum ſolis exoriens (quæ veſper à Latinis dicitur,& veſperus, & veſpera : à Græcis verò heſperus) apparere ſolet. Exempla horum paſſim occurrunt.

DIEBVS DOMINICIS:
ad veſperas.

1
LVcis creator optime:
Lucē dierū proferēs:
Primordiis lucis nouæ
Mundi parans originem.
2 Qui mane iunctum ue-
ſperi
Diem uocari præcipis:
Tetrum chaos illabitur.
Audi preces cum fletibus.
3 Ne mens grauata cri-
mine:
Vitæ ſit exul mūnere
Dum nil perenne cogitat.
Seſeq; culpis illigat.
4 Cœlorum pulcet inti-
mum:
Vitale tollat præmium
Vitemus omne noxium:
Purgemus omne peßimum.

¶ Præſens hymnus carminis iambici dimetri regulam vbique exactè ſeruat: præter id quod in quarti verſus primo carmine ſpondeum habet pro iambo in ſecundo loco: quod non eſt frequenter admittendum. Author eius, ſanctus Gregorius. In quo deum laudat: vt lucis diurnæ & temporum creatorem atque diſpoſitorem: orátque ne mens noſtra peccatis oppreſſa exultet à vita cœleſti: ſed ita declinet peccata in præſenti ſeculo, vt in futuro æterni regni obtineat præmium, tranſeátque à morte ad vitā perpetuam. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Primordiis lucis nouæ. Deſcribitur hoc loco ab authore opus primæ diei, inter ſex illos dies: quibus in Geneſi mundus ſenſibilis creatus dicitur, Nempe primo die dixit deus. Fiat lux: & facta eſt lux. & diuiſit deus lucem à tenebris, vocauit lucem diem, & tenebras noctem. Et factum eſt veſpere & mane: dies vnus, id eſt prim⁹. Idcirco hic rectè dicit prim⁹ verſus: quod ꝑ lucis nouæ primordia deus mundi parauit originem, quoniam ab ipſa luce inchoauit opus ſex dierū. Aptè itidē & verè dicit ſecūdus verſ⁹: quod deus præceperit ipſum mane coniunctū veſperi vocari diē, quoniā ab illis partibus extremis, principio & fine: prim⁹ ipſe ſex dierū & reliqui oēs, in Geneſi denominati ſunt. 2 In ſecundo. Qui mane iunctū veſperi. Veſperi hic datiuus eſt hui⁹ nominis veſper, eris: tertiæ declinationis: quod (vt paulo ante dictū eſt) extremā diei partē ſignat *Gene. 1.*

ſignat, vt apud Statiũ. Sed veſper opacus Lunares iã ducit equos. Chaos autem apud antiquos confuſam ſignificabat rerum ante mundi formationem molem & congeriem: quæ ab eis omniũ rerum ponebatur principium. Hic autem (vt ſæpe alias) pro tempore nocturno capitur: quòd ob tenebras & obſcuritatem, rebus confuſionem ingerit. 4 ¶ In quarto verſu. Cœlorum pulſet intimum. Hæc verba pulſet & tollat: referri debent ad nominatiuũ mens in præcedente verſu expreſſum. vt ſenſus ſit. mens ergo noſtra feruenti oratione & meditatione aſsidua cælos ipſos pulſitet ac penetret: æternæque vitæ brauiũ tandem ſibi vendicet & aſſequatur. Et verbũ tollere, non auferre hic ſignificat, aut remouere: ſed accipere & comparare: vt & in eo loco. Tollis quod non poſuiſti. Et tolle quod tuum eſt: & vade.

Lucæ 19
Matth. 20

1 ¶ AD COMPLETORIVM.

TE lucis ante terminum:
Rerum creator poſcimus.
Vt ſolita clementia:
Sis præſul ac cuſtodia.
2 Procul recedant ſomnia:
Et noctium phantaſmata.
Hoſtẽq; noſtrũ cõprime
Ne polluantur corpora
3 Præſta pater oĩpotens
Per Iheſum Chriſtũ dominum
Qui tecum in perpetuum
Regnat cum ſancto ſpiritu. Amen.

¶ Hymnus iſte, carminis iambici dimetri lege & modo conſtringitur: & in duobus primis eius verſibus illum exacte ſeruat, præterquam in tertio carmine primi verſus, vbi primo loco ponitur trocheus pro ſpondeo: contra huius metri normam. Tertius verò verſus, ameter eſt & ſine recta menſura. nam nullum quatuor eius carminum rectã obſeruat huiuſce metri regulam: vt cognoſcenti quantitates ſyllabarum & carminis rationem liquido conſtat.

¶ In illo ad deum dirigitur oratio, vt adueniente noctis crepuſculo ſit cuſtos noſter: & in nocturna quiete propellat à nobis inſomniorum illuſiones atq; nocturni ſomnij pollutionem: quæ hoſte noſtro ſuggerente interdum contingit. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Te lucis ante terminũ. Hic tempus inſinuatur, huic hym-

no cantando deſignatum: vtpote ipſius completorij, quod ante finem diei & in ipſo fere noctis crepuſculo ex eccleſiaſtica cõſtitutione exolui deo debet. ¶ In eodem verſu. Sis præſul ac cuſtodia. Præſul dicitur qui aliis ad tutamẽ & præſidium præeſt: quorum cuſtodiæ & directioni inuigilat, vt cuique homini ſuus angelus bon⁹, præſul ac prę-ſes eſt. Cuſtodia vero in actiua ſignificatione (ſicut & hic ſumitur) is dicitur, qui alium cuſtodit, illiúſque cuſtodiendi ſedulam curam gerit. Sunt & nonnulli, qui hunc primum verſum ita finiunt. ſis præſul ad cuſtodiã. Et hi etiã recte legunt: nam neque carmen neque ſententia ob hãc mutationem vitiatur. 2 ¶ In ſecundo verſu. Et noctiũ phãtaſmata. Phãtaſma, grecũ nomẽ eſt: ſignificãs ſpeciem ſiue imaginẽ animo apparẽtẽ atq; obiectã ſine rei exiſtẽtia. Vnde phãtaſmata noctiũ dicũtur viſa nocturna: quæ nobis dormiẽtib⁹ atq; ſomniantib⁹ occurrũt. Et illa interdum illuſione hoſtis noſtri impura ſe obiiciunt & ad immunditiam pertrahentia. idcirco merito petere debemus illa dei præſidio à nobis auerti. Quemadmodum etiam vt à corporũ pollutione nocturna pręſeruemur: ſedulò orandum nobis eſt. quoniam vbi illa hoſtis noſtri ſuggeſtione acciderit inter dormiendum: reddit hominem minus aptũ ſæpius & indiſpoſitum ad ſancti altaris celebrandum myſterium, vt ſatius ſit & tutius, ob auguſtiſsimi ſacramenti euchariſtiæ reuerentiam: die proximè illam ſequente ab eo contrectando & conſecrando abſtinere, modo id commodè & ſine offendiculo fieri poſsit. Quod & vetus lex nobis ſubinſinuat: cum ait. Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus ſit ſomnio: egredietur extra caſtra, & non reuertetur priuſquam ad ueſperam lauetur aqua & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra. Si enim in veteri & figurali lege ob pollutionẽ nocturnam cenſebatur homo toto die proximè ſequente immundus, & iubebatur ſequeſtrari ac ſeparari à cæterorum conſortio atque contubernio, vnius diei ſpatio: quanto magis in noua lege & euangelica vbi ſanctiora & ſacratiora tractanda ſunt myſteria, poſtridie quam acciderit illius inquinamenti contagium: debet ſe homo immundum reputare, & ob diuinorum ſacramentorum puritatem ac ſublimitatem ab illis tunc attrectandis humiliter ſe ſubtrahere ac ſegregare.

Deut. 23

die-

DIEBVS DOMINICIS AD NOCTVRNVM:

1 matutinum:alius hymnus.

PRimo dierũ omniũ
Quo mundus extat conditus:
Vel quo reſurgens cõditor
Nos morte uicta liberat.

2 *Pulſis procul torporib⁹.*
Surgamus omnes ocyus.
Et nocte quæramus pium:
Sicut prophetã nouimus.

3 *Noſtras preces vt audiat:*
Suâmq; dextrã porrigat'
Et expiatos ſordibus
Reddat polorum ſedibus.

4 *Vt quiq; ſacratiſsimo*
Huius diei tempore.
Horis quietis pſallimus.
Donis beatis muneret.

5 *Iã nũc paterna claritas*
Te poſtulamus affatim
Abſit libido ſordidans
Omnis actus noctius.

6 *Nec fœda ſit uel lubrica*
Compago noſtri corporis:
Per quod auerni ignibus
Ipſi crememur acrius.

7 *Ob hoc redẽptor quæſumus*
Vt probra noſtra diluas.
Vitæ perennis commoda.
Nobis benigne conferas.

8 *Quo carnis actu exules*
Effecti ipſi cœlibes:
Vt præſtolamur cernui
Melos canamus gloriæ.

Præſens hymnus metro iambico dimetro cõpoſitus eſt: & rectam eius ferè in omnibus locis obſeruat legem,prę terquã in iis vbi vocalis proxime vocalem in diuerſis dictionibus ſine colliſione conſequitur: quod vbi frequens eſt, concinitati carminis officit: & in is vbi trocheus pro ſpondeo primo loco, & ſpondeus pro iambo ſecundo loco reponitur, quod inueſtiganti facile occurret. ¶ Author eius eſt ſanctus Gregorius:in quo nos exhortatur quod in ſacro die dominico ſurgamus nocte ad cantãdas deo laudes,vt demum nos mũdatos ab inquinamento carnis & ſpiritus perducat ad cœleſtia regna, vbi perpetuo eius nomen laudemus.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Primo dierum omnium. Hic cõmendatur dies dominicus(quo hymnus iſte ad nocturnum cãtari ſolet) à duobus potiſſimum myſteriis. Primum, quod ſi omniũ dierum fuerit primus:

vt

vt ante ipſum nullus fuerit huius ſeculi dies & inter ſex Gene.1.
dies in Geneſi diſtinctos quibus deus ſcribitur formaſſe hunc mũdum ſenſibilem: dies dominicus primũ obtinuerit locum, fueritque illorũ ſex etiam primus. Quod quidem facile ex ſcriptura conuincitur. Nam requieuit deus die ſeptimo ab omni opere quod patrauerat: cum iam expleti eſſent ſex dies operum dei. Et dies ille ſeptimus idcirco nominatus eſt ſabbatum: id eſt requies. At qui ſi ante ſabbatum ſumantur continuo ordine ſex dies: primus illorum eſt dies dominicus: ſecundus, feria ſecunda: & tertius, feria tertia, & ita deinceps. Igitur primus dies quo mundus fuit conditus, & quo formata deſcribitur lux, vt in antepræcedẽte hymno dictum eſt, fuit dies dominicus. Secũdum huius diei dominicæ myſterium hic expreſſum eſt: quod eo die Chriſtus reſurrexit à mortuis, & deuicta morte nos ab eius liberauit imperio. Quod etiã ex ſacra ſcriptura euadit perſpicuum. Nam vt dicit Marcus euan- Marc.16.
geliſta: Chriſtus ſurrexit à mortuis mane prima ſabbati id eſt prima dies poſt ſabbatũ: eſt dies dominicus. Eſt igitur ille dies, etiã glorioſa Chriſti reſurrectiõe inſignitus & honoratus. Alia eiuſdem ſacræ diei ſacramenta hic prætermittuntur: quia non conueniunt propoſito.

2 In ſecundo verſu. Surgamus omnes ocyus. Hoc loco ocyus aduerbium eſt comparatiuũ pro poſitiuo poſitum: vt apud Virgilium in Bucolicis. Ille vbi me videt: contra *ocyus inquit*. Ocyus inquam, id eſt cito ſiue velociter. Caret autẽ poſitiuo: ſed ſuperlatiuum habet ocyſſimè: quẽadmodum & eius nomen à quo formatur: ſcilicet ocyor, non habet poſitiuum ſed ſolum ſuperlatiuum ocyſſimus. Significat autẽ ocyor idem quod velocior. Virgilius, Fugit licet ocyor Euro. & y græco in ſecunda ſyllaba ſcribitur: cum is omnibus quæ formãtur ab eo. ¶ Porrò in eodem verſu, accuſatiuus piũ: verbo queramus annecti debet, & ad deum (qui clemens eſt & benignus) referri. Accuſatiuus verò prophetam cum verbo infinitiuo quæſiuiſſe ſubaudito iungendus eſt: vt hic ſit ſenſus. ſicut nouimus prophetam Dauid quæſiuiſſe deum nocte, cum ait in pſalmo, media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Pſal.118.

4 ¶ In quarto verſu. Donis beatis muneret. Legẽdum eſt hoc loco muneret, per m in prima ſyllaba & n in ſecũda:

da: quod à munero, as, are, formatur: ſignificátque donare, & aliquo munere quempiam honeſtare. Expoſcitque accuſatiuum cum ablatiuo: ſicut & eius compoſitū remunerare. Nam ſiquis hic muneret per n in prima ſyllaba & m in ſecunda proferret à verbo nunero, as: is neque rectā ſeruaret ſententiam, neque legitimam carminis compoſitionem. 5 ¶ In quinto verſu. Iam nunc paterna claritas. Nomine paternæ claritatis, rectè intelligitur ipſe deus pater: qui eſt claritas & lux æterna, vt idētica ſit illa oratio. Rectè etiā ea nuncupatione deſignatur dei filius, qui paterna ſiue patris dicitur claritas: nam ſplendor & imago eſt dei patris. vnde & ſacratiſsimus Dionyſius Ieſum appellat paternam lucem. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Nobis benignè conferat. Aliqui hoc loco legūt: nobis benignus cōferat, quod licet nec ſententię nec carminis incommodet: duriorem tamē habet & difficiliorem prolationem, propter plurium conſonantium coucurſum. Idcirco ſatius eſt ob ſuauiorem prolationem: legere aduerbium benignè.
8 ¶ In octauo verſu. Effecti ipſi cœlibes. Cœlebs eſt qui ſe continet à carnis voluptatibus: & caſtam degit vitam. Inde cœlibatus: vitæ continentia, & à carnali conſortio abſtinētia. Cernuus vero dicitur inclinatus & pnus: quaſi qui terram cernat, oculóſque ad eam deflectat. Virgilius in Aeneide. Erectóque incumbit cernuus armo. Cum igitur noſipſos in terram proſternimus ante deum, vt humilitatem animi corporis habitu demonſtremus, rectè cernui eſſe dicimur. Demū melos neutri generis nomen græcum: dicitur cantus ſuauitas & dulcis modulatio. Perſius. Cantare credas pegaſeium melos. Recipit declinationem ferè ad modū ſecūdæ declinationis nominum latinorū: & ablatiuum ſingularem facit in o, ſicut chaos habet chao. Ouidius in Metamorphoſi. Et noctē, noctiſque deos here bòque chaòque. Inde melodia dicitur dulcis cātus & ſuauis auditu, cuius penultima breuis eſt.

Diebus

¶ DIEBVS DOMICIS AD laudes matutinas.

1 AEternæ rerum conditor
Noctem diemq; qui regis:
Et temporū das tempora
Vt alleues aſtidium.
2 Preco diei iam ſonat
Noctis profundæ peruigil:
Nocturna lux viantibus
A nocte noctem ſegregans,
3 Hoc excitatus lucifer
Soluit polum caligine:
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deſerit.
4 Hoc nauta uires colligit:
Ponti que miteſcunt freta.
Hoc ipſa petra eccleſiæ
Canente: culpam diluit.
5 Surgamus ergo ſtrēnuæ:
Gallus iacentes excitat.
Et ſonolentos increpat:
Gallus negantes arguit
6 Gallo canēte ſpes redit:
Aegris ſalus refunditur.
Mucro latronis conditur,
Lapſis fides reuertitur.
7 Ieſu labentes reſpice:
Et nos uidendo corrige.
Si reſpicis: lapſus cadunt
Fletúq; culpa ſoluitur.
8 Tu lux refulge ſēſib⁹:
Mētiſque ſomnū diſcute.
Te noſtra uox primum ſonet:
Et ore pſallam⁹ tibi Amē

¶ Hymnus iſte, carminis iambici dimetri regulam integrè ſeruat. Cuius licet ſoli duo poſtremi verſus in nōnullis eccleſiis cantari ad laudes matutinas ſoleant: quoniā tamen totus apprimè ſuauis eſt & admodum elegās, neque prolixitate faſtidiens, totus etiā hic explicatus eſt. Et quoniam idem circa gallicantum concini conſueuit: deſcribitur in eo murtiplex vtilitas & commoditas, quæ hominibus ab ipſo gallicinio prouenire ſolet. Quæcūque itaque hic de Gallo & eius nocturno cantu dicuntur: ſenſibiliter ad literam atque corporaliter primùm intelligenda ſunt, vt prima fronte differuntur. Deinde verò ad ſpiritualem trasferenda ſunt intelligentiam: & in myſtico accipienda ſenſu. quo nox & tenebræ: peccatum ſomnus verò: torporem & inertiam in peccato ſignat, lux autem diurna diuinæ gratiæ fulgorē indicat. Et gallus Chriſtum. eius verò cantus, vocem Chriſti inſinuat, nos per euangeliū & do-

ctrinã apoſtolicam excitantis, vt excuſſo torpore noxio ad opus bonum euigilemus & exurgamus. Quemadmodum perpulchrè & aptè Aurelius Prudentius ipſum galli cantum ad ſpiritualem traduxit ſententiam & expoſitionẽ, in eo hymno qui inferius ſubiungetur. Ales diei nuncius, lucem propinquam præcinit, nos excitator mẽtium: iam Chriſtus ad vitam vocat, qui huic hymno materiæ cõfirmitate propemodum reſpondeat ac cognatus eſt.

Porrò huius hymni materiam beatus Ambroſius iiſdẽ propemodum verbis exprimit in lib. quinto Hexameron cap. viceſimoquarto, cum ait: Gallus quaſi bonus cohabitator & dormientẽ excitat, & ſolicitũ admonet, & viantem ſolatur: proceſſum noctis canora ſignificatione proteſtans. Hoc canente: latro ſuas relinquit inſidias. Hoc ipſe lucifer excitatus oritur, cælúmque illuminat. Hoc canẽte mœſtitiã trepidus nauta deponit, omniſque crebrò veſpertinis flatibus excitata tempeſtas & procella miteſcit. hoc canente: deuotus affectus exilit ad precandum, legẽdi quoque munus inſtaurat. Hoc poſtremò canente: ipſe eccleſiæ petra culpam ſuam diluit, quam priuſquam gallus cãtaret negando contraxerat. Iſtius cantu ſpes omnibus redit, ægris leuatur incommodũ: minuitur dolor vulnerum, febriũ flagrantia mitigatur, reuertitur fides lapſis Ieſus titubantes reſpicit: errantes corrigit. Denique reſpexit Petrũ & ſtatim error abſceſſit: pulſa eſt negatio, ſecuta confeſsio. Hæc Ambroſius. Ex quo ſumitur cõiectura: aut beatũ Ambroſiũ hũc hymnũ (vt & nõnullos alios) cõtexuiſſe, aut eius authorem, hunc Ambroſij locum vidiſſe, & ex eo totam ſumpſiſſe ſententiam præſentis hymni.

Abroſius

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Et tẽporum das tempora. Dicitur deus, tẽporum dare tempora: quoniam alternationes facit & viciſsitudines temporum: diei ſcilicet & noctis. vt huiuſmodi variatione, immutatione, alternáque illorum ſucceſſione tollatur faſtidium: quod nobis inferretur ſi vnius duntaxat ſortis & conditionis tẽpus iugiter haberemus. Si enim continuus foret ſine nocte dies: id ſanè tædium nobis ingereret: & tanto magis, ſi perpetua nobis eſſet nox ſine die. Nunc verò cum diei ſuccedit nox, itidem & nocti dies: huiuſmodi viciſsitudine ſuſtolitur nobis omnis faſtidij occaſio.

¶ In

2 ¶ In ſecundo verſu. Præco diei iam ſonat. Præco hic dicitur gallus, auis domeſtica & nota: quoniam ſui cantus præconio diem propinquam nunciat. Idem etiam noctis profundæ eſt peruigil: quoniam nocte intempeſta cũ cæteras animantes ſopor altus habet, vigil excubat: vt ſtatis ac certis horis cantum ædat. Idem quoque nocturna lux eſt viantibus, quantum ad munus & officium: quòd noctu iter agentibus nocturnas ſignificat horas: perinde atque interdiu viam carpentibus lux ſolis eas inſinuat conſpicãtibus ſolem, temporisque decurſum annunciat. Denique idem diei præco à nocte noctem ſegregare memoratur: quoniam priorem noctis partem à poſteriore, ſuo cantu dirimit ac diſſeparat, per inditam illi à diuina prouidentia notam quandam & ſignaculum diſcretionis ac intelligentiæ: qua ordinatiſsimè iiſdem noctis temporibus in cãtũ erumpit, quaſi noctis diſcretor. Quare nõ immeritò ſciſcitatur de eo beatus Iob. Quis dedit gallo intelligẽtiam? *Iob.38.*

3 ¶ In tertio verſu. Hoc excitatus lucifer. Stella illa matutina quæ ſolis exortum ſuo ſplẽdore vt nuncius præuenit, humano vulgarique more hic dicitur excitari per ipſum diei præconem, quaſi prius ſopore fuiſſet depreſſus, & galli cantu excitus ſe prępararet ad ortum, quoniam paulò poſt tempus gallicãtus, lucifer exoritur, & cælum ipſum nocturna caligine purgat. Tunc itidem omnis malefactorum caterua nocendi finem facit, quoniã qui malè agit, *odit lucem*, & malè agẽdi tenebris audacia creſcit. In ipſo autem gallicantu diem vicinum nunciante, fures, ſicarij, latrones, noctis opacitate nocendi occaſionem antè nacti, à ſuis deſiſtunt maleficiis lucis propinquitate deterriti. Quod & Prudentius in hymno ſupradicto (qui etiam eſt ad gallicantum) hoc modo expreſsit. Ferunt vagantes dæmonas, lætos tenebris noctium, gallo canente exterritos, ſparſim timere accedere. 4 ¶ In quarto verſu. Hoc nauta vires colligit. Nocturno tempore, ingruentes mari tẽpeſtates ob negatũ lucis diurnæ beneficiũ, magis formidantur à nautis. Iactati igitur grauibus procellis intempeſta nocte, cum gallicantum audiunt nautæ, vires animũque reuocãt, ob ſperatæ diei ꝓpinquitatẽ. Adde ꝙ ſedatior fieri plęrúnq; ſolet tẽpeſtas, & miteſcere vẽtorũ fragor ac ꝓcellarũ fremitus, circa diluculũ. Porrò ꝑ *Matth.16.*

petrã eccleſiæ hoc loco ſanctus Petrus intelligitur, ob ſoliditatem fidei & confeſſionis Chriſti, cum ab eo interrogeretur quem eum eſſe diceret: id nomen iure ſortitus. Is autem canente gallo culpam trinæ negationis Chriſti fletu diluit: quoniã audito galli cantu recordatus eſt verbi domini quod ante dixerat, antequàm gallus cantet, ter
Mat. 26. me negabis: & egreſſus foras fleuit amarè. Idem quoq; & Prudentius in loco iam dicto ſic expreſsit. Fleuit negator denique, ex ore prolapſum nefas. Cantúque galli cognito: peccare iuſtus deſtitit. 5 ¶ In quinto verſu. Surgamus ergo ſtrenuè. Monemur hoc loco à ſomnolentia peccati deſidiáque exurgere, ex ipſo galli cantu ad hoc excitati,
Rom. 13. quemadmodum etiam nos admonet beatus Paulus. Hora
Ephe. 5. (inquit) eſt iam nos de ſomno ſurgere. Et rurſum alio in loco. Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Chriſtus. Vnaquæque enim harum & conſimilium ſcripturæ ſanctæ exhortationum: ſpiritualis eſt galli cantus, inſonans auribus noſtris. 6 ¶ In ſexto verſu. Gallo canẽte: ſpes reddit. Spes inquam euadendi cuiuſpiam periculi, ꝙ horrida noctis opacitas reddidit grauius & formidabilius. Tunc etiam ægris ſalus inſtauratur: quoniam morbus nocte ingraueſcẽs, ſæpenumero circa diluculum fit leuator, cum abeunte nocte (quæ ipſis ſomno deſtitutis fuit tędioſa) optata diei lux eminare cœperit. Rurſum tũc mucro latronis recõditur, vagináque reponitur: quòd ob diei aduentũ à latrocinio vel inuitus latro ceſſet. Denique tunc lapſis fides reuertitur, vt beato Petro qui ante negãdo prolapſus: per gallicantum ad fidem reuocatus eſt.
7 ¶ In ſeptimo verſu. Ieſu labantes reſpice. Crediderim potius hoc loco, labantes, ſiue cadentes eſſe legendum, & ob vicinitatem vocabuli & ſignificationis: factã eſſe vnius vocabuli in alterum commutationẽ. Nam labor, eris, deponens verbum primam ſyllabam habet longam: quare ſecundo loco conſtituitur ſpondeus pro iambo: labo verò labas, habet primam breuem: & ergo aptum componit ſecundo loco iambum. 8 ¶ In octauo verſu. Si reſpicis lapſus cadunt. Aliqui hoc loco proferũt: ſi reſpicis, lapſi ſtabunt: alij verò dicunt: ſi reſpicis lapſi cadũt. Primus quidem horum duorum modorum aptam cõtinet ſentẽtiam, ſed vitiat carmen: quia ſpondeum quarto loco collocat

pro

pro iambo. Secundus verò neque rectam tenet ſententiam,neque ſatis cohærentem cum præcedentibus. Quis enim aptũ iudicet eſſet ſenſum,quòd ſi reſpiciat nos Chriſtus:lapſi cadunt?cum potius benigno eius intuitu lapſi erigantur? Rurſum qui lapſi ſunt,quomodo iam cadunt:cũ idem ſit labi & cadere? Satius igitur fuerit dicere:ſi reſpicis,lapſus(id eſt peccata & culpæ quibus prolapſi ſumus) cadunt atque deſtruuntur: & tunc rectum ſeruabitur carmen atque ſententiæ aptitudo.

FERIA SECVNDA AD NOCTVRNVM matutinum.

1 *Somno refectis artubꝰ*
Spreto cubili ſurgimꝰ.
Nobis pater canentibus
Adeſſe te depoſcimus.

2 *Te lĩgua primũ cõcinat:*
Te mentis ardor ambiat
Vt actuum ſequentium
Tu ſancte ſis exordium.

3 *Cedãt tenebræ lumini:*
Et nox diurno ſyderi.
Vt culpa quã nox intulit:
Lucis labaſcat munere.

4 *Precamur iidẽ ſupplices:*
Noxas ut omnes amputes.
Et ore te canentium
Lauderis in perpetuum.

Præſens hymnus,carminis iambici dimetri legẽ vbiq; ſeruat:præterquã in quarti verſus poſtremo carmine,vbi tertio loco trochæum habet pro iambo. ¶ In eo ſit ad deum depræcatio:vt ſurgentibus ad diuinas laudes adeſſe velit & ſuum lumen infundere, quo depellantur tenebræ vitiorum.

2 ANNOTATIONES: In ſecundo verſu. Te lingua primum concinat. Ex hoc loco id accipiatur documẽtum, quod valde ſalutare eſt & cõmẽdabile cum primum demiſſo ſtrato ſurrexerimus,anteq̃ quippiam operis moliamur:deo laudes perſoluere & preces fũdere, atque ab oratione auſpicari diurnum noſtrum opus: vt omnia quæ deinde facturi ſumus, à deo dirigantur in bonum finem & exitum. Petiuit ſiquidem & propheta in pſalmo,ſuorum operum à deo directionem : cum ait: Et ſit ſplendor domini dei noſtri ſuper nos:& opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos , & opus manuum noſtrarum dirige. In eiuſdem quoque verſus ſecũdo carmine, ambiat verbum non circundare aut circumplecti ſignat:ſed deſiderare &

ardenter concupiſcere. Petit enim ea oratio vt noſtræ mentis amor feruidus deum ardenti affectu proſequatur & deſideret: vt quemadmodum ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita anima noſtra ad deū. 3 ℂ In tertio verſu. Cedant tenebræ lumini. In hoc loco & hymnis ſequentibus, lumen & tenebras non ſolum corporaliter pro luce diei & tenebris noctis, ſed & ſpiritualiter accipere debemus: lumen quidem pro fulgore diuinæ gratiæ, operúmque virtutum, & tenebras pro nocte peccati & mētis cęcitate. Quomodo & apoſtolus accipit: cum ad Romanos ſcribit. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Et ad Epheſios, Fuiſtis aliquādo tenebræ: nunc autē lux in domino. In eiuſdem quoque verſus quarto carmine, non labeſcat dicēdum eſt (vt faciunt plærique) ſed labaſcat, quod à labo.as, adiecta co ſyllaba ad ſecundā perſonam deducitur & primam habet ſyllabam breuem, ſicut etiam ſuum primitiuum, labeſcoenim, latinum non eſt: cū non habeatur verbum labeo, es, in vſu: à quo formetur, neq; à verbo labor, eris, formari poſsit. Eſt autem labeſcere: cū impetu deorſum ruere, deficere atque proſterni. 4 ℂ In quarto verſu. Precamur iidem ſupplices. Hoc loco pronomē iidem pluralis debet eſſe numeri, & referri ad adiectiuū ſupplices in eodē caſu: & proinde duplo i, ſcribi, vt primam habeat longam ſecundum carminis exigentiam. Nam ſi intelligatur eſſe neutrū ſingulare, accuſatiui caſus, & ſimplo i, ſcribatur haberet primā ſyllabam breuem, & pyrrhichius in ſecundo conſtitueretur loco, quod huic carmini nequaquam conuenit: Aptior etiā eſt ſenſus hoc quàm illo modo.

Pſal. 41. Rom. 13. Ephe. 5.

EADEM FELIA SECVNDA.

ad veſperas.

1 *Splēdor paternæ gloriæ*
De luce lucē proferens.
Lux lucis & fōs luminis:
Dies diem illuminans
2 *Verúſque ſol illabere:*
Micans nitore perpeti.
Iubárque ſancti ſpiritus:
Infunde noſtris ſenſibus.
3 *Votis uocem⁹ te patrē,*
Patrem perennis gratiæ:
Patrem potentis gloriæ,
Culpam releget lubricam.

Confir-

4 Cõfirmet act⁹ ſtrenuos:
Dentem retundat inuidi
Caſus ſecundet aſperos
Donet gerendi gratiam.
5 Mētē gubernet & regat
Caſto fideli corpore.
Fidelis calore ferueat:
Fraudis uenena neſciat,
6 Chriſtusq; nobis ſit cib⁹:
Potusq; noſter ſit fides.
Læti bibamus ſobriam
Ebrietatem ſpiritus.
7 Lætus dies hic tranſeat:
Pudor ſit ut diluculum.
Fides uelut meridies:
Crepuſculum mēs neſciat.
8 Aurora curſus ꝓuehit
Aurora totus prodeat.
In patre totus filius:
Et totus in uerbo pater.

Præſens hymnus, carminis iambici dimetri modum & formam accuratè obſeruat: præter id quod in quarto carmine ſexti verſus trocheum habet primo loco pro ſpōdeo (eſt enim nominis ebrietas, ſecunda ſyllaba ſine controuerſia, breuis) quod fit pręter huius metri legem. In eo fit ad dei filiū oratio vt ſuo lumine nos illuſtret, peccata noſtra repellat, & virtutes in nobis adaugeat. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Splendor paternægloriç. Omnes iſtæ ſunt filij dei dominatiões: qui eſt ſplēdor gloriæ patris, vt ait Paulus. Idē quoque de luce eſt lucē proferens: quoniā de ſeipſo qui vera eſt lux ſpiritū ſanctū veram etiam lucem produxit. Chriſtus itidem eſt lux lucis: quoniam lux eſt de luce, filius de patre. Inſuper ipſe eſt fons luminis: nam origo eſt & principium omnis illuminationis in creaturas propagatæ: illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum. Demum idem eſt dies diem illuminans: nam ſpiritualis eſt lux, ſua claritate mētes humanas & angelicas etiam lucidas & idcirco diei nomine hic ſignificatas, illuminans. 2 ¶ In ſecundo verſu. Micans nitore perpeti. Hoc loco dictio perpeti, ablatiuus eſt ſingularis nominis adiectiui perpes, etis: idē ſignans quod perenne ac perpetuum, refertúrque ad nomen ſubſtantiuū nitore. Quare non eſt opus eo loco proferre perpetim aduerbium: quoniam per nomen illud, & carmē & ſententiā aptius quadrat. 3 ¶ In tertio verſu. Culpā releget lubricam. Verbū releget à relego relegas, formatur & oritur: quod ſignificat in exiliū mittere, expellere & abiicere: penultimamq́ue ſyllabam habet produ-

Heb. 1.

Ioan. 1.

ctã. Neq; eo loco legat quiſpiã, religet lubricã: quoniam id verbum ex re & ligo, as, deductum: neque ſententiæ cõgruit neque carmini, cum penultimã habeat breuem. Supra dictum autem verbum & ſequentia tertiæ perſonæ, ad iubar ſancti ſpiritus ſunt referenda: non autem ad pronomen tu, quod filium dei mõſtrat noſtrum patrem & authorem, nam diuerſæ ſunt ab illo perſonæ. 4 ¶ In quarto verſu, Confirmet actus ſtrenuos. Non hic conformet dicendum eſt, vt nõnulli habent libri neque informet, vt habent alij: quoniam neutrum eorum verborum adaptatur ſententiæ conuenienter: & omniũ (credo) iudicio verbum confirmet, accomodatiorem reddit ſenſum. Conſimili quoque modo in eiuſdem verſus tertio carmine, caſus ſecundet aſperos: verbum ſecundet à ſecundare quod eſt proſperum facere proficiſcitur: & accuſatiuum expoſcit: vt deus hæc mea cœpta ſecundet: inde ſecũdus, a, um: ꝓſper. Neque ibidem fœcundet legendum eſt à verbo fœcundo, as: quod eſt fœcundum facio: quandoquidem hoc verbum neque ipſe conuenit ſententiæ neque legi carminis. 6 ¶ In ſexto verſu. Bibamus ſobriam ebrietatẽ ſpiritus. Ebrietas carnis & temulentia: ſobria non eſt, ſed ſobrietati vel maximè aduerſa. Ebrietas verò ſpiritus, ſcilicet exuberantiſsima & profuſiſsima ſuauitas interna (quã ſentiunt piæ mẽtes cùm ſyncero amoris & meditationis affectu deo coiungantur) ſemper habet annexam ſibi ſobrietatẽ vt indiuiduam comitem. Porrò ad hanc ebrietatem ſpiritualem ſommopere expetendam: inuitat omnes dulciſsimus ille ſpóſus ĩ canticis amatoris, dicens. Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſsimi. Eandem quoq; cõmendabilem ebrietatẽ ſenſit propheta: cum eructauit in pſalmo illud cãticum, quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine: quam abſcondiſti timentibus te. Et rurſum alio in loco Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt dominus. Salomon quoque in libro Sapientiæ eandem expreſsit, cum ait. O quàm bonus & ſuauis eſt domine, ſpiritus tuus in omnib9. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Lętus dies hic trãſeat. Nomine diei hic tota præſens vita rectè accipitur, in qua partes aſsignat ſpirituales, diei ſenſibilis partibus ſimilitudine quadam reſpondentes, vt ſcilicet pudor id eſt caſtitas animi & corporis, ſit exordiũ bonorum

Cant.5

Pſal.30

Ibidem.

Sapien.12

operum & quaſi diluculum, fides autẽ nullis fuſcata tenebris: ſit vt meridies: qui clariſſimus eſt. Nullum verò ſit mentis noſtræ crepuſculum finíſque diei: ſed iugiter in lumine fidei & bonorum operum permaneat, expers noctis & tenebrarum peccati. 8 ¶ In octauo verſu. Aurora curſus prouehit. A ſenſibili aurora hic ad intellectualem & ſpiritualem aurorã ſcilicet Chriſtum: fit manuductio. Sicut (inquit) aurora viſibilis nũc curſum ſuum accelerat feſtinátque ad ortum: ita Chriſtus qui viſitauit nos oriẽs ex alto per incarnationis myſterium, depulſa nocte mundo vt myſtica aurora illucens: totus ad nos per benignitatem prodeat. Ipſe quidem dei filius totus eſt in patre (vt ipſe in euangelio teſtatur) totus etiam pater in filio: per ineffabilem diuinarum perſonarum immeationem atque immanentiam. *Ioan.14.*

¶ EADEM FERIA SECVNDA ad veſperas.

1

Immenſe cæli conditor
Qui mixta ne confunderent:
Aquæ fluenta diuidens,
Cælum dediſti limitem.
2 *Firmãs locũ cæleſtib⁹:*
Simulq; terræ riuulis.
Vt unda flãmas temperet:
Terræ ſolũ ne diſsipent.
3 *Infunde nunc piiſsime:*
Donũ perennis gratiæ.
Fraudis nouæ ne caſibus:
Nos error atterat uetus.
4 *Lucem fides inueniat:*
Sic luminis iubar ferat.
Hæc uana cuncta terreat:
Hanc falſa nulla comprimant.

¶ Hymn⁹ iſte, carminis iãbici dimetri lege oĩb⁹ ĩ locis rectè obſeruata cõponitur. In eo cõmẽdat author dei virtuté ĩmẽſã: ab ope ſecũdę diei: petitq; gratiã ĩ bono pſeuerandi nobis dari ſimul & fidem rectam atque ſyncæram.
1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Immẽſe cæli cõditor. Hic laudatur oĩpotẽs dei virt⁹ ab opere ſecũdę diei creationis rerũ: quo ĩ Geneſi ſcribitur de⁹ feciſſe firmamentũ in medio aquarũ, & illi⁹ ĩterſtitio diuiſiſſe aquas quæ ſunt ſub firmamẽto ab ijs quæ ſunt ſuper firmamẽtũ. Et aptè admodũ præſens hymn⁹, illi⁹ operis ſecundæ diei meminit, Nã ĩ officio eccleſiaſtico canitur ĩ ſecũda feria: quę ſecũd⁹ eſt dies hebdomadę, & reſpõdẽs ordine ac noĩe *Gene.1.*

ſecun-

ſecundæ diei creatiōis mūdi. Quemadmodum duo hymni ſuperius expoſiti, vt puta Lucis creator optime, lucē dierū proferens, & primo dierum omniū quo mundus extat cō ditus, dicti ſunt cantari die dominico, quoniā opus primæ diei ſcilicet formationem lucis exponūt, quæ quidem prima dies, ipſi dominicę etiam certo reſponſu, aptáque proportione accommodatur. In eodem verſu, nōnulli legunt ſecundū eius carmē per verbum ſingulare cō funderet, alij verò per verbū plurale cōfunderent, & vtrique rectè: nam manente eadem ſententia, ſingulare verbum ad aquam referri poteſt, plurale verò ad fluenta. Sic & in ſecundo verſu quartum carmen aliqui claudunt verbo ſingulari diſsipet, quod referūt ad nominatiuū vnda, alij verò verbo plurali diſsipent, quod ordinant cū nominatiuo plurali flammæ, ſubaudito ac repetito. Et quanuis vterq; ſenſus ſatis ſit congruus, poſterior tamē videtur huic loco cōuenientior. 2 ¶ In ſecundo verſu. Vt vnda flāmas tēperet. Hic author ipſe ſi eam particulam intelligat (vt videtur) de aqua ſuper cælos poſita: ſecutus vulgatā multorum ſententiā, dicit à deo conſtitutas eſſe aquas ſuper firmamentū, vt temperēt æſtum atq; calorem ſyderū ne cælos ipſos exurant. Quæ quidē ratio philoſophiæ naturali non vſquequaque eſt cōſona: cum orbes cælorum nō ſint nati incaleſcere, neque poſsint incendio conflagrare, vt etiā in ſecundo libro Damaſceni de fide orthodoxa cap. 7. annotauimus. Idcirco ea clauſula vt vnda flāmas tēperet, ad aquam quæ ſub firmamento eſt, potius eſt referēda: tēperantem flammas aſtrorum ne illæ terrā comburant. Sane ꝙ ſuper cælos collocatæ ſint aquæ: ſcriptura multis in locis teſtatur. Quam autē ob cauſam illic poſitæ ſint, non oportet nos curioſius eſſe ſolicitos, ſed id ſolum fateri, ipſas ibidem cōſtitutas eam ob rationem, quam deus nouit, qui nihil in hoc ornatiſsimo mundi opificio ſine ratione & fruſtra diſpoſuit, cum omnia in ſapientia feciſſe perhibeatur. 3 ¶ In tertio verſu Fraudis nouæ ne caſibus. Petit hæc oratio perpetuum diuinæ gratiæ munus: ne antiquus error præteritorū malorū nos oprimat per nouas dæmonis fraudes: neue ex trāſactis malis praua cōſuetudine inducamur ad noua peccata perpetrāda. Peccatū (inquit Greg.) quod ꝑ pœnitentiā nō deletur: ſuo pōdere mox ad aliud

aliud trahit In quarto verſu, Hæc vana cuncta terreat. Hęc fides luce diuina refulgens: cnncta vana & ſuperſtitioſa explodat, hanc etiam fidem nulla falſa dogmata aut hæreticorũ figmenta opprimant.

FERIA TERTIA, AD NOcturnum matutinum.

1 Conſors paterni luminis:
Lux ipſe lucis et dies
Noctẽ canẽdo rumpimus:
Aßiſte poſtulantibus
2 Aufer tenebras mentiũ:
Fuga catervas dæmonum.
Expelle ſomnolentiam:
Ne pigritantes obruat.
3 Sic Chriſte nobis oĩbus
Indulgeas credentibus:
Vt proſit exorantibus
Quod præcinentes pſallimus.

Præſens hymn⁹ carminis iãbici dimetri regulã vbique & quidẽ rectiſſimè ſeruat. In eo fit inuocatio filij dei: vt à nobis expellat cæcitatẽ mentis & pigritiam bene agendi.

1 ANNOTATIONES. In primo verſu. Cõſors paterni luminis. Hoc in loco dei filius dicitur conſors paterni luminis: quoniã ipſe de patre prodit per generationẽ æternam atque emanat, vt lumen de lumine, vt lux de luce, & à Sapiente dicitur eſſe candor lucis æternæ. Et quoniam filius patri conſubſtantialis eſt, connaturalis & coeſſentialis: cõmunicat cum patre in lumine diuinitatis, & eandẽ cũ eo habet lucem deitatis cõmunem. Eſt enim deus pater lux, & fili⁹ etiã lux: nõ tamẽ alia lux pater, alia fili⁹: ſed oĩno eadẽ: quoniã lucis nomẽ hic naturã ĩdicat, non perſonã. Dicitur inſuper ipſe fili⁹ dei lux lucis: q̃a lux eſt de luce & deus de deo, vt ante eſt dictum: denique & dies hic nominatur: quia huius mundi claritas eſt ſpiritualis, propulſata nocte errorum & ſuperſtitionũ: lumen veritatis & agnitionem veri dei huic mundo manifeſtans. Vnde in euangelio ſe diem nominat: cum ait. Si quis ambulauerit in die: non offendit. 2 In ſecũdo verſu Expelle ſomnolentiã. Nomine ſõnolentiæ, ignauia animi & ſocordia (quæ ſpiritualis eſt & noxia ſoporulentia) nõ ineptè accipitur: licet & idẽ de corporali ſomnolentia rectè intelligatur: hæc enim cum in omnibus operibus noſtris, tum maximè in diuinis celebrandis officijs eſt fugiẽda: in quibus cum

Sapien. 7.

Ioan. 11.

cũ vigili excitatóque corpore etiam vigil animus deo eſt exhibendus. 3 ¶ In tertio verſu. Indulgeas credẽtibus. Hic indulgere, ſignificat peccatorum veniam dare: quæ ſignificatio in eccleſiaſtico vſu eſt frequens: extra illum verò non vſurpanda, quoniam apud probatos authores nequaquam inuenitur. Eodem etiam loco accommodatè hic hymnus præcini dicitur & prius quàm alia cantari: quoniam ante officij matutini pſalmodiam cantatur ad nocturnum.

EADEM FERIA TERTIA, AD laudes matutinas.

1 *ALes diei nuncius*
Lucem propinquã præcinit.
Nos excitator mentium
Iam Chriſtus ad uitam uocat
2 *Auferte clamat lectulos:*
Aegros, ſopore deſides.
Caſtiq́; recti ac ſobrij
Vigilate, iã ſum proximus
3 *Ieſum ciamus uocib':*
Flentes, precantes, ſobrij.
Intenta ſupplicatio
Dormire cor mundum uetat.
Tu Chriſte ſomnũ diſcute:
Tu rumpe noctis uincula.
Tu ſolue peccatum uetus:
Nouumq́; lumen ingere.

¶ Hic hymnus, metri iambici dimetri lege conſtituitur: eámque adamuſſim exactè ſeruat: Cæterùm in ſecũdi verſus quarto carmine primum locum occupat anapeſtus, ibi pro ſpondeo poſitus quod vterque earum æqua numero habeat prolationis ac ſyllabarum tempora. Neque id vitioſum cenſeri debet: ſed interdum in hoc genere carminis in primo aut tertio loco vbi ſpondens habere poteſt ſedem, ipſum ſpondeum anapeſto commutare: & elegans eſt & venuſtum. Quinimmò & in carmine hexametro id nonnunquam factitarunt poetæ, vt Virgilius in Georgicis. Fluuiorum rex Eridanus campóſque per omnes vbi primo locò anapeſtus conſtituitur. Author eius, Prudentius: apud quem hymnus iſte inſcriptus ad gallicantum: longe copioſior eſt & diffuſior, & multo plures complectens verſus: vt liquido conſtat inſpectanti opera eius: emiſſa in lucem ſtudio & induſtria Aldi Manutij, viri vtique de re literaria optimè meriti. Et certè talia

ſunt

ſunt ipſius.Prudentij opera,& talis ipſe author: vt imprimis dignus ſit à Chriſtianis legi:quod in ipſo & ſermo ipſe ſit cultiſſimus, & carmē cuiuſuis generis elegantiſſimū, & quod plurimi fieri debet, ſententia Chriſtianæ pietati ac religioni maximè conformis:nihil in eo quod caſtas & pias offendat aures inuenias:nihil quod deorum(ne dicā dæmonum)nomina,flagitia & ſcelera commemoret. Itaque ſi commendantur apud gentiles:qui hymnos & odas in ſuorum deorum laudem conſcripſerunt, vt apud Græcos Orpheus & apud Latinos Horatius:nonne maiore cōmēdatione apud Chriſtianos ſunt digni qui in veri dei venerationem pios & religionis plenos modulati ſunt hymnos?inter quos Prudentius noſter primum ferè locum obtinet. Rurſum ſi diligenti ſtudio decantarunt ethnici ſuos hymnos,vt quos putarunt deo celebrarent:nonne vigilātiore opera & diligentiore cura,nos quibus diuino indultu lux veritatis infulſit, debemus deo vero hos hymnos concinere? Faceſſant igitur odæ horatianæ,valeant Dianę laudes & Veneris,Cupidiníſque:atque in earum locum ſuccedant pijs hymnis conſcripta dei & ſanctorum præconia.Hunc denique Chriſtianum authorem & quidē probatiſſimum,potius lectitent Chriſtiani,quàm impura pœtarum carmina venerem olentia,& deorum gentiliū(qui in ore Chriſtiani,ſi Hieronymo credimus, ſonare non debent)facinora & fraudes buccinantia:de quibus recte dixerim illud pſalmi verbum. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes:ſed non vt lex tua. Nam eloquia domini:eloquia caſta. Quorum caſtitatem & puritatem,quàm proximè imitatur atque refert in ſuis operibus noſter Prudentius. Supradicti tamen hymni,ſolum quatuor verſus hic poſiti ſunt:quòd ij ſoli in vſu eccleſiaſtico (cui noſtra deſudat opera)cantari ſoleant. Qui verò integrum deſiderat hymnum legere,eum in ſuis operibus(quæ paſſim omnibus ad manum ſunt)perquirat & euoluat.

Pſal. 118.
Pſalm. 11.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Ales, diei nuncius. Per alitem,diei nuncium : hoc loco accipiendus eſt gallus gallinaceus:cui id natura inditum eſt, vt tāquā diei prænuncius:eius aduentum ſuo cantu denunciet, vnde de illo Virgilius. Excubitórque diem cantu prædixerat ales. Et de eodem Ouidius. Non vigil ales ibi criſtati

can

cantibus oris:euocat auroram. Hanc autem galli cõditionem a ſomno excicatricem, apta metaphora accõmodat hic author ad Chriſtum, aſsidua admonitione ſcripturæ nos vt à ſomno peccati ſurgamus & vigilemus excitantẽ.
2 ¶ In ſecũdo verſu. Auferte clamat. Si quis percontetur, vbi talia nobis excitatoria verba Chriſtus ingerit ac inculcat: reſpondendum illi eſt, in euangelio: cum dicit.
Matth. 25. Vigilate itaque: quia neſcitis diem neque horam. Et iterum.
Lucæ. 12. Vigilate ergo, quia qua hora non putatis: filius hominis veniet.
1. Petri. 5. Et per Petrum apoſtolum nos hortatur. Sobrij eſtote ac vigilate.
Roma. 13. Rurſum per beatũ Paulũ nos admonet quod hora eſt iã nos de ſomno ſurgere, nox enim præ-
Ephe. 5. ceſsit: dies aũt appropinquauit. Denique per eundem ſurge qui dormis & exurge à mortuis & illuminabit te Chriſtus. 3 ¶ In tertio verſu. Ieſũ ciam⁹ vocib⁹. Verbũ, ciam⁹, hic poſitũ, & per ſolũ c ſcribẽdũ: quartæ cõiugationis eſt & indicatiuũ habet cio, is, ire: quod præteritũ facit ciui & ſupinũ citũ prima ſyllaba producta: ſignificátque vocare, & accuſatiuũ poſtulat. Inde accire & excire cõpoſita deducuntur. At verò cieo, es, ere, ſecundæ cõiugationis verbum etiam actiuum: ſignificat commouere. Virgilius.
Et tonitru cælum omne ciebo: habet & ciui in præterito & in ſupino citum, ſed prima ſyllaba correpta. Inde excieo & concieo compoſita formantur.

¶ EADEM FERIA TERTIA, ad veſperas.

1 *TElluris ĩgẽs cõditor*
Mundi ſolum qui eruens,
Pulſis aquæ moleſtijs
Terrã dediſti immobilem.
2 *Vt germẽ aptũ proferẽs*
Puluis decora floribus
Fœcunda fructu ſiſteret,
Paſtumq; gratũ redderet.
3 *Mentis peruſtæ uulnera*
Munda uirore gratiæ.
Vt facta fletu diluat,
Motuſq; prauos atterat.
4 *Iuſsis tuis obtemperet.*
Nullis malis approximet.
Bonis repleri gaudeat,
Et mortis actum neſciat.

¶ Hic hymnus, carminis iambici dimetri lege conſtat: eámque omnino integram obſeruat. Laudatur in eo diuina virtus ab opere tertiæ diei creationis rerum, & ad illam

illam demum fit deprecatio, vt infuſione ſuæ gratiæ corda noſtra expurget à peccatis.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Telluris ingens conditor. Hic hymnus in principio, opus tertiæ diei creationis ipſius mundi aptè congruentérque deſcribit, quod feria tertia ad officium canatur veſpertinum, quæ tertiæ diei primorum ſex dierum ordine & nomine reſpódet. Nempe vt Geneſis teſtatur: tertio productionis rerũ die iuſſu dei congregatæ ſunt aquæ in vnum locum, & apparuit arida. Protulit itẽ eodẽ die terra diuino imperio herbam virẽtem, & faciẽtẽ ſemẽ iuxta genus ſuũ lignũq; faciens fructũ, & habens vnumquodq; ſemẽtẽ ſecũdũ ſpeciẽ ſuã. Porrò nonnulli in hoc primo verſu legunt: mundi ſolum qui exuens: & non minus rectè, quam qui legunt: eruens. Cum enim exuere ſit amictum prius circum poſitum à ſe deponere & terra prius aquis quaſi veſte quadã circundata, fuerit detecta & facta arida, aptè aquis exuta fuiſſe dicitur. Eruere verò eſt quod obrutũ erat terra aut aqua, in apertum ducere: vt foſſitia terræ viſceribus eruuntur: quare terra depulſis partim aquis eam aperientib⁹: eruta etiam aquis verè perhibetur. In eodem quoque primo verſu terra dicitur immobilis: quia ſuo fixa loco perpetuo quieſcit, neque vt alia elementa agitabilitatem habet in propria ſua ſede ac regione. Vnde Pſalmus de deo canit. Etenim firmauit orbem terræ, qui non cõmouebitur. Et rurſum, Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi.

Gene. 1. *Pſal. 42.* *Pſal. 103*

2 ¶ In ſecundo verſu. Fœcunda fructu ſiſteret. Hic verbũ ſiſteret nõ actiuã habet ſignificationem vt aſſolet, ſed neutralẽ, & pro ſuo compoſito exiſteret poni videtur. Sẽſus enim eſt, vt ipſa terra multiplici fructu fœcũda foret, & congruũ terreſtribus animãtib⁹ pabulũ ſubminiſtraret.

3 ¶ In tertio verſu. Munda virore gratiæ, Aliqui hoc in loco legunt id carmen hoc pacto, munda vigoris gratia, qui etſi carminis ſeruent integritatẽ & ſentẽtiæ cõgruentiã, petẽtes quod deus per gratiã ſuæ virtutis mundet vulnera cordis noſtri, tamen non adeò accõmodatè alludũt operi tertiæ diei per metaphorã quæ ibi intẽditur, à corporalibus ad ſpiritualia tẽdens, ſicut qui legũt, mũda virore gratiæ, Nã viror gratiæ ad herbã virentem tertio die

pro-

productam congruum habet reſpõſum :& ex oppoſito ad mentẽ vitiorũ æſtu peruſtam , quæ tali virore vegetetur, reuireſcat & innouetur. Eſt autem viror ,oris ipſa viriditas ſiue vireſcentia herbarum, foliorum, aliarúmve rerũ. Et deducitur à verbo vireo, es,ere.

FERIA QVARTA: AD NOcturnum matutinum.

1 *Rerum creator optime*
Rectorq; noſter aſpice:
Nos à quiete noxia
Merſos ſopore libera.

2 *Te ſancte Chriſte poſcimus:*
Ignoſce tu criminibus.
Ad confitendũ ſurgimus:
Moraſq; noctis rũpimus.

3 *Mentes, manúſque tollimus.*
Propheta ſicut nouimus
Nobis gerendũ præcipit:
Paulúſque geſtis cenſuit.

4 *Videns malum quod geßimus:*
Occulta noſtra pandimus,
Preces gemẽtes fundimus,
Dimitte quod peccauimus.

1 ¶Carminis iambici dimetri lex & forma,in toto iſto hymno exactè ſeruatur.In eo fit ad deum deprecatio,vt ſicut à ſomno corporis excitamur hoc nocturno tempore ad deum laudandum:ita eius gratia expergiſcamur à ſomno peccati,& bonis operibus inuigilemus.

2 ¶ANNOTATIONES.In ſecundo verſu. Moráſque noctis rumpimus.Nos id rumpere dicimur:quod cũ violentia diſcontinuamus & diſcindimus. Vergilius. Quid me alta ſilentia cogis rumpere. Sic moras noctis rumpere dicimur:quandò non quantum durat nocturnũ tempus ſomno indulgemus :ſed ante finem eius ſtratum dimittimus. 3 ¶In tertio verſu.Propheta ſicut nouimus ſanctus propheta in pſalmo edocuit nos mentes & manus noctu ad deum tollere debere:cum ait. In noctibus extollite manus veſtras in ſancta:& benedicite dominum.Cum etam alio loco dicas.Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Sanctus verò Paulus & verbo id docuit cum ait.Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.Idem quoq; ſuo exemplo & opere, factitandum oſtendit:

Pſal.133.
Pſal. 118.
Roma.13.
Actuũ.20.
Actuũ.16.

ſtendit: cum nocte vigilans manibus operabatur, vt victũ ſibi compararet: cum etiam tenebroſo carcere clauſus ĩtempeſta nocte adiuncto Sylla ſuo collega laudes deo cõcinuit: & facto terræ motu concuſſa ſunt fundamenta carceris, & omnium vinctorum dirupta vincula.

4 ℂ In quarto verſu. Occulta noſtra pandimus. Occulta noſtra hic dicuntur peccata: quæ clam hominibus, aut cogitando aut ſemotis arbitris mali quippiam agendo committimus. Deo autem abditum eſt nihil: nam omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Illa autẽ pandimus, quando per reconciliationis ſacramentum ſacerdoti illa detegimus, humiliter nos accuſantes: aut quando aduerſum nos confitemur iniuſtitiam noſtrãm domino, nóſq; reos eſſe ſuppliciter in cordis noſtri ſecreto gemimus. Neque illa pãdere dicimur: quaſi ignoranti illa deo referemus qui nouit abſcondita cordis, ſcrutatúrque corda & renes: & cui etiam antequam fiant cognita ſunt omnia. *Heb.4.*

EADEM FERIA QVARTA: AD LAVdes matutinas.

1 *Nox & tenebræ & nubila*
Confuſa mundi & turbida.
(Lux intrat, albeſcit polus:
Chriſtus uenit) diſcedite
2 *Te Chriſte ſolũ nouim⁹:*
Te mẽte pura & ſimplici
Flẽdo & canẽdo quæſum⁹
Intende noſtris ſenſibus.
3 *Caligo terræ ſcinditur:*
Percuſſa ſolis ſpiculo.
Rebúſque iam color redit
Vultu nitentis ſyderis.
4 *Sũt multa fucis illita:*
Quæ luce purgentur tua.
Tu lux eoi ſyderis:
Vultu ſereno illumina.

Hymnus iſte etiã eſt iambicus dimeter, & omni ex parte carminis illius modulos ſeruans. Author eius, Prudentius: apud quem hymnus præſens multo eſt prolixior & copioſior: veruntamen quatuor dũtaxat verſus hic poſiti ſunt: quod ij ſoli in officio eccleſiaſtico cãtari ſoleãt. Deſcribit autem in eo ipſius ſolis ortum, propinquum ei temporis parti: qua in fine officij matutini canitur: & illã ſenſibilem diei expulſa nocte effulgẽtiam applicat apta manuductione ad animarũ illuminationẽ poſt peccatorum tenebras: quæ Chriſto vero ſole nobis adueniente ſit.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Lux intrat, albeſcit polus. Quoniam hic ſubnectitur ſupradictis ſententiis particula, Chriſtus venit: planum eſt hunc verſum de tenebris & luce corporali primũ intelligi debere: deinde verò proportionaliter de luce ſpirituali. Sunt enim tenebræ ſpirituales: peccata, lux: diuina gratia, cælũ: anima noſtra, ſol ſpiritualis: Chriſt⁹ domin⁹, quod & in ſequẽtib⁹ verſib⁹, quinetiã & hymnis obſeruetur. Porrò vocatiui illi omnes in principio verſus poſiti: ordinãdi ſũt cũ verbo diſcedite: in fine collocato interiectis per parentheſim trib⁹ illis orationibus: per verba tertiæ perſonæ nũciatis. Illa verò nomina, confuſa & turbida: ſubſtantiuorũ neutri generis locum tenent & vim: vt confuſionem rerũ ſignent, tenebris noctis inductam: pariter & turbationem tempeſtatum. 2 ¶ In ſecundo verſu. Percuſſa ſolis ſpiculo. Spiculum: telum eſt & iaculum. Virgi. Liber partho torquere cydonia cornu ſpicula. Tranſſumitur autem hic ad ſolis radium: quòd in terram iacitur, & recta quadam iaculatione porrigitur, perinde atque ſagitta arcu excuſſa vibratur. 4 ¶ In quarto verſu. Sunt multa fucis illita. Fucus eſt color adumbratus: qui rei ſuperponitur vt pulchrior appareat. Inde fucatum dicitur, quod alieno ſuperducto colore decorum videtur & ornatũ. Atqui honores, opes, voluptates huius mundi præ ſe ferunt boni ſpeciem, & tamen verè bona non ſunt, ſed boni imagine incautos fallũt: idcirco fucis illita non immeritò dicuntur. Illita autem participium verbi paſsiui illinor, eris: ſignificat infecta ſiue tincta, & ablatiuũ poſtulat. Ouidius. Illita lernæo miſi tibi texta veneno. Neque hoc loco legendum eſt. Sunt multa fuſcis illita: vt faciunt plerique: nam fuſcus per ſe, adiectiuum eſt ſignificãs atrum vel ſubnigrum: non autem haberet hoc loco ſubſtantiuũ nomen: cum quo ordinetur. In eodem verſu. Tu lux eoi ſyderis. Eous triſyllabum nomen & adiectiuum: idẽ ſigñt quod orientalis: habétque primam ſyllabam modo longam, vt Virgilius. Eoáſque acies & nigri Mẽnonis arma: modo breuem: vt idem. Et iam prima dies claro ſurgebat eoo. In hoc autem loco, prima eius ſyllaba breuis eſt: ſecundum carminis exigentiam. Eſt igitur eoum ſydus, ipſe ſol: qui quotidie in parte orientali exoritur. Cæterum in

hymno

hymno ipſo integro vt habetur in operibus Prudétij: carmen illud ſic legitur: tu rex eoi ſyderis: ſed vtrũq; rectè dicitur: neque quicquã refert, an rex aut lux ibi dixeris. Nam deus ipſe & ſolis orbem regit: & eum ſuo natiuo lumine implet atque illuminat. Et planè ſicut lux ſenſibus, veritas eſt: & lumen inde diffuſum, illius imago, ita deus: ipſius ſolis noſtri verum eſt exemplar & author: ſol verò, remota eſt eius figura atque repræſentatio. Rectè igitur dicitur deus eſſe lux & ſplẽdor primitiuus ipſius ſolis.

EADEM FERIA QVARTA:
ad veſperas.

CAEli de⁹ ſanctiſsime,
qui lucidũ cẽtrũ poli
Cãdore pĩgis igneo:
Augens decoro lumine.

2 Quarto die qui flãmeã
Solis rotam conſtituens:
Lunæ miniſtras ordini
Vagos recurſus ſyderum.

3 Vt noctibus uel lumini
Diremptionis terminum:
Primordiis & menſium
Signum daret notiſsimũ.

4 Illumina cor hominũ:
Abſterge ſordes mentium
Reſolue culpæ vinculum:
Euerte moles criminum.

Hic hymnus etiã carminis dimetri modulationẽ habet: & omniquaq; rectè obſeruat, præter id quod in ſecũ di verſus ſecundo carmine trocheum habet in tertio loco pro ſpondeo. Laudatur in eo dei virt⁹ & prouidentia ab opere quartæ diei productionis rerum, ſcilicet formatione luminarium ipſius cæli, oratióque ad ipſum dirigitur, vt ſpirituali lumine corda noſtra viſitet, quo peccatorũ tenebrę diſpellãtur. ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Qui lucidũ centrũ poli. Deſcribit hic verſus cũ tribus ſequẽtibus, opus quartæ diei productionis ipſius mundi, in qua ſcribitur deus ꝑduxiſſe ſolẽ vt præeſſet diei, & lunam vt præeſſet nocti, & ſtellas, quoniam præſens hymnus feria quarta cãtatur ad officiũ veſpertinũ, quæ ipſius hebdomadæ quartus eſt dies, & ipſi quarto diei inter ſex primos dies nomine & ordine reſpõdẽs. Porrò hic cẽtrũ non accipitur ꝓ puncto inſectili in medio ſpheræ cõſtituto, & vndiquaque à circundante ſuperficie æquidiſtante, neque polus pro puncto extremo terminante axem ipſius cæli: quomodo ſumũtur hęc vocabula ĩ philoſophia naturali & *Gene.1.*

aſtronomia: quoniam non curauit author in carmine tam exactam illorum nominum rationem ſeruare: vt neque opus fuit: ſed centrum pro ipſius cæli ſpacio ſumit & orbe: polum verò pro cælo. In ſecundo verſu. Lunæ miniſtras ordini. Aliqui id carmen ita legunt. Lunæ miniſtrans ordinem: ſed minus aptè & congruenter: vt meum eſt iudicium Nam in toto illo verſu nullum aſſignare poſſunt verbum: quod ſentẽtiam compleat, Inſuper duos accuſatiuos ordinem & recurſus, diuerſa ſignificantes: ſine aliqua coniunctionis copula ad idem annectunt participium miniſtrans, quod latini ſermonis concinnitas nõ admittit: quare potius legendum cenſeo: vt habet ante litera: & totum tertium & quartum huius ſecundi verſus carmen de luna intelligendum: ſicut & totus ſequens verſus ad lunam refertur, & de ea intelligitur. Dicitur autẽ deus miniſtraſſe ordini ipſius lunæ vagos recurſus ſyderum: quoniam ipſi lunę aſſignauit varios & multiplices motus per ſigna cæleſtia quæ propter ſtellas ipſis infixas interdum nomine ſyderum & aſtrorum nuncupantur. Virgilius. Per duodena regit mundũ ſol aureus aſtra. 3 ¶ In tertio verſu. Diremptionis terminum. Nõ hoc loco direptionis legendum eſt: vt ferè omnes libri habent: ſed diremptionis: id eſt diſtinctionis, diſcretionis atque diuiſionis: quod à verbo dirimo proficiſcitur, ſignificante ſeparare atque ſeiungere. Nam direptionis vocabulum, quod violentam ſignat ablationem, huic loco minus congruit quantum ad ſententiam, licet carmen non vitiet. Formata quidem hic dicitur luna vt præberet limitem ſiue metam diſtinctionis diei & noctis: quia noctu luna lucet non interdiu. Etiam producta eſt luna, vt daret ſignum & indicium initiis menſium. Nam in cuiuſque mẽſis lunaris exordio, luna renouatur, luménque ſuum redintegrat. Inde apud Græcos primordium menſis: neomenia dicitur: id eſt noua luna, ſiue nouilunium. Vnde dicitur in Pſalmo.
Pſal. 80. Buccinate in neomenia, tuba.

FERIA QVINTA: AD NOCTVRNUM MATUTINUM.

1

NOx atra rerum contegit
Terræ colores omnium.
Nos confitẽtes poſcimus

Te iuſte iudex cordium.
2 *Vt auferas piacula:*
Sordéſque mentis abluas.
Donéſq; Chriſte gratiã:
Vt arceantur crimina.
3 *Mẽs ecce torpet impia:*
Quã culpa mordet noxia.
Obſcura geſtit tollere:
Et te redemptor quærere.
4 *Repelle tu caliginem*
Intrinſecus quàm maxime.
Vt in beato gaudeat
Se collocari lumine.

Hymnus iſte, carminis iambici dimetri regulam integrè ſeruat. Deſcribit autem nocturni temporis (quo ſolet cantari) qualitatem ac conditionem: eam aptè transferẽs ad habitum mentis noſtræ, deúmque rogans vt expulſis peccatorum tenebris nos illuminet.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nox atra rerum cõtegit. Hoc loco nox pro nocte ſenſibili ponitur: cuius id proprium eſt quòd rerum abdit colores, quoniã non reddit eos conſpicuos atque ſpectabiles. Virgilius. Et rebus nox abſtulit atra colorem. Verum congrua metaphora per atram noctem hic etiam rectè intelligas peccatorum tenebras, mentem noſtram obducentes & occupantes & cætera conſimili modo. Porrò in ſecundo huius verſus carmine, colores legendũ eſt: nõ calores, vt faciũt nonnulli: nam hoc poſterius nomen: ſententiæ nullo pacto congruit aut quadrat. 2 ¶ In ſecundo verſu. Vt auferas piacula. Hoc loco piaculum pro peccato, crimine & flagitio accipitur, ſicut & in libro Iudicum: cum dicitur. Nunquam tantum nefas & tam grande piaculum eſt in Iſrael. Virgilius in Aeneide. Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem. Et venit à verbo pio, as, are, & ſignificat contaminare ſiue polluere. 3 ¶ In tertio verſu. Obſcura hic dicuntur opera tenebrarum ſiue peccata: quoniam in luce non ſunt facta, & mẽtem humanam obſcurant atque obtenebrant. Neſcierunt (inquit pſalmus) neque intellexerunt: in tenebris ambulant. Et qui ambulat in tenebris iſtis ſpiritualibus: neſcit quò vadat. Huiuſmodi igitur obſcura mens humana male ſibi conſcia culpa, & quã mortifera remordet: cupit à ſe abiicere, deúmque in ſequenti verſu præcatur: vt hanc à ſe caliginem repellat, & in ſancto luminæ ſuæ gratiæ ipſam conſtituat.

Iudicũ. 20.
Pſal. 82.
Ioan. 12.

EADEM FERIA QVINTA: AD LAVdes matutinas.

1 LVx ecce ſurgit aurea:
Pallens faceſſat cæcitas.
Quæ noſmet ĩ præceps diu
Errore traxit deuio.

2 Hæc lux ſerenum conferat:
Puróſque nos præſtet ſibi.
Nihil loquamur ſubdolum:
Voluamus obſcurum nihil.

3 Sic tota decurrat dies:
Ne lĩgua mẽdax:ne man⁹,
Oculiue peccent lubrici:
Ne noxa corpus inquinet.

4 Speculator aſtat de ſup.
Qui nos diebus omnibus
Actúſq; noſtros proſpicit.
A luce prima in veſperũ.

Præſens hymnus carminis iambici dimetri legibus coercetur: quas itidem rectè obſeruat. In tertij tamen verſus tertio carmine & quarti verſus primo, ponitur primo loco anapeſtus pro ſpondeo: quod in hoc genere metri interdum vſu venit. Neque in ſecundo tertij carminis tertij verſus loco ponitur ſpõdeus pro iambo, quoniam non legendum eſt illic, oculi nec peccent lubrici, quemadmodum multi habẽt libri, ſed, oculive peccẽt lubrici quia ita leguntur exemplaria caſtigata. Author eius Prudentius: hos quatuor verſus complectens in illo hymno. Nox & tenebræ & nubila, paulo ante explicato, vt in ſuis operib⁹ hic hymnus legatur illius eſſe pars. Deſcribitur in eo ipſius auroræ exortus: & per metaphoram applicatur ad aduẽtum gratiæ in animas noſtras poſt tenebras peccati.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Pallens faceſſat cæcitas. Non hoc loco fatiſcat legendum eſt: vt ferè omnes habẽt libri, ſed faceſſat: id eſt abeat & abſcedat à verbo faceſſere, quod cum neutrum eſt: abire, diſcedereque ſignificat. Nam fatiſſere eſt defatigari ſiue deficere. Virgi. in Georgicis. Neu puluere victa fatiſcat, quæ ſanè ſignificatio huic loco minus eſt accommoda. In tertio verſu. Sic tota decurrat dies. Hic nomine diei totius: tota præſens vita noſtra inſinuatur, ſicut & in euangelio cum ait dominus noſter. Me oportet operari opera eius qui miſit me: donec dies eſt, venit nox: quando nemo poteſt operari. In eodẽ quoque verſu: noxa culpam ſignat, vt & apud Virgi. Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei.

Ioan. 11.

Alias

Alias eius ſignificatiões cõſulto omittimus, quoniã huic lo co nõ ſunt accõmodæ neque conducibiles. 4 ¶ In quarto verſu. A luce prima in veſperum. Lucem primam vocat author ipſiꝰ diei exortũ: ſicut & veſperũ, diei extremitatẽ, omnia enim opera noſtra diurna proſpicit deus, & nõ id modo: ſed etiam nocturna & quæ in tenebris gerimus. Et hoc quidem nõ vno die aut duobus, ſed omnibus vitæ noſtræ diebus. Rectè etiam quiſpiã per lucem primã intel lexerit ipſum vitæ noſtræ introitũ, & per veſperum, finem vitæ ac exitum: ſicut & pſalmus dicit. Dominus cuſtodiat introitũ tuũ & exitum tuũ, & alio loco. A cuſtodia matutina vſq; ad notẽ, ſperet Iſrael in domino. *Pſal. 120* Quoniã ab ipſo vitæ noſtræ exortu ad calcẽ vſq; deus opera noſtra ꝓſpicit: vt ne minimꝰ quidẽ cogitatus noſter, oculos eiꝰ fugiat. *Pſal. 129* Quod nos ad benè viuendũ meritò debet inducere, vt ait Boetius. Magna vobis eſt ſi diſsimulare nõ vultis, neceſsitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. Eandẽ quoque ſententiam exprimit Prudẽtius in poſtremo verſu, illius hymni, ex quo præſens hym nus deſumptus eſt, qui ſanè verſus continuo ſequitur vltimũ huius hymni verſum, vbi ita ſententiam cœptã proſequitur de deo loquens. Hic teſtis, hic eſt arbiter, hic intuetur quicquid eſt, humana quod mens concipit, hunc nemo fallit iudicem.

EADEM FERIA QVINTA: AD VESP.

1 Magnæ deus potentiæ
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti:
Partim leuas in aera.

2 Dimerſa lymphis imprimens:
Subuecta cælis irrigans.
Vt ſtirpe vna prodita:
Diuerſa rapiant loca.

3 Largire cũctis ſeruulis
Quos mũdat unda ſãguinis
Neſcire lapſus criminum:
Nec ferre mortis tædium.

4 Vt culpa nullum deprimat:
Nullum leuet iactantia.
Eliſa mens ne concidat:
Elata mens ne corruat.

¶ Carminis iambici dimetri legibus conſtringitur hic hymnus, eaſque exactè ſeruat. In primi tamen verſus ſecundo carmine & in tertio ſecũdi, vocalis proximè vocalẽ ſequitur ſine colliſiõe, quod ipſi authori licuiſſe putãdũ

eſt,ſicut & poetis in carmine hexametro. In quarto inſuper carmine ſecundi verſus: pyrrichius ponitur loco iãbi in ſecudo loco:quod non eſt frequenter tentandũ. Cõmendat autem diuinam virtutem & omnipotẽtiam: ab operæ quintæ diei productionis rerum ſenſibilium, petens vt ei virtute freti:neque extollamur ĩ proſperis neq; deiiciamur aduerſiis: 1 ℭ ANNOTATIONES. In primo verſu. Qui ex aquis ortum genus. Deſcribit hic hymnꝰ opus quintæ diei creationis rerũ,qua ex aquis diuino nu-

Gene.1 tu producta referũtur in Geneſi volatilia & aquatilia. Et rectè quidem:nam feria quinta cantatur ad officium veſpertinum:quæ quintæ diei inter primos ſex dies, nomine & ordine rectè reſpondet. 2 ℭ In ſecundo verſu. Subuecta cælis irrigans. Hic cæli non pro orbibus ſumuntur cæleſtibus,quoniam illos nec aues habitãt ne volãdo tranant:ſed pro partibns aeris ſiue ipſo aere:quomodo in ſa-

Pſal.8 cra ſcriptura frequenter cæli nomẽ ſumitur,vt in eo pſal-

Luca 8 mi loco. Volucres cæli & piſces maris. Et in euangelio. Et volucres cæli commederunt illud. Dicuntur autem ſtirpe vna prodita,diuerſa rapere loca. Nam ex eodẽ principio materiali.ſ. aqua,producta aquatilia,& volatilia diuerſa ſortiuntur habitationis ſuæ loca:piſces aquam, & aues aerẽ. 3 ℭ In tertio verſu Quos mundat vnda ſanguinis. His verbis:ſanctum baptiſmi ſacramentum hic inſinuat author: quoniam illud & in aqua tanquam materia eius propria miniſtratur, & in præcioſo Chriſti ſanguine conſecratum eſt, efficaciãque habet. In cuius rei argumentum:ex latere ipſius Chriſti dormiẽtis in cruce,pro-

Ioan.19 fluxit ictu militaris lanceæ ſanguis & aqua in remiſsionẽ peccatorum noſtrorum. Et hoc miniſterium aperiẽs beatus Ioannes:ait,in prima ſuarum epiſtolarum. Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus:nõ in aqua

Ioan.5 ſolum ſed in aqua & ſanguine. Et rurſum eodem loco. Et tres ſcilicet qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus,aqua & ſanguis: & hi tres vnum ſunt. Porrò cum eodem in verſu canimus quod largiatur nobis deus non ferre mortis tædium,de morte ſecunda & æterna id intelligendum:cuius moleſtiã & grauamen à nobis auferri petimus. Neque enim mortẽ corporis deprecamur quã natura effugere poſſumꝰ. 4 ℭ In quarto verſu. Vt culpa nullũ deprimat.

Allu-

Alludendo ad piſcium & auium conditionem:hic petimꝰ nobis à deo cõcedi, vt culpa grauis nullum ad ima degramet:ſicut piſces demerguntur aquis, nullum etiam iactantia & animi elatio ſuſtollat ad alta:more auium per inane volantium, vt itidem mens eliſa mole criminum aut aduerſitate non deijciatur: ſicut piſces, ne etiam mens elata proſpero ſucceſſu aut rebus lætioribus : inſtar auium corruat per ſuperbiam.

FERIA SEXTA: AD NOcturnum matutinum.

1 *TV trinitatis unitas:*
Orbem potenter qui regis.
Attende laudum cantica:
Quæ cõcinentes pſallimus.

2 *Iã lectulo cõſurgimꝰ:*
Noctis quieto tempore.
Vt flagitemus uulnerum
A te medellam omnium.

3 *Quo fraude quicquid dæmonum*
In noctibus deliquimus.
Abſtergat illud cælitus
Tuæ poteſtas gloriæ.

4 *Ne corpus aſſit ſordidum:*
Nec torpor inſtet cordiũ.
Nec criminis contagio
Tepeſcat ardor ſpiritus.

5 *Ob hoc redemptor quæſumus*
Reple tuo nos lumine.
Per quod dierum circulis
Nullis ruamus actibus.

¶ Hymnus iſte,integrè & omnino carminis iambici dimetri obſeruat rationem & modum.Fit in eo ad deum inuocatio, vt nos dimiſſo lecto laudibꝰ eius intentos exaudiat: & quicquid culpæ noctu contractum eſt,clemens abluat:denique vt immundiciam corporis , animiq; pigritiam & tepiditatem à nobis auferat.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu.Tu trinitatis vnitas.Trinitatis vnitas hic dicitur : quoniã trinitatis perſonarum vnitas eſt ſubſtantiæ:& ipſa ſumma trinitas:in vnitate deitatis eſt ſubſiſtens.Eſt enim deus vnitrinus:vt neque vnitas naturæ,trinitati perſonarum præiudicet:neque trinitas hypoſtaſeon:vnitati eſſentiæ. In eodem autem verſu & ſecundo eius carmine, ſcilicet orbem potenter qui regis:ſi(vt nonnulli facere ſolent)quæ pronomen legatur:refertur ad antecedens expreſſum vnitas.

Sin verò ibi dicatur qui, vt ferè legunt omnes :intelligatur ipſum referri non ad nomen præcedens expreſsũ ſed alterum tantundem ſignificans : vtpote ad nomen deus, vnitas nanque trinitatis: vnus eſt & verus deus. In eodem itidem verſu & quarto eius carmine, quę excubantes pſallamus, excubantes dicuntur qui vigilant, vigiliáſque agunt à verbo excubare: quod vigilare ſiue cuſtodiam facere ſignificat. Inde excubiæ plurali ſolum numero: ſunt vigilię ſiue diurnæ ſiue nocturnæ, & excubitor qui excubat vigiliáſque ſedulus agit, quemadmodum gallus.

3 ¶ In tertio verſu. Et criminis contagio. Hoc loco, dictio contagio ablatiuus caſus eſt nominis ſecundæ declinationis contagium, & non nominatiuus tertiæ declinationis :qui contagionis habet genitiuum, vt ipſa orationis ſtructura facile monſtrat. Significat autem vtrumque nomen, labem quæ ex vnius rei ad alteram contactu atque cohærentia contrahitur. Et meritò orandum nobis eſt :ne per labem peccati feruor animi in nobis frigeſcat. Quoniam vt ipſius ignis ardor & æſtus per aquam ſuperfuſam imminuitur, ita cordis humani alacritas & promptitudo ad bonum elangueſcit per peccati frequentationem & cõſuetudinem. 5 ¶ In quinto verſu. Per quod dierum circulis. Nomine dierum, hic non tam ſpacium temporis diurnum :quam totum vitæ noſtræ tempus accipiendũ eſt, non enim ſolum nobis orandnm eſt, ne in diurno tempore corruamus in peccatum: ſed etiam ne nocturno cum nõ minus nocte quam die poſſimus prauis actibus deum offendere & ab eo excidere, & idcirco rectè orat eccleſia catholica in crepuſculo. Dignare domine nocte iſta: ſine peccato nos cuſtodire, ſicut & in diluculo orat, ſuos filios eo die à peccato diuina protectione conſeruari. Cum verò oramus deum, quod toto vitæ noſtræ curriculo eius adiutorio non prolabamur in malum :& diem omnem vitæ noſtræ & noctem in illa oratione complectimur, neque vllum vitæ noſtræ tempus tum ſecluditur.

¶EADEM FERIA SEXTA: AD laudes matutinas.

1 *Aeterna cæli gloria*
Beata ſpes morta lium.
Celſi tonantis unice:
Caſtæq; proles uirginis.
2 *Da dexterā ſurgentib⁹:*
Exurgat & mens ſobria.
Flagransq; in laudem dei
Grates rependat debitas.
3 *Ortus refulget lucifer:*
Sparſamq; lucem nunciat.
Cadit caligo noctium:
Lux ſancta nos illuminet.
4 *Manensq; noſtris ſenſibus:*
Noctem repellat ſeculi.
Omniq; fine diei:
Purgata ſeruet pectora.
5 *Quæſita iā primū fides:*
Radicet altis ſenſibus.
Secunda ſpes congaudeat:
Qua maior extat charitas.

¶Carminis iābici dimetri pedibus & numeris hymn⁹ iſte cōſtituitur: illosq; exactè obſeruat, præter id quòd in ſecūdi verſ⁹ tertio carmine fit īmediata vocaliū ſine colliſione cohęrētia, & ī tertij verſ⁹ tertio carmine ſpōde⁹ ꝓ iābo ſecūdo loco ponitur. Deniq; ī quarti verſ⁹ tertio carmine pyrrhichius tertia ſede collocatur: cōtra hui⁹ metri legē ac regulā. Deſcribit aūt ꝓpinquū diei viſibilis exortū: orās dei filiū vt ita lux diuina oriatur in cordib⁹ noſtris, depulſisq; malorū tenebris: fide, ſpe & charitate nos illuſtret ac muniat. 1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Aeterna cæli gloria. Quatuor hic per ordinē filio dei (ad quē ſermo dirigitur) attribuūtur, quod ſcilicet ciuiū cæleſtium gloria eſt perpetua ac indeficiens, ꝙ hominū hic viuentiū ſpes eſt vnica: & in quo ſolo ſit ſperandū, ꝙ dei patris ſit vnigenitus, denique ꝙ ſacroſanctæ virginis Mariæ filius. Deū aūt vocat hic author tonantē, nō ad poetarum imitationē: q ſuū Iouē appellāt tonātē, & altitonātē, ꝙ ꝓphanū eſt & ridēdū, ſed quoniā ī ſacra ſcriptura tonare īuenitur etiā deo attribui, vt 1. lib. Reg. cap. 2. Dominū formidabūt aduerſarij ei⁹: & ſuper ipſos ī cælis tonabit. Et 2. Reg. cap. 22. Tonabit de cælo domin⁹: & excelſ⁹ dabit vocē ſuā. 2 ¶In ſecūdo verſu. Flagrāsq; ī laudē dei. Aliqui legūt id carmen per ablatiuum laude, ſed non adeo rectè nam trocheum tertio loco pro ſpondeo collocant: quod carmi- 1. Reg. 2. 2. Reg. 22.

carminis lex prohibet, quare potius legendum foret. flagrans & in laudem dei. Ita in tertio verſu dicunt aliqui: natus refulget lucifer, ſed malim dicere ortus: quod id epithetum ipſi lucifero aptius accommodatur. Denique in poſtremo verſu aliqui vltimum carmen legunt per relatiuum quo: ſed minus aptè, cum nullum ei reſpondeat nomen ad quod referatur. legendum itaque potius: qua maior extat charitas vt relatiuum illud ad fidem & ſpem ante nominatas referatur. 5 ¶ In quinto verſu. Quæſita iam primum fides. Hoc loco numerus & ordo trium præcipuarum virtutũ fidei, ſpei, & charitatis inſinuatur. Primum enim locum ſibi fides vendicat: ea credens quæ ſupra ſenſum & rationem ſunt. Secunda verò & ſecundo reponenda loco, eſt ſpes: certò expectans futuræ vitæ bona quæ non videntur. Tertio denique loco charitas conſtituitur: reliquis duabus maior, earumq; complementum atq; perfectio, quemadmodum ſcribit beatus Paulus ad Cor. Nunc autem manent fides, ſpes, & charitas, tria hæc: maior autem horum charitas. Quippè quæ nunquam excidat: etiam in regno cæleſti, cæteræ verò duæ tollẽtur: ſuccedente clara dei viſione: & præſenti æternorum bonorũ poſſeſſione ac perfruitione.

1. Cor. 13.

¶ EADEM FERIA SEXTA, ad veſperas.

1 *Plaſmator hominis deus*
Qui cuncta ſolus ordinans:
Humum iubes producere
Reptantis & feræ genus.

2 *Qui magna rerum corpora*
Dictu iubentis uiuida:
Vt ſeruiant per ordinem
Subdens dediſti homini.

3 *Repelle à ſeruis tuis:*
Quicquid per immunditiã
Aut moribus ſe ſuggerit.
Aut actibus ſe interſerit.

4 *Da gaudiorum præmia:*
Da gratiarum munera.
Diſſolue litis uincula:
Aſtringe pacis fœdera.

¶ Carmen iambicum dimetrum ĩ hoc hymno exactè ſeruatur: præter id quod in primi verſus primo carmine pyrrhichius locum ſecundum occupat pro iambo, & in tertij verſus primo carmine vocalis proximè vocalem ſine colliſione præcedit. Commendat autem diuinam virtutem a

productione operum ſextæ diei:rogátque vt immundum omne à nobis repellat,placidam concedat pacem,& æternæ vitæ dona. 1 ¶ANNOTATIONES.In primo verſu. Plaſmator hominis deus. Deſcribitur hoc loco opus ſextæ diei productionis rerum corporalium, qui creauit deus è terra(vt habet Geneſis)beſtias terrę iuxta ſpecies ſuas, iumenta & omne reptile in genere ſuo & demum creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam:cui ſubiecit piſces maris & omnes animantes terræ. Et id quidem aptè:nam præſens hymnus,ſextæ feriæ accommodatus eſt vt in ea cantetur:qui ſexto diei creationis rerum,nomine pariter & ordine reſpondet. Gene. 1.

2 ¶In ſecundo verſu. Dictu iubentis viuida. Hoc loco dictu ablatiuus eſt ſingularis à nomine dictus,us,ui ,quartæ inflexionis,quod raró quidem in vſu authorum inuenitur:nam vtuntur paſſim omnes potius nomine dictum, i,ſecundæ declinationis:pro verbo,ſiuę eo quod dicitur, Ars tamen prius illud nomen non abhorret:cum deducatur á poſteriore ſupino verbi dico,cis, Fuerunt autem pecora & alia terreſtrium animalium genera, viuida, ſiue vi ...entia dictu iubentis,quoniã vt habet Geneſis, dixit deus. ...roducat terra animam viuentem in genere ſuo ,iumen...a & reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas ,& fa...ctum eſt ita.Dicere enim dei:eſt iubere, ſimul & facere: quemadmodum ait pſalmus, Quia ipſe dixit & facta ſunt ...ſe mandauit & creata ſunt. 3 ¶In tertio verſu. At mo...bus ſe ſuggerit:īter mores & actus manifeſtum eſt diſcri...en:ſicut & hic etiam inſinuatur. Nam mores, modum ra...némque viuendi & vitæ inſtitutum ſignant, vt probos ...bonos mores dicimus,cum quis rectè vitam inſtituit, ...honeſté viuit,prauos itidem & peruerſos dicimus mo...,cum quis improbam ducit vitam. Actus autem ſunt ...rationes ipſæ quas facimus,& ſecundum quas aut bo... moribus aut malis imbuti cenſemur . Itaque hoc loco ...mus diuina bónitate à nobis repelli,quicquid immũ... & impurum aut vitæ noſtræ inſtituto ac ordini ſug...ur,aut operib⁹ noſtris īteruenit:vt & honeſti ſint mo... actus puri. 4 ¶In quarto verſu . Da gaudiorum ...ia. Quatuor hic meritò optanda à deo poſtulan... Primum:quòd cæleſtium gaudiorum poſt hanc vitam Gene. 1. Pſal. 141.

tam

tam nobis det præmia. Secundum: quòd nũc & in præſenti ſeculo nobis elargiatur ſuarum gratiarum dona, quæ ſunt vt pignus futuræ gloriæ. Vtrumque autem à deo iure poſtulandum: vt qui ſolus ambo illa conferre poſſit, ſi-

Pſal. 83. cut ait Pſalmus. Gratiam & gloriam dabit dominus. Tertium, quòd dirumpat in nobis rixarum & contentionum occaſiones, ac incendia extinguat: quoniam non in commotione dominus: & deus noſter non diſſenſionis eſt de⁎

2. *Reg.* 19. ſed pacis. Quartum, quòd placido fœdere pacis nos om-

1. *Cor.* 14. nes ad inuicem obſtringat, vt deus ipſe qui vera eſt pax,

2. *Cor.* 13. & deus pacis in ſcripturis celebratur, quietam in nobis habeat manſionem. Et eſt totus hic verſus valde dignus, & ſæpius à nobis deo per orationem offerendus.

SABBATO: AD NOcturnum matutinum.

1
SVmmæ deus clementiæ
Mundiq́; factor machinæ:
Vnus potentialiter
Trinusq́; perſonaliter.

2 *Noſtros pius cum cãticis*
Fletus benigne ſuſcipe.
Quo corde puro ſordibus
Te perfruamur largius.

3 *Lumbos, iecurq́; morbidum*
Adure igne congruo.
Accincti ut ſint perpetim:
Lux remoto peſsimo.

4 *Vt quiq́; horas noctiũ*
Nunc concinendo rumpimus:
Donis beatæ patriæ
Ditemur omnes affatim.

¶ Metrum iambicũ dimet. in hoc hymno integrè ſeruatur. In tribus tamen eius locis vocalis ſequitur continuò vocalem in diuerſis dictionibus ſine colliſione, ſcilicet in tertij verſus ſecundo & tertio carmine, in primo carmine quarti verſus, quod paſſim quibuſuis non licet. Continet autem inuocationem ad deum, vt caſtitatem mentis & corporis nobis elargiatur, quo tandem æternæ vitæ bonis perfruamur. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Vnus potentialiter. Si id permiſiſſet carmen, poſuiſſet fortaſſe author in eo loco, vnus ſubſtantialiter, vt ſuper ſanctæ trinitatis myſterium clarius explicaſſet, in qua vnitas eſt ſubſtantiæ & trinitas perſonarum.

Verùm

Verùm & hoc (quo carmen contexuit) modo: eandem ſententiam ſubinſinuauit. Nam cum vnam dicat trinum diuinarum perſonarum eſſe virtutem & potentiam, conſequens eſt & illarum vnam eſſe ſubſtantiam. Quorum enim virtus eſt vna & eadem, illorum & eadem eſt ſubſtantia, vt inquit Damaſcenus. 3 ¶ In tertio verſu. Accincti vt ſint perpetim. In lumbis eſſe dicitur voluptatum carnalium ſedes ac ſeminarium, quemadmodum de Leuiathan dicit dominus ad Iob, quòd fortitudo eius eſt in lumbis eius. Itaque lumbos accingimus, cum (vt ait Gregorius) carnis luxuriam per continentiam coarctamus, ſicut in euangelio nos monet dominus dicens. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et apoſtolus ad Epheſios ſcribens ait. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate. Demum mulier fortis (vt ait ſapiens) accinxit fortitudine lumbos ſuos, quia carnis in ſe concupiſcentiam reſtinxit. 4 ¶ In quarto verſu. Vt quique horas noctium. Quique pronomen ibi pro quicunque (vt & ſæpe alias) ſumitur, vt hæc habeatur intelligentia. Quicunque tempora noctis abrumpimus, non illis totis ſomno indulgentes, ſed ſopore ante finem noctis excuſſo, tibi domine pſallentes, æternæ gloriæ muneribus abúde locupletemur.

Iob.40. *Lucæ.12.* *Epheſ.6.* *Prouer.36*

1 ¶ SABBATO, AD LAVDES MATVTINAS.

Aurora iam ſpargit polum,
Terris dies illabitur
Lucis reſultat ſpiculum
Diſcedat omne lubricum
2 *Phãtaſma noctis decidat:*
Mentis reatus ſubruat.
Quicquid tenebris horridũ
Nox attulit culpæ: cadat.
3 *Vt mane illud ultimum:*
Quod præſtolamur cernui,
In lucem nobis affluat
Dũ hoc canore concrepat.

Præſens hymnus, carminis iambici dimetri legibus cótinetur, eáſque rectè obſeruat. In tertij tamen verſus poſtremo carmine, habet vocalem continuò ſubiunctam literæ m, finienti dictionem, quod exacta ratio carminis nó paſſim permittit. Continet autem ſecũdum temporis (quo canitur) adaptationem, exortus diei deſcriptionem, petens vt depulſa nocte peccati, diuina nos lux illuminet,

& ad

& ad lucis perpetuæ conſortium perducat.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Diſcedat omne lubricum. Id lubricum dicitur: in quo quis ſine lapſu non facile poteſt conſiſtere, vt locus lubricus: aut ꝙ facile labitur: vt adoleſcentia lubrica, pes lubricus, piſcis lubricus. Et quoniam id omne immundiciam aliquam habet aut viſcoſitatem ad lapſum inducentem: hic lubricum dicitur: quicquid animæ noſtræ prolapſionem infert: vt ĩpuritas & fœditas peccati. 3 ¶ In tertio verſu. Vt mane illud vltimum. Per mane vltimum, intelligitur hic dies aduentus domini ad iudicium in conſummatione ſeculi: qui & nouiſſimus dicitur dies, quoniam illi alia non eſt ſucceſſura dies temporalis. Quare illud mane nõ habebit veſperam: quoniam qui habebuntur digni reſurrectione ad vitam: transferentur in regionem lucis ſempiternę, vbi continuus ſine nocte dies, & ſempiterna ſine interpelatione claritas. Nam vt habet Apocalypſis: nox ibi vltra non erit. Cuius quidem rei id ſymbolum eſt, quòd ſeptimus

Apoca.21.

dies mundanæ durationis (qui ſabbati & requietionis nomen ſibi vendicat: quòd in eo requieuerit dominus ab omni opere quod patrauerat) habet quidem mane: ſed

Gene.2.

non veſperam more ſex præcedentium dierum, huius vitæ labores & agonem ſignantium: quoniam requies illa beatorum per ſeptimum diem ſignata: non eſt terminum nec finem vnquam habitura. ¶ In eodem verſu. Dum hoc canore concrepat. Aliqui hoc loco legunt hæc, in nominatiuo caſu ſingulari, fœminini generis: quod quidem pronomen referunt ad nomen nox, in præcedente verſu poſitum. Verum non videtur huiuſmodi referentia ſatis conueniens: ob nimiam antecedentis dictionis diſtantiam: & potius legendum eſt, hoc: in nominatiuo ſingulari neutri generis, quod referatur ad vocabulum mane: in eodem verſu poſitum: vt huiuſmodi, totius verſus habeatur ſenſus: vt vltimum illud couſummationis ſeculi tempus quod cum humilitate expectamus: nobis in perpetuæ lucis participationem cedat, dum hoc mane quo hic viuimus: diuinæ laudis modulatione perſonat, & in laudem dei expenditur. Porrò canor, oris, ſubſtantiuum nomen tertiæ declinationis: dicitur cantus ſiue conſonantia quædam. Ouidius in Metamorphoſi. Nec tamen ille ca-

nor:mulcendas natus ad aures. Inde canorus,a,um: quod ſuaue eſt auditu & dulce. Venitque vtrumque à verbo cano,is,ere: vt ſignat voce modulari.

1 SABBATO: AD VESPERAS.

O Lux beata trinitas
Et principalis uni
tas.
Iam ſol recedit igneus:
Infunde lumen cordibus.

2 *Te mane laudum carmine*
Te deprecemur veſperi.
Te noſtra ſupplex gloria
Per cuncta laudet ſecula.

Hymnus iſte, carmine iambico dimetro rectè componitur. Inuocatur in eo ſancta trinitas, vt quoniam ſol ſenſibilis tendit ad occaſum: ſpirituale tamen lumen nunquã nobis auferat, quo ipſam perpetuò laudare poſsimus.

1 ❡ANNOTATIONES. In primo verſu. Et principalis vnitas. Ipſius deitatis indiuidua vnitas, dicitur principalis: quoniam omnis vnitatis in rebus eſt exordiũ & fons: à qua quicquid in mundo eſt vnum ſuam habet vnitatem. Ita deus ipſe: principalis dicitur veritas, bonitas, virtus, lux: & cætera cõſimilia. 2 ❡ In ſecundo verſu. Te deprecemur veſperi. Dictio veſperi hic aduerbium eſt temporis: in vſu authorum frequens, & veſpertinũ ſerotinúmque tempus ſignificat. Nam veſper,eris, nomen: ablatiuum facit veſpere, non veſperi. Ouidius. Seróque trahit de veſpere nomen. In eodem quoque verſu & tertio eius carmine: non ſimplex gloria legendum eſt, vt faciunt nonnulli, ſed ſupplex. Nam ſimplex: aptum non eſt epithetum nominis gloria, neque facilè quiſquam aſsignarit: quænam ſit noſtra ſimplex gloria, ſupplex verò adiectiuum accommodatum eſt & congruum huius nominis gloria. Quod quidem pro laude ac præconio diuinæ maieſtatis (quo eam glorificamus & extollimus) hic ſumitur, ſicut & in illo verſu eccleſiaſtico celebratiſsimo. Gloria patri & filio, & ſpiritui ſancto.

SABBATO AD VESPERAS:
1 alius hymnus.

DEus creator õniũ,
Políque rector: ve
ſtiens
Diem decoro lumine,
Noctem ſoporis gratia.
Artus ſolutos ut quies

Reddat laboris uſui:
Mentéſque feſſas alleuet,
Luctúſque ſoluat anxios.
3 Grates peracto iā die:
Et noctis exortu preces
Votis (reos vt adiuues)
Hymnū canētes ſoluimus.
4 Te cordis ima concinnat:
Te vox canora cōcrepet.
Te diligat caſtus amor:
Te mens adoret ſobria.
5 Vt cū ꝓfunda clauſerit
Diem caligo noctium:
Fides tenebras neſciat,
Et nox fidei luceat
6 Dormire mētē ne ſinas:
Dormire culpa nouerit.
Caſtos fides refrigerans:
Somni vaporem temperet.
7 Exuta ſenſu lubrico:
Te cordis alta ſomnient.
Ne hoſtis inuidi dolo
Pauor quietos ſuſcitet,
8 Chriſtum rogemus & patrem
Chriſti, patriſq́; ſpiritum.
Vnum potens per omnia
Foue precantes trinitas.
Amen.

Hymnus iſte (vt præcedentes) carminis iambici dimetri modulatione conſtringitur: eámque ad vnguem ſeruat, præterquā in quinto verſu, vbi in ſecundi carminis ſecundo loco ponitur ſpondeus pro iambo, & in quarti carminis ſecundo itidem loco pyrrichius pro iambo, quod huius carminis vſus aut nunquam, aut rarò admittit. In ſeptimi quoque verſus tertio carmine: vocalis proxime vocalem ſine colliſione præcedit, quod quis facile deuitauerit. ſi loco particulæ ne, legerit nec, cum per id, ſenſus non vitietur. Dirigitur in eo inuocatio ad deum: vt abeunte iam die & nocte ingruente, nos conſeruet nocturno tempore mundos & caſtos: neque illuſionibus dæmonicis patiatur nos terreri aut eludi.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Veſtiens diem decoro lumine. Quòd diuina prouidentia, dies ad operādum hominibus ſit aſsignatus, nox autem ad quietem: oſtendit etiam propheta in Pſalmo cum ait. Poſuiſti tenebras & facta eſt nox. Et deinde. Ortus eſt ſol, exibit
Pſal. 103. homo ad opus ſuum, & ad operationē ſuam vſque ad veſperam. Porrò cauſas ob quas ſomnus hominibus à deo indultus eſt, in ſecundo verſu expreſſas, complectitur etiam

tiam eleganti carmine Ouidius, cum ait.

Somne quies rerum, placidiſsime ſomne deorum:
Pax animi quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparáſque labori.

3 ¶ *In tertio verſu.* Grates peracto iam die. Nonnulli libri hic habent gratis, ſed mendoſe nimium. Nam id aduerbiū (quod ſignificat ſine cauſa & ſponte ſua, ſeu nullo *impellente*) huic ſententiæ nequaquam congruit. Itaque *dicendum* eſt, grates, id eſt gratias, vt ſit accuſatiuus qui referatur ad verbum ſoluimus. Caret autem id nomē ſingulari numero, & ſolos tres caſus nominatiuum, accuſatiuum & vocatiuū habet in numero plurali, ſignificās tantundem atque gratiarum actiones. Conſimiliter in quinto verſu, vt cū ꝓfunda clauſerit, aliqui libri habēt ꝓfundo & minus rectè, debet enim legi profunda, vt nominatiuus ſit ſingularis, qui referatur ad nōmen caligo. Nempe ablatiuus ille profundo, neque ſententiæ conuenit, neque aliquid habet cui rite poſsit annecti.

In quinto verſu. Fides tenebras neſciat. Tenebrarum nomine, errores hic & falſa dogmata, fidei omnino aduerſa intelligūtur, quæ petimus ab ipſa fide noſtra procul amoueri. At quoniam hic quandiu per fidem ambulamus, videmus ſolum per ſpeculum in ænigmate, & ergo fides aliquam habet obſcuritatē, in cōparatione ad claritatem viſionis in patria, quæ quidē obſcuritas hic nomine noctis ſignatur. Hāc igitur noctem fidei petimus eſſe lucidā, per ſynceritatem & ſerenitatem animi fidelis, nulla vana aut falſa permiſcentis in iis quæ credit, vt nox eius ſicut dies illuminetur & ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Sicut enim in exodo legimus, ꝙ inter Hebræos & Aegyptios illorū perſecutores erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem. Ita & fides noſtra ob non apparentiam credēdorū, obſcura eſt, miro tamen lumine mentem fidelē illuſtrās. *Pſal.13.8.* *Exo.14.*

6 ¶ In ſexto verſu. Dormire mentem ne ſinas. Dormire mens dicitur, quando ocioſa & ignaua torpeſcit in peccatis. Quod à nobis auerti petendum eſt impenſius cū propheta in pſalmo. Illumina oculos meos ne vnquā obdormiā in morte. Et hora eſt (inquit Paulus) iā nos de ſomno ſurgere. Cæterum qui dormit, nullas exteriorum ſenſuū functiōes exercet: quod ligati ſint in ſomno. Itaq; ſimili *Pſal.12.* *Rom.13.*

milj.

mili ratione, & culpa in nobis dormire dicitur, quãdo nulla ipſius culpæ in nobis fit actio ac operatio. Id autem nequaquã fiat: niſi ſit à nobis extirpata & abraſa culpa. Nã ſi ipſa adhuc occupat animum, mouet ad ſuum opus & ad prauum inducit, neque omnino emortua & extincta eſt. Cum igitur culpam in nobis dormire petimus, eam prorſus à nobis auferri detergique poſtulamus.

SABBATO AD VESPERAS, alius hymnus.

O Pater ſancte, mitis atque pie.
O Ieſu Chriſte fili Venerande.
Paraclitéque ſpiritus & alme:
Deus æterne.

2 *Trinitas ſancta, vnitáſque firma:*
Deitas uera, bonitas immenſa:
Lux angelorum, ſalus orphanorum
Spéſque cunctorum.

3 *Seruiunt tibi cũcta quæ creaſti.*
Te tuæ cunctæ laudãt creaturæ.
Nos quoque tibi pſallimus deuoti
Tu nos exaudi.

4 *Gloria tibi omnipotẽs deus:*
Trinus & unus magnus & excelſus
Te decet hymnus honor, laus, & decus.
Omne & in æuum. Amẽ.

Hymnus iſte, carminis ſapphici præ ſe fert ſpeciẽ & modulationẽ, videtúrque in vnoquoque verſu tribus carminibus ſapphicis ſubnectere quartum adonium, ſicut duo primi hymni, in fronte ac principio huius operis poſiti. Verùm non ſeruat quoquo pacto illius carminis legem ac regulam neque pedes illius habet ſuis in locis cõſtitutos: vt recta huiuſce metri ratio expoſcit. Quocirca meritò vocari poteſt hic hymnus, ameter, quòd ſine metro & debita ſit carminis menſura.

Fit in eo primùm inuocatio ſanctiſsimæ trinitatis, deinde declaratio diffuſionis diuinæ bonitatis in omnes creaturas, illi iure ſubiectas, & demùm deuota oratio, vt noſtras preces exaudire dignetur. Et quoniã piã cõtinet & religioſam ad deum orationem, loco illius alterum (ſeruata eadem ſententia) hymnum hoc modo luſimus. O

1 *O pater ſummæ deitatis ortus*
O patris ſummi uenerãda proles.
O ſacrum germen patris atque nati
Spiritus alme.

2 *Trinitas unum deitate numen:*
Vna maieſtas, bonitas & una.
O ſalus mundi pater orphanorum:
Spéſque piorum.

3 *Te creaturæ uenerantur omnes:*
Et tibi totus famulatur orbis.
Quæ tui ſerui ferimus: benigne
Suſcipe uota.

4 *Da tuas ſemper reſonare laudes.*
Da tuum nomen celebretur altum.
Te decet puro modulandus ore
Hymnus in æuum.

Porrò in huius hymni à nobis decantati principio: dicitur deus pater eſſe ortus ſiue origo ſummæ deitatis, quoniã ipſe à nullo emanat: ſed à ſeipſo eſt, filius autẽ & ſpiritus ab ipſo (licet in effabilem) habent originẽ, non quidẽ temporalem ſed æternã. Id beatus aſſerit Dionyſius in libro de diuinis nominibus, dicens ꝙ pater eſt primordialis & fõtana deitas: filius verò & ſpiritus ſanctus ſunt fœcundę deitatis germina plantata diuinitus. Sed hæc altiora ſunt, q̃ hic expoſcit locus, ideo illa miſſa facientes: ad annotatiões tranſeamus. 1 ❡ ANNOTATIONES. In primo verſu. Paraclitéque ſpiritus. Paraclitus, græcũ eſt vocabulum: quod eruditiores & græci ſermonis rationem callentes per e in penultima ſyllaba potius proferendum putant, quoniam apud Græcos in tertia ſyllaba ſcribitur per diphthongõ, ei quę apud latinos in e longũ vertitur, vt quod Græci dicũt cythereia: nos cytherea dicimꝰ. Virgilius. Parce metu Cytherea manẽt immota tuorũ. Ita cũ Græci dicãt paracleitos, nos (inquiunt) paracletus dicere debemus. Nonnũquã tamen ob maiorẽ ſonoritatẽ vertitur ei diphthongus græca in i longum, vt Græci Thaleia dicunt. Latini autẽ, Thalia. Virgilius. Noſtra nec erubuit ſyluas habitare Thalia, vt eo in loco Bucolicorũ annotat Seruius. Quare etiam conſimili analogia & ratione poſ-

ſunt Latini dicere,paraclitus,modo penultima ſit lóga: & per i latinum ſcribatur,non græcum,quoniã ſi per y græcum ſcriberetur:ſignificationem haberet ipſi ſpiritui ſancto nequaquam attribuendam, vt ex Frãciſco Philelpho adducit Deſpauterius noſter in tertio libro ſuo de arte verſificatoria, vbi diſſerit de quantitate vocalis e ante t in mediis ſyllabis. Qui non modo in diligentia conſcribẽdi artem carminum, & annotãdi quantitates ſyllabarum, verum etiã in omni parte grammaticę tradenda purè terſè & abſolutè,recentiores omnes aut æquaſſe,aut(vt potius cenſeo)exuperaſſe videtur:& cui plurimum debet latinæ linguæ ſtudioſa iuuentus. Quocirca citra contẽtionẽ omnẽ, vtrũ maluerit quiſpiã,proferat aut paracletus, aut potius paraclitus,ne videatur nouitati ſtudere, aut iã inolitũ vsũ prſus damnare,cũ vtrũque rectè dici poſsit. Scribatur tamẽ ſemper ea dictio per i latinum,vt dictũ eſt : & penultima proferatur lõga,quod tamen poſterius:in nullis ferme hymnis eccleſiaſticis obſeruatur,niſi in illo hymno de ſpiritu ſancto. Veni creator ſpiritus:mẽtes tuorum viſita, vbi in ſecũdi verſus primo carmine, qui paraclitus diceris, ea ſyllaba eſt longa, quãdoquidem in ſecundo eius loco(vt debet)iambum conſtituit.In vltimo tamen eiuſdem hymni verſu & in omnibus ferè cæteris hymnis eccleſiaſticis:tertia illius dictionis ſyllaba præter eius naturam,& rectam carminis legem perperã corripitur. Porrò Baptiſta Mantuanus in agone ſanctæ Margaritæ duas primas eius ſyllabas corripit & tertiam producit:cum ait. Cui nomen paracletus erat:deſcendere mandat,& id imitandum cenſeo. Significat autem paracletus, aut ſi mauis paraclitus:idem atque cõſolator ſiue aduocatus. Quæ ſanè interpretatio & ſignificatio:ipſi ſpiritui ſancto congué-
2.Cor.1. ter attribuitur. Nam ipſe eſt deus totius conſolationis:qui
Rom.8. cõſolatur nos in omni tribulatione noſtra.Ipſe etiam ſpiritus(vt ait Paulus)poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus & aduocatus eſt pro peccatis noſtris.

2 ¶ In ſecundo verſu. Salus orphanorũ Orphanus(vt ex Hyeronimo affert Calepinus) eſt qui nec patrem habet,nec matrem. Pupillus verò,qui non habet patrẽ. Sæpenumero tamen iſta cõfunduntur in ſcriptura: & vnum pro altero promiſcuè ſumitur. Dicitur autẽ hic deus ſalus orpha-

orphanorum: quoniam ſingulari cura illos protegit, fouet,& ſaluat:qui parentibus ſunt orbati, & quos pater & mater dereliquerũt morte ſublati: illos dominus benigniter, vt ait pſalmus, aſſumit, vt quanto minus ſit humani auxilij & ſubleuaminis, tanto præſentius aſſit & ꝓpius diuinum præſidium. Vnde ad deum dicit Propheta in pſalmo. Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor. Et alio in loco, dominus pupillum & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet. *Pſal.26.* *Pſal.9.* *Pſal.145.*

I IN ADVENTV DOMINI: AD VESPERAS.

Conditor alme ſyderum
Aeterna lux credentium:
Chriſte redẽptor omniũ,
Exaudi preces ſupplicum.
2 *Qui cũ dolens interitu*
Mortis perire ſeculum:
Saluaſti mundũ languidũ,
Donans reis remedium.
3 *Vergẽte mũdi veſpere:*
Vti ſponſus de thalamo,
Egrdſſus honeſtiſsima
Virginis matris clauſula:
4 *Cuius fortis potentiæ*
Genu curuantur omnia:
Cæleſtia terreſtria
Fatentur nutu ſubdita.
5 *Occaſum ſol cuſtodiens,*
Luna pallorem retinens,
Candor in aſtris relucens
Certos obſeruat limites.
6 *Te deprecamur hagie*
Venture iudex ſeculi:
Conſerua nos in tempore
Hoſtis à telo perfidi.
7 *Laus honor virtus gloria*
Deo patri cum filio:
Sancto ſimul paraclito
In ſempiterna ſecula.
Amen.

Hymnus iſte, carminis iãbici dimetri formã gerit & imaginẽ: nõ tamẽ eius pedes omnino obſeruat. Nam trocheũ nunc primo nũc ſecundo, nunc verò tertio admittit loco. Interdũ verò ſpõdeũ ſecũdo loco recipit, & nonnunquã pyrrhichiũ: quæ omnia: legibus huiuſce carminis aduerſãtur. Author eius: Beatus pater Ambroſius. Cõmẽdatur in ipſo Chriſti filij dei benignitas: quòd ad nos redimẽdos, in primo aduentu de ſacroſancta virgine naſci dignatus eſt, rogatúrque vt in ſecundo ſuo aduentu nos ab hoſte antiquo ſaluet & protegat: ne ipſius percutiamur telo.

3 ❡ANNOTATIONES. In tertio verſu. Vergente mundi veſpere. ipſius mundi veſpere, ſiue poſtremum durationis ſpacium: eſt finis ipſius mundi, conſommatióque eiuſdem. Dicitur autem veniſſe Chriſt⁹ per ſuſceptæ carnis diſpenſationem, cum propinquaret illud mundi veſpere. Nam expletis iam quinque mundi ætatibus, in ſexta venit eius ætate, quę ad finem vſque ſeculi porrigetur. Quocirca in nouiſsimis diebus veniſſe à prophetis dicitur: vt apud Eſaiam. Et erit in nouiſsmis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium. Rurſum Ioannes in prima ſua epiſtola. Filioli: nouiſsima hora eſt. Et Paulus circa ea tempora dixit Corinthiis. Scripta ſunt autem ad corruptionem noſtram: in quos fines ſeculorum deuenerunt. In eodem verſu & eius quarto carmine, nomen clauſula ablatiuus eſt ſingularis: ordinatus cum participio egreſſus. Significat autem clauſula id quod clauſum & occluſum eſt. Quia igitur Chriſtus de clauſo ſacratiſimæ virgiuis & matris vtero proceſsit in orbem, tanquã ſponſus de thalamo ſuo vt ait Pſalmus, neque maternæ virginitati detrimentum intulit: honeſtiſsima virginis matris clauſula egreſſus dicitur. 4 ❡ In quarto verſu. Cæleſtia, terreſtria. Sub illis & inferna comprehendantur: à Paulo etiam expreſſa, cum ait ad Philippenſes. Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur: cæleſtium, terreſtrium, & infernorũ. Verùm cęleſtia & terreſtria genua ei flectunt: in ſignum cultus & reuerentiæ, ex amore obſequioſo procedentis. Inferna verò non ita: ſed in ſignum ſubiectiõis, quam vel inuita & trementia illi exibent. Porrò in ſecundo eiuſdem verſus carmine, nomen genu, accuſatiuus eſt ordinatus cum verbo paſsiuo curuatur per ſynedochen. vt curuatus genu dicatur, qui genu habet incuruum: atque ad impendendum honorem inflexum. 6 ❡ In ſexto verſu Te deprecamur hagie. Id græcum eſt vocabulum: idem ſignificans quod ſancte. Et Greci quidem hagios dicunt in nominatiuo ſingulari. Latini verò ſyllabam os mutant in vs: & proferunt hagius in eodem caſu. Vnde in vocatiuo ſingulari maſculini generis: formatur hagie. Debet autem ſemper cum aſpiratione ſcribi.

Iſaia 2

1. *Ioan*. 2

1. *Corin*. 10

Pſal. 18

Phil. 2

IN ADVENTV DOMINI: AD NOCturnum matutinum.

1 Verbum ſupernũ prodiens
A patre olim exiens.
Qui natus orbi ſubuenis:
Curſu decliui temporis.

2 Illumina nunc pectora:
Tuóque amore concrema.
Audito ut præconio:
Sint pulſa tandẽ lubrica.

3 Iudéxq; cũ poſt aderis:
Rimari facta pectoris.
Reddẽs vicẽ pro abditis:
Iuſtíſq; regnũ pro bonis.

4 Non demum arctemur malis:
Pro qualitate criminis.
Sed cum beatis compotes
Simus perennes cœlibes.

Carmen iambicum dimetrum in hoc hymno ferè ſemper rectè obſeruatur, niſi quòd interdũ vocalis ſequitur proximè vocalem, aut m literam ſine colliſione: & ſecundo loco nonnunquam deprehenditur ſpondeus pro iambo cõſtitutus, & in tertio loco trocheus pro iambo, quod non facilè admittit huius metri regula. In eo rogatur dei filius, vt ſicut in primo aduẽtu nos viſitauit per incarnationem ſuã: ita in ſecũdo ſuo aduentu ad iudicium nos benigniter ſaluos faciat. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Verbum ſupernum prodiens. Hic dei filius, verbũ dicitur ſupernũ: quia cæleſte immò ſupercæleſte & ſupermundanũ eſt verbum, non ſeculare aut temporale: quemadmodũ noſtrum, hinc de illo dicit propheta in pſalmo. In æternum domine: verbũ tuum permanet in cælo. Idẽ quoque dicitur hic prodiens extráque progrediẽs per altiſsimum incarnationis ſacramẽtũ: quo ſe nobis inſinuauit atque manifeſtauit. Denique ipſum dicitur exiẽs à patre per diuinam illam natiuitatem: qua ab æterno ex ſubſtantia patris eſt progenitum. Nó quidem ꝙ vnquam patrẽ dareliquerit: aut ab eo fuerit ſeparatũ: ſed ꝙ illi intimum manens: ab eo ineffabiliter emanauerit, quemadmodum ipſa ſumma veritas de ſe in euangelio teſtatur. Exiui à patre: & veni in mundum. Poteſt & exitus illo verbi à patre: de tẽporali filij dei natiuitate intelligi, ſecundũ quã (vt ait) venit in mundũ. In eodem verſu. Curſu decliui tẽporis. Id decliue dicitur: quod deorſum tẽdit, declinátque

Pſal. 118.

declinátque ad ima, quaſi pronum & deuergens ad finem. Quoniam igitur Chriſtus tranſacta iam maiore mundanę durationis parte vt pote quinque ætatibus, in poſtrema eius venit ætate, & in nouiſsimis eius diebus: rectè dicitur hic ſubueniſſe orbi per natiuitatem ſecundum carnem in curſu decliui temporis. 2 ¶ In ſecundo verſu. Audito vt præconio. Filij dei præconium, eſt annunciatio de ei⁹ aduentu tum primo tum ſecundo: per prophetarum oracula & euangelicam lectionem facta. Nempe & prophetæ affatim de vtroque domini aduentu nobis veritatem nunciant: & longè apertius euangelium ſanctum, vtriuſque nobis eſt nuncium. Petimus itaque vt cum auditum fuerit à nobis prophetarum & euangelij de aduentu filij dei præconium ac teſtimonium: propellantur à nobis per fidem & boni operis inſtantiam ac fructum peccata, in quę facile prolabimur ex infirmitate noſtra. 4 ¶ In quarto verſu. non demum arctemur malis. Arctemur verbū, per ct ſcribi debet: & ſuum etiam actiuum arcto, as: quoniam frequentatiuum eſt verbi arceo, es, & formatum ab eius ſupino arctum. Significat autem arctare: conſtringere atque comprimere, nam & arcere: ſtringere interdum ſignat Virgilius. Nam teneras arcebant vincula palmas. Inde arctus: ſtrictus, & arctitudo: anguſtia atque ſtrictudo. Cæterum putant nonnulli etiam eruditiſſimi, artare verbum nō ab arceo deduci: ſed primitiuum eſſe, & ſine c ante t ſcribi debere. Quod oſtendunt ab eo profecta & formata vocabula, ſecundum ipſorū placitum, vtpote artus nomē ſubſtantiuum pro membris, & illius diminutiuum articulus: artus adiectiuum pro anguſto. coartare verbū ſignificans aſtringere ſiue coniungere, & conſimilia tum nomina tū verba: quæ ꝓbatus grāmaticorū vſus ſine c ante t ſcribere ſolet. Et hęc ſententia quoniā etiā magnos habet autores: nō omnino reiiciēda eſt neq; dānanda: ſed ꝓpoſitorū ſcribēdi illius verbi artare modorū, eligat quiſq; vtrāuis voluerit, & ſenſerit cōgruentiorē. In eodē verſu. Simus perennes cœlibes. Per cœlibatum perennem qui hoc loco optatur: futuræ vitæ petitur ſtatus regnique cæleſtis perpetua manſio: quoniam in eo iugis eſt continentia, atque
Matth 22 vacatio à carnali conſortio. Non enim ibi nubent neque nubentur: vt ſacrum habet euangeliū. Et ita per ꝓprietatē con-

conuenientem ſupernę ciuitatis incolis:hic inſinuatur eorum habitudo atque ſocietas .Sunt etiam qui hoc loco legunt:ſimus perennes cœlites,& hi apertiorem exprimũt huius loci ſententiam. Verum qui legeret ſimus perenne cœlibes,vel ſimus perenne cœlites:multo aptius diceret. Nam & lenior eſt prolatio & melior orationis ſtructura: cum duæ illæ dictiones perennes & cœlibes ſiue cœlites, non aptè ponantur 'adinuicem ſine coniunctione media: quòd ambæ ſignificationem habeant adiectiui. At ſi perenne dicamus pro perenniter, vt aduerbij habeat locum & iungatur cum verbo ſimus:iam nihil eſt quod aures offendat. Neque illud ignorandum:quòd nomen perennis & quæcunque ab eo formantur: ſine aſpiratione intermedia ad ſecundam ſyllabam ſcribi debent. Cõponitur enim ex dictione per,& nomine annꝰ:commutata a in e. Atqui planum eſt vocem annus aſpirari non debere, quare neq; eius compoſitum perennis. Significat autẽ perenne:quod iugis eſt & perpetuæ durationis.

¶IN ADVENTV: AD laudes matutinas.

1 *VOx clara ecce intonat:*
Obſcura quoq; increpat.
Pellantur eminus ſomnia:
Ab æthere Chriſtꝰ ꝓmicat
2 *Mẽs iã reſurgat torpida.*
Quæ ſorde extat ſaucia.
Sydus refulget iam nouũ:
Vt tollat omne noxium.
3 *Eſurſum agnus mittitur,*
Laxare gratis debitum,
Omnes pro indulgentia
Vocẽ demus cũ lachrymis.
4 *Vt cũ ſecundo fulſerit.*
Mundumq; horror cinxerit:
Non pro reatu puniat:
Sed nos pius tunc protegat.

¶Hymnus iſte etiam carminis iambici dimetri lege cõſtituitur,eámque propemodum obſeruat. Frequentes tamẽ habet vocalis poſt vocalem aut m litteram ſine colliſione hiatus:& ſecundo loco ſpondeum pro iambo,quod cõcinnitati carminis non parum derogat. Sententia ipſius ferẽ eadẽ cum præcedenti,hortatur enim nos omnes ,cũ euangelica tuba nos ad virtutes excitet:quòd ſurgamus à vitijs ac torpore , peccatorúmque veniam poſtulemus in

hoc domini aduentu per miſericordiam, vt cum venerit iudicare mundum in iuſtitia & æquitate: nos ſaluet & tueatur à morte æterna. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Vox clara ecce intonat. Hic vox clara poteſt accipi manifeſta euangelicæ legis prædicatio: quæ vt tuba altiſona intonat auribus noſtris, & opera tenebrarũ damnat. Idcirco pellenda eſt à nobis ſomni in peccato inertia. Nam Chriſtus à cælo refulgens per aduentum in carnem: nunc in terris emicat tanquam nouum & ſalutare ſydus exortum in tenebris. Non ineptè etiam per vocem claram intonantem: intelligere poſſumus ſacratiſſimum Chriſti præconem Ioannem Baptiſtam. De quo vaticinatus eſt Eſaias. Vox clamantis in deſerto: parate viam domini: rectas facite in ſolitudine ſemitas dei noſtri. Quod quidem propheticum oraculum, ipſe domini præcurſor de ſe dictum eſſe, & in ſeipſo completum perhibet: dicens ſacerdotibus & leuitis ad ſe miſſis. Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam domini: ſicut dixit Eſaias propheta. In eodem verſu. Pellantur eminus ſomnia. In hoc tertio primi verſus carmine (quod hypercatalecticum eſt nam vna ſyllaba vltra debitam menſuram abundat) in ſecundo loco pro iambo ponitur amphibrachus, habens extremas ſyllabas primam & tertiam breues, & mediam longam, vt docere, quod in hoc metri genere rariſſimum eſt. Eminus enim: primam habet longam. Ouidius. Pars animæ dilectæ meæ, licet eminus eſſe fortibus: Antheo nocuit temeraria virtus. Vnde aptius eſſet carmen, ſi quis ita diceret, procul fungentur ſomnia. Significat autem eminus, idem quod procul, ſicut cominus ei⁹ oppoſitum, ſignat è vicino & propè. Virg. Pugnatur cominus armis.

Eſaia. 40.

4 ¶ In quarto eiuſdem primi verſus carmine. Ab æthere Chriſtus promicat. Dictio æthre, diſſyllaba proferri per ſyncopam debet: vt ſecundo loco conſtituatur iambus. Nam ſi triſſyllaba proferretur, anapeſtus in ſecunda collocaretur ſede, quod rarò admodum vſu venit. Sic & Virgilius æthra protulit in carmine pro æthera: cum ait in Aeneide. Nam neque erant aſtrorum ignes: nec lucidus æthra ſyderea polus.

1 ¶IN NATIVITATE DOMINI.

Veni redẽptor gentium:
Oſtende partum uirginis
Miretur omne ſeculum:
Talis decet partus deum

2 *Non ex uirili ſemine,*
Sed myſtico ſpiramine:
Verbum dei factũ eſt caro.
Fructusq; uentris floruit.

3 *Aluus tumeſcit uirginis:*
Clauſtra pudoris permanent.
Vexilla uirtutum micant:
Verſatur in templo deus.

4 *Procedẽs de thalamo ſuo.*
Pudoris aula regia.
Geminæ gigas ſubſtantiæ:
Alacris ut currat uiam.

5 *Egreſſus eius à patre:*
Regreſſus eius ad patrem,
Excurſus uſque ad inferos:
Recurſus ad ſedem dei.

6 *Aequalis æterno patri*
Carnis trophæo accingere.
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.

7 *Præſepe iam fulget tuum:*
Lumenq́; nox ſpirat nouũ.
Quod nulla nox interpolet:
Fideq́; iugi luceat.

8 *Gloria tibi domine:*
Qui natus es de uirgine.
Cũ patre et ſancto ſpiritu:
In ſempiterna ſecula:
Amen.

¶Carmen iambicum dimetrum in hoc hymno integrè ſeruatur:occurrit tamen interdum ſpondeus in ſecundo loco pro iambo,contra carminis huius legem, & anapeſtus in primo & tertio loco pro ſpondeo:quod ipſius metri integritatem non vitiat. ¶Author eius,ſanctus Ambroſius. Laudatur in eo Chriſtus dei filius: quòd pro nobis redimendis humanam carnem de matre virgine ſumpſerit,& natiuitatis ipſius ſecundum carnem myſteria piè referantur. 2 ¶ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Fructuſque ventris floruit. Fructus ventris hic intelligitur Chrtſtus:ex vtero virginali (vt de ſua arbore fructus) verè & ſecundum humanam ſubſtantiam progenit⁹, de quo clamauit ſancta Elizabeth. Et benedictus fructus *Luca.1.*
ventris

ventris tui. Is autem fructus nunc floruit, quoniam per na
tiuitatem carnis tanquam flos de virga Ieſſe in apertum
prodiit. 3 ¶ In tertio verſu. Vexilla virtutum micant.
Vexilla hic accipi poſſunt miraculorum inſignia & diui-
næ poteſtatis ſigna, quæ in hac ſacra natiuitate clarius e-
micuerunt. Nonne nouum id ſignum eſt & ſupernæ virtu
Eſa. 7. tis manifeſtatiuum (quod dominus longe ante dare eſt di
gnatus) quòd virgo ſpiritus ſancti obumbratione conce-
pit filium: & virgo permanens eundé mundo ſine dolore
protulit? Nonne & id: quòd filius dei factus eſt homo, ma
nens quod erat, & aſſumens quod non erat: atque in ven
tre virginali, vt ſuo templo eſt diuerſatus ſecundum car-
nis anguſtias: qui neque cælo, neque terra, ſecũdum dei-
tatem comprehendi poteſt? 4 ¶ In quarto verſu. Gemi-
næ gigas ſubſtantiæ. Hoc in loco Chriſtus gigas dicitur:
quoniam fortiſſimus eſt pugil & certator contra principẽ
huius mundi, venitq́; vt cum alacritate, huius vitæ morta-
lis curſum peragat, quemadmodum ait pſalmus. Exulta-
uit vt gigas ad currendam viam. 5 ¶ In quinto verſu.
Pſal. 18. Egreſſus eius a patre. Alludit hic ad illud pſalmi verbum.
A ſummo cælo egreſſio eius: & occurſus eius vſque ad ſũ-
mum eius. Et ad ſententiam illam euangelicam. Exiui à
patrẽ & veni in mundũ: iterum relinquo mundum, & va-
Ioan. 16. do ad patrem. 6 ¶ In ſexto verſu. Carnis trophæo accin
gere. Trophæum dicitur inſigne ſpolium, quod ex hoſti-
bus reportatur in ſignum victoriæ. Chriſtus autem per
carnẽ aſſumptã debellato diabolo victor euaſit, ipſamq́;
glorificatam carnem demum cælo intulit. Rectè igitur no
ſtræ ſubſtantiæ forma quam induit: hic trophæi nomine
exprimitur. Neque iſto in loco ſtrophium legendũ eſt (vt
faciunt plerique) quod cingulum ſignificat. Nam quam-
uis nomen hoc ſententiæ ſatis congrueret: carmini tamen
diſconueniret, quoniam pyrrhichium ſecundo conſtitue-
ret loco, quòd duas primas ſyllabas habeat breues, tro-
phæum verò primam habet breuem & ſecundam longã.
Ouidius. Ponite de noſtra bina trophæa domo. In eo-
dem verſu. Virtute firmans perpeti. Multi legunt hic &
in illo hymno de ſancto ſpiritu. Veni creator ſpiritus (vbi
duo poſtrema huius verſus carmina, etiam integra inſe-
runtur) virtute firmans perpetĩ, ſed & hic & ibi aptior eſt
ſermo

ſermo per ablatiuum adiectiuum, quod ordinatur cũ ſubſtantiuo virtute: quam per aduerbium, & ita potius cenſeo legendum. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Luménque nox ſpirat nouum. Hoc loco ſpirare, venuſtè accuſatiuum habet ſibi adiunctum, quoniam actiuam habet ſignificationem, tantundem valens atque effundere ſiue emittere. Interpolare autem, quod ſimplo l, ſcribi debet: vt oſtendit carmẽ, eſt intermittere ſiue interrumpere. Vnde quod diſcontinuatum eſt & interlaxatum, interpole dicitur, & interpolatim id fit: quod diſcontinuè & per intermiſſiones efficitur, vt fiat quædam temporis in eo opere intercisio.

¶ IN NATIVITATE DOMINI: alius hymnus.

CHriſte redemptor gentium
De patre patris unice.
Solus ante principium
Natus ineſſabiliter.

2 *Tu lumen & ſplendor patris:*
Tu ſpes perennis omnium,
Intende quas fundunt preces
Tui per orbem famuli

3 *Memẽto ſalutis author:*
Quod noſtri quondam corporis
Ex illibata uirgine
Naſcẽdo formã ſumpſeris

4 *Sic præſẽs teſtatur dies.*
Currens per anni circulũ:
Quod ſolus à ſede patris
Mundi ſalus adueneris.

5 *Hunc cælum, terra, hũc mare,*
Hũc omne quod in eis eſt:
Authorem aduentus tui
Laudans, exultat cantico.

6 *Nos quoque qui ſancto tuo*
Redempti ſumus ſanguine:
Ob diem natalis tui
Hymnum nouum concinimus.

¶ Præſens hymnus carminis iambici dimetri (cuius formam præfert) non omnino ſeruat menſuram. Nam trochęum nunc primo, nunc ſecundo, nunc tertio admittit loco: ſpondeum quoque nonnunquam in ſecunda ſede recipit. Inſuper vocalẽ interdum vocali aut literæ m, ſubiunctã habet ſine colliſiõe. In eo fit ad dei filiũ gratiarũ actio de

de ineffabili ſua miſericordia: qua cum dei patris ſit vni-
genitus ante ſecula, de virgine naſci dignatus eſt pro no-
bis in tempore. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo
verſu. Solus ante principium. Filius dei dicitur hic ſolus
genitus ante principium temporum & mundi exordium:
quoniam antequam mundus ſubſiſteret, aliud nihil geni-
tum erat. Non enim deus pater, natus dici potuit: quia in
genitus eſt, nec ſpiritus ſanctus: vt qui non per generatio
nem, ſed diuinam proceſſionem à patre & filio prodierit:
nec aliud quicquam tum fuit natum, cum aliud nihil tunc
Pſal. 109, adhuc ſubſiſteret. Vnde in pſalmo pater ait ad filium. Ex
vtero ante luciferum genui te. Et ipſa diuina ſapientia,
quæ dei filius eſt apud Eccleſiaſticum dicit de ſeipſa. Ego
ex ore altiſſimi prodiui: primogenita ante omnem creatu-
ram. Natus autem dicitur ſecundum diuinitatem Chri-
ſtus ineffabiliter, quia de eo dicit Eſaias. Generationem
Eccleſ. 24. eius quis enarrabit. 3 ¶ In tertio verſu. Ex illibata vir-
Eſa. 53. gine. Libare per tranſlationem ſignificat interdum leniter
tangere. Virgilius. Oſcula libauit natæ, dehinc talia fatur.
Inde libatus participium: quod attactum ſiue contactum
eſt. Cui mea virginitas, auibus libata ſiniſtris. Ex quo cõ-
poſitum deducitur illibatus, id eſt non libatus, ſiue non ta
ctus. Illibata igitur virgo, eſt virgo intacta, inuiolata, inte
merata, ſiue incorrupta. 4 ¶ In quarto verſu. Quòd ſo
lus à ſede patris. Solus adueniſſe dicitur Chriſtus de ſede
patris: quoniam ſolus ipſe per incarnationem humanam
induit naturam. Neque enim pater incarnatus eſt, neque
ſpiritus ſanctus, licet vterque ad ſacratiſſimum incarna-
tionis myſterium ſuſpiciendum à filio, cooperatus ſit.
5 ¶ In quinto verſu. Hunc cælum, hunc terra, hunc ma
re. Pronomen illud tertio repetitum: refertur ad id nomẽ
dies in præcedenti verſu poſitum, vt ſenſus ſit quòd crea-
tura cæleſtis & angelica, & terreſtris. ſ. humana, immò om
nis dei creatura: hunc diem natalitium, tanquam aduen-
tus tui ad nos. O Chriſte æditorem atque manifeſtatorẽ,
concelebrat: ſpirituali cantico exultans in domino. Et
hic verſus id completum eſſe videtur annũciare: ad quod
Pſal, 95. propheta in ſpiritu præuidens hunc diem aduentus domi
nici hortabatur pſalmo. 95. dicens. Lætentur cæli & exul-
tet terra, commoueatur mare & plenitudo eius gaudebũt

campi

campi & omnia quæ in eis ſunt. Et cauſam paulò poſt ſubiungit: quia dominus venit.

¶IN NATIVITATE DOMINI: alius hymnus.

1 A Solis ortus cardine
Ad uſque terræ limitem,
Chriſtum canamus principem
Natum Maria uirgine.
2 *Beatus author ſeculi*
Seruile corpus induit
Vt carne carnem liberans,
Ne perderet quos cõdidit.
3 *Caſtè parentis uiſcera*
Celeſtis intrat gratia.
Venter puellæ baiulat
Secreta quæ non nouerat.
4 *Domus pudici pectoris*
Templum repente fit dei.
Intacta neſciens uirum,
Verbo concepit filium.
5 *Enixa eſt puerpera,*
Quem Gabriel prædixerat.
Quem matris aluo geſtiẽs:
Clauſus Ioannes ſenſerat.
6 *Fœno iacere pertulit,*
Præſepe non abhorruit.
Paruoq; lacte paſtus eſt,
Per quem nec ales eſurit.
7 *Gaudet chorus cæleſtium,*
Et angeli canunt deo,
Palámque fit paſtoribus
Paſtor, creator omnium.
8 *Gloria tibi domine:*
Qui natus es de uirgine
Cum patre & ſancto ſpiritu,
In ſempiterna ſecula.
Amen.

¶Hymnus iſte iambicus eſt dimeter, huiuſce carminis legem exactè ſeruans, eleganterq; compoſitus, eo quidem contextu, quòd ſinguli verſus à ſingulis alphabeti literis ſeruata earum ſerie incipiunt, vt primus verſus primam habet literam A, ſecundus B, tertius C, & ita deinceps, prę ter octauum poſtremumque verſum: qui ad hunc (ſicut et ad omnes hymnos natiuitatis domini: eodem metri genere compoſitos) eſt adiectitius. Author eius Sedulius. Deſcribit in eo myſteria natiuitatis dominicæ: & ex illis lau-

dandæ ipſius miſericordiæ materiam proponit.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. A ſolis ort⁹ cardine. Cardo ipſius ortus ſolaris: eſt plaga cæli orientalis, vnde ſol oritur. Limes autem ſiue extremitas terræ: regio eſt occidua. Itaque hortatur nos primus hic verſus, quod Chriſtum canamus non vno tantum in loco, ſed ab oriente, vbi principium eſt ortus ſolis, vſque ad finem & terminum terræ oppoſitum, ſcilicet occidentem, ſiue à ſo-

Pſal. 112. lis ortu vſque ad occaſum: vt ait pſalmus. In eodem verſu. Natum Maria virgine. Apud graues & probatos authores: media ſyllaba huius dictionis Maria corripitur, vt apud Sidonium in hoc carmine aſclepiadeo. Formoſus Mariam ducit Honorius. Et apud Mantuanum, vt, Mariæ poſſit laudes æquare loquendo. Hoc tamen loco, ob carminis congruentiam (ſicut & in omnibus ferè hymnis, vbi nomen illud intexitur) eadem producitur. Nam iambum in ſecundo loco hic conſtituit, vbi pyrrhichius rectè poni nō poteſt. Nempe ſecutus eſt author vulgatum & communē grammaticorum vſum, producentium mediam ſupradictæ dictionis ſyllabam: qui tamen à probatiſſimorum authorum ſententia eſt alienus. At ipſe potius authoribus illis receptiſſimis accedendum cenſeo in carmine: ſeruato tamen in prolatione accentu ſuper penultima ſyllaba.

Philip. 2. 2 ¶ In ſecūdo verſu. Seruile corpus induit. Alludit hæc ſententia ad verbum beati Pauli in epiſtola ad Philippenſes ſecundo cap. dicentis de Chriſto. Qui cum in forma dei eſſet: non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem deo, ſed humiliauit ſemetipſum formam ſerui accipiens: & habitu inuentus vt homo. Itaque ſeruile corpus hic dicitur corpus humanum, quòd humana natura ſecundum ſe eſt ſerua & ſubiecta deo. Induit autem chriſtus hanc ſerui formam: vt carne ſua, carnem naturamq; humanam liberaret ab interitu & exitio mortis æternæ. Eodem quoque loco ſeculum pro hominibus in hoc mundo degentibus accipitur: quoniam in hoc ſeculo durationeq; temporali vitam agunt. 6 ¶ In ſexto verſu. Paruóque lacte paſt⁹ eſt. Id de Chriſto dicitur, quia exiguo virginalium vberum liquore lacteo eſt enutritus. Non enim indigent copioſa alimonia infantes recens nati. Per eum tamen nec ales, id eſt auis, eſurit: quoniam ſua prouidētia etiam volatilibus

cæli

cæli cibum congruum ſubminiſtrat, vt dicit pſalmus. Qui dat iumentis eſcam ipſorum: & pullis coruorum inuocantibus eum. Omnia enim ab illo expectant, vt det illis eſcã in tempore. Verùm ipſe lacte materno nutritus eſt: ſecundum humanitatem, & per eum nec ales eſurit, ſecundũ diuinitatis virtutem, omnibus ſapientiſſimè prouidentem. Reliqua hic adducta natiuitatis dominicæ ſacramenta, nunc latius non explicantur: quoniam ex euangelica lectione facile omnibus conſtant. Pſal. 146. Pſal. 103.

¶ IN NATIVITATE DOMINI: alius hymnus.

Agnoſcat omne ſeculum:
Veniſſe uitæ præmium.
Poſt hoſtis aſperi iugum:
Apparuit redemptio.

2 *Eſaias quæ cecinit:*
Completa ſunt in uirgine.
Annunciauit angelus:
Sanctus repleuit ſpiritus.

3 *Maria uentre cõcepit.*
Verbi fidelis ſemine.
Quẽ totus orbis non capit:
Portant puellæ uiſcera.

4 *Radix Ieſſe iam floruit*
Et uirga fructum ædidit.
Fœcunda partum protulit
Et uirgo mater permanet.

5 *Præſepe poni pertulit*
Qui lucis author extitit:
Cum patre cælos condidit:
Sub matre pannos induit.

6 *Legẽ dedit qui ſeculo,*
Cuius decẽ præcepta ſunt:
Dignando factus eſt homo
Sub legis eſſe uinculo.

7 *Adam uetus quod polluit:*
Adam nouus hoc abluit.
Tumens quod ille deiicit:
Humillimus hic erigit:

8 *Iam nata lux eſt & ſalus:*
Fugata nox, uicta et mors.
Venite gentes, credite:
Deum maria protulit.

¶ Præſens hymnus, iambicus eſt dimeter, vbique carminis illius leges exactè ſeruans: præter id quod in ſeptimo verſu bis ſecundo loco pyrrhichium habet pro iambo. Author eius: Fortunatus epiſcopus. Commendatur in eo filij dei miſericordia: quæ poſt grauem ſeruitutem humano generi contulit redemptionem, & ea compleuit quæ ante promiſerat.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Veniſſe vitæ præmium. Chriſtus hic præmium vitæ dicitur : quoniã merces eſt æternæ vitæ ijs qui diligunt eum. Hæc eſt(inquit euangeliſta) vita æterna: vt cognoſcant te ſolum verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et quod ipſi Abraham dictum eſt à deo. Ego protector tuus, & merces tua magna nimis: hoc omnibus Abrahæ filiis per imitationem: dei filius etiã repromittit. Neque id obſtat propoſito: quòd alio loco largitor præmij dicitur : nam ſeipſum iis qui piè viuunt dat in præmium: idémque & remunerans eſt & remuneratio. 2 ¶ In ſecundo verſu. Eſaias quę cecinit. Non putetur hic vitium ineſſe carmini: & ſecundo loco ſpondeus conſtitui: quoniam nomen Eſaias & cõſimilia nomina hebræa in ias deſinentia : apud probatos authores penultimã, habent breuem, vt Helias, Hieremia. Mantuanus. Helias ardenti cælum petiiſſe volatu. Idem. Non ita Hieremias docuit: nec Trachius Orpheus. Huiuſmodi tamen nomina in prolatione accentum ſeruant in penultima ſyllaba. Id ſanè potius carminis regulæ derogare videtur: quòd in dato carmine trocheus ponitur tertio loco, & in quarti verſus primo carmine ſpondeus in ſecũdo conſtituitur loco. 3 ¶ In tertio verſu. Maria ventre concipit. Hic non præteritum legendum eſt concepit, ſed præſens verbum concipit: conſimiliter in tertio carmine ſeptimi verſus, non deiecit, ſed deijcit eſt dicendum, ob legẽ carminis ſeruandam, quod in quarto loco nunquã admittit ſpondeum aut trocheum. Neque temporis præteriti ratio quempiam moueat: quoniam verba illa præſentia pro præteritis facile capi intelligũtur: ſicut & alia verba ibidem poſita, ſcilicet portant & erigit: accipienda etiã ſunt, vt præteritam faciant ſignificationem. Porrò quod eodem verſu dicitur verbi fidelis ſemine: in analogia intelligatur dictum, ad conceptum naturæ lege factum, in quo virtus requiritur ſeminaria patris. Illius autem vices egit in hoc virginali & ſingulari conceptu verbum ab angelo annunciatum: cui ſacrata virgo credidit & conſenſum præbuit. Itaque huiuſmodi verbum angelicum itidẽ & beatæ virginis reſponſum conſentientis angelo: fuit vt myſticum quoddã ſemẽ, cõceptionis operatoriũ. 4 ¶ In quarto verſu. Radix Ieſſe iã floruit. Alludit hoc loco ad illud Eſaiæ oraculum. Egredietur virga de radice Ieſſe: &

Ioan. 17. Gene. 15. Eſa. 11.

flos de radice eius aſcendet. Vbi per virgã de radice Ieſſe egreſſurã, accipitur ad literã ſacroſcta virgo Maria de ſtirpe Ieſſe (qui fuit pater ipſi⁹ Dauid regis) exorta, atq; de ꝓgenie Dauid deducta. Per florẽ verò qui aſcenſurus nũciatur de radice huius virgæ: intelligitur dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui de ſeipſo dicit in Canticis. Ego flos cãpi & lilium conuallium. Quod autem in ſecundo eiuſdem verſus carmine ſequitur, & virga fructum ædidit: de eadem virga Ieſſe poteſt intelligi: aut ſi mauis, de virga Aaron, quæ ſine terræ humore & fomento fronduit, floruit, & fructum protulit. Erat enim illa: typus & figura ſacroſanctæ virginis, quæ ſine humano cõmercio fructum toti mundo ſalutarem ædidit, ſuſceptamq; de cælo prolem fœliciter peperit. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Adam vetus quod polluit. Vetus Adam: primus eſt parens noſter, & primo à deo de limo terræ formatus, omnium hominum principium ſecundum carnem. Nouus autem Adam eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus, conceptus de ſpiritu ſancto, & nat⁹ ex Maria virgine: qui omnium hominum principium eſt ſecundum ſpiritum: & regenerationis ſecundum deum. Nam per ipſum ſalus mundi facta eſt: & ſaluatum genus humanum. Eſt autem vetus Adam, vt imago & figura, atque vt ait Paulus: forma futuri. Adam verò nouus: vt eius exemplar & veritas. Idcirco & in multis conueniunt adinuicem, & in multis diſcrepant: vt præclare deducit beatus Paulus quinto cap. ſuæ epiſtolæ ad Romanos.

Canti. 2.
Nume. 17.
Roma. 5.

¶ IN NATIVITATE DOMINI, alius hymnus.

1 *COrde natus ex parentis.*
Ante mundi exordium.
Alpha & ω cognominatus.
Ipſe fons & clauſula
Omnium quæ ſunt, fuerũt:
Quæque poſt futura ſunt
Seculorum ſeculis.

2 *O beatus partus ille:*
Virgo cum puerpera
Aedidit noſtram ſalutem:
Fœta ſancto ſpiritu.
Et puer redemptor orbis
Os ſacratum protulit:
Seculorum ſeculis.

3 *Pſallat altitudo cæli:*
Pſallant omnes angeli.

 Quicquid

Quicquid eſt uirtutis uſquã
Pſallat in laudem dei.
Nulla linguarum ſileſcat,
Vox & omnis conſonet.
Seculorum ſeculis.
4 *Ecce quẽ uates uetuſtis*
Concinebant ſeculis
Quem prophetarũ fideles
Paginæ ſpoponderant:
Emicat promiſſus olim.
Cuncta collaudent eum:
Seculorum ſeculis.
5 *Te ſenes & te iuuent⁹:*
Paruulorum te chorus.
Turba matrum uirginũq;,
Simplices puellulæ.
Voce concordes pudicis
Perſtrepent concentibus:
Seculorum ſeculis,
6 *Tibi Chriſte ſit cũ patre*
Hagioq; pneumati:
Hymn⁹, melos, laus pẽnis,
Gratiarum actio.
Honor, uirtus, uictoria,
Regnum æternaliter
Seculorum ſeculis. Amen.

¶ In carmine trochaico præſens hymnus contexitur: alcmanio & euripidio, alternatim currens. Eſt autem trochaicum carmen: in quo trocheus frequentius locum & ſedẽ occupat quàm alij pedes: locis imparibus vt primo & tertio trocheum ferè ſemper habens: locis verò paribus vt ſecundo & quarto etiam ſpondeum admittens. Alcmanium autem trochaicum, carmen eſt trochaicum tetrametrum acatalecticum: obtinens integros quatuor pedes, ita conſtitutos vt dictum eſt: cui neque deeſt neque ſuperfluit ſyllaba aliqua ad ſuam menſuram: ſed integra eſt & cõpleta. Euripidium verò: ita ab Euripide inuentore ſuo cognominatum (vt ferè omnia carmina: à primis ſuis authoribus nomina ſortiuntur) carmen eſt trochaicum tetrametrum catalecticum: complectens tres pedes, eodẽ ritu vt in ſuperiore carmine diſpoſitos, & vnam ſyllabam: quare deeſt illi ad quarti pedis complementum vna ſyllaba. Itaque vnuſquiſque verſus præſentis hymni: ſeptem complectitur carmina: quorum primum, tertium & quintum: eſt trochaicum alcmanium: ſecundum verò quartum & ſextum: trochaicum euripidium. Quibus præter morem cæterorum hymnorum ſimili metro compoſitorum: apponitur in fine cuiuſque verſus ſeptimum carmen, quod eſt trochaicum euripidium & in omnibus verſibus ſemper idem, ſcilicet ſeculorum ſeculis. Nempe alij hymni huic conſimi-

conſimiles in vnoquoque verſu ſolum ſex habent carmina trochaica: ſcilicet tria alcmania & tria euripidia, alternatim commixta: vt alcmania in locis imparibus diſponantur: euripidia verò in ſedibus & locis paribus. Seruatur autem in toto hoc hymno ſupradicti carminis regula ad vnguem, præterquam in poſtremo verſu: qui in pleriſque locis à recta lege exorbitat. Author eius Prudentius apud quem hymnus iſte, profuſior eſt & longe copioſior: vt perhibet Henricus Bebelius Inſtingenſis, vir vtique in humanioribus literis & cultioribus diſciplinis eruditiſſimus: quem in citandis hymnorum authoribus potiſſimum inſequor, nominatimque illos aſſigno peculiari expreſſione authores: quos ab eo nominatos inuenio in annotamentis illis quæ hymnos eccleſiaſticos collegit: quod nullum mihi commodius occurrat præſidiũ in re tam incerta diffinienda: vt pote quinam fuerint authores hymnorum. Attamen hic duntaxat adducuntur ij verſus. (At ſæpe alias) qui in vſu eccleſiaſtico ſolent adhiberi atque cantari. Exponit in eo Aurelius Prudentius duplicem Chriſti natiuitatem: vnam ſecundũ diuinitatem à deo patre, alteram ſecundum humanitatem à virgine matre: omnéſque inuitat ad eius laudes depromendas.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Corde natus ex parentis. Quæ ſpiritualia ſunt & intellectu alia, nobis corporalibus vix bene poſſunt niſi corporaliter & ſenſibiliter exprimi. Idcirco natiuitas illa æterna filij dei dicitur eſſe ex corde patris: vt inſinuetur eo loquendi modo eſſe ex propria & intima patris ſubſtantia, & non ab extrinſeco: quẽadmodũ impius oblatrabat Arrhius. Et hoc plane ex pſal. 44. depromptum eſt: dicente. Eructauit cor meũ verbum bonum. Secundum eandem ſententiã dicitur dei filius ex vtero patris genitus: cum ait pſalmus. Ex vtero ante luciferum genui te. Dicitur & filius ex ore patris prodiiſſe: cum inquit apud eccleſiaſticum. Ego ex ore altiſſimi prodiui: primogenita ante omnem creaturam. In eodem verſu. Alpha & ω cognominatus. Id ſumptum eſt ex Apocalypſi: vbi Chriſtus dei filius & verus deus, legitur ſemel & iterum de ſeipſo dicere. Ego ſum alpha & ω, principium & finis, primus & nouiſſimus. Quoniam enim alpha: prima eſt litera alphabeti græci, & omega magnum,

Pſal. 109.
Eccleſ. 24.

Apoc.1. poſtrema:per huiuſmodi extremas literas primam & no-
Apoc.22. uiſſimam:deſignatur ipſe omnium rerum eſſe principium & finis. Idcirco & hic dicitur eſſe fons id eſt origo omniũ & clauſula, id eſt finis & concluſio omnium, quod omnia claudat & finiat. 5 ¶ In quinto verſu. Te ſenes & te iuuẽtus. Omnem ſexum & ætatem hic inuitat ad concinendũ
Pſal.148. deo laudes: propemodum illud dictum pſalmi proponẽs. Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus: laudent nomẽ domini. Dicuntur autem hic puellulæ: tenere virgines & minuſculæ, deducitúrque id nomen à dictione puer: inde diminutiuum puellus, pro paruo puero: & puella atque puellula, pro virgine teneriuſcula. Porrò ſimplices puellæ dicuntur: quia ſine aſtu & dolo ſunt, columbinam ſimplicitatem præ ſe ferentes, quæ pergrata eſt deo & acce-
Prouer.10. ptiſſima. Qui enim ambulat ſimpliciter: ambulat confidẽ-
Mat.10. ter. Et monet nos dominus ſimplices eſſe debere ſicut columbas: id eſt ſine aſtutia & fraude.

¶ DE SANCTO STEPHANO.

Sancte dei pretioſe
Protomartyr Stephane:
Qui uirtute charitatis
Circunfultus undique:
Dominum pro inimico
Exoraſti populo.
2 *Tu cæleſtis primitiuus*
Signifer militiæ:
Veritatis aſſertiuus
Teſtis primus gratiæ.
Fundamenti lapis uiuus:
Baſis patientiæ.
3 *Saxo cæſus non mucrone:*
Per ſaxorum cuſpides
Corpus, membri paßione
Circuncidi præuides.
Ad decorem ſunt coronæ
Rubricati lapides.
4 *Tu cælorũ prim⁹ ſtratã*
Conſternis lapideam.
Tu per Chriſtũ hebetatã
Primus tranſis romphæã.
Primũ granũ trituratum,
Chriſti ditans aream.
5 *Tibi primum reſeratæ*
Cæli patent ianuæ.
Ieſum uides poteſtate:
Cui pugnans ſtrenuè.
Stans cũ patris maieſtate:
Tecum eſt aßiduè.
6 *Præſtãs gẽti perſequẽti*
Preces pro lapidibus:
Ne rependas te petenti
Lapides pro precibus.

Sed

Sed indulge piæ menti:
Pluſquã audet vocibus
7 *Fũde preces pro deuoto*
Tibi nunc collegio,
Vt tuo propiciatus
Interuentu dominus:
Nos purgatos à peccatis
Iungant cæli ciuibus.
8 *Gloria & honor deo:*
Qui te flore roſeo
Coronauit, & locauit
In throno ſydereo.
Saluet reos, ſoluens eos
Mortis ab aculeo. Amen.

¶ Trochaicus eſt hic hymnus, carmine alcmanio & euripidio alternatim decurrens, quemadmodũ præcedens: in hoc ſolo ab eo differens: quòd in vno quoq; verſu ſex tãtum carmina complectitur: & ex illis, quæ imparibus conſtituntur locis: alcmania ſunt, quæ verò parib⁹: euripidia. Attamen non ſeruatur vſquequaque in hoc hymno illius carminis lex & norma. nam interdum iambus, interdum verò pyrrhichius, pro trocheo collocatur: inuenitur nonnunquam & ſpondeus primo conſtitutus loco, contra huiuſce carminis rationem, & vocalis poſt vocalem ſine colliſione poſitio. In eo fit ad ſanctum Stephanum inuocatio, vt quemadmodum ex abundantia charitatis pro lapidantibus ſe orauit: ita & pro fidelium congregatiõe illi deuota dominum ſedulus deprecetur. Quamuis autẽ hui⁹ hymni primus verſus & ſeptimus duntaxat in officio eccleſiaſtico plerumque cantari ſoleant: quoniam tamen totus ampla depromit in victi martyris Stephani præconia, & præclaras ipſi⁹ dignitates, illã præſertim prærrogatiuã quod martyrũ omnium primiceri⁹ primariúſque fuerit: ipſum etiam totum non mancum neq; mutilatum hic inſerere, nobis conſilium fuit. Et certè dign⁹ eſt inſigniter cõmendari hic fortiſsimus Chriſti pugil qui in actis apoſtolicis tantoperè celebratur: dicitúrque nunc plenus ſpiritu ſancto & fide: nunc plenus gratia & fortitudine, nunc intentis in cælum oculis Chriſti viſione dignatus. *Actu. 6*

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Protomartyr Stephane. ꝓtomartyr, græcũ eſt vocabulũ: tantundem valẽs atq; prim⁹ teſtis. Protos enim, primũ ſignificat. Martyr verò teſtẽ: ſicut martyriũ ſignat teſtimonium. Sanè id nomẽ meritò aſcribitur ſanctiſsimo Stephano, quod poſt paſsionem domini & glorioſam eius in cælum aſcenſionem

nem, primus omnium mortem pro Chriſto pertulerit, & Chriſtianæ fidei veritatem ſui ſanguinis efuſione teſtifitus ſit. In eodem verſu circunfultus vndique. Circunfultus idem ſignificat quod circundatus adque circũquaque munit⁹. Formatur enim à fulcior verbo paſsiuo, quod ſuſtentari muniriq́ue ſignat, & ablatiuum poſtulat. Neq; circunfulſus hic legendum eſt, vt faciunt nonnulli, quoniam fulcio fultum habet in ſupino non fulſum. Et circunfulgeo facit quidem ſupinum circunfulſum: ſi modo habeat ſupinum: quoniam tamen verbum eſt neutrum: nõ format de ſe præteriti temporis participium. 2 ¶ In ſecundo verſu. Tu cæleſtis primitiuus. Dicitur hic beatus Stephanus primitiuus ſignifer militiæ cæleſtis, quoniam in candidato illo & purpurato martyrum exercitu qui cęleſtem in terris geſſerunt militiam, ipſe primus fuit dux & velut anteſignanus, ſacræq́ue illi⁹ & inuictæ cohortis vexillifer. Eadem quoque ratione dicitur teſtis primus gratiæ: quia inter omnes qui poſt reuelatam legem gratiæ & veritatem euangelicam ſua morte Chriſtum ſunt teſtificati, ipſe prim⁹ enituit. 3 ¶ In tertio verſu. Corpus mẽbri paſsione. Sicut in veteri lege fiebat circuncĭſio carnis cultro lapideo: vt Sephoram coniugem Moyſi feciſſe legimus, & deum ipſi Ioſue præcepiſſe, ita O ſancte (inquit) Stephane præuides & cognoſcis corpus myſticum Chriſti circuncidi ſpiritaliter per ſaxorum cuſpides: quaſi mucrones gladiorum, & id quidem: per unius membri illius corporis paſsionẽ & tormentum. Cum enim tuipſe (qui membrum eras tunc interris illius ſacri corporis, ꝙ eſt eccleſia fidelium) patiebare lapidum ictus: ſciebas ipſum totum corpus, huius modi iactu lapidum ſpiritualiter circuncidi, quoniam per hanc membrorum paſsionem & circuncĭſionẽ: ipſum totũ corpus in ſuis membris expurgatur ab omni ſorde, & redditur circunciſum domino.

Exod. 4
Ioſue 5

Ceterùm vt gemmæ inſeruntur coronis aureis ad ornatũ & ſplendorem: ita lapides, ait, O ſtephane tuo ſanguine rubricati, quibus ab impia Iudæorum turba es impetitus: ſunt ad decorem & ornamentum tuæ coronæ, qua nunc coronatus es in cælis.

¶ In

4 ¶ In quarto verſu. Tu cælorum primus ſtratam. Strata,æ: via eſt publica ſiue platea lapidibus conſtrata: quæ & ſtratum,i, dicitur. Virgilius. Miratur portus, ſtrepitúmque & ſtrata viarum. At ſicut materialis platea ex corporalibus cõſternitur lapidibus: ita & ſupernæ ciuitatis Hierusálem pauimentum ex viuis conſtruitur lapidibus, ſanctis ſcilicet qui in hoc mundo contuſi & perſecutionibus ſunt attriti. Et quoniam poſt glorioſam Chriſti aſcenſionem beatus Stephanus per martyrium primus cælos ſubiit: rectè dicitur hic, ipſe primus conſtrauiſſe viam cælorum lapideam. In eodem verſu. Tu per Chriſtum hebetatam. Gladium illum flammeum atque verſatilẽ, quo cherubin à domino collocatus ad cuſtodiendam viam paradiſi, armatus in Geneſi deſcribitur: hic vocat rhõpheã. per quam nihil aliud intelligere debemus: quàm præcluſum ante mortem Chriſti omnibus hominibus regni cælorum aditum atque introitum. Iſta autem romphæa fuit per Chriſtũ hebetata: quia paſsione ſua nobis paradiſum reſerauit, & in aſcenſione ſua cum ſplendido comitatu ipſum primus introiuit. Et quoniã beatus Stephanus poſt Chriſtum primus per martyrium ingreſſus eſt cælos: meritò hic dicitur primus illam romphæam intercipientem viã paradiſi tranſiſſe, hebetatã per Chriſtum. Porrò romphæa hic penultima ſyllaba breui ponitur & profertur: quam tamen probati & graues authores producunt, vt Mantuanus. Quam geris, aduerſas feriat romphæa cohortes, & ſignificat gladium. In eodem verſu. Primum granum trituratum. Granum tritici flagello contuſum in area, & excuſſa palea purgatum: rectè diſpoſitum eſt vt mittatur in horreum. Ita quiſque ſanctorum, ſpirituale eſt granum: flagello tribulationum & perſecutionum in hac mũdi area trituratum, & amota omni palea inquinamenti & ſordis mundanæ, ritè præparatum: vt in horreum cæleſtis patriæ mittatur. Proinde ſanctus Iohannes baptiſta teſtificatur de Chriſto, quòd permundabit areã ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum. Quia igitur beatus Stephanus primus poſt Chriſtũ flagello perſecutionis concuſſus, ſuum in hoc mundi ſtadio conſummauit curſum: iure hic dicitur eſſe primum granum trituratum.

Gene.3.

Matth.3.

5 ¶ In

5 ¶ In quinto verſu. Tibi primum reſeratæ. Id ex actis Apoſtolorum. vbi beati Stephani glorioſum deſcribitur martyrium, deſumptum eſt. Cum eſſet (ait Lucas) Stephanus plenus ſpiritu ſancto: intendens in cælum vidit gloriam dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis dei, & ait: Ec-
Actuum.7. ce video cælos apertos, & filium hominis ſtãtem à dextris virtutis dei. Stantem inquam, tanquam accinctum & paratum ad ferendum ſuo militi athletæque auxilium, qui tamen ſedere à dextris dei dicitur: tanquam conſummato labore viæ quieſcens in præmio, & iudiciaria poteſta-
Marci.16. te inſignitus à patre. 6 ¶ In ſexto verſu. Præſtans genti perſequenti. Oratio hæc deprecatoria innititur argumento à minori: habenti magnam perſuadendi efficaciã atque vim. Cũ O Stephane (inquit) præſtiteris turbæ Iudęorũ te atrociter perſequenti preces pro lapidibus: quos in te coniecerunt: poſitis enim genibus oraſti pro eis dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum, oramus ſuppliciter ne populo Chriſtiano te veneranti & votis aſsiduis colenti: reddas lapides (vltionem ſcilicet & vindictã: peccatis noſtris debitam) pro precibus quas tibi deuotè fundimus. Sed elargire & concede piæ menti tuorum famulorũ: etiam amplius quàm vocibus audeat poſtulare. Illud enim eximiæ eſt munificentię argumentum: ſi is qui rogatur plura elargiatur quàm ipſe petens audeat ab eo
Math.8. expoſcere. Ita enim Chriſtus bonorum omnium largitor
Luc.19. beneficentiſsimus: Centurioni pro puero ſuo paralytico roganti, ex affluentia ſuæ bonitatis reſpondit. Ego veniã & curabo eum, quo ille deinde ex humilitate deprecatus eſt. Idem Zachæo conſcenſa arbore dominum tranſeuntem videre cupio, dixit: Zachæe feſtinans deſcẽde: quia
Luc.23. oportet me hodie in domo tua manere, quòd ſanè ipſe Zachæus non fuiſſet auſus à domino poſtulare. Denique latroni in cruce oranti: Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum, reſpondit ex abũdantia miſericordię ſuæ. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo, longe plus illi pollicitus quàm ipſe petiuerat: aut expetere fuiſſet auſus. Decet autẽ ſanctos, dei famulos: largitatis & benignitatis diuinæ (ſicut & profectò ſunt) eſſe imitatores: Et ergo par eſt illos exemplo domini etiam plus elargiri opis & auxilij hominibus: q̃ auſint illi ex eis poſtulare.

8 ¶ In

8 ¶ In octauo verſu. Tibi nunc collegio. Collegiũ, congregatio eſt & conuentus hominum eidẽ muneri obeundo deſignatorũ, ſiue eccleſiaſtico, ſiue ciuili. Et deducitur à verbo collego, às, quòd à con & lego cõpoſitum, ſignificat aliquos ad idem officium exequendum ſimul legare ſiue mittere. Inde collega: qui alteri ad idem peragendũ mun' ſocius aſſignatus eſt & coadiutor. Hic verò collegium, pro congregatione & cœtu fideliũ accipitur.

DE SANCTO STEPHANO, alius hymnus.

1 Stephano primo martyri:
Cantemus canticum nouũ:
Quàm dulcis eſt pſallentibus:
Opem ferat credentibus.
2 Hic primus almo ſanguine
Chriſti ſecutus gloriam:
Viam ſalutis cæteris
Amore mortis præbuit.
3 Hic enim per apoſtolos:
Probatus in laude dei:
Vexilla mortis rapuit
Vt præferretur omnibus
4 O præferenda gloria:
O beata victoria.
Hoc meruiſſe Stephanum
Vt ſequeretur dominum.
5 Ille leuatis oculis:
Vidit patrem cum filio.
Monſtrans in cælis uiuere:
Quẽ plebs gaudebat perdere.
6 Iudæi magis ſæuiunt:
Saxáque prẽſant manib':
Coniurant ut occiderent:
Verẽdum Chriſti militem.
7 At ille cælum intuens:
Tradit beatum ſpiritum,
Pro perſequentum crimine
Præcem ſecundam dirigit.
8 Deus creator omnium:
Dimitte cæcis hoc malum.
Et hoc nefas quod aſpicis:
Indulge meis præcibus.
9 Præſta pater per filiũ:
Præſta per almũ ſpiritũ.
Cum his per æuum triplici
Vnus deus cognomine.

Carminis iambici dimetri ſpeciem & formã gerit præſens hymnus, non tamen eam exactè ſeruat. Nã nunc trocheum, nunc pyrrichium in tribus primis habet locis, nũc verò ſpondeum in ſecunda ſecunde: quod huiuſmodi carminis lex prohibet. Commendatur in eo inictus Chriſti athleta

athleta Stephanus: quòd ab Apoſtolis delectus fuit diaconus in viduarũ miniſterium, quòd primus martyrium pro Chriſto pertulit, quòd etiam cęlos apertos & gloriam dei in agone poſitus viderit, quòd denique pro perſecutorib' dominum exorauit. Quæ omnia, ex actis Apoſtol. capite ſexto & ſeptimo dilucida ſunt.

1 ¶ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Vexilla mortis rapuit. Qui in conflictu bellico vexillum gerit: omnes anteit, omniúmque primus aciem ſubit interritus. Ita ſacratus deo martyr Stephanus, velut anteſignanus, vexillifer & ſignifer: in candidato martyrum exercitu (qui ſanguine claras emiſere animas & deuicere tyrannos, vt canit Mantuanus) primum occupauit locum, omnéſque antecesſit. Idcirco mortis pro fide perferẽdæ vexilla rapuiſſe, præripuiſſéque dicitur. Siquidem (vt de eo canit eccleſia) ipſe ante alios imitator dominicæ paſsionis enituit. Mortem enim quam ſaluator dignatus eſt pro omnibus pati: hanc ille primus reddidit ſaluatori. 5 ¶ In quinto verſu. Vidit patrem cum filio. Dicet fortè quiſpiã: beatum Stephanum cum vidit cælos apertos duntaxat filium dei vidiſſe, quòd in actis Apoſtolicis de deo patre ab eo viſo non fiat expreſſus ſermo, verùm is intelligat cũ proteſtatur ſacer Stephanus ſe vidiſſe filium hominis ſtãtem à dextris virtutis dei: nomen dei ibi perſonaliter ſumi pro deo patre, & ergo illic etiam de patre mentionem haberi. Ad hæc cum dixerit dominus Philippo, qui videt me, videt & patrem meum, & Stephanus ſine controuerſia filium dei viderit: conſequens eſt ipſum & deum patrem vi-

Ioan. 14. diſſe. 6 ¶ In ſexto verſu. Saxáque prenſant manibus. Prenſant frequentatiuum eſt verbi prendo, dis, quod ſupinum habet prenſum, vnde formatur prenſo, as: quod arripere ſiue corripere ſignificat. Virgilius in Aeneide: Nituntur gradibus, prenſant faſtigia dextris. At verò alij legunt hoc loco. ſaxáque preſſant manibus: & etiam ſatis aptè, nam preſſare frequentatiuum verbi premo, is: comprimere manibus & ſtringere ſignificat.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Pro perſequentũ crimine. In hoc carmine perſequentum legendum eſt per quatuor ſyllabas, non perſequẽtium, per quinque, ne nimius excreſcat ſyllabarum numerus in eo carmine, qui octonarium non debet

debet excedere, niſi anapeſtus pro ſpondeo illic ponatur qui nonam adiiciat ſyllabam. Seruatur enim in toto hoc hymno cuique carmini ſuus ſylabarum numerus adamuſſim, etſi quantitas ſyllabarum non vſque adeo exacta habeatur ratio. In eodẽ verſu, & quarto eius carmine. Prçcem ſecundã dirigi aliqui hic ſecundam legũt: id eſt: proſperam ſalutarẽmque præcẽ illis qui per eã cõuerſi ſunt, & hi cũ carminis integritate ſatis etiam quadrant ſententiæ. Alij verò fœcundam dicũt: id eſt, fructuoſam & efficacem multis, qui per eam dono fidei illuminati ſunt. Et hi ſententię quidẽ congruentiam ſeruant, non autem carminis, nam ſpondeum ſecundo conſtituunt loco.

8 ℭ Porrò octauus verſus intelligendus eſt vt oratio à beato Stephano facta ad dominum: & exprimit carmine hanc eius poſtulationem. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum: quia neſciunt quid faciunt. 9 ℭ In nono verſu. Triplici vnus deus cognomine. Triplex cognomen, nuncupatur hic trium diuinarum perſonarum nomen: patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Eſt itaque vnus deus triplici cognomine: quoniam vnus eſt in eſſentia, & trinus in perſonis, quarum vnaqueque rectè denominatur deus. Nõ tamen idcirco ſolo nomine credat quiſpiam perſonas diuinas diſtingui, ſed ſingulari etiam diſcretione cum impio Sabellio, ſummæ trinitatis confundat perſonas: earúmque veram in ſingularibus proprietatibus tollat diſtinctionem. *Actum.7.*

DE SANCTO IOANNE euangeliſta.

1 *DE patre verbum prodiens,*
De matre corpus induens
Ioannis teſtimonio
Hoc erat in principio.

2 *Ioannes uirgo cæteris*
Dilectior apoſtolis:
Rogatus apud Epheſum
Conſcripſit euangelium

3 *Eructuans almo pectore*
Fluenta euangelica
Quæ hauſit in conuiuio
Paſſuro mundi domino.

4 *Aſcendẽs crucis arborẽ*
Commẽdat matrẽ uirginẽ
Ieſus, huic diſcipulo:
Vt ſuimet vicario.

5 *Vt virgo uiri neſcia*
Et caſtitatis conſcia:

Solamen uiri prouidi
Haberet dies ſeculi.
6 *Accepit uirgo uirginem*
Corruptionis inſciam.
Et par poſt Chriſtũ filius
Deſeruit integerrimus,
7 *Sancte Ioannes optime*
Abſolue noſtra crimina:
Vt mereamur liberi
Seruire ſummo principi.
8 *Præſta beata deitas:*
Indulge clemens trinitas.
Vt tibi caſto corpore
Famulemur omni tẽpore.
Amen:

Iambicus dimeter videtur hic hymnus, non tamen illius leges integrè obſeruat, quod tribus primis locis aliquando trochæum habeat, aliquando verò pirrichium: ſpondeum etiam ſecundo loco frequenter recipiat, contra huiuſce metri regulam. Explicãtur in eo prçclara beati Ioãnis euangeliſtæ præconia, vtpotè quòd de verbi dei coæternitate cũ patre ac diuinitate ſublimiter intonuit, prçter cæteros apoſtolos à domino dilectus eſt, euangeliũ rogatus ab Aſiæ epiſcopis ſcripſit: quod in cœna ſupra pectus domini recumbens hauſerat, quòd denique ſacratiſſimam dei matrem à Chriſto in cruce ſibi commendatam accepit in ſuam curam.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Ioannis teſtimonio in hoc hymno & cæteris omnibus quibus hoc nomen Ioannes inſeritur: ipſum ponitur vt triſſyllabum, & prima eius ſyllaba corripitur ſecundum vulgatũ & cõmunem grammaticorum vſum, qui tamẽ ab eruditorum & probatorum authorum diſsidet ſententia. Nẽpe hi eandem dictionem faciũt in carmine quadriſyllabã, per diæreſim diſſeparantes i, & o, & ex ſingulis vocalibus ſingulas conſtituentes ſyllabas. Inſuper eius primam ſyllabam ſcilicet i, corripiunt: ſecundam verò, vtputa o, producũt, vt Mantuanus. Quartus Ioannes aquila ſignatus, amictu fulget in albenti, mentóque & vertice canus. Sic in quarti verſus præſentis hymni tertio carmine, nomẽ Ieſus diſſyllabum ponitur, prima eius ſyllaba producta, ſicut & in cæteris hymnis quoties adducitur id nomen, ita collocatur ſecundum protritum & vulgatũ grammaticorũ vſum: à probatorum tamen authorum iudicio ac ſententia alienum, qui id nomen in carmine triſſyllabum faciunt, per

dierеſim

diæreſim diuidentes i, ab e, & ex ſingulis vocalibus ſingulas conficientes ſyllabas, quarum primam corripiunt, ſecundam verò producunt. Mantuanus. Strenuus indigenas populos abigebat Ieſus. 2 ¶ In ſecundo verſu. Rogatus apud Epheſum. Quemadmodum refert venerabilis Beda in homilia illius euangelij. Dixit Ieſus Petro, ſequere me, quod legitur in ſolennitate ſancti Ioannis euangeliſtæ: intra octauas natiuitatis domini. Cum beatus Ioãnes ob inſuperabilem euangelizandi conſtantiam eſſet à Domitiano Cæſare relegatus in Pathmos inſulam, irrumpentes in eccleſiam hæretici quaſi lupi in ouilia paſtore deſtituta Marchion Cherinthus, Hebion & cęteri, diuinitatem Chriſti blaſphemabant: oblatrantes ipſum, ſolum eſſe hominem, & ante Mariam non fuiſſe. Verùm occiſo Domitiano, beatus Ioannes à pio principe Nerua reuocat⁹ ab exilio, Epheſúmque regreſſus, ab omnibus penè tunc Aſiæ epiſcopis & multarum eccleſiarum legationibus rogatus eſt, vt de diuinitate Chriſti & coæternitate eius cum patre altius ſermonem faceret, euangeliúmque cõſcriberet: quo confutarentur impietates & veſana hæreticorũ dogmata. Quod ille non ſe aliter facturum reſpondit, niſi indicto ieiunio omnes ſimul dominum præcarentur, vt deo digna ſcribere poſſet. Et hoc pacto inſtructus reuelatione diuina, atque ſpiritus ſancti gratia illuſtratus: euangelium ſcribere exorſus eſt. In cuius initio, eructauit altiſſimum illud eloquium. In principio erat verbum, & verbũ erat apud deum: & deus erat verbum, hoc erat in principio apud deum. In quo & Chriſti filij dei aſſeruit deitatẽ ſimul & æternitatem: ipſiusq; à patre diſcretionem atque diſtinctionem. 4 ¶ In quarto verſu. Vt ſuimet vicario. Potius hic dicendum fuiſſet, ſi permiſiſſet carmen: vt ſuo ipſius vicario, aut quouis alio modo per pronomen ſuus. Nam ſui primitiuum, paſſiuam habet ſignificationem, neque apté iungitur huic nomini vicarius. Aut ſeruata carminis ratione legi poſſet: vt proprio vicario. Ita & in fine quinti verſus cum dicitur, haberet dies ſeculi, accuſatiuus temporis obſcurè admodum & durè adiũgitur verbo haberet, qui potius in ablatiuũ eſſet cõmutand⁹: hoc modo, haberet omni tẽpore, videlicet vitæ ſuæ in hoc mũdo degẽdæ. 8 ¶ In hoc octauo verſu. Famulemur oĩ tempore.

Ioannis 1

f Nonnul-

Nonnulli libri habent eo loco: ſeruiamus omni tempore; ſed id carmini non congruit. Alij legunt. lætemur omni tépore, ſed id præcedenti ſententiæ non reſpondet. Idcirco poſuimus reiecto vtroque dictorum verborum: illud verbum famulemur, quod rectè & carmini & ſententiæ cóuenit. Ita in primi verſus huius hymni ſecundo carmine, loco eius quod ferè omnes habent libri: corpus de matre induens, tranſmutato ſolum verborum ordine, ita legédum diſpoſuimus: de matre corpus indués, quòd hoc modo & lenior eſt prolatio: & recta carminis obſeruatio.

IN FESTO SANCTORVM innocentium.

1
SAluete flores martyrum:
Quos lucis ipſo in limine
Chriſti inſecutor ſuſtulit:
Ceu turbo naſcentes roſas.

2 *Vos prima Chriſti uictima*
Grex immolatorum tener.
Arã ante ipſam ſimplices
Palma & coronis luditis.

3 *Audit tyrannus anxius*
Adeſſe regum principem.
Exclamat amens nuncio.
Ferrum ſatelles arripe

4 *Mas omnis infans occidat:*
Scrutare nutricum ſinus.
Fra⁹ nequa furtĩ ſubtrahat
Prolem uirilis indolis.

5 *Transfigi tergo carnifex*
Mucrone diſtricto furens
Effuſa nuper corpora:
Animasq; rimatur nouas.

6 *O barbarum ſpectaculum.*
Vix interemptor inuenit
Locum minutis artubus:
Quo plaga deſcendat patens.

7 *Quid profuit tãtũ nefas?*
Inter coæui ſanguinis
Fluenta: ſolus integer
Impune Chriſtus tollitur.

8 *Sit trinitati gloria:*
Virtus honor uictoria.
Quæ dat coronam teſtibus
Per ſeculorum ſecula.
Amen.

Legem carminis iambici dimetri ad vnguem obſeruat hic hymnus, ſuúmq; nõ obſcurè refert ac prodit artificem ob elegantiã contextus & metri cõcinnitatẽ: vtpotè Aureliũ Prudentiũ, qui inter cæteras ſuas odas hymnũ ſuauiſſimum

mum cõpoſuit de epiphania domini:cuiusinitiũ eſt. Quicunque Chriſtum quæritis:oculos in altum tollite,illic licebit viſere:ſignum perennis gloriæ,ex quo præſens hymnus excerptus eſt,habetq; ſuos verſus omnes ſparſim illi inſertos:non tamen eodem prorſus ordine quo hic ſunt digeſti. Depromuntur autem in eo præconia ſanctorũ innocentium,quod beatorum Chriſti martyrum ſunt primitiæ & velut prima efflorentia:à truculento Herode in cunis ipſis & primo vitæ exordio pro Chriſto cæſi. Vnde arguitur maior ipſius perſecutoris crudelitas:quod in illos ferrum diſtrinxerit,quibus tenerior ætas parcẽdum ſuadet. 1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Quos lucis ipſo in limine. Non hic lumine legendum eſt,vt habent libri mendoſi:ſed limine quod primũ domus ingreſſum & quod ianuæ ſubijcitur ſignat,vt ſenſus ſit, ꝙ Chriſti perſecutor Herodes iſtos flores & primitias martyrum in ipſo vitæ introitu ſuſtulit:ſicut turbo, vẽtusq; violent⁹ decutere ſolet & ſuſtollere roſas primũ naſcentes. Et melius in quarto verſus huius carmine legitur naſcẽtes, quã florentes:vt nonnulli habẽt libri. Nã ſignificantior eſt & congruentior innocentiũ cõparatio ad naſcẽtes roſas quã florẽtes,ad ſignificandũ in vtriſque primũ ſubſiſtẽtiæ exordium. Prudentianus item codex hoc loco naſcentes habet:nõ florentes. 2 ¶In ſecundo verſu. Vos prima Chriſti victima. Plærique primũ huius verſus carmẽ habent. *Quid crimen* Herodẽ iuuat,quod quidem etiam eſt Prudentianũ:ſed non eo poſitum loco,vt ſententiæ ſequentis diſcrepantia oſtẽdit. Et illud ab ipſo Prudentio proximè præponitur primo carmini ſeptimi verſus præſentis hymni:cui ſententiæ affinitate aptè reſpondet. Idcirco carmine illo dimiſſo,ſecundum poſuimus integrum verſum ex quatuor carminibus cognatæ ſententiæ conſtantem:vt apud Prudentium ſunt diſpoſita. In eodem verſu. Palma & coronis luditis. Palma arbor in manibus & corona capiti impoſita:inſignia ſunt olim victoribus dari ſolita. Vnde & beatus Iohannes in ſacra Apocalypſi vidit ſanctos cæleſtis ciuitatis incolas:& coronis adornatos:& palmas geſtãtes manibus. Quoniã igitur ſancti innocẽtes, tyrãni victores fuere,& mũdo triũphato curſum hui⁹ vitę cõſummarunt:palma & coronis inſigniti hic deſcribuntur. *Apoc. 7.*

Appoſitè autem & accommodè, luditis hic dicit author, ad deſignandam infantilem eorum ætatem, quæ leuibus ludis gaudet & occupatur. 3 ¶ In tertio verſu. Exclamat amens nuncio. Ablatiuus ille à nuncium, ij, formatur, vel à nominatiuo nuncius, ij, vt ſignificat rem quę nunciatur. Vterque enim nominatiuus pro ea ſignificatione in vſu eſt probatorum authorum. Nuncio igitur. i. denunciatione Magorum, quod natus eſſet illis diebus rex Iudæorũ. 4 ¶ In quarto verſu. Mas omnis infans occidat. Id verbum, media correpta proferri debet, nam & neutrum eſt & à cado deducitur, ſignificatq; interire, perire, interfici: & vt ſententia & carmen ſatis oſtendunt. 5 ¶ In quinto verſu. Transfigit ergo carnifex. Hoc loco transfigit legẽdum eſt à trans & figo: id eſt traijcit & penetrat, non autẽ tranſigit (vt nonnulli codices inemendati habent) à trans & ago. Nam hoc verbum neque carmini neque ſententię quadrat. Mucrone diſtricto: gladio nudo, & vagina exempto. Nam mucro propriè cuſpidem ſignificat: & extremitatem teli, ſępius autem pro toto ſumitur telo & enſe. Effuſa nuper corpora: recens in lucem ædita ac partu emiſſa. Animas nouas: dudum vitam ſortitas. 6 ¶ In ſexto verſu. Minutis artubus: membris teneris & paruis innocentium. Plaga patens, vulnus latum & apertum. Tam parua (inquit) adhuc fuerunt puerorum corpora: vt vix inferẽdis vulneribus inueniri potuerit in eis locus. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Coæui ſanguinis: cruoris ſanctorum innocentium Chriſto coætanei. Nam ætate pares erant Chriſtus & ſancti innocentes, & inter inundationes ac ꝓfluuia ſacri illorum ſanguinis: ſolus Chriſtus liber euaſit. Nam angelico monitu ſubmotus eſt in Aegyptum.

Mat. 2.

1 ¶ IN EPIPHANIA DOMINI.

Hoſtis Herodes impie:
Chriſtum uenire quid times?
Non eripit mortalia.
Qui regna dat cæleſtia.
2 *Ibãt magi quã uiderant:*
Stellam ſequentes præuiã.
Lumen requirunt lumine:
Deum fatentur munere.
3 *Lauacra puri gurgitis*
Cæleſtis agnus attigit.
Peccata quæ non detulit:
Nos abluendo, ſuſtulit.

No

4 *Nouum genus poten-tiæ:*	5 *Gloria tibi domine:*
Aquæ rubeſcunt hydriæ.	*Qui apparuiſti hodie.*
Vinumq; iuſſa fundere	*Cum patre & ſancto ſpũ.*
Mutauit unda originem.	*In ſempiterna ſecula.*
	Amen.

¶Hic hymnus carminis iambici dimetri legibus aptè cõſtringitur: præter id quod in primi verſus primo carmine trochæus primo ponitur loco, & ſpondeusſecundo, quod vix in hoc metri genere admittitur. Eſt enim prima ſyllaba nominis Herodes: longa, vt apud Mantu. Iam ferus Herodes fato ſublatus: ad vndam raptus erat ſtygiam, ęterna cruciandus erynne. Author eius, Sedulius: qui præſentem hymnum continuo contextu annectit hymno natiuitatis dominicæ, A ſolis ortus cardine. prius expoſito, & poſtremo eius verſui inchoato ab elemento G. immediatè ſubnectit primum huius hymni verſum, incipientem ab, H, ſequitúrque in cæteris verſibus ſemper ordinem literarum alphabeti: cuique eorum primam præfigens pro ſua ſerie literam capitalem. Vnde & verſum habet propriũ reſpondentem literæ k. continuò ſequentem huius hymni ſecundum verſum, & alterum item proprium reſpondentem literæ. M, & ab ea, inchoatum: qui proximè ſequitur tertiũ huius hymni verſum. Sed quoniam neuter dictorum verſuum myſteria epiphaniæ domini complectitur (prior enim de ſanctis innocentibus mentionem facit: quem tamẽ interdum huic hymno adiectum vidiſſe me, memini, poſterior verò de Chriſti miraculis differit) vſus eccleſiaſticus illos duos verſus in huius diei hymno conſultò prætermiſit. Illos autem ambos verſus, quinimmò & totũ ipſum hymnum: ab vngue (vt aiunt) ad calcem vſque per literas alphabeti in capite verſuum, ab A, vſque ad Z, deductum, in calce expoſitionis huius hymni ponemus: quoniam digniſſimus eſt, & myſteriorum Chriſti refertiſſimus. Declarantur autem in hoc hymno tria hodiernæ diei ſacramenta, ſtellæ apparitio, Chriſti baptizatio, & aquæ in vinum conuerſio.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Chriſtum venire quid times. Non hic legendum eſt veniſſe: vt facerent, qui temporis rationem accuratius obſeruarent.

Nam ſpondeus tunc ſecundo in loco cõſtitueretur :quod prohibet huius carminis regula. Eripit,aufert , amouet. Non eſt tibi(inquit)ô Herodes iuſta ob Chriſti aduẽtum timendi cauſa. Nam non venit ipſe vt auferat tibi regnũ tuum temporale,quemadmodum ſuſpicaris & formidas: cum ipſe æterna & cæleſtia regna ſuis elargiatur.

2 ¶ In ſecundo verſu. Ibant Magi quam viderant. Magi hic non dicuntur:qui malefici ſunt & magicis vanitatibus ſortilegijsq; dediti,ſed qui ſapientia pollent & bonarum ſcientiarum ſtudio ſunt addicti. Eſt enim magus(vt ait Calepinus)dictio perſica:qua apud eos ſignificatur ſapiens. Sic nanque Perſæ Magos vocant:vt Græci: philoſophos. Latini:ſapientes. Galli:Dryudas. Aegyptij : prophetas ſiue ſacerdotes. Indi:gymnoſophiſtas. Et Aſſyrij: Chaldæos. Lumen:Chriſtum,qui eſt lumen ad reuelationem gentium. Lumine claritate ſtellæ, Magis apparentis. *Lucæ.2.*

3 ¶ In tertio verſu. Lauacra puri gurgitis. Lauacrum à lauando dictum eſt,& ſignificat balneum aut baptiſterium: quo quis commodè lauari poſſit. Sine aſpiratione autem in tertia ſyllaba ſcribendum eſt,& media longa proferendum:ſicut aratrum,ſimulacrum,ambulacrum. Detulit :cõmiſit,perpetrauit : nulla enim peccata admiſit Chriſtus, quæ baptiſmo ablueret:ſed noſtra ipſorum peccata eo lauacro abſterſit. 4 ¶ In quarto verſu. Aquæ rubeſcunt hydriæ: Hydria: vrna aquaria & capiendis aquis accommoda,vnde & nomen ſortitur:hydor enim græcè :aquam ſignificat,cum aſpiratione ſcribi debet,& y græco in prima ſyllaba:ſicut & omnia ab ipſo deducta nomina. Porrò vnda erat iuſſa vinum fundere:quando occulto diuinæ virtutis imperio iuſſa eſt in vinum conuerti. Et tunc ſuã mutauit originẽ vnda:quoniã prius & natura,erat aqua ,poſtea verò poteſtate diuina & ſupra naturam:in vinum eſt mutata. 5 ¶ In quinto verſu. Qui apparuiſti hodie. Hic quint⁹ verſus,adiectitius eſt ad claudendũ hymnũ:& gratias deo agẽdas ꝑ beneficio huic celebritati ꝓprio , quod eſt ipſius filij dei in carne apparitio,ſtella duce Magis exhibita,vnde & græcè dies iſte dicitur epiphania domini : id eſt ſupperapparitio ſiue manifeſtatio:quemadmodũ ait Hierony. Dies epiphaniorũ:græco ſermone ſic vocatur. Quod enĩ apud nos apparitionẽ vel oſtenſionẽ dicimus : Græ-

Greci epiphaniã vocant,hoc autẽ ideo:quia dominus no-
ſter hodie ſaluator apparuit in tenebris. Neque id ſolum *Matth.* 3
quando per ſtellã Magis eſt declaratꝰ, verumetiã quando
in Iordane baptizatus eſt à Ioanne: facta eſt eius manife- *Ioannis* 3
ſtatio per vocem paternam, & ſpiritum ſanctũ in colũbæ
ſpecie. Et quando in nuptiis mutauit aquã in vinum:facta
eſt diuinitatis eius oſtentio, & manifeſtauit (inquit euan-
geliſta) gloriam ſuã. Quæ quidem duo poſtrema myſte-
ria: eodẽ die(quo à tribus regibus adoratꝰ eſt)diuerſis ta-
men annis & interiecto multi temporis curriculo, perhi-
betur fuiſſe peracta. Porrò hic poſtremus verſus non eſt
Sedulij: ſed ab eccleſia pro more adiectus, & in ſecundo
carmine à legitima huius metri regula nonnihil aberrãs
vt facilè conſtat inſpicienti. Sed nunc totum Sedulij hym
num, vt promiſimus, exibeamus.

¶ SEDVLII PRAESBIYTERI
hymnus de Chriſto, ſuccintè ab incarnatiõe vſ-
q; ad aſcentionẽ, eius opera cõplectens.

1 A ſolis ortus cardine
ad vſque terræ limitem
Chriſtũ canamꝰ principẽ:
natum Maria virgine.

2 Beatus autor ſeculi
ſeruile corpus induit:
vt carne carnem liberãs
ne perderet quos cõdidit

3 Caſtæ parentis viſcera
cæleſtis intrat gratia.
venter puellæ baiulat
ſecreta quæ nõ nouerat.

4 Domus pudici pectoris
templũ repentè fit dei.
intacta neſciens virum
verbo concepit filium.

5 Enixa eſt puerpera
quẽ Gabriel prędixerat.
quẽ matris aluo geſtiens
clauſus Ioãnes ſenſerat.

6 Fœno iacere pertulit:
præſepe non abhorruit.
paruóque lacte paſtꝰ eſt
per quem nec ales eſurit.

7 Gaudet chorꝰ cæleſtium:
& angeli canunt deo,
palámque fit paſtoribus
paſtor creator omnium.

8 Hoſtis Herodes impie:
chriſtũ venire q̃ times?
non eripit mortalia:
qui regna dat cæleſtia.

9 Ibãt magi:quã viderant
ſtellã ſequentes præuiã.
lumen requirũt lumine:
deum fatentur munere.

10 Katerua matrũ perſonat
colliſa deflens pignora.
quorum tyrannus milia
chriſto ſacrauit victimã.

11 Lauacra puri gurgitis
cæleſtis agnus attigit.
peccata quæ non detulit.
nos abluendo:ſuſtulit.

12 Miraculis dedit fidem:
habere ſe deum patrem
infirma ſanãs corpora:
reſuſcitans cadauera.

13 Nouum genus potẽtiæ:
aquæ rubeſcũt hydrię.
vinúmq; iuſſa fundere
mutauit vnda originẽ.

14 Orat ſalutem ſeruulo
flexus genu Centurio.
credẽtis ardor plurimꝰ
extinxit ignes febrium.

15 Petrꝰ ꝑ vndas ambulat:
Chriſti leuatꝰ dextera.
natura quã negauerat:
fides parauit ſemitam.

16 Quarta die iã fœtidus:
vitam recepit Lazarus.
cunctiſq; liber vinculis
factus ſuperſtes eſt ſibi.

17 Riuos cruoris horridi
contacta veſtis obruit.
fletu rigante ſupplicis
arent fluẽta ſanguinis.

18 Solutus omni corpore
iuſſus repentè ſurgere:
ſuis viciſſim greſſibus
æger vehebat lectulũ.

19 Tũc ille Iudas carnifex
auſus magiſtrũ tradere
pacem ferebat oſculo
quam nõ habebat pect.

20 Verax datur fallacibus:
pium flagellat impius.
cruciq; fixus innocens:
cõiungitur latronibus.

21 Xeromyrrham poſt ſab.
quędã vehebãt corpori
quas allocutus angelus
viuũ ſepulchro nõ tegi.

22 Ymnis venite dulcibus
Omnes canamꝰ ſubditũ
Chriſti triũpho tartarũ
Qui nos redemit vẽditꝰ

23 Zelum draconis inuidi
& os leonis peſſimi
calcauit vnicus dei,
ſeſeq; cælis reddidit.

¶ In hoc hymno decimus verſus incipiens à litera K, nomen habet caterua ita ſcriptum: vt ſeruetur conſequentia literarum capitalium. Dictiones enim latinæ nunquã habẽt literam illam in fronte. Ita in 22. verſu eadem ratione prætermiſſa eſt aſpiratio in dictione hymnis: vt ille verſus ab y inchoaretur.

¶ DE EPIPHANIA DOMINI: alius hymnus.

1 *Quem non præualent propria magnitudine*
2 *Cæli, terræ atque maria amphiſepire:*
3 *De uirgineo natus utero ponitur in præſepio.*
4 *Vt propheticus ſermo nunciat: ſtant ſimul bos & aſinus.*
5 *Sed oritur ſtella lucida: præbitura domino obſequia.*

Quam

6 *Quam Balaam ex Iudaica orituram dixerat pſapia.*
7 *Hæc Magorũ oculos fulguranti lumine perſtrinxit prouidos.*
8 *Atq; ipſos præuia Chriſti ad cunabula perduxit inclyta.*
9 *Offerentes regi aurũ, thus & myrrham munera.*
10 *Ipſa ſed tamen myſticis nõ carẽt munera figuris.*
11 *Aurum ut regi: thus ut deo & magno offerũt ſacerdoti:*
12 *Atque myrrham in ſepulturam.*

Speciem hymni præfert hoc diuinæ laudis canticum: nullo tamen carminum genere (quod norim) continetur, neque certã obſeruat in verſibus ſuis quantitatẽ ſyllabarũ, neque certum earũ numerum quo determinetur. Idcirco proſę magis quàm hymno aſsimilatur hic cõtextus: Quoniam tamen inter hymnos ipſum annotatum offendi: eum hoc loco cæteris etiam hymnis inſerui. Verum vt propinquiorem habeat hymni imaginem & formam: ſeruata eadem ſententia ipſum in carmen hexametrum & pẽtametrum conſtrinxi, hoc modo.

1 Quem non terra capit, nec celſi regia cæli:
2 Nec mare diffuſa mole tenere poteſt.
3 Virgine de ſacra ſubiit præſepia natus:
4 Cui comites aſinus bóſque fuere dati.
5 Quam cecinit Balaam Iuda de ſtirpe futuram.
6 Ignea cæleſti ſtella decore micat.
7 Et rutilo fulgore Magos perfudit: & orti
8 Ad pueri cunas præuia duxit eos.
9 Hi tria ſupremo regi pretioſa tulêre
10 Munera: quæ nobis myſtica ſenſa notant.
11 Regia maieſtas auro, deus atque ſacerdos
12 Thure, ſed in myrrha ſignificatur homo.

Rurſum eandem ſententiam in modulationem ſapphicam (quòd in hymnis eccleſiaſticis frequentior ſit: & cæteris ſuauior) hoc modo digeſsi.

1 Quẽ ſuo tellus ſpatio tenêre,
tota nec cęli valet ãplitudo
hunc ſacræ nunquã violata matris
viſcera portant.

2 Nat⁹ ãguſtũ ſubiit cubile: & boui iũctas aſinóq; cũas,
vagit

vagit abiecto ſtabulo repo
rector olympi. {ſtus
3 Igne ſpectandam rutilã
te ſtellam
ſtirpe de Iuda cecinit futu-
ram
præſcius vates Balaã: quod
iſto
tempore factum eſt.
4 Solis hæc veri manife-
ſtat ortum
ſtella mirando renitens de-
core.
gloriam narrant domini co
ruſco
ſidere cæli.
5 Cuius exciti radio, ſed
intus
luce perfuſi meliore re-
ges,
offerunt Chriſto puero ſa-
crata
munera læti.
6 His ſacramentum coli-
tur triforme
thure monſtratur deitas: &
auro
regium ſceptrum. ſed odo-
ra ſignat
myrrha ſepulchrum.

Explicatur autem in hymno præſenti ſoluta oratione compoſito: Chriſti ſecundum carnē natiuitas, & ſtelle tribus regibus facta apparitio, cuius ductu venerunt ad incunabula Chriſti: & cum muneribus myſticis ipſum adorauerunt.

❡ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Atque Maria amphiſepire. Dictio illa ex grȩco componitur amphi, quod circum ſignificat: & latino verbo ſepire, quod eſt circundare. Ita amphiſepire: idem ſignat quod circum ſepire. Satius tamen fuiſſet: hoc loco dictionem hanc omnino latinam ponere, nam vix probatur ab authoribus cō poſitio græcæ vocis cum latina in eadem dictione: & admodū rara eſt. Porrò huius loci ſenſus eſt, quòd Chriſtus deus quem cælum terra & mare non poſſunt ſuis finibus & limitibus comprehendere, propter ipſius immēſitatem & infinitatem: ipſe natus de virgine reclinatus eſt in præ-

Eſaia.1. ſepio. In quarto verſu. Vt propheticus ſermo nunciat. Eſaias capite primo. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe domini ſui. Et Abacuc propheta. Domine

Abacuc.3. audiui auditū tuum & timui, conſideraui opera tua & expaui: in medio duorum animalium.

6 ❡ In ſexto verſu. Quam Balaam ex Iudaica. Siqui-

Num. 24. dem in libro Numeri dixiſſe legitur. Orietur ſtella ex Iacob, & cōſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab. Quæ quidem prophetia eſt ipſius Balaam, de futuro noſtri

ſtri ſaluatoris ortu ſecũdũ carnem ex ſtirpe Iacob. Proſapia: progenie, ſtirpe. Dicitur enim proſapia: multorum adinuicem ſuccedentium generis longitudo, ſiue ſeries in longum deducta.

7 ℭ In ſeptimo verſu. Præſtrinxit prouidos. Non hic perſtrinxit legendum eſt, vt habent libri incaſtigati: ſed perſtrinxit. Nempe perſtringere: eſt breuiter & ſummatim aliqua dicere aut ſcribere. Præſtringere verò eſt obtenebrare nimio fulgore, ſiue obtundere: vt cũ oculi nimia luce offundũtur aut aures nimio ſonitu reddũtur attonitæ. Lactantius: Horum pulchritudo ac nitor prçſtringit oculos. Et hæc ſignificatio: huic loco eſt conueniens. *Luc.2.* *Matth.2*

9 ℭ In nono verſu. Offerentes regi aurum. Regi: Chriſto, qui eſt rex regum & dominus dominorum, quẽ etiam coram Herode profeſsi ſunt eſſe regem Iudæorum.

10 ℭ In decimo verſu. Myſticis non carent munera figuris Myſticis figuris: ſpiritualibus ſignificationibus, ſecretiſque & occultis repræſentationibus. Dicitur enim myſticum: quod ſecretum eſt, & corporali forma aliquid ſpirituale ſignat: quemadmodum tria piorum regum dona.

IN EPIPHANIA DOMINI: ad completorium.

1 *NVncium uobis fero de ſupernis:*
Natus eſt Chriſtus dominator orbis
In Bethleem Iudæ. ſic enim propheta
Dixerat antè.

2 *Hunc canit lætus chorus angelorum:*
Stella declarat, ueniunt eoi
Principes, digno celebrare cultu
Myſtica dona.

3 *Thus deo, myrrham trocletem humando:*
Bracteas regi chryſeas decenti
(Dum colunt unum) meminere trino
Tres dare terna.

4 *Gloriam trinæ monadi canamus:*
Cum deo, diuæ genitæq; proli

Flamini

Flamini necnon ab vtroque fuſo:
Corde fideli. Amen.

Carminis ſapphici & adonici modulationem rectè tenet hic hymnus: præter id ſolū quòd in primi verſus tertio carmine loco dactili ponitur in tertia ſede antibacchius, ex duabus longis ſyllabis conſtans & tertia breui: cum aduerbium ſic, ſemper producatur: & in tertij verſus primo carmine poſt, m, literam finalem ponitur vocalis ſine ſynalœpha atque colliſione. Et cū, m, in fine dictionis ſit breuis: ibi trochei loco ponitur pyrrichius: contra regulam & formam carminis ſapphici. Deſcribitur in eo manifeſtatio & declaratio natiuitatis dominicæ: primū facta paſtoribus ab angelo, illis cuſtodiētibus vigilias no-
Luc.2. ctis ſuper gregem ſuum, cū lumine cæleſti apparente. Fa-
Matth.2. cta etiam magis per nouam ſtellam perlucidā: quæ ipſos ab oriente perduxit ad incūnabula pueri nati. quem procidentes adorauerunt, & eidem tria myſtica munera obtulerunt: vt euangelica lectio narrat diffuſius.

1 ℂ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nunclum vobis fero. Hæc intelligātur eſſe verba angeli ad paſtores: nunciantis illis ortū Chriſti in terris & dicentis: Ec-
Luc.2. ce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie ſaluator mūdi qui eſt Chriſtus dominus, in ciuitate Dauid. Quòd autem propheta prædixerit Chriſtum in Bethleem Iudæ naſciturū: conſtat ex reſponſo principum ſacerdotum, & ſcribarum
Matth.2. populi, dato Herodi regi ſciſcitāti ab eis vbi Chriſtus naſceretur: qui illud Micheæ oraculum protulerunt in teſtimonium. Et tu Bethleem terra Iuda: nequaquam minima
Michea.5. es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux: qui regat populum meum Iſrael. Porrò in tertio huius verſus carmine faciēda eſt ſynæreſis, duarúmque ſyllabarum in vnam conglutinatio: propter prioris vocalis colliſionem in hac dictione Bethleem, quę etſi triſyllaba ſit, & ita ſcribi ac pferri debeat, per duplex ſcilicet, e: tamen in metiendo carmine debet diſyllaba poni: ſicut in hac dictiōe cui & huic id frequenter vſu venit: & in hac dictione deinde, apud Virgilium in hoc carmine. Incipe Dameta: tu deinde ſequere

quere Menalca. 2 ¶ In ſecundo verſu. Hunc canit lætus chorus angelorum. Canit: laudat & cæleſti cantu prędicat, atque concelebrat: cum ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis: laudantium deum atque dicentium. Gloria in altiſsimis deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Eoi autem principes: dicuntur reges orientales. Nam vt dicit Matthæus Magi ab oriente venerunt Hieroſolymam. Siquidem eous, a, um, idem eſt quod orientalis, aliquid ve ad orientem pertinens: & primā ſyllabam habet indifferentem apud authores probatos. In hoc autem loco: ſecundū carminis exigentiam habet primam breuem. Cæterùm in tertio carmine huius ſecundi verſus dicendum eſt: digno celebrare cultu myſtica dona: vt celebrare cum accuſatiuo & ablatiuo (quemadmodum ſua fert natura) ponatur. Quare qui dignū celebrare cultum dicūt, aut dignum celebrare cultu: perperam id carmen proferunt, neque rectam ex eo poſſunt colligere ſententiam. 3 ¶ In tertio verſu. Thus deo: myrrham trocletē humando. Omnes illi datiui & accuſatiui in hoc verſu poſiti: ordinantur cum verbo dare, ad quanque earum ſententiarum repetēdo: vt hic habeatur ſenſus. Principes eoi meminere dare thus deo: quia in thure (quo fit deo ſacrificium) ſignabant eius diuinitatem: meminerunt etiam dare myrrham trocletem, id eſt rotundā, ipſi Chriſto humando: id eſt ſepeliendo: quia per myrrham ſignabant eius ſepulturam: & quòd mortalis eſſet homo, myrrhāque (cum tumularetur) condiendus. Inſuper meminerūt dare bracteas chryſeas, id eſt laminas aureas ſiue aurum ipſi Chriſto, regi decenti: quoniam per aurum quod obtulerunt: ſignabant in Chriſto regiam maieſtatem: ſolet enim regibus aurum pendi in tributū. Et ita dum illi principes eoi colunt & venerantur vnum Chriſtū ſecundum numerum & rem, ipſi tamen tres heroes (nam totidē eſſe leguntur Magi: qui Chriſtum ſtella duce inuentum adorarunt) meminerunt dare terna munera aurum, thus & myrrham: ipſi Chriſto trino, ſecundum rationem: id eſt habenti triplicem ſortem atque conditionem, ſcilicet regi, deo & homini mortali. At quoniam verſus iſte: ſcaber admodū eſt & obſcurus, vt ordine grāmaticali fere opus fuerit ad aperiēdam ſententiam: nonnulla vocabula difficiliora

L
M

ficiliora cognitu,inibi poſita ſunt paucis aperiēda. Quorum primum eſt:trocletem.Id nomen accuſatiuus eſt ſingularis & adiectiuus,ad ſubſtantiuum myrrham ordinatus:veniens (quantum coniectare poſſum & percipere) à nominatiuo trocles , etis , ſicut teres facit genitiuum terretis, & hebes hebetis,penultima genitiui correpta. Significat autem id nomen:idem quod rotundus: nā formatur(vt ſimilitudo vocis facit coniecturam)à nomimine primitiuo troclea: quod inſtrumētū eſt in orbiculis (vt ait Calepinus) ad ſubleuāda & deprimēda onera:vel rotula ex ligno vel ære:quibus aquas haurire ſolemus fune ductario vel hydria. Et quoniam huiuſmodi inſtrumētum quo ſaxa,aquæ,ligna , marmora , & ſimilia id genus ſurſum ducuntur:rotundū eſt & volubile,hinc trocles dicitur,quod rotūdum eſt. Quare autem myrrham ſpeciem aromaticam apprimè notam vocet hic trocletem & illo denominet epitheto:non ſatis mihi(vt verum fatear)cōſtat:proinde id aliis perquirendū relinquo. Secundo loco bracteas elucidandum vocabulum eſt: quod accuſatiuus eſt pluralis à nomine bractea,æ,ſignificat autem bractea laminam auri,argenti, alteriúſve metalli tenuem, & ſua ſponte plicabilem,quæ crepitat:vnde à reſonādo nomen accepit. Virgilius. Ilice ſic leui crepitabat bractea vento.Inde bracteola diminutiuum.

Tertio denique loco, chryſeas adiectiuum : à chryſos primitiuo proficiſcitur,quod aurum ſignificat. Inde chryſolithus:lapis aureo colore refulgens, & chryſoſtomus, os aureū,& chryſopaſſus: lapis aureis guttis aſperſus, ita & chryſæus,a,um hinc formatū eſt:ſicut ab auro deducitur aureus. Bracteas ergo chryſeas intricato & inuoluto loquēdi genere dixit author,quod apertius dicere poſſumus aurea munera,aut fruſtra auri.

4 In quarto verſu. Flamini necnon ab vtroque fuſo. Ita legendum eſt tertium poſtremi verſus carmen,& non eo modo:flamini ſacro ab vtroque fuſo, vt nonnulli habent libri,ne vocalis continuo vocalem in diuerſis dictionib⁹ ſequatur. Datum autem carmen tertiam in ſuperſancta trinitate exprimit perſonam,ſcilicet ſpiritum ſanctum, à patre & filio incomprehenſibiliter procedentē,qui in hymnis ſæpe flamen,id eſt ſpiramen appellatur,deducitúrque
id

id nomē verbale à flo,as, flare flatūq; ſigna. Porrò in ſecundo huius verſus carmine, nomen deo, diſcretè ſumptū & perſonaliter: deum patrem nobis inſinuat, qui ſępe in ſcripturis nomine dei innuitur, vt cū dicit Paulus ad Galatas. Miſit deus filium ſuum factum de muliere: factū ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret. Et cum Chriſtus dicit in euangelio. Sic deus dilexit mūdum, vt filiū ſuum vnigenitum daret, & multis aliis in locis. Demùm ablatiuus ille, corde fideli, cum ablatiuo canamus ordinandus eſt, quod præcipuum eſt totius ſententiæ illo verſu comprehenſæ verbum. Gala. 4. Ioan. 3.

IN EPIPHANIA DOMINI: alius hymnus.

1

A Patre unigenitus:
Ad nos uenit per uirginem:
Baptiſma cruce cōſecrās:
Cunctos fideles generans:
2 *De cælo celſus prodiit:*
Accepit formam hominis.
Facturam morte redimens:
Gaudia vitæ largiens.
3 *Hoc te redēptor quæſumus:*
Illabere propitius.
Clarumq; noſtris ſenſibus
Lumen præbe fidelibus.
4 *Mane nobiſcū domine:*
Noctem obſcurā remoue.
Omne delictum ablue:
Piam medellam tribue.
5 *Quē iā ueniſſe nouim⁹:*
Redire item credimus.
Tu ſceptrum tuum inclytū
Tuo defende clypeo.
6 *Gloria tibi domine:*
Qui apparuiſti hodie.
Cū patre & ſācto ſpiritu:
In ſēpiterna ſecula. Amen.

Pręſens hymnus, carminis iābici dimetri ſpeciē præfert: non tamen exactè ſeruat eius legē, & formā, ꝙ ſecūdo loco nunc ſpondeū admittat nūc pyrrhichium, interdū etiā vocalem ante vocalē in diuerſis dictionibus ſine colliſione recipiat, contra illius carminis morem & regulam.

Cōmēdatur in ipſo beneficiū incarnationis filij dei pro redēptione mundi exhibitum, & myſteriū ſacramenti baptiſmi à Chriſto conſecratū eodem die (vt omniū eſt ſentētia) reuolutis triginta annis, quo fuerat ſtella duce à Magis adoratus & myſticis donatus muneribus. Demùm ad eundē dirigitur oratio, vt ſuo lumine ſpirituali nos illuſtret, ſuáque protectione muniat.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Baptiſma cruce conſecrans. Dicitur hic Chriſtus baptiſma cruce conſecraſſe: quanuis ipſum ſuſceperit à Ioanne, amplius quàm biennio ante crucis horam & paſsionem ſuã: & ſuſcipiendo cõſecrauerit ipſum & ſanctificauerit, quoniam ex morte Chriſti in cruce tolerata: ſuſcepit ipſe baptiſmus ſuam virtutem & efficaciam: quemadmodum & alia ſacramenta eccleſiaſtica nobis in peccatorum medellam diuina bonitate indulta. In cuius rei argumentum, ex latere domini noſtri lancea militari poſt mortem aperto: exiuit ſanguis & aqua. Sanguis inquam in preciũ repemptionis noſtræ, & aqua in ablutionem peccatorum noſtrorum: lauacro ſanctæ regenerationis præſtandam. Et hoc baptiſmalis ſacramenti munere Chriſtus cunctos fideles generat, quinimmò regenerat ex aqua & ſpiritu ſancto: non quidem natiuitate ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, qua efficimur filij dei, filij adoptionis & regni. De qua generatione conteſtatur ipſe dominus Nichodemo. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto: nõ poteſt introire in regnum dei. 4 ¶ In quarto verſu. Mane nobiſcum domine. Hæc oratio deprecatoria, ſumpta videtur ex eo verbo duorum diſcipulorum tendentium ipſo die reſurrectionis dominicæ in caſtellum Emaus: ad Chriſtum, cum finxit ſe longius ire. Mane nobiſcum domine: quoniã adueſperaſcit & inclinata eſt iam dies. Quę ſane deprecatio à nobis quoque quotidie eſt deo porrigẽda: vt maneat nobiſcum in æternum cuſtos & protector noſter: quoniam adueſperaſcit iã vita noſtra, & inclinata eſt eius dies per mortis viciniam: quantumcunque florẽs nobis adhuc ſit ætas, viridiiſque iuuẽtus. Neſcimus enim: qua die & hora hinc properare debeamus, & præſentis vitæ curſum terminare. Petimus & in eodem quarto verſu noctem obſcurã, peccatorum ſcilicet & iniquitatis: remoueri à mentibus noſtris per clarum lumen gratiæ diuinæ quod nobis infundatur. Sola enim illa nox, eſt noxia animæ noſtræ, & exitialis: nõ ea, quàm cæli motus alternis vicibus adducit, cum ſolem noſtro ſubtrahit orbi.

Matth. 3.
Ioan. 19.
Ioan. 3.
Luc. 24.

5 ¶ In quinto verſu. Tu ſceptrum tuum inclytum. Glorioſum Chriſti ſceptrũ de quo præſens agitur ſermo: eccleſia eſt fidelium & cœtus credẽtium in Chriſtum, ſuper

quos

quos ſpirituale obtinet regnum atque dominum: hic nomine ſceptri deſignatũ, quemadmodũ ipſe Chriſtus pſalmo ſecundo dicit. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo: ſuper Sion mõtem ſanctum eius. Hoc autem ſceptrum & inſigne & præclarum, petimus hic defendi clypeo diuinę protectionis & virtutis, ne ipſum hoſtiliter inuadat aduerſarius noſter, & in terrã ꝓſtratũ cõfringat, quoniã niſi dominus cuſtodierit ciuitatẽ: fruſtra vigilat qui cuſtodit eã. Pſal. 2. Pſal. 126.

SABBATO ANTE DOMINICAM SEPTUAGESIMÆ: AD VESPERAS.

Halelu ia dulce carmen:
Vox perennis gaudij.
Halelu ia uox ſuauis
Eſt choris cæleſtibus.
Quã canunt: dei manẽtes
In domo per ſęcula.

2 *Halelu ia læta mater*
Conciuis Hieruſalem.
Halelu ia uox tuorum
Ciuium gaudentium.
Exules nos flere cogunt
Babylonis flumina.

3 *Halelu ia non meremur*
Nunc perenne pſallere
Halelu ia nos reatus
Cogit intermittere.
Tempus ĩſtat: quo peracta
Lugeamus crimina.

4 *Vnde laudando precamur*
Te beata trinitas:
Vt tuum nobis uidere
Paſcha des in æthere.
Quo tibi læti canamus
Halelu ia iugiter.
Amen.

Præſens hymnus carmine trochaico cõtexitur: in vnoquoque verſu ſex carmina complectens, quorum primũ tertium & quintum, alcamia ſunt. Secundum verò, quartũ, & ſextũ: euripidia. Quid autẽ trochaicũ dicatur carmen, quid alcmanium, & quid euripium, ex annotatis circa expoſitionẽ hymni. Corde natus ex parẽtis, ante mũdi exordiũ: iam euaſit perſpicuũ, cui præſens hymnus in cõpoſitione propemodum aſsimilatur, eo ſolo ab ipſo diſcrepans, quòd in vno verſu hic hymnus ſex tantum carmina complectitur, tria trochaica alcmania, & tria eiuſdẽ generis euripidia alternatim commixta. Commendatur autem in eo dulce illud carmen & canticum lætitiæ Halelu ia, quod ſancti deo aſsiduè canunt in regno cœleſti, ſupernáque ciuitate Hieruſalem, quódq; ex inſtituto ec-

cleſiaſtico nunc inſtante ſeptuageſima vſque ad proximū paſchę feſtū intermittere cogimur. Demùm oratio ad deū dirigitur: vt nos tandem ad ſocietatem illam cæleſtium ciuium perducat, vbi continuè illi ſuaue illud canticum modulemur.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Halelu ia dulce carmen. Hæc dictio Halelu ia, ſecundū peritos Hebraicæ linguæ duas in ſe continet diſtinctas dictiones. Quarum prior tres habet ſyllabas, & aſpirationē in principio: atque in ſecūda ſyllaba ſimplex, l, ſicut & in tertia, hoc modo Halelu. ſignificáque tantundem atque laudare. Secunda verò dictio apud Hebræos vnius eſt ſyllabæ: quòd in ea i & a coadunantur in vnam ſyllabam, coniunctímque proferūtur hoc modo, ia, ſignificátq; dominū: nam illic: dei nomen eſt. Quare totum id vocabulum Halelu ia: perinde ſignificat, atque laudate dominū, & in vno quoque huius hymni loco quoties reperitur: quadriſyllabum proferri debet, ſiue in carmine alcmanio cōſtituatur: quod ſolum octo ſyllabas debet continere, ſiue in carmine euripidio: quod ſeptem tantum ſyllabas ſuo cōtextu cōplectitur. De huius autē dictionis Halelu ia cōpoſitione & ſignificato: latior fiet ſermo in ſecundo huius operis libro, vbi de horarum eccleſiaſticarum numero ac denominationibus ſuſcipietur determinatio. At verò illa vox Halelu ia dicitur hoc loco eſſe vox ſuauis choris cæleſtibus: nā incolę cæleſtis illius ciuitatis (de quibus dicit pſal.
Pſal.81. Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabūt te) illam diuinæ laudis vocem iugiter perſonant: quemadmodum in ſuo cantico perhibet Thobias
Thobię.13. ſenior: Ex lapide (inquit) candido & mundo, omnes pla-
Apoca.19. teæ eius ſternentur: & per vicos eius Halelu ia cantabitur. Et in ſacra Apocalypſi ait Ioannes. Poſt hæc audiui quaſi vocem magnam tubarum multarum in cælo, dicentiū: Halelu ia. Laus & gloria & virtus: deo noſtro eſt. Et paulopoſt eadē dictio in eo loco ſemel & iterū repetitur.

2 ¶ In ſecundo verſu. Exules nos flere cogunt. Alludit hæc particula ad illud verbū pſalmi cēteſimi triceſimi ſexti. Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus:
Pſal.136. dum recordaremur tui Sion: quod licet ad literam exprimat luctum ſynagogæ ob captiuitatem Babylonicam factam

ctam ſub Nabugodonoſor : ſecundum myſticum tamen ſenſum innuit ſuſpiria & gemitus fidelium in hoc mundi incolatu ſubſiſtentium, & ad cæleſtem Hieruſalem anhelantium. Nempe per Sion : intelligitur illic ſuperna beatorum ciuitas: per Babylonem: præſens mundus confuſionis refertiſsimus. Per flumina Babylonis mutabilitas & inſtabilitas bonorum huius mundi accipitur. Quibus cū ſe fidelis populus implicatum cernit & detentum: deſiderio ſupernæ regionis inardeſcens : pias continere non poteſt lachrymas, quibus ſuum deploret exilium. Dicitq; cum propheta. Hei mihi: quia incolatus meus prolongatus eſt. Et rurſum : Quando veniam, & apparebo ante faciem dei? Pſal.119. Pſal.41.

3 ℭ In tertio verſu. Halelu ia nos reatus. Toto tēpore intermedio à quinquageſima vſque ad paſcha proximè ſequens : ſancta eccleſia prætermittit illud canticum lætitiæ : vt luctum pœnitētiæ pro expurgandis peccatis aſſumat: & ſeptuaginta ferè dierum curriculo : referat captiuitatem illam Babylonicam ſeptuaginta annorum: inſuper eodem temporis decurſu exprimat totum præſentis vitæ noſtræ ſpatium : quo verſamur in exilio cæleſti illa ciuitate extorres, ad quam tendere laboramus per pœnitentiam & luctum: pro peccatis noſtris aſsiduè agendū Et ergo rectè dicit hic verſus in principio, quòd prohibemur hic Halelu ia perenne canere : quoniam vetamur ex eccleſiaſtica ſanctione illam diuinæ laudis vocem in officio eccleſiaſtico, ſupradicto tempore decantare, ſed eius loco ſubiungit eccleſia catholica: in ſingularum horarum canonicarum officio poſt ſummæ trinitatis præconium ac celebrationem, Laus tibi domine : rex æternæ gloriæ. 4 ℭ In quarto verſu. Vt tuum nobis videre. Paſcha hæbreum nomen, tranſitum ſignat, quod alio nomine apud Hebræos phaſe dicitur: & ſolennitatem illam Hæbreorum ſignat qua commemorationem facere ſoliti erant quotannis (cum lex ipſorum adhuc licitè obſeruabatur) illius tranſitus : quo dimiſſa Aegypto tranſierunt patres eorum mare rubrum, à Pharaonis ſeruitute liberati. Apud Chriſtianos autem, idem nomen, dominicæ reſurrectionis celebritatem ſignifi-

cat:qua à morte ad vitam, à captiuitate in libertatem, omnes tranſlati ſumus: per viuificã Chriſti mortem ac paſſionem. Demum aliud eſt paſcha longe cælebrius feſtum, in regno cælorum ſine intermiſsione peragendum: poſt factum tranſitum à morte ad vitam, ab exilio in patriam, à tenebris in lucem perpetuam. Et iſtud diuinum paſcha: petimus hoc loco nobis demùm concedi, vt aſsiduè deo canamus Halelu ia, quemadmodum poſt peractam quadrageſimam, præſentis vitæ ac peregrinationis ſymbolũ: eccleſia ſancta quotannis lætum reſumit idem canticum, frequentérque in ſuo officio ingeminat.

DOMINICA IN SEPTVAgeſima.

1 Dies abſoluti præter-
eunt:
Dies obſeruabiles redeunt.
Tempus adeſt ſobrium:
Quæramus puro corde do
minum.

2 Hymnis & in confeſ-
ſionibus
Iudex complacabitur do-
minus.
Non negat hic ueniam:
Qui uult ut homo quærat
gratiam.

3 Poſt iugũ ſeruile Pha-
raonis.
Poſt catenas dire Baby-
lonis.
Liber homo patriam
Quærat cæleſtem Hieroſo
limam

4 Fugiam⁹ de hoc exilio:
Habitemus cum dei filio.
Hoc decus eſt famuli:
Si ſit cohæres ſui domini.

5 Sis Chriſte nobis dux
huius vitæ:
Memento quòd ſũmus o-
ues tuæ.
Pro quibus ipſe tuam
Paſtor ponebas morte a-
nimam.
Gloria ſit patri & filio:
Sancto ſimul honor para-
clito.
Sicut erat pariter
In principio & nunc &
ſemper.
Amen.

In tribus cuiuſque verſus carminibus, primo, ſecundo & quarto, præſens hymnus formam habet carminis iambici quinarij: quod quinque conſtans pedibus: omnibus in locis iambum admittit, vt principatum eo in metro tenentem

tem. In imparibus tamē locis, primo, tertio & quinto, recipit interdum ſpondeum, & in quinto etiam trocheū vel pyrrhichium. In locis verò paribus ſecūdo & quarto: ſolum iambum ſuſcipit. Verùm præter numerū ſyllabarum in ſupradictis carminibus ſingulorum verſuum: nihil ferè legis illius metri hic obſeruatur. Nam promiſcue pedes omnes diſſyllabi nunc ſpondeus, nunc pyrrhichius, nunc trocheus, nunc iambus: omnibus in locis ſine delectu ponuntur. Quare hymnum hunc merito ametrū vocari licebit: quòd non exactam ſeruat pedum ſuorum mēſuram neque ſtationem. At verò tertium cuiuſque verſus carmen eſt pentimeris heroica atque dactylica: ꝙ quinque pedum carminis heroici medietatem complectatur, vtpotè duos dactylos cum ſyllaba ſuper creſcente, quę tertij pedis medietatem conſtituat. Veruntamen in eo carmine dactylico primi verſus: ſecundo loco pro dactylo collocatur, antibacchius conſtans ex duabus primis ſyllabis longis & tertia breui: quòd ſobrius primam habeat natura productam & nunquam correptam. Continet autem hymnus iſte exhortationem ad amplectendam pœnitentiam: ob tempus abſtinentiæ & ieiuniorum quod aduenit: in quo poſt iugum peccati vitámque diſſolutiorem: debemus deum precibus, votis & ieiuniis placare.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Dies abſoluti prætereunt. Dies abſoluti hic dicuntur: in quibus liberior permittitur ex inſtituto eccleſiæ victus, ſcilicet lacticiniorum & carnium: neque ieiuniorū imponitur obſeruatio, quale tempus eſt extra ſeptuageſimam. Dies verò obſeruabiles hic nuncupantur, in quibus ex ſanctione eccleſiaſtica arctior eſt & diſtrictior diſciplina victus, ieiuniorúmque obſeruatio exactior, quale eſt tempus poſt inchoatam ſeptuageſimam, præſertim quadrageſimale, in quo non modo carnium ſed & lacticiniorum prohibetur vſus, & quotidianum iniungitur ſeruandum ieiunium.

3 ¶ In tertio verſu. Poſt iugum ſeruile Pharaonis. Dura ſeruitus filiorum Iſrael in luto, latere & quotidiano opere ſub aſpero Pharaonis imperio, tropologicè atque moraliter inſinuat nobis violentam illam ſeruitutem qua ſubiicimur diabolo per opera peccati, cuius ipſe Pharao Aegyptius membrum erat & figura. Admonemur er- Exo. 1. Exo. 12.

go hoc loco, vt ſicut populus Iſraeliticus duce Moyſe Aegypto egreſſus effugit duriſsimum Pharaonis iugum: ita & nos per ſalutarem pœnitentiam nunc excutiamus iugum dæmonis, quo per peccatum ſumus arctius conſtri-
4. Reg. 15. cti, & à tenebris Aegyptiis ad lumen gratiæ reſpiremus. Conſimiliter ſeptuaginta annorum captiuitas quam perpeſsi ſunt Hebræi ſub Nabugodonoſor rege Babyloniorum in illa tranſmigratione omnibus cognitiſsima: indicat itidem nobis captiuitatem acerbam quam perferimus ſub diabolo (cuius rex Babylonis erat forma, typus, & imago) cum peccatorum obuincti catenis detinemur. Nẽpe tunc abducti ab Hieruſalem (quæ viſio pacis interpretatur) id eſt diuinę gratiæ & rectitudinis ſtatu: in Babylonem (quæ confuſio dicitur: ob peccatorum horrorẽ & vitæ inordinationem) pertrahimur. Et planè ſeptuaginta illi dies qui in principio ſeptuageſimæ vſque ad diem feſtũ paſchæ quotannis decurrũt: referrunt nobis atque ſignãt ſeptuaginta annos captiuitatis Babylonicæ, quibus Iudæi
1. Eſdræ. 1. in ea miſeria atque moleſtia duræ captiuitatis permanſerunt. Cæterùm quemadmodum per Cyrum regem Perſarũ (vt ſacra narrat hiſtoria) dimiſſus eſt populus Hebręorum liber redire in natale ſolum, atque ciuitatẽ ſuã Hieruſalem repetere: haud aliter hoc loco incitamur, vt per Chriſtum ipſius Cyri veritatem & exemplar iam facti liberi: fugiamus ſpiritualiter Babylonem per abnegationẽ malorum operum: & redeamus in Hieruſalem myſticã, vitam ſcilicet virtuti & bonis operibus deditam: quæ nos tandem ducat ad ipſam (quæ ſurſum eſt mater noſtra) cæleſtem Hieruſalem: nam noſtra hęc domus hæc patria eſt: requies ea certa laborum.

4 ¶ In quarto verſu. Fugiamus de hoc exilio. Exilium hic vocat author, præſentis vitæ incolatum: & rectè quidem. Nam non habemus hic manentem ciuitatem ſed futuram inquirimus: vt ſalubriter nos admonet beatus Pau-
Heb. 13. lus. Fugiendum autem nobis eſſe de hoc exilio monet nõ greſſu pedum aut corporis: ſed affectu mentis: vt ſcilicet non diligamus mundum neque ea quæ in mũdo ſunt: ſed noſtra conuerſatio ſit in cælis: vt etiam abnegãtes impietatem & ſæcularia deſideria, quæ ſurſum ſunt quæramus: non quæ ſuper terram.

5 ¶ In quinto verſu. Memento quòd ſumus oues tuæ. Cõ-

cordat hæc ſententia illi verbo pſalmi: Quoniam ipſe eſt dominus deus noſter, nos autem populus eius & oues paſcuæ eius: ſimiliter & illi verbo domini noſtri in euangelio Ego ſum paſtor bon⁹: & animã meã pono pro ouib⁹ meis.

¶ DOMINICA IN QVADRAGESIMA

EX more docti myſtico:
Seruemus hoc ieiunium.
Deno dierum circulo
Ducto quater notiſſimo:

2 *Lex & pphetæ primit⁹*
Hoc protulerũt: poſtmodũ
Chriſtus ſacrauit, omnium
Rex atque factor tẽporum.

3 *Vtamur ergo parcius*
Verbis, cibis, & potibus,
Somno, iocis: & arctius
Perſtemus in cuſtodia.

4 *Vitemus autẽ peſſima:*
Quæ ſubruũt mẽtes vagas
Nullúmque dem⁹ callido
Hoſti locum tyrannidis.

5 *Dicamus omnes cernui:*
Clamemus atque ſinguli
Ploremus ante iudicem:
Flectamus iram vindicem.

6 *Noſtris malis offẽdim⁹*
Tuam deus clementiam:
Effunde nobis deſuper
Remiſſor indulgentiam.

7 *Memẽto quòd ſum⁹ tui*
Licet caduci plaſmatis.
Ne des honorem nominis
Tui (præcamur) alteri.

8 *Laxa malũ quod geſſim⁹*
Auge bonum quod poſcim⁹
Placere quo tandem tibi
Poſſim⁹ hic & perpetim.

¶ Carmen iambicum dimetrum archilochium in hoc hymno adamuſsim ſeruatur. Commendatur in eo quadrageſimale ieiunium per myſticum quadragenarij numerum obſeruari inſtitutum: quod & veteris teſtamenti patres obſeruauerunt: & Chriſtus ſuo ieiunio conſecrauit: quare & nos ſedulo admonemur, vt idem ſtudioſè obſeruemus per victus parſimoniam, peccatorum deuitationem, & ſupplices orationes 1 ¶ ANNOTATIONES In primo verſu. Deno dierum circulo. Si decem per quatuor multiplicétur: conſurgét quadraginta, qui in ſanctis ſcripturis ſacratus eſt numer⁹: & Perfectiõis vitæ index: quòd denarius decalogi legẽ, quaternarius autem: euangelij obſeruationem inſinuat, quæ ſane duo: ſuos cultores ad ſumman perfectionis euehunt. proinde quadragenarius dierum numerus (qui celebratiſsimus eſt: & apud

¶ IN QVADRAGESIMA AD completorium.

1 CHriſte qui lux es & dies:
Noctis tenebras detegis.
Luciſq; lumen crederis:
Lumen beatum prædicās.

2 Precamur ſancte domine:
Defende nos in hac nocte.
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.

3 Ne grauis ſomnus irruat,
Nec hoſtis nos ſurripiat.
Nec caro illi conſentiens,
Nos tibi reos ſtatuat.

4 Oculi ſomnum capiant:
Cor ad te ſemper uigilet:
Dextera tua protegat
Famulos, qui te diligunt.

5 Defenſor noſter aſpice:
Inſidiantes reprime,
Guberna tuos famulos.
Quos ſanguine mercatus es.

6 Memento noſtri domine,
In graui iſto corpore.
Qui es defenſor animæ,
Adeſto nobis domine.
Amen.

¶ Metrum iambicum dimetrum non omniquaque in hoc hymno ſeruatur: quamuis eius formam præferat, quoniā & trocheus in eo nunc pro ſpondeo nunc pro iambo ponitur, ſpondeus etiam interdum ſecūdum occupat locum, & pyrrhichius nunc primum, nunc ſecundum, nunc tertium: quæ vniuerſa, lege huius carminis repugnant. In eo fit ad Chriſtum dei filium oratio, vt ingruentis tempore noctis nos cuſtodiat, quo placidam in eo quietē capiam⁹: animas noſtras itidem & corpora in ſua protectione conſtituat, & ab hoſte maligno ſalua, illæſa incontaminatáq; conſeruet. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Chriſte qui lux es & dies. Chriſtus in ſcriptura frequenter lux dicitur vt in euangelio. Ego ſum lux mūdi: qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Ioan. 8. Idem quoque dies eſt, ſpiritualis & myſticus: quòd depulſa nocte veteris inſtrumenti & figurarum, nouum ſalutis iubar & ſplendorem veritatis ſuo ſalutifero aduentu mundo intulit. Vnde ipſe in euangelio de ſe ait, Nōne duode

duodecim ſunt horæ diei? ſi quis ambulauerit in die: non offendit, quia lucem huius mundi videt. Rurſum Chriſt⁹ noctis tenebras detegit: hoc eſt pandit, manifeſtat & oſtendit: nam lunæ & ſyderum claritate nocturnã propellit opacitatem: ac noctem ſubluſtri fulgore illuminat. Dicitur &
Ioan. 11 myſtice Chriſtus noctis detegere tenebras: cum mentis te
Hebr. 1. nebroſæ peccatis opacitatem lumine ſuæ gratiæ illuſtrat.
Sap. 9. Præterea ipſe creditur lumen lucis, vtpote paternæ: nam
Pſalm. 18. lumen eſt prodiens de æterna luce patris cuius idcirco & ſplendor dicitur, & candor lucis æternæ. Denique idem prædicat beatum lumen: nam euangelicam legem mundo annunciat, de qua dicit pſalmus. Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.

3 ¶ In tertio verſu. Ne grauis ſomnus irruat. Grauis ſomnus: aut corporis, qui cum immoderatus eſt & protenſior æquo: ignauiam inducit & deſidiam: aut ſomn⁹ animi torpentis in peccato: quẽ à ſe auerti petit propheta cũ orat in
Pſalm. 12. pſal. Illumina oculos meos, ne vnquã obdormiã in nocte.

4 ¶ In quarto verſu. Cor ad te ſemper vigilet. Corp⁹ (inquit) ſomno naturæ neceſſario foueatur ac reficiatur: animus tamen noſter ad te etiã ſomni tempore vigilet: & inter dormiẽdum de te aliquid pium meditetur, quod ex aſſidua ad cæleſtia attentione diurna pro ſomnio illi noctu occurrat. Eſt enim id deo penitus addictorum proprium: vt etiam ſomno detẽti ſpiritualium rerum animo verſent imagines, & nocturna habeãt viſa ad pietatem & dei venerationem ſpectantia. Vnde in canticis dicit ſponſa. Ego dormio, & cor meum vigilat. 6 ¶ In ſexto verſu. In graui iſto corpore. Graui: aggrauante animam, ne libera erigatur ad deum & pronitate ſui ad delectabilia ſenſui eam
Cant. 5. deprimente peſſum: ſecundum illud ſapientis verbũ. Cor
Sap. 9. pus quod corumpitur, aggrauat animam: & terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.

¶ IN QVADRAGESIMA:
alius hymnus.

1 *Clarum decus ieiunij*
Monſtratur orbi cælitus:
Quod Chriſtus author omnium
Cibis dicauit abſtinens.
2 Hoc Moyſes charus deo:
Legiſq;

Legiſq; lator factus eſt.
Hoc Heliam per aera
Curru leuauit igneo.
3 *Hinc* Daniel *myſte-*
ria
Victor leonum uiderat.
Per hoc amicus intimus
Sponſi: Ioannes claruit.
4 *Hæc nos ſequi dona*
deus.
Exempla parſimoniæ.
Tu robur auge mentium:
Dans ſpiritale gaudium.
Amen.

¶Iambici dimetri carminis legibus, hymnus iſte aptè cõſtringitur. Prædicatur in eo obſeruatio ieiunij, per exempla patrum veteris teſtamenti, Moyſis, Heliæ, Danielis: et noui teſtamenti, vt Chriſti & Ioannis baptiſtæ: oratúrque deus vt gratiam nobis elargiatur, qua præclara tantorum patrum exempla ieiunando imitemur.

¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Cibis dicauit abſtinens: quando ſcilicet in deſerto commoratus poſt baptiſmum ſuſceptum, ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus: vt euangelica nos edocet lectio.

2 ¶In ſecundo verſu. Hoc Moyſes charus deo. Hoc loco, dictio Moyſes: triſyllaba debet proferri, per interiectã vocalem poſt primam ſyllabam: quam nonnulli frequenter omittunt: & diſyllabam faciunt dictionem: vt Iuuenalis. Tradidit obſcuro quæcunque volumine Moſes. Alij verò eam vocalem adijciunt: & vtrique quidem rectè faciunt. Nam apud eruditos authores: vtrunque in vſu etiam frequenti comperitur. Cæterum quod ipſo ieiunio Moyſes ſit factus charus deo & legiſlator. liber exodi nobis liquido manifeſtat: in quo legitur ipſe ſemel & iterum quadraginta dierum obſeruaſſe ieiunium, tabulas legis digito dei ſcriptas bis accepiſſe, & ſingulari dei amicitia ac familiaritate vſus fuiſſe. Porrò tertius liber regũ refert Heliam prophetam etiam quadraginta diebus ieiunaſſe cum in fortitudine cibi ſumpti admonente angelo, ambulauit vſque ad montem dei Oreb: & exinde id aſſecutus eſt: vt curru igneo in cælum ſit raptus, quemadmodum quartus regum liber commemorat. In præſentis aũt verſus exordio: potius hoc, legendum videtur quam hinc, vt legunt nonnulli quod ſane pronomen ablatiuus ſit ſingularis. In tertio verò eiuſdẽ verſ᷑ carmine, nominatiu᷑ ſit ſingularis: & vtrunque, referatur ad ieiunium.

Exo. 24.
Exo. 34.
3. Reg. 19.
4. Reg. 2.
Dan. 1.
Dan. 10.

3 ¶ In tertio verſu. Hinc Daniel myſteria. Daniel in captiuitate Babylonica adhuc puer enutritus in aula regia: prætulit aquam & legumina epulis & vino de menſa regis illi aſſignatis. Factus autem ætate prouectior, trium etiam hebdomadarum ieiunio ſe aſflixiſſe legitur: vt viſionis ſibi oſtenſæ aſſequeretur intelligentiam. Inde diuinitus illi reuelatam ſomnij regis interpretationem & myſticarum reuelationum ſenſum eſt affatim conſecutus: & in lacum leonum bis coniectus, protegente deo euaſit incolumis. Sanè in primo verſus huius carmine, malim numero multitudinis myſteria legere: quàm ſingulariter myſterium: quoniam complura leguntur ſacra myſteria cœlitus illi innotuiſſe: vt totus liber Danielis apertè docet. Porrò Ioannes baptiſta, & frequenti ieiunio & cibi ac potus parcitate atque abſtinentia: habitus eſt admodum inſignis & clarus, vt euangelica dilucide teſtatur hiſtoria. Proinde et

Marci. 1. ſeipſum amicum ſponſi vtpote domini noſtri (qui verus eſt

Ioan. 3. eccleſiæ ſponſus) nuncupat: cum ait. Qui habet ſponſam: ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi qui ſtat & audit eum: gaudio gaudet propter vocem ſponſi, hoc ergo gaudium meum impletum eſt. 4 ¶ In quarto verſu. Exempla parſimoniæ. Parſimonia dicitur in victu parcitas: & mediocritate determinata abſtinentia. A parcendo nomen ſortitur & originem: quod parcè in ea ſumatur cibus & potus. Qui id nomen per ſ ſcribunt: à ſupino parſum & rectè ipſum deducunt. Qui vero per c, nomen illud conſcribunt: à verbo parco, is, eiúſque præſenti illud efformant. Et vtrique rectam ſeruant ſcripturam: nam originis diuerſitas aut literæ vnius variatio, non mutat ſignificationem. In eodem quoque verſu nomen illud ſpiritale, propter carmen & per ſyncopam tetraſyllabum eſt, nam in oratione ſoluta pentaſyllabum eſſe debet, & vocalem u in tertia ſyllaba habere, quòd adiectiua à nominibus quartæ inflexionis formata, ſeruantur, à ſuo primitiuo acceptum, vt fructuoſus, quæſtuoſus, ſumptuoſus, quare & ſpiritualis dicendum eſt.

¶ IN QVADRAGESIMA: alius hymnus.

1 *Audi benigne conditor*
Noſtras preces cũ fletibus
In hoc ſacro ieiunio
Fuſas quadragenario.
2 *Scrutator alme cordium:*
Infirma tu ſcis uirium.
Ad te reuerſis exhibe
Remißionis gratiam.
3 *Multum quidem peccauimus:*
Pœnasq; comparauimus.
Sed cuncta qui ſolus potes:
Confer medellam languidis.
4 *Sic corpus extra conteri*
Dona per abſtinentiam:
Ieiunet ut mens ſobria
A labe prorſus criminum.
5 *Præſta beata trinitas*
Concede ſimplex unitas:
Vt fructuoſa ſint tuis
Ieiuniorum munera.
Amen.

¶ Carmen iambicum dimetrum in hoc hymno exactè & omni ex parte ſeruatum conſpicitur: qui & elegans eſt: & religioſæ pietatis plenus. In eo dirigitur ad deum oratio: vt in hoc ſacro ieiunij quadrageſimalis tẽpore: remiſſionem peccatorum nobis exhibeat, & cum corporali ieiunio: abſtinendi etiam à peccatis gratiam tribuat.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Fuſas quadragenario. Quadragenarius, nunc ad annos refertur & ætatem: & is dicitur qui quadraginta annos natus eſt, nũc verò ad dies applicatur: & id quadragenarium nuncupatur, quod quadraginta dierum circulo extenditur, vt quadrageſimale ieiunium quo quidem modo hic ſumitur. Petit autem hic verſus preces noſtras exaudiri in hoc ſacro ieiunij tempore: quod eſt tempus acceptabile & dies ſalutis, quoniam orationes coniunctæ ieiunio: puriores ſunt & acceptiores deo. Bona eſt (inquit ſanctus dei angelis) oratio cum ieiunio & eleemoſyna: magis quam theſauros auri recondere. *Thob. 12.* 2 ¶ In ſecundo verſu. Infirma tu ſcis virium. Qui orando vult quempiam ad miſericordiam inflectere, aliquam prætendere ſolet excuſationis cauſam, ob quam paratior reddatur & pronior ad miſerationem *Luca. 23.*

tionem is qui rogatur. Quemadmodum dominus noſter in cruce orans patrem ſuum pro ſe perſequentibus: ignorantiam ipſorum adduxit in extenuationem iniquitatis eorum. Non enim ſciunt (inquit) quid faciunt. Ita hoc loco author adducit in noſtri excuſationẽ, infirmitatẽ ſiue fragilitatem virium noſtrarum, ob quam ſæpius prolabimur in peccatum. 3 ❡ In tertio verſu. Sed cuncta qui ſolus potes. Loco huius carminis, aliqui libri habẽt id carmen, ad laudem tui nominis. Verum non crediderim authorem inter totius hymni carmina, metri iambici dimetri regulis concinne mẽſurata, id vnum poſuiſſe, quod ab illius metri deuiat rectitudine, cum ſecundo loco habeat trocheum. Itaque dicendum potius eo loco, ſed cũcta qui ſolus potes, nam huiuſmodi carminis normam rectè ſeruat, ſicut & reliqua omnia. 4 ❡ In quarto verſu. Ieiunet mens ſobria. Reprehendit dominus deus per Eſaiam prophetam, eos qui corpus ſuum ieiunando caſtigant, animam autem à peccato non refrenant. Ecce (inquit) in die ieiunij veſtri inuenietur volũtas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & cõtẽtiões ieiunatis, & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare ſicut vſq; ad hãc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter. Quomodo verò per bonorum operum exercitiũ ſit ieiunandum, deinde eodẽ loco docet. Nónne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti ſunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagóſque induc in domum tuam. Cum videris nudũ, operi eum, & carnem tuam ne deſpexis. Itaque tale ieiunium & corporis à cibo & animi à vitiis, nobis præſtari petimus, quo & corpus atteratur exterius, & anima à vitiis reprimatur interius.

Eſaiæ. 40.

IN QVADRAGESIMA, ALIVS hymnus.

AVres ad noſtras
deitatis preces
Deus inclina pietate ſola:
Supplicũ uota ſuſcipe precamur.
Famuli tui.
2 *Reſpice clemens ſolio de ſancto*
Vultu ſereno lãpades illuſtra:

Lumi-

Lumine tuo tenebras depelle
Pectore noſtro.
3 *Crimina laxa pietate multa:*
Abſolue ſordes, uincula dirumpe.
Parce peccatis, releua iacentes
Dextera tua.
4 *Te ſine tetro mergimur profundo*
Labimur alta ſceleris ſub unda.
Brachio tuo trahamur ad clara
Sydera cæli.
5 *Chriſte lux uera, bonitas & uita*
Gaudium mundi, pietas im menſa.
Qui nos à morte roſeo ſaluaſti
Sanguine tuo.
6 *Inſere tuum petimus amorem*
Mentibus noſtris: fidei & funde
Lumen æternum, charitatis auge
Dilectionem.
7 *Tu nobis dona fontem lachrymarum*
Ieiuniorũ fortia miniſtra
Pectora: carnis uitia retũde
Framea tua.
8 *Procul à nobis perfidus abſiſtat*
Sathan: à tuis uiribus confractus.
Sanctus aſſiſtat ſpiritus: à tua
Sede dimiſſus (tris:
9 *Gloria deo ſit æterno pa*
Sit tibi ſẽper genitoris nate
Cum quo æqualis ſpiritus per cuncta
Secula regnat. Amen.

¶ Sapphici carminis & adonij præſens hymnus gerit imaginem: ſed eius menſuram & legem nequaquam ſequitur, neque pedes habet ſuis in ſedibus conſtitutos: vt illi⁹ metri efflagitat modulatio, quandoquidem ſolus ſyllabarum numerus in vnoquoque carmine requiſitus, ſine tamẽ pedum obſeruatione: in eo deprehenditur. Complectitur orationẽ ad deũ: vt in hoc ſacro quadrageſimalis ieiunij tẽpore nos exaudiat, oculis miſericordiæ ſuæ nos itidẽ reſpiciat, noſtra deleat peccata: & per ſanctam ieiuniorum obſeruantiam virtutes in nobis adaugeat. Verum ſeruata propemodum cuiuſque verſus ſententia, huius hymni loco

loco: alterum ſecundum ſapphici carminis rationem ita contexuimus.

1 Nunc pias aures deus alme noſtris
Mitis inclina precibus: rogamus.
Et tuos audi famulos benignus
Vota ferentes.

2 Deſuper vultu placido ſerenus,
Et pijs ſeruos oculis tuere:
Mentis & noſtræ tenebras repelle
Lumine claro.

3 Criminum ſordes bonitate ſola
Terge diſſoluens ſcelerum catenas.
Ecce depreſſi vitijs iacemus:
Erige lapſos.

4 Ni manum tendas facilem: profundo
Mergimur cuncti ſtygiæ paludis.
Nos tuæ dextræ ſuperas ad auras
Gratia tollat.

5 Chriſte lux mundi ſuper aſtra fulgens:
Vita cæleſtis bonitáſque ſumma.
Nos redemiſti phlegetontis amne
Sanguine ſacro.

6 Tu fide firma ſtabili miniſtros:
Spéque ſyncera ſolida fideles.
Et ſacri noſtris animis caleſcat
Ignis amoris.

7 Fletibus largis maculas lauemus
Criminum: victu tenui teramus
Carnis inſultus domet abſtinendo
Mens pia corpus.

8 A tua dextra validè repreſſus
Hoſtis antiquus: procul effugetur.
Spiritus nobis tuus aſſit: alto
Miſſus ab orbe.

9 Sit deo patri decus & poteſtas:
Eius & nato ſit honor perennis.
Cum quibus regnat deus vnus æuo
Spiritus omni. Amen.

2 ¶ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Lampades illuſtra. Lampades vocat hic author metaphorice cor-

da

da humana: in quibus oleum chariſmatum ſancti ſpiritus cũ lumine bonorum operũ debet reponi: vt cum ſapientibus virginibus præparati ipſi ſponſo obuiã ire ritè poſſimus. Cum igitur lãpades orat illuſtrari: corda noſtra ſpirituali lumine repleri, perfundiq; petit. 7. ¶ In ſeptimo verſu. Retumde framea tua. Frameam nonnulli pro haſta vel lancea accipiunt: alij verò pro gladio, vt Augu. in expoſitione pſalmi. 8 dicẽs. Gladium dei bis acutum: hoc eſt frameam. Et Iuuenalis. Et Martis frameam & Cyrrhęi ſpicula vatis. 8 ¶ In octauo verſu. Sathan à tuis viribus confractus. Sathan, anis, vel ſathanas, anæ: appellatiuum ſiue commune nomen eſt, idem deſignans quod aduerſarius. Et quoniã diabolus maximè Chriſto & deo cõtrarius eſt atque aduerſus: nomine ſathanæ frequentiſsimè & præſertim nuncupatur. Sed & hominibus interdum idem nomen attribur, vt tertius regum liber dicit: quòd ſuſcitauit deus regi Salomoni ſathanam. Et in euangelio legitur dixiſſe dominus beato Petro. Vade poſt me ſathana: quia nõ ſapis ea quæ dei ſunt, ſed ea quæ ſũt hominũ.

Mrtth. 25.

3. Reg. 11.

Matth. 16.

IN QVADRAGESIMA: alius hymnus.

IAm terquaternis trahitur
Horis dies ad ueſperũ.
Occaſu ſol pronunciat
Noctis uenire tempora.

2 *Nos ergo ſigno domini*
Tutemur clauſtra pectoris:
Ne ſerpens ille callidus
Intrandi tentet aditum.

3 *Sed armis pudicitiæ*
Mens fulta vigil libere:
Sobrietate comite
Hoſtem repellat improbũ.

4 *Sed nec ciborum crapula*
Tandem diſtẽtet corpora.
Ne ui per ſomnum animas
Ludificatas polluat.
Amen.

Formam & ſpeciem carminis iãbici dimetri præfert hic hymnus: verùm illius non omniquaque pedes obſeruat: quandoquidem paſsim trocheum admittit, nonnunquam etiam pyrrhichium in locis anterioribus, & ſpondeum in ſecunda ſede, quæ legibus illius metri non cohærent neque conſentiunt. Deſcribitur in eo tempus veſpertinum:

quoniã hic hymnus canitur in officio veſpertino, & exinde exhortatio ſalutaris fit: vt ſanctæ crucis ſignaculo parſimoniáque victus ſimus muniti contra hoſtis antiqui inſidias: nos aſsiduè vbi locum nanciſcitur infeſtantis.

1 ℂ ANNOTATIONES. In primo verſu. Iã ter quaternis. Dies in æquinoctio verno: duodecim horarum interuallum complectitur, & nocti adæquatur tantundem etiam ſpacij tum continenti. Frequenter autem & vt plurimum, quadrageſimale tẽpus circa æquinoctij verni contingit curriculũ, idcirco hic diem deſcribit. duodecim horarum protentione. Quòd ſi paulo contractior aut productior fuerit diurni temporis mora: id parum refert, neque in diſcrimen debet adduci. 2 ℂ In ſecundo verſu. Nos ergo ſigno domini. Signum domini hic intelligitur ſancta crux: quam dominus conſecrauit & ſanctificauit ſuo ſanguine & morte. Et illa tutiſsimum eſt munimentum cordis contra hoſtiles inſidias, exhorreſcit enim illam dæmon: vt canis baculum quo percuſſus eſt. In hoc etiam verſu, tutemur legendum eſt: non tutemus. Nã à tueor verbo deponente: formatur tutor, aris, frequentatiuum, itidem deponens, & quod omnino vocem refugit actiuam. Et quanuis ſcriptura dicat de patriarcha Iacob. Cuſtodiuit illũ dominus ab inimicis & à ſeductoribus tutauit illum: id tamen haudquaquam cẽſeo in imitationem trahendum. Ita in primi verſus principio, particula iam, potius quàm ſic, ponenda eſt: quanuis nonnulli id ſimilitudinis habeant aduerbium: quod comparationem exprimens ad aliquid ante dictum: huic loco minus congruit.

3 ℂ In tertio verſu. Tandem diſtentet corpora. Diſtẽtet verbum eſt frequentatiuum à diſtendo, is, quod ſignificat in diuerſas partes tendere: & ob repletionẽ copioſam turgidum facere. Virgilius. Sic cythiſo paſtæ diſtentent vbera vaccæ. Et huiuſmodi autem ingluuie nimiáque ciborũ ingeſtione: præſtaretur interdum materia immundiciæ, atq; pollutionis nocturnæ. Proinde monet hic verſus eſſe fugiendam ciborum crapulam: ne accidat nobis ludificatione illuſioneque dæmonis ob huiuſmodi diſtentionem illa nocturna contaminatio. Nec deſunt qui hic diſtendat legunt: non diſtentet, ſed nihil refert vtrum legatur.

IN QVADRAGESIMA,
alius hymnns.

IAm Chriſte ſol iuſtitiæ
Mẽtis dieſcant tenebræ.
Virtutũ ut lux redeat:
Terris diem dum reparas.
2 *Da tẽpus acceptabile:*
Et pœnitens cor tribue
Conuertat ut benignitas
Quos longa ſuffert pietas.
3 *Quiddam pœnitentiæ*
Da ferre: licet grandium
Maiore tuo munere
Quod dẽptio ſit criminũ.
4 *Dies uenit dies tua:*
In qua reflorent omnia.
Lætemur in hac: ad tuam
Per hanc reducti gratiam.
5 *Te rerum uniuerſitas*
Clemens adoret trinitas:
Et nox noui per ueniam
Nouum canamus canticũ.

Etiam carminis iambici dimetri ſpeciem gerit & formã (vt præcedens) hic hymnus, eius tamen non omnino tenetur legibus. Nam potiſsimum in tertia regione ac ſede trocheum recipit, qui à carminis huiuſce ſedibus omnib' exulat ac excluditur. In eo deus oratur, vt quoniam nunc eſt tempus acceptabile & dies ſalutis gratiam nobis concedat, ſalutarem pro peccatis noſtris pœnitentiam agendi.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Mentis dieſcant tenebræ. Dieſcant: diurno lumine illuſtrentur, & illuminatrice gratia diuina propellantur, eſt enim dieſcere: luceſcere, & diẽ terris reddi atque oſtendi, & apta hic eſt metaphora, à die & lumine ſenſibili: ad intellectualem ac ſpiritualem. Porrò alij hunc primum verſum ita legũt. Iã Chriſte ſol iuſtitiæ, noctis recedant tenebræ: nunc mẽtis erat cæcitas, virtutum & lux redeat. Sed nullum in ſententia eſt diſcrimen: ſic ne, an vt ante poſitum eſt legeris.

2 ¶ In ſecundo verſu. Quos longa ſuffert pietas. Pietas dicitur cultus deo debitus: aut obſeruantia & veneratio quæ à filiis eſt exhibẽda parentibus. Cum verò deo attribuitur ad homines, vt frequenter in vſu eccleſiaſtico: ſumitur pro benignitate, clementia & miſericordia. Itaque hic orat eccleſia, vt quoniam longanimitas dei nos longo tempore ſuſtinet, expectans conuerſionem noſtram: ipſa tandem ad pœnitentiam nos adducat. Cæterum huius verſus duo poſtrema carmina:

alij hoc pacto habent, ne nos vacuos tranſeat: hoc quod benigne prorogas, hoc eſt, ne illa benigna dilatio tua qua differs iram tuam nobis immittere: neglıgēter à nobis incuriis & ſine fructu conuerſionis & boni operis prætereatur. Et hæc ſententia: etiam pia eſt & conueniens.

3 ¶ In tertio verſu. Da ferre, quanuis grandium. Adiectiuum illud, ac ſequens ſubſtātiuum criminum, refertur, vt hæc habeatur ſentētia. Da ô Chriſte nobis ferre ac pati quiddam pœnitentiæ quod demptio ſit & ablatio criminū quanuis grauium & enormium: magno tuo & ingenti dono. Ex ſola enim gratuita bonitate tua: omnia noſtra crimina quantumuis grauia delere paratus es. 4 ¶ In quarto verſu. Dies venit dies tua. De die paſchali hic verſus rectè intelligitur: qui dies domini eſt, nā triumphali ſua reſurrectione illum conſecrauit & ſanctificauit. Vnde in denominationibus dierum hebdomadę, dies illi reſpondens per totum anni circulum: vocatur dies dominicus. Et de illo die canit eccleſia. Hæc dies quā fecit dominus: exultemus & lætemur in ea. Porrò in illa die reflorent omnia, non tam corporaliter ob vernam temperiem, quàm ſpiritualiter ob nouam vitam humano generi reparatam. Idcirco ſubiungit aptè litera, lætemur in hac, ſcilicet die tua paſchali: reducti ad tuam gratiam, per hanc diem. Nā per paſchale myſterium reconciliati ſumus deo: & ad vitam reuocati.

Pſal. 117.

IN QVADRAGESIMA, alius hymnus.

IEſu quadragenariæ
Dicator abſtinentiæ:
Qui ob ſalutem mētiū
Hoc ſanxeras ieiunium.
2 *Quo paradiſo redderes*
Seruata parſimonia.
Quos inde gaſtrimargiæ
Huc illecebra depulit.
3 *Adeſto nunc eccleſiæ:*
Adeſto pœnitentiæ.
Quæ pro ſuis exceſſibus
Orat profuſis precibus.
4 *Tu retroacta crimina*
Tua remitte gratia:
Et à futuris adhibe
Cuſtodiam mitiſſimè.
5 *Vt expiati annuis*
Ieiuniorum victimis:
Tendamus ad paſchalia
Digne colenda gaudia.

Propemodùm carminis iābici dimetri leges & iura ſeruat

nat hic hymnus: habet tamen interdũ vocalis poſt vocalẽ ſine colliſione conſequentiam, & nonnullis in locis trocheum pro ſpondeo. Aſsignantur in eo commoditates ieiunij quadrageſimalis: à Chriſto conſtituti ob animarum noſtrarum ſalutem, & oratio ad ipſum fit, vt dignetur ſalutarem nobis pœnitentiam elargiri, & gratiam dignè celebrandi feſta paſchalia.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Quo paradiſo redderes. Hic vna adducitur cauſa inſtituti à Chriſto ieiunij, ſcilicet vt homines per ieiunium & abſtinentiam redirent in paradiſum: quos primorum parentum gula & vetiti fructus manducatio illinc expulerat, & in hoc quaſi exilium detruſerat. Porrò gaſtrimargia Græcum vocabulum: Latine ingluuiem ſignificat cum quis nimia ciborũ copia ſe onerat atq; refarcit. Illecebra verò dicitur: quicquid ad voluptates guſtus & tactus nos illicit ac prouocat: vt cibus, potus, corporum pulchritudo, & alia concupiſcentiæ carnis irritamenta. 4 ¶ In quarto verſu. Tu retroacta crimina. Duo hic petuntur: quæ ſemper à deo obnixè poſtulare debemus, ſcilicet cõmiſſorum ac perpetratorum criminum remiſsio: & à futuris ne admittantur cautio atque cuſtodia. Et meritò hæc à deo poſtulanda ſunt, ſine quo nec anteactorũ peccatorũ venia, nec à futuro malo liberatio atque protectio obtineri poteſt.

5 ¶ In quinto verſu. Vt expiati annuis. Hic alia aſsignatur cauſa obſeruationis ieiunij quadrageſimalis, vt ſcilicet per illud tanquam hoſtiã & victimã deo oblatam, animo expurgati à carnalibus deſideriis, paſchalia ſacramenta dignius ſumere & tantã ſolennitatẽ ſyncerius celebrare poſsimus, eſt enim ieiunium vt purgatoria quædam ſuperfluorum humorum medicina: animũ diſponens ad puriorem & ſynceriorem diuinorum participationem.

1 IN QVADRAGESIMA: ALIVS HYMNVS.

Svmmi largitor premij,
Spes qui es unica mũdi:
Preces intende ſeruorum
Ad te deuotè clamantum.
2 *Noſtra te conſcientia*
Graue offendiſſe monſtrat
Quã emũdes ſupplicamus.
Ab omnibus piaculis.

puro corde rogemus deum vt peccatorũ remiſsionẽ nobis tribuat illam debet nobis exhibere ex ſuo ipſius promiſſo, quo pollicitus eſt ꝙ quęcũque orantes petierimus, haud dubiè illa fiet nobis. Marc. 11

4 ¶ In quarto verſu. Ergo accepta tu noſtrũ. Ita legẽdũ eſt id carmen per imperatiuũ modũ verbi actiui: quod cũ accuſatiuo ſequente ordinetur. Nã ſi ponatur ibidẽ imperatiuum paſsiuũ acceptare, vt mẽdoſi habent libri: neque illud ſententiæ congruet neque ſtructuræ orationis, quoniã accuſatiuus ille non poſſet cũ eo verbo rectè ordinari. Alij autẽ legunt, ergo accepta hoc noſtrũ, & vtiq; rectius ꝗ cæteri: nam pronomen tu, videtur ibi ſuperfluere.

5 ¶ In quinto verſu. In qua gloriatur vnus. Verbũ gloriatur non propriè ibi ſumitur: vt ſignificet de aliquo bono apud ſe gloriam & geſtictis animi lætitiã habere, quomodo apud paulũ legim᷑. Qui gloriatur: in domino glorietur, ſed hic tãtundẽ valet: atque glorificatur, laudatur, & honoratur. Id enim aptius deo ꝗ alterũ attribuimus. 2. Cor. 10.

IN QVADRAGESIMA,
alius hymnus.

1 *O Nazarene dux Bethleem, verbum patris.*
Quem partus alui virginalis protulit.
Adeſto caſtis Chriſte parſimoniis:
Feſtumq; noſtrum rex ſerenus aſpice,
Ieiuniorum dum litamus uictimam.
2 *Nihil hoc profectò purius myſterio:*
Quo fibra cordis expiatur liuidi,
Intemperata quo domantur uiſcera,
Aruina putrem ne reſudans crapulam:
Obſtrangulatæ mentis ingenium premat.
3 *Sit trinitati in unitate gloria:*
Sit unitati in trinitate gratia,
Poteſtas honor atque iubilatio:
Noſtra benignè cum beneuolentia
Ieiuniorum acceptanti munera. Amen.

Monocolõ, vnimẽbreque & vniforme carmen in hoc

hymno ſeruatur, iambicum ſcilicet ſenarium: quod in locis imparibus primo, tertio & quinto iambum habet & ſpondeum, & interdum anapeſtum pro ſpondeo. In ſedibus autem paribus ſecunda, quarta & ſexta, ſolum iambũ ſi modo poſtrema carminis ſyllaba fuerit lóga. Nam ſi breuis ſyllaba (vt fit) carmen terminet: ſexto loco cõſtituitur pyrrhichius. Et huiuſce carminis regula, exactiſsimè in duodus primis huius hymni verſibus obſeruatur: quos conſtat eſſe Prudentij. Non autem in tertio verſu, quod nonnullis in locis trocheum admittat, & pyrrhichium in anterioribus ſedibus, vocalem item habeat nunc vocali, nunc litteræ, m, ſine colliſione poſtpoſitam: quæ legibus carminis hexametri aduerſantur. Neque tertius ille verſus apud Prudentium legitur, ſed ab incerto aliquo authore adiectus eſt: vt pro more eccleſiaſtico hymnus iſte in gratiarum actionem deſinat. Author eius Prudentius. apud quem hymnus iſte longè copioſior eſt & profuſior: quàm in officio eccleſiaſtico cantari ſoleat. Nempè in eo eleganter & amplè ieiunij commendationem proſequitur exemplo Moyſis, Heliç, Ioannis Baptiſtę & Chriſti, quinimò & Niniuitarum: qui audita prædicatione Ionæ publi-
Ionh. 3 cum indixerunt ieiunium, & ſua pœnitentia deum ſibi inſenſum placauerũt. Si cui igitur cordi fuerit hymnum totum percurrere: ad fontem ipſum (Prudentium dico) recurrat. I ❡ ANNOTATIONES. In primo verſu. O Nazaræne dux Bethleem. Filius dei (ad quem diri-
Lucæ 1 gitur hæc ſupplicatio) vt homo factus, dicitur hic Naza-
Lucæ 4 renus: quoniã in ciuitate Nazareth conceptus fuit & enutritus, vt euangelica tradit lectio, completúmque eſt in ip-
Matth. 2 ſo id propheticum: quoniam Nazarenus vocabitur. Dicitur & dux Bethleem, quod ibi ſecundum hominẽ nat⁹ eſt, & à magis adoratus. Vnde & à Michea propheta locũ na-
Michea. 5 tiuitatis eius prænunciante: hoc appellatus eſt nomine, cũ ait: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exit dux, qui regat populum meum Iſrael. Porrò in hac dictione Bethleem, conſtituendo carmẽ in pedes: ſeruãda eſt ſynęreſis: quæ eſt duarũ ſyllabarũ eiuſdẽ dictionis ĩ vnã coaleſcẽtia: ob colliſionẽ vocalis, vt dictio ſupradicta, tũ cũ pedes exquiruntur, pferatur diſſyllaba: quãuis ſemp triſſyllaba ſcribi debeat & legi.

❡ In

In quinto eiuſdem primi verſus carmine(habet enimquiſque verſuum,quinque carmina conformia) litamus verbum à litare(quod ſacrificare ſignat & offerre)cum accuſatiuo ponitur.Interdum & datiuum habet,vt Mantuan⁹. Sat mane Ioui ſuperisque litatum. Nonnunquam verò ablatiuum,vt Virgilius in Aeneide. Sanguine quærendi reditus,animáque litandum Argolica.

2 ¶ In ſecundo verſu.Quo fibra cordis expiatur liuidi. Fibra in ſingulari numero hic ponitur: quod nomen authores frequentius pluraliter dicunt. Et eſt quarumuis rerum extremitas. Vnde & iecoris,cordis,linguæ,& quorũcunque viſcerum extremitates:fibræ dicũtur. Inde & veſtimentorum oras extremáſque partes:fimbrias dici putãt Virgilius in ſexto. Nec fibris requies datur vlla renatis. Aruina verò eſt durum pingue inter cutem & carnem:vt author eſt Seruius.Virgilius in Aeneide.Pars leues clypeos & lucida ſpicula tergunt Aruina pingui. Itaque ſenſus huius verſus eſt,quod per ieiunium craſſior materies ipſius cordis oppreſſi nimia ciborum copia expurgatur: ne ex larga ſagina pinguedo & obeſitas corporis in ſudorem reſoluta,obruat vigorem ſpiritus, obnubilati & offuſcati copioſo alimento corporiſque pondere. Non enĩ ſinit intemperatior cibus:lympidam animi aciem ad contemplationem rerúmque perſpicientiam ſubuehi.

¶ IN QVADRAGESIMA:
alius hymnus.

1 *CVltor dei memento*
Te fontis & lauacri
Rorem ſubiſſe ſanctum:
Te chriſmate innouatum,
2 *Fac cũ uocante ſomno*
Caſtum petis cubile,
Frontem locumq; cordis
Crucis figura ſignet,
3 *Crux pellit omne crimen,*
Fugiunt crucem tenebræ.
Tali dicata ſigno
Mens fluctuare neſcit.
4 *Procul O procul uagantum*
Portenta ſomniorum.
Procul eſto peruicaci
Præſtigiator aſtu.
5 *O tortuoſe ſerpens*
Qui mille per meandros,

Fraudéſque fluxuoſas
Agitas quieta corda.
6 *Diſcede: Chriſtꝰ hic eſt.*
Hic Chriſtus eſt:liqueſce.
Signum quod ipſe noſti:
Damnat tuam cateruam.
7 *Corpus licet fatiſcens*
Iaceat recliue paulùm.
Chriſtum tamen ſub ipſo
Meditabimur ſopore. Amē

❡ Odę præſens & hymnus, carmen ſeruat iambicum dimetrum catalecticum, quod vna deeſt ſyllaba ad quarti pedis complementum. In vnoquoque enim carmine tres conſtituuntur pedes cum dimidio: vt ſit quodque carmen heptimemeris iambica,id eſt medietas metri iambici ſeptenarij.Conſtituitur autem primo loco & tertio, ſpondeꝰ aut iambus,nonnunquam verò anapeſtus, ſpondei ſedem occupat.ſecundo verò loco,ſolus conſtituitur iambꝰ. Poſtrema demùm ſyllaba:nunc longa,nunc breuis(quod cuiuſque carminis commune eſt)collocatur. Et vbique hoc in hymno,ſupradicti carminis lex & regula:integrè & examuſsim obſeruata conſpicitur. Author eius, Prudentius,qui hunc hymnum ponit in calce maioris & amplioris hymni inſcripti,ante ſomnum,cuius initium eſt. Ades pater ſupreme,quem nemo vidit vnquam, patriſque ſermo Chriſte,& ſpiritus benigne. Et hic cum cæteris hymnis Prudentianis paſsim legitur integer,nos autem ſolos hic eos poſuimus verſus:qui in eccleſiaſtico officio cantari ſolent.In eo fit exhortatio ad vnumquémque Chriſtianum,vt cubiculũ petiturus ſanctæ crucis ſigno ſe muniat contra inſidias & illuſinoes ſathanæ,qui non modo in vigilia,ſed & inter dormiẽdum homines infeſtat: illuſoriiſque terret inſomniis.

1 ❡ ANNOTATIONES. In primo verſu. Te fontis & lauacri. Hortatur author hoc loco, quod aſsidua animum noſtrum ſubeat recordatio,nos ſalutari fonte baptiſmatis, regenerationiſquę & iluminationis ſacramento eſſe ablutos,vbi Chriſtianorum nomen accepimus & peccatorum omnium abſterſionem. Nos itidem ſacroſancto vnctionis oleo delibutos eſſe atque perunctos : aut in ipſius baptiſmi ſuſceptione , aut potius in ſacramenti confirmatiõis ꝑceptione, quo tanquam pugiles cõtra dęmo-

nem ſpiritualibus armis inſtruimur:chariſmatum ſcilicet ſpiritus ſancti exuberantia & donis.

4. ¶In quarto verſu. Procul eſto peruicaci. Præſtigiator dicitur, qui intuentium oculos prẽſtingit ac eludit: obijciens illis rei cuiuſpiam ſpeciem quæ tamen non adeſt, aut eam alio exhibens modo quàm res ſe habet. Vnde qui magicis gaudent præſtigijs atque vanitatibus: rectè præſtigiatores dicuntur: & omnium maximè is, qui præſtigiarũ & mendacij pater eſt: enitens humanas mentes vana rerum figura & ſpẽcie eludere, ad quem hoc loco cõuertitur authoris ſermo. At verò peruicax, is, dicitur: qui perſtat aſſiduè in opera, vt tandem vincat, violentéque & importunè alium quatit & impellit: vt tandem euictum proſternat humi, quod vel maximè dæmonis eſt proprium.

5 ¶In quinto verſu. Qui mille per meandros. Meander ſiue Meandrus: fluui⁹ eſt Phrygiæ ſiue Meoniẹ, ita ſinuoſis fluxibus: vt ſæpe credatur ad fontem reuerti. Ouidius. Non ſecus ac liquidis phrygius Meander in vndis. Vnde veteres, obliquitates omnes: Meandros appellarũt. Cicero: Scio quos tu meandros quæſiuiſti. Et ita hoc loco concinnè atque appoſitè inuolutiones illas, circuitiones & ambages obliquas quibus nos circũuenire noſter aduerſarius enititur: author & meandros vocat, & fraudes fluxuoſas atque ſinuoſas. 7 ¶In ſeptimo verſu. Corpus licet fatiſcens. Fatiſcere eſt defatigari: ſiue deficere viribus ex aſſiduò labore, vt corp⁹ diurna opera demùm fatiſcit. Inde feſſus & defeſſus formantur: cognatæ ſignificationis participia Sunt etiam qui in voce deponentis verbi: fatiſcor proferunt. Sed vtrumuis dixeris: fatiſcens participiũ rectè inde deducitur. Porrò recliue id dicitur: quod humi reclinatum eſt, fuſum & ſtratũ, vt dormientiũ corpora. Dicitur & in ſecunda declinatione recliuum: ſicut & cætera compoſita à nomine cliuus, & ſecundã & tertiã habẽt inflexioné, vt ac:liu⁹, decliuus proclinus: aut accliuis, decliuis procliuis. In ſecundo verò eiuſdẽ verſus carmine: paulùm legendum potius crediderim (quod aduerbium eſt, ſignificans parum, modicũ, pauxillum) quàm paulò. Nam hoc comparatiuis dictionibus adiungi debet: ſicut & cætera quantitatis aduerbia in o deſinentia, vt tanto, quanto, aliquanto, modico. Virgilius. Paulò maiora canamus.

Pau

deo in tertio loco,& in anterioribus ſedibus recipit pyrrhichium,contra huiuſce metri leges & iura. Author eius Theodulphus Aurelianenſis epiſcopus,quanuis non deſint,qui ipſum Fortunato epiſcopo aſcribant:alij verò Sedulio. Quiſquis tamen eius author fuerit:hymnus ipſe totus eſt religioſæ pietatis & affectuoſæ deuotionis refertiſſimus,recenſens dominicæ paſſionis myſteria,& pręclara viuificæ crucis præconia.in qua peractum eſt humanæ redemptionis ſacramentum. Demum ad eam pia dirigitur oratio fidelium:vt illis protectio ſit,munimentum & præſidium. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Vexilla regis prodeunt. Vexilla(vt notum eſt) ſigna ſunt militaria principum & regum:quæ in bello eriguntur vbi manus conſeruntur cum hoſtibus,haud aliter inſignia ſacra paſſionis domini noſtri:vt flagella , corona ſpinea, crux,claui,lancea:ſunt eius vexilla,quibus antiquum debellauit hoſtem,& principem huius mundi eiecit foras.

2 ¶ In ſecundo verſu. Hic immolata eſt hoſtia. Subſtantiuum illud hoſtia,in fine verſus huius poſitum :refertur ad adiectiua præcedentia,tendens & immolata,vt hæc habeatur ſententia,hoſtia(ſcilicet Chriſtus : qui obtulit ſemetipſum pro nobis)tendens viſcera ſiue membra confixa clauis,& etiam tendens veſtigia manus ſiue manuum: immolata eſt hic,ſcilicet in cruce tanquam in ſacroſancto altari,gratia redemptionis:id eſt propter noſtram redemptionem,vt gratia,ibi ſit ablatiui caſus.

3 ¶ In tertio verſu. Quo vulneratus inſuper. Pronomen illud quo,refertur ad nomen patibulo:in primo verſu poſitum,vt hic ſit ſenſus,in quo patibulo:vltra manus & pedes confixos ipſe carnis conditor etiam vulneratus eſt à cumine & cuſpide militaris lanceæ,vt & ipſe nos lauaret à crimine:ex eo vulnere lateris manauit vnda ſanguine. Cæterùm iam Chriſti crucifixio quàm lateris eius iam mortui apertio:ex decimonono euangelij Ioannis capite manifeſtè cognoſcitur. *Ioan.19.* 4 ¶ In quarto verſu. Regnauit à ligno deus. Illud oraculum propheticum ſumptum eſt ex pſalmo 95. vbi ſecundum Romanã pſalmodiã nunc legitur. Commoueatur à facie eius vniuerſa terra: dicite in nationibus quia dominus regnauit à ligno. Et in tempore paſchali vſque ad aſcenſionem domini,vbi ſit in offi- *Pſal.95*

cio

cio eccleſiaſtico memoria de ſācta cruce:habetur hic verſus ante orationem, ſecundum multarum eccleſiarum vſum Dicite in nationib⁹:quia dominus regnauit à ligno. Pſalterium tamen hebraicum & gallicum:non habet in eo verſu adiectam hanc particulã, à ligno, vt ſtudioſè & gnauiter annotauit in illius pſalmi expoſitione: præceptor meus, Iacobus Stapulenſis. Porrò alij hunc verſum ita legunt. Impleta ſunt quæ cecinit, Dauid fidelis carmine: dicendo nationibus, regnauit à ligno deus. Sed aut pauca aut nulla eſt in ſenſu diſcrepantia: ſic ne an aliter legeris. Non eſt tamen hoc ſecundo modo carmen tam aptum, nam trocheus in primo carmine tertium occupat locum. Inſuper adiectiuum illud fideli, concinnius ad ſubſtantiuum carmine: quàm in nominatiuo poſitum ad Dauid refertur. Et præpoſitio in tertio carmine expreſſa, reddit eã ſententiam conformiorem illi particulæ pſalmi, ex qua ſumpta eſt. 5 ¶ In quinto verſu. Ornata regis purpura. Nomine purpuræ intelligit hic author pretioſum Chriſti ſanguinem: quo ipſa crux perfuſa & ſanctificata eſt, quòd purpurei ſit & roſei coloris, ipſiq́ue purpuræ colore perſimilis. Referunt enim naturales hiſtorici: purpuram ipſam cõchiliorum ſanguine tingi. Et conformis eſt hæc deuota ſententia illi ſublimi præconio: quo ſanctus Andreas glorioſa morte deum clarificaturus, viſam crucem ſalutauit, ita exclamans. Salue crux pretioſa, quæ in ſanguine Chriſti dedicata es: & ex membris eius tanquam margaritis ornata. 6 ¶ In ſexto verſu. Beata cuius brachijs. Hic brachia dicuntur laterales extremitates crucis in tranſuerſum porrectę: quibus domini noſtri brachia erant affixa. Dicitur itidem metaphoricè hoc loco arbor crucis fuiſſe ſtatera corporis domini, quoniam ſicut ſtatera ſuſtentat pondus illi impoſitum: ita & crux ipſa ſuſtentauit glorioſum Chriſti corpus in eo ſuſpenſum, & prædam tulit tartaris: nam virtute crucis & mortis Chriſti, infernus ſpoliat⁹ eſt, vt prædixerat propheta. Ero mors tua O mors, morſus tuus ero inferne. Cæterùm in ſecũdo huius verſus carmine potius legendum eſt. Pretium pependit ſeculi, vt ſit anapeſtus in primo loco: qui non vitiat carmen, qui ſeculi pependit pretium, vt legunt multi. Nam troche⁹ ibi tertium occuparet locum, quod non eſt vſquequaque in hoc gene-

genere admittendum. At verò nonnulli poſt hunc ſextum verſum, ſubnectunt & hos duos verſus: etiam ad ſanctæ crucis præconium pertinentes.

¶ Aroma fundis cortice:
Vincis ſaporem nectaris.
Iocunda fructu fertili:
Plaudis triumpho nobili.

¶ Salue ara, ſalue victima:
De paſſionis hoſtia.
Qua vita mortem pertulit:
Et morte vitam reddidit.

Qui ſanè piam & deuotam continent ſententiam: & facilè coniectari poſſunt ab eodem (quo reliqui authore compoſiti) Eorum intelligentia eſt clara.

¶ DE PASSIONE DOMINI: alius hymnus.

1 Pange lingua glorioſi
Prælium certaminis:
Et ſuper crucis trophæo
Dic triumphum nobilem.
Qualiter redemptor orbis
Immolatus uicerit.

2 De parentis protoplauſti
Fraude facta condolens:
Quando pomi noxialis
Morſu in mortẽ corruit.
Ipſe lignum tunc notauit
Damna ligni ut ſolueret.

3 Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat:
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret.
Et medellam ferret inde:
Hoſtis unde læſerat.

4 Quãdo uenit ergo ſacri
Plenitudo temporis:
Miſſus eſt ab arce patris
Natus orbis conditor.
Atq; uentre uirginali
Caro factus prodijt.

5 Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia.
Membra pannis inuoluta
Virgo mater alligat:
Et pedes manuſq; crura
Stricta cingit faſcia.

6 Luſtra ſex qui iam peracta
Tempus implens corporis.
Se uolente natus ad hoc
Paßioni deditus:
Agnus in cruce leuatur
Immolandus ſtipite.

7 Hic acetũ, fel, arundo,
Sputa, clauis, lancea
Milite corp⁹ perforatur:
Sanguis unda profluit.
Terra, pontus, aſtra, mund⁹
Quo lauantur flumine.

Crux

8 *Crux fidelis inter omnes*
Arbor una nobilis.
Nulla ſylua talem profert
Fronde, flore, germine.
Dulce lignum, dulces clauos
Dulce pondus ſuſtinens.

9 *Flecte ramos arbor alta:*
Tenſa laxa uiſcera.
Et rigor lenteſcat ille:
Quem dedit natiuitas.
Vt ſuperni membra regis
Miti tendas ſtipite.

10 *Sola digna tu fuiſti*
Ferre ſecli pretium.
Atque portum præparare
Nauta mundo naufrago:
Quem ſacer cruor perunxit
Fuſus agni corpore.

11 *Gloria & honor deo*
Vſquequo altißimo.
Vna patri, filioq;
Inclyto paraclito.
Cui laus eſt & poteſtas
Per æterna ſecula. Amen.

¶Carmen trochaicum alcmanio & euripidio alternatim in hoc hymno eleganter & exactè ſeruatur, de quo ſuperius habita eſt mentio: in explanatione illius hymni de natiuitate domini. Corde natus ex parentis: ante mundi exordium. Author eius: Fortunatus epiſcopus. Commendatur in eo miris præconijs ſacratiſſima crux: & totius humanæ redemptionis ſacramentum per natiuitatem Chriſti & mortem, reſeratur.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Prælium certaminis. Quo ſcilicet Chriſtus pugnauit contra fortẽ armatum, cuſtodientem atrium ſuum: ſed ipſe fortior ſuperueniens: arma eius in quibus confidebat abſtulit, & ſpolia eius diſtribuit, vtpote cõtra dęmonem: quem ignominia crucis & ſingulari humilitate deuicit, proſtrauit, et mundo eiecit. Et hic potius legendum putarim ſuper crucis trophæo quàm trophæum: nam ſuper præpoſitio ſumpta pro de (ſicut hic capitur) ſolum poſtulat ablatiuum caſum. 2 ¶In ſecundo verſu. De parentis protoplaſti. Hic protoplaſti legendum eſt ſine u in tertia ſyllaba: non protoplauſti, vt habent libri mendoſi, nam hoc latinè non dicitur. Protoplaſtus autem ſecundæ declinationis, ſiue protoplaſtes, is, ſecundum tertiam inflexionem: eſt qui primo plaſmatus atque è terra format⁹ eſt: vt Adã

Lucæ.23.

primus

primus parens. Deducitúrque à verbo plaſmare: quod ſignificat (vt antè quoque dictum eſt) ex terra ſiue argilla quicquam effigiare.

3 ¶ In tertio verſu. Et medellam ferret inde. Conſimilē habet ſententiam eccleſia catholica in præfatione ſanctæ crucis: ita deum patrem collaudans. Qui ſalutem humani generis in ligno crucis conſtituiſti: vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat: in ligno quoque vinceretur, per Chriſtum dominum noſtrum.

4 ¶ In quarto verſu. Quando venit ergo ſacri. Id ex beato Paulo ſumptum eſt: ſic ad Galatas ſcribente. Cũ autem venit plenitudo temporis: miſit deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege: vt eos qui ſub lege erãt redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Gala. 4.

5 ¶ In quinto verſu. Stricta cingit faſcia. Faſcia: genus eſt ligaturę qua pueri ligari ſolent, aliúdve quippiam cõſtringi. Vt apud Eſaiam cõminatur dominus filiabus Siõ in repreſſionem ſuperbiæ ipſarum: quòd erit eis pro faſcia pectorali cilicium. Et Hieremias. Nunquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui: aut ſponſa, faſciæ pectoralis ſuæ? Inde faſciola diminutiuum. Et faſciari eſt puerorum more faſcia ligari. Cæterùm quintum carmen huius verſus, vt trocheum omnibus in locis habeat: quemadmodũ debet, ita rectè diſponitur, & pedes manúſque crura: ſicut antè poſitum eſt. Veruntamen non eſt ibidem apta connexio grammaticalis: coniunctionis encliticæ, q;, quæ hic in medio dictionum quas copulat, ponitur: & non in fine, quod eſt contra eius naturam atque conditionem: Idcirco non obſeruata lege carminis: ſatius eſſet ita illud carmen proferre, pedes, manus atque crura. Eſa. 3. 1

6 ¶ In ſexto verſu. Luſtra ſex qui iam peracta. Hoc modo legendum eſt per accuſatiuum: & non in ablatiuo, luſtris ſex qui iam peractis. Nam primo huiuſce carminis loco: debet trocheus conſtitui. Ordinatur autem accuſatiuus ille cum participio implens: quoniam per appoſitionem annectitur huic accuſatiuo tempus, vt hic habeatur intellectus. Qui Chriſtus, implens ſex luſtra iam peracta: exiſtentia tempus corporis. Nam tanto ætatis tempore cõſtituerat ipſe ante paſſionem ſuam hoc in mundo degere. Eſt autem luſtrum: quinque annorum ſpacium, quare

ſex luſtra complent triginta annos. Chriſtus autem triceſimo ſuæ ætatis anno baptizatus eſt: deinde ſeipſum per euangelij annunciationem & miraculorum claritudinem mundo manifeſtauit, & demùm mortem pertulit, ſe tamen
Eſa. 53. volente: ſicut ait Eſaias. Oblatus eſt: quoniam ipſe voluit. Et ad hoc natus eſt, venitque in mundum: vt paſſioni ac morti ſuſtinendæ deditus foret, & addictus.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Sputa, clauis, lancea. Dictiones illæ quatuor: acetum, fel, arundo, ſputa, hoc loco nominatiui ſunt caſus: referunturque ad verbum ſubauditum ſunt aut habentur, hic: vtpote in myſterio paſſionis dominicæ. Duæ vero ſubſequentes dictiones, clauis & lancea: ablatiui ſunt caſus, & referuntur ad verbum perforatur. Poſſet tamen & illæ duæ poſtremæ dictiones, etiam in nominatiuo poni, & ita proferri: ſputa, claui, lancea, vt aliqui non inerudite legunt, referrique ad idem verbum ſubintellectum: cum cæteris præcedentibus dictionibus: & tunc, verbum perforatur, abſolutè ibidem ponetur: nullum habens caſum quem poſt ſe regat.

8 ¶ In octauo verſu. Dulce lignum, dulces clauos. Hoc loco, dulce lignum: nominatiuus eſt, poſitus cum participio ſuſtinens vt ſuo adiectiuo, dulce pondus verò accuſatiuus eſt, eidem participio poſterius annexus, ſicut & proximus illi accuſatiuus, dulces clauos.

9 ¶ In nono verſu. Flectè ramos arbor alta. Hic per proſopopeiam, perſonarúmque fictionem, ſermo ad crucem ſanctam dirigitur: expoſcens ut ſuarum extremarum partium flexione & incuruatione, laxiora reddat Chriſti membra in ea confixa, ne ex nimia diſtentione, qua omnia eius oſſa dinumerari potuerint: grauius ipſe crucietur, petens itidem vt naturalis illa ſoliditas & durities ligni crucis, lentior fiat & flexilis, qua quidem flexibilitate: membra Chriſti tendantur mitius ac laxius, neque tam grauem patiantur dolorem. Sanè lenteſcere: eſt lentum, molle, laxum & flexile fieri, deducitúrque ab adiectiuo lentus: pro eadem ſignificatione, vt lentum dicimus vimen: & arcum diutius extentum, lenteſcere.

10 ¶ In decimo verſu. Ferre ſecli pretium. Dictio ſecli: per ſyncopam hic diſyllaba eſſe debet, nam id carmen ſeptem tantum ſyllabas admittit, Eodem quoque loco pulchra

chra quadam metaphora, crux ipſa: nauta dicitur, quòd totum genus humanum ad æternæ ſalutis ſtationem direxerit, & ita mūdo naufrago, toti ſcilicet humano generi, peccatorum inundatione obruto, portum præpararit tutum & tranquillum: in quo à naufragio ſaluetur: quem quidem mundum ſanguis effuſus corpore Chriſti: abluit ab inquinamentis ſuis, & tanquam ſalutare medicamentum inunxit atque perfudit. 11 ¶ In vndecimo verſu. Vſquequo altiſſimo. Dictio vſquequo, ſæpius interrogatiue ſumitur: idem ſignificans quod vſque ad quod tempus aut locum, vt in pſalmo. Vſquequo domine obliuiſceris me in finē: vſquequo auertis faciem tuam à me? Hic verò (etſi minus proprie atque vſitate) ſumitur aſſertorie: pro vſquequaque, omniquaque, in omni loco pariter & omni tempore, vt ſecundi carminis ſenſus ſit: ſemper ſit altiſſimo.

¶ DOMINICA IN RAMIS palmarum.

1 *Gloria, laus, & honor: tibi ſit: rex Chriſte redemptor.*
Cui puerile decus prompſit oſanna pium.
2 *Iſrael tu rex, Dauidis & inclyta proles.*
Nomine qui in domini rex benedicte uenis.
3 *Cœtus in excelſis te laudat cælicus omnis.*
Et mortalis homo, & cuncta creata ſimul.
4 *Plebs Hebræa tibi cum palmis obuia uenit.*
Cum prece, uoto, hymnis: aſſumus ecce tibi.
5 *Hi placuere tibi: placeat deuotio noſtra*
Rex pie, rex clemens: cui bona cuncta placent.
6 *Hi tibi paſſuro ſoluebant munia laudis:*
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos. Amen.

¶ Hexametro carmine & pentrametro alternatim diſpoſitis conficitur hic hymnus: eleganter & deuotè compoſitus in præconium domini noſtri, quòd cum ingenti honore & publica veneratione fuerit cum ramis palmarum & totius populi Hieroſolymitani obſequioſo cultu, ante paſſionem receptus in Hieruſalem. Author eius: Theodulphus epiſcopus Aurelianenſis. Qui apud Ludouicum

Pium, Francorum regem & imperatorem Romanorum, Caroli magni filium falſo delatus & accuſatus ab æmulis quòd filijs eius in coniuratione contra patrem faueret, eorúmque partes ſequeretur: ab eo Andegauiam relegatus eſt, & ibidem in carcerem coniectus. Cúmque in ſolennitate diei dominicæ in ramis palmarum ſupplicatio publica pro more eccleſiaſtico apud Andegauos fieret: cui & Ludouicus rex interfuit: & illac tranſiret clerus, cum populo, vbi Theodulphus cuſtodiæ erat mancipatus: ipſe aperta feneſtra factóque ſilentio, hunc hymnum à ſe tunc primum editum ſuauiter coram omnibus concinuit. Cuius religione deuotionéque permotus Ludouicus, eum protinus vinculis liberauit: & in priſtini honoris ſtatum reuocauit, vtque deinceps in ſolemni illius diei ſupplicatione hymnus ille caneretur à clero: inſtituit. Quod deinde ab vniuerſali eccleſia receptum eſt.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Prompſit oſanna pium. Oſanna, dictio eſt hebraica: ex corrupto & integro compoſita, ſcilicet ex dictione oſi: ſignificantę idem quod ſalua, & anna deprecantis particula: quæ ſignificat obſecro. Abiecta autem litera i, à priore dictione: coaleſcit hæc dictio compoſita oſanna ſignans idẽ quod ſalua obſecro. Sumitur autem ea dictio hic loco nominis: quod oſtendit adiectiuum neutri generis illi adiunctum.

2 ¶ In ſecundo verſu. Iſrael tu rex. Non eſt hic apponendum verbum ſecundæ perſonę præſentis indicatiui es poſt Iſrael, vt adijciunt permulti: non habentes rationem quantitatis ſyllabarum, ſicut deberent. Nam nomina propria, habentia a ante el: producunt apud probatos authores illam vocalem vt Michael, Raphael, Iſrael. Fortunatus Iſraeliticos iuſſit adeſſe viros. Et Valerius Flaccus. Hic & odoratus flagranti crine Michael. Nec ſolũ ſecunda ſyllaba huius dictionis Iſrael producitur: ſed & tertia naturaliter eſt longa, ſicut & conſimilium illi nominum. Quare verbum es ſuperadditum: omnino corrumpit & vitiat carmen. Eſt autem dictio Iſrael, ibi genitiui caſus: & ordinatur cum nomine rex: quoniam ea vox in ſcriptura nunc indeclinabilis eſt, vt in illo ſacroſanctæ virginis cantico. Suſcepit Iſrael puerum ſuum, & permultis aliis locis: & etiam hoc in loco. Nunc vero declinationem recipit

pit, vt in Exodo. Fugiamus Iſraelem: dominus enim pugnat pro eis. Et in pſalmo. Diſperſiones Iſraelis congregabit. Ita dictio Dauid in ſcriptura ſemper indeclinabilis eſt, vt in pſalmo. Memento domine Dauid: & omnis manſuetudinis eius, vbi genitiui caſus eſt: & mille aliis in locis. Apud probatos autem authores & extra ſacræ ſcripturæ libros: id nomen declinationem tertiam recipit: & mediam ſyllabam in obliquis ſemper habet longam: ſicut & hoc in loco, vnde Mantuanus ita dictionem illam adaptat carmini: cum multis in locis, tum in vita ſancti Ludouici Morbioli: dicens. Hæc obſcura pium merſit Dauida vorago. Exo. 14. Pſal. 146. Pſal. 131.

3 ¶ In tertio verſu. Te laudat cælicus omnis. Non hic cælitus aduerbium legi debet: idem ſignificans quod de cælo. tum quod illud, ſuaptè natura verbum expoſcat potius motum de loco ſignificans: quale non eſt verbum laudat, tum quòd ſuperfluum videretur id aduerbium: cum in eodem carmine ponatur, in excelſis: ad ſignificandum cæleſtem regionem. Sed cælicus dicendum eſt hoc loco, id eſt cæleſtis: quod ſit adiectiuum nominis cœtus, in eiuſdem carminis principio poſiti. At verò in ſecundo eiuſdem verſus carmine: coniunctio & geminanda eſt hoc modo. Et mortalis homo, & cuncta creata ſimul. Alioqui duo illi nominatiui ſecundi carminis, nulla copula connecterentur: quod ineptam faceret orationis compoſitionem.

4 ¶ In quarto verſu. Cum palmis obuia venit. Hic obuia nomen legendum eſt, non obuiam aduerbium: quemadmodum aliqui habent libri, vt ſatis manifeſtat ipſa carminis ratio. Hæc autem omnia quæ iſto in loco referuntur: apud Matthæum capite viceſimoſeptimo & cæteros euangeliſtas amplè & diffuſè narrantur: quare non opus viſum eſt illa ex euangelijs hic adducere.

6 ¶ In ſexto verſu. Soluebant munia laudis. Munia dicuntur debita obſequia, ſiue officia cuique propria. Hebræi autem cum laude & canticis dominum introeuntem in ſanctam ciuitatem ſuſcipientes: ſuo fungebantur officio, & debitum illi præſtabant obſequium, idcirco illi ſoluiſſe dicuntur munia laudis, habétque id nomen in vſu ſolum nominatiuum, accuſatiuum & vocatiuum pluralem. Alij verò hoc loco munera legunt: & etiam rectè:

nam & munus pro officio ſæpenumerò ſumitur.

Porrò ſuperioribus annis apud cænobium Cluniacum aliquantiſper diuerſatus: vidi ſupradictis ſex verſibus in hoc celebri & præclaro hymno adiectum hunc ſeptimum verſum.

Fecerat Hebræos hos: gloria ſanguinis altos.
Nos facit Hebræos: tranſitus ecce pius.

Cuius hæc eſt ſententia. Hieroſolymitani qui te ô Chriſte laudibus proſecuti ſunt. Hebræi fuerunt, quoniam ex antiquis patribus Hebræis, patriarchis & prophetis claro ſtẽmate ſunt progeniti: & potiſſimùm ab Abram, qui Geneſis decimoquarto capite primum cognominatus eſt Hebræus, vbi dicitur. Et ecce vnus qui euaſerat: nunciauit Abram Hebræo, qui habitat in conualle Mambrę. Nos autem Chriſtianos, reddit Hebræos myſtice & ſecundum ſpiritum ſacer ille tranſitus: quo per tuam ſanctam paſſionem tranſimus à morte ad vitam, à tenebris ad lucem, à ſeruitute ad libertatem, à vitijs ad virtutem. Et in hoc ſecundo carmine alludit author ad interpretationem huius nominis Hebræus: deſcendentis ab Heber, quod tranſitũ ſiue tranſitionem ſignificat. Vnde gloſſa ordinaria expones locum illum Geneſeos capite decimoquarto iam adductum: ait in explanatione dictionis illius, Hebræo. Septuaginta interpretes pro Hebræo: habent, transfluuiali: quia ſcilicet Abram de Meſopotamia veniens tranſito fluuio Euphrate ſedem poſuit in terra Chanaam. Vnde Ieſus Naue, Quid vultis ſeruire dijs patrum veſtrorum: qui ſunt trans flumen? Et gloſſa inter linearis eodem in loco dicit Hebræo: id eſt tranſitori. Quibus idem aſtipulatur Nicolaus Lira, perhibens & Abram & eius poſteros Hebræos dici ab Heber, quod tranſitum ſignat: quoniam Abram iuſſu domini veniens de terra & cognatione ſua in terram Chanaam: fluuium Eufratem tranſiuit. De quo etiam diffuſam fecit annotationem Paulus Burgenſis: in 21. capite Matthæi.

Gene. 14.

¶ IN EADEM DOMINICA: alius hymnus.

MAgno ſalutis gaudio
Lætetur omne ſeculum:
Ieſus redemptor omnium
Sanauit orbem languidum
2 *Sex ante paſchæ ferias*
Aduenit in bethaniam:
Vbi pie poſt triduum
Reſuſcitauit Lazarum.
3 *Nardi Maria piſtici*
Sumpſit librã mox optimi:
Vnxit beatos domini
Pedes rigando lachrymis.
4 *Poſt hæc iugalis aſinæ*
Ieſus ſupernus arbiter
Pullo ſedebat: inclytam
Pergebat Hieroſolymam.
5 *O quàm ſtupenda pietas*
Mira dei clementia.
Seſſor aſelli fieri
Dignatur author ſeculi:
6 *Ramos uirentes ſumpſerat*
Palma reciſos tenera:
Turba proceſſit obuiam
Regi perenni plurima.
7 *Honor, uirtus, imperium*
Si trinitati unicæ:
Patri, nato, paraclito
Per infinita ſecula. Amẽ.

¶ Iambicum dimetrum carmen in hoc hymno propemodùm obſeruatur: præter id quòd nõnullis in locis trocheus, nunc pro ſpondeo, nunc pro iambo ponitur. Deſcribitur in eo Lazari reſuſcitatio, effuſio vnguenti à pia Magdalena ſuper dominum in cœna, introitus Chriſti in Hieroſolymam ſuper aſinam, & officioſa ipſius turbæ illi occurrentis deuotio. Quæ omnia ex euangelica lectione plana & nota ſunt.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecũdo verſu. Vbi pie poſt triduum. Non ſumendum eſt illud triduum: à die aduentus Chriſti in Bethaniam: quoniam tunc feria tertia ante paſcha primum reſuſcitaſſet Lazarum: quod euangelicæ lectioni repugnat. Sed numerandum eſt illud triduanum ſpacium à tempore mortis Lazari, vt ſenſus ſit, quòd Chriſtus reſuſcitauit Lazarum in Bethania: poſt triduũ obitus & ſepulturæ ipſius. Quatriduanus enim reſuſcitatus eſt Lazarus, & iam quatuor dies in monumento habens: vt dicit ſcriptura. Proinde expreſſior eſſet ſententia, ſi per Ioan. 11.

ſi per præteritum pluſquam perfectum legeretur: hoc modo, vbi piè poſt triduum reſuſcitarat Lazarum.

5 ¶ In tertio verſu. Nardi Maria piſtici. Nardus, i, fœminini generis, & Nardum, i, generis neutri: frutex eſt grati & iucundi odoris, ex quo vnguentũ conficitur quod Nardinum vocant. Tibullus. Illius puro diſtillẽt tempora nardo. Et in canticis legimus. Dum eſſet rex in accubitu ſuo:
Canti.1. nardus mea dedit odorem ſuum. Hoc autem in loco neutri generis eſſe conijcitur propter adiectiuum illi adiunctum ſcilicet piſtici. Dicitur autem nardum piſticum: aut à loco in quo creſcit aut à qualitate & conditionẽ: quia ſyncerum eſt & purum, neque aliarum ſpecierum admixtione adulteratum. Piſtis enim: fidem ſignat. Inde piſticum: fidele. In eodem verſu. Pedes rigando lachrymis. Non id intelligatur eſſe factum: quòd Magdalena lachrymis ri-
Ioan.12 gauerit pedes domini in cœna illa quæ deſcribitur 12. Ioan. cap. & ab alijs tribus euangeliſtis. Nam in illa, ex deuoto mentis affectu vnxiſſe quidem pedes domini & exterxiſſe capillis ſuis legitur: non autem lachrymis irrigaſ-
Lucæ.7. ſe. Sed in conuiuio illo cuius mentionem facit Lu. ca. 7. facto in domo Simonis Phariſæi, cui inuitatus affuit dominus: refertur ipſa nõ nominatim expreſſa, ſed nomine peccatricis in ciuitate ſubinſinuata, amaris lachrymis irrigaſſe pedes domini, eoſdem exterſiſſe capillis & inunxiſſe vnguento: in ſalutarem pro peccatis ſuis pœnitentiam, quorum, teſte totius miſericordiæ fonte: ibidem obtinuit remiſſionem. Atqui hæc vnctio pedum domini cum lachrymis: alia omnino fuit, & numero, loco, ac tempore diuerſa ab illa vnctione, quæ facta eſt poſt ſuſcitationem Lazari in cœna, vt conſideranti circunſtantias loci & tẽporis: ex euangelica lectione facilè conſtat. Eadem tamen prorſus fuit mulier, quę & primo vnxit pedes domini cũ lachrymarũ irrigatione, in ſalutarẽ ab illecebris ſeculi cõuerſionẽ: & ſecundo inũxit etiã pedes domini ſine lachrymis ex affectuoſa amoris in Chriſtũ deuotione, quinimmò & tunc etiã partẽ vnguenti effudit ſuper caput Chriſti diſcũbentis, vt alij narrant euangeliſtæ. Quòd autem omnino
Mat.26. eadem fuerit mulier quæ vtranque fecit inunctionẽ: dilu-
Ioan.11. cide ex Ioãne colligitur, qui in principio vndecimi capitis narraturus reſuſcitationẽ Lazari: dicit Mariã ſororẽ Lazari

zari eam fuiſe, quæ vnxit dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis: & iam id factum ab ea ſuiſſe teſtatur. In duodecimo verò capite deſcribens cœnam domino exhibitam in Bethania, in qua Lazarus iam reſſuſcitatus erat vnus ex diſcumbentibus: rurſum refert amatoriã Magdalenam vnxiſſe pedes domini & cappillis ſuis eos exterſiſſe, domúmque impletam eſſe ex odore vnguenti. Quare idipſum quod Ioannes vndecimo capite iam factũ dixerat: intelligi debet in domo Symonis Phariſæi in ciuitate Hieruſalem eſſe longe antè peractum. Huic accedit quod Lucas capite octauo dicit dominum noſtrum à maria Magdalena eieciſſe ſeptem dæmonia, & idem atteſtatur Marcus capite decimoſexto. Beatus autem Gregorius ſeptem illa dæmonia interpretatur vniuerſitatem vitiorũ ab ea expulſorum in fructuoſa eius ad dominum cõuerſione: quam Lucas (vt dictum eſt) ſeptimo capite explicat Demùm eccleſia catholica hãc omnino ſequitur & approbat ſententiam, quòd mulier illa cuius ſolus meminit Lucas, publica pœnitentia & ſatisfactiõe ad dominum conuerſa: fuerit Maria Magdalena. Nam & euangelium illud & opus ſalutare ibi deſcriptum: legit in ſolennitate & officio celebritatis eiuſdem ſacræ Chriſti amatricis, & à Chriſto dilectæ. Quare non eſt illud aut reuocandum amplius in dubium: vt nonnulli faciunt, aut ambigendum. Neque id quoquo pacto cedit in ipſius Magdalenæ contumeliam aut ignominiam, quòd dicatur aliquando fuiſſe peccatrix: ſed inſigniorem hoc ei parit gloriam & laudẽ: quod ex barathro damnationis & via perditionis integrè & ſynceriter reſipuerit, Chriſti fuerit in carne diuerſantis hoſpita, reſurectionis domini ad apoſtolos nuncia, euangelicæ veritatis deinde apud Maſſilienſes prædicatrix, eremique per multa annorum curricula habitatrix, cæleſtem in terris vitam iugi dei contemplatione degens: atque ab angelicis choris (quorum frequenti fruebatur cõſortio) ſæpius à terra in aera ſublata. Quæ ſanè à patre miſericordiarum & authore vitæ, hominibus propoſita eſt: tanquam pœnitentiæ ſpeculum inſigne, quod intuentes: à præteritis peccatis pedem reuocẽt & ac vberrimum veniæ ad benignitatis fontem recurrant. 4 ¶ In quarto verſu. Poſt hæc iugalis aſinæ Iugale id dicitur: quod iugo ſub

Ioannis 12

Lucæ 8

Marci 16

ſubditur atq; aſtringitur. vt equus, bos, aſinus. Hinc pullú aſinæ vocat Matthæus filium ſubiugalis. Sic tędæ iugales & vincula iugalia, dicũtur fœdera matrimonij. Ouidi. Illa velut crimen tædas exoſa iugales. Et Virgilius. Cui vincula iugalia curæ. deducitur auté à verbo iugo, as, are: quod coniungere ſignificat, & quaſi ad vnum iugum alligare. Cicero in Tuſculanis. Hoc quidé eſt cõmune virtutú: omnes enim inter ſe nexę & iugatæ ſunt. 6 ¶ In ſexto verſu. Palma reciſos tenera. amputatos, abſciſos. à verbo recidor, eris, quod actiuum habet. recidere, ex re & cædo compoſitum. ouidius. Sed immedicabile vuln⁹ enſe recidendum eſt, ne pars ſyncera trahatur.

¶ IN COENA DOMINI.

REx Chriſte factor omnium:
Redemptor & credentium.
Placare votis ſupplicum:
Te laudibus colentium.

2 Cuius benigna gratia
Crucis per arma vulnera:
Virtute ſoluit ardua
Primi parentis vincula.

3 Qui es creator ſyderũ:
Tegmen ſubiſti carneum:
Dignatus hãc viliſſimam
Pati doloris formulam.

4 Ligatus es vt ſolueres
Mundi ruentis complices.
Per probra tergẽs crimina
Quæ mũd⁹ auxit plurima.

5 Cruci redẽptor figeris.
Terrã ſed omnem concutis
Tradis potentem ſpiritum:
Nigreſcit atque ſeculum.

6 Mox in paternæ gloriæ
Victor reſplẽdens culmine:
Cum ſpiritus munimine
Defende nos rex optime.

¶ Carminis iambici dimetri legem & formam, præſens hymnus integrè & accurate obſeruat. Cõmendatur in eo magna filij dei benignitas, qui propter noſtram ſalutem non ſolum carnis noſtræ ſubſtãtiam ſumere voluit, ſed & ignominioſam mortem crucis ſubire ſuſtinuit, vt nos eriperet de poteſtate tenebrarum & lucis æternæ faceret conſortes.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Crucis per alma uulnera. Id eſt, per vulnera in cruce Chriſto inflicta, que ſunt noſtri medicina doloris. Nam vt ait propheta,

pheta, Liuore eius ſanati ſumus: & vulneratus eſt vt ani- *Eſa..*
marum noſtrarum vlnera curaret. 3 ¶ In tertio verſu. Dignatus hanc viliſsimam. Formulam doloris viliſsimam vocat author, gen⁹ mortis, maxime ignominioſum & probroſum: quale eſt mors crucis. Nulla enim deſpica *Sapien.2.*
bilior aut contemptibilior apud Iudęos habebatur mors: quam crucifixio, quemadmodum inter ſe cōcinnātes dolum: dixerunt apud Sapientem. Morte turpiſsima cōdemnemus eum.

4 ¶ In quarto verſu. Mundi ruentis complices. Qui in malo perpetrando ſocij ſunt, & mutuo cōſenſu peccatum perpetrant: complices dicuntur, à complicandis in vnum animis ad ſcelera committenda. Et quoniam omnes homines, quos gratia dei in conceptu, ſpeciali munere non præuenit: ad malum vno animo conſpirant & proni ſunt, rectè hic complices dicuntur. 5 ¶ In quinto verſu. Terram ſed omnem concutis. Tremore ſcilicet & terræ motu: qui factus eſt tempore paſsionis Chriſti, ſecundū euāgelicā hiſtoriā. Potētem autē ſpiritū vocat author animā *Matth.27*
Chriſti: quā in manus dei patris commēdauit, deitati vnitam atque omnipotenti virtuti diuinæ. Tunc itidē atrum factum eſt cælum atque tenebroſum: quando ſecūdū euāgelij narrationē tenebræ factæ ſunt per vniuerſam terram, ab hora ſexta vſque ad nonam.

DE PASSIONE DOMINI.

Hymnum dicamus domino:
Laudes deo cum cantico,
Qui nos crucis patibulo
Suo redemit ſanguine.
2 *Die decurſū ad ueſperū*
Quo Xp̄s morti traditur
Ad cœnam uenit impius
Qui erat Chriſti proditor.
3 *Ieſus futura nunciat*
Cœnantibus diſcipulis:
Vnus ex diſcumbentibus
Ipſe me traditurus eſt.
4 *Iudas mercator peßim⁹*
Oſculo petit dominum.
Ille ut agnus innocens
Non negat Iudæ oſculum.
5 *Denariorum numero*
Chriſtus Iudæis traditur:
Innocens & innoxius
Quem iudas tradit impius.
6 *Præſes Pilatus ꝑclamat:*
Nullam culpam inuenio.

Ablutis

Ablutis aqua manibus
Chriſtum Iudæis tradidit.
7 *Fallaces Iudæi, impij:*
Latronem petunt viuere.
Chriſtũ accuſant grauiter
Crucifigatur, reus eſt.
8 *Et Barrabas dimittitur:*
Qui reus mortis fuerat.
Vita mundi ſuſpenditur:
Per quam reſurgũt mortui.
Amen.

Videtur hic hymnus carmine iãbico dimetro eſſe cõpoſitus: eius tamẽ regulam & pedes nequaquam ſeruat, ſed ſolum ſyllabarum numerũ. Nã trocheum in omnibus ferè locis habet hoſpitem: & pirrhichium in anterioribus, poſt vocalem etiam &, m, literam ſequentem dictionem habet ſæpius à vocali ſine colliſione inchoatam, quæ omnia: metri iambici norma non admittit. Continetur in eo myſterium ferè totum paſsionis domini, cœna eius vltima cum diſcipulis, traditio facta à Iuda, condẽnatio eiuſdem ad mortem à Pilato: poſtquàm diutius innocẽtiam ipſius fuerat proteſtatus, & Barrabæ latronis dimiſsio. Quæ omnia: ex lectione euangelica plana ſunt.

2 ❡ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Die decurſo ad veſperũ. Decurrere quanuis ſuaptè natura neutrale ſit ſicut ſuum ſimplex: interdum tamen tranſitiui verbi vim habet & conditionem, ſignificans idem quod pertrãſire: & accuſatiuum poſtulat: vt equus decurrit ſtadiũ. Inde participium præteritum decurſus, id eſt pertranſitus atque tranſactus.

4 ❡ In quarto verſu. Oſculo petit dominum. Non hic petiit legendum eſt: vt aliqui habent libri, nam plures æquò tunc eſſent illius carminis ſyllabæ: ſed in præſenti tẽpore petit, quod haud magno impendio præteriti temporis habet intelligentiam; ſicut & alia huius hymni verba pręſentia: negat, traditur, proclamat: pro pręteritis ſumuntur. 7 ❡ In ſeptimo verſu. Fallaces Iudæi impij. In hoc carmine fieri debet ſynalœpha: id eſt vocalis præcedentis in vocalem colliſio, quanuis in aliis huius hymni locis illa non obſeruetur. Et id quidẽ hoc in loco fit: ne ſupercreſcat vna ſyllaba vltra numerum debitum. Octo enim tantum ſyllabas integras & non colliſas: admitit carmen. 8 ❡ In octauo verſu. Et Barrabas dimittitur. Nõ hic

hic dicendum eſt:vt habent libri mendoſi, Et Barrabas la
tro dimittitur. Nam ſic hoc carmen decem haberet ſylla-
bas & quinque pedes : cum octonarium ſyllabarum nu-
merum & quatuor pedum,non debeat excedere. Verùm
ea dictio latro,ab aliquo legis iſtius carminis ignaro ad- Ioan. 18
iecta facile credi poteſt:propter dictum euãgelicũ. Erat
autem Barrabas latro. Cæterùm in eiuſdem verſus quar-
to carmine nihil refert:ſi per quem reſurgunt mortui le-
gatur,vel per quam. Nã pronomen fœmininum quã: ad
vitam refertur , quem verò : ad rem ſignificatam ſcilicet Ioan..II.
Chriſtum,qui eſt vita mundi:vt de ſeipſo dicit. Ergo ſum
reſurrectio & vita.

AD ACCENSIONEM CAEREI paſchalis: hymnus.

INuentor rutuli dux bone luminis.
Qui certis uicibus tempora diuidis.
Merſo ſole,chaos ingruit horridum:
Lumen redde tuis Chriſte fidelibus.
2 *Quanuis innumero ſydere regiam,*
Lunariq; polum lampade pinxeris:
Incuſſu ſilicis lumina nos tamen
Monſtra ſaxigeno ſemine quærere.
3 *Ne neſciret homo ſpem ſibi luminis*
In Chriſti ſolido corpore conditam.
Qui dici ſtabilem ſe uoluit petram:
Noſtris igniculis unde genus uenit.
4 *Pinguis quos olei rore madentibus*
Lychnis ac facibus paſcimus aridis.
Quin & fila fauis ſcirpea floreis
Preſſo melle prius collita fingimus.
5 *Viuax flamma uiget: ſeu caua teſtula*
Succum linteolo ſuggerit ebrio.
Seu pinus piceam fert alimoniam:
Seu ceram terretem ſtuppa calens bibit.
6 *Splendent ergo tuis muneribus pater*

Flammis

Flammis mobilibus ſcilicet atria.
Abſentémque diem lux agit æmula:
Quam nox cum lacero uicta fugit peplo.
7 *O res digna deus: quam tibi roſidæ*
Noctis principio grex tuus offerat.
Lucem: qua tribuis nil pretioſius.
Lucem: qua reliqua præmia cernimus.
8 *Tu lux uera oculis: lux quoque ſenſibus.*
Intus tu ſpeculum: tu ſpeculum foris.
Lumen quod famulans offero: ſuſcipe
Tinctum pacifici chriſmatis unguine.
9 *Per Chriſtum genitum ſumme pater tuum:*
In quo uiſibilis ſtat tibi gloria.
Qui noſter dominus, qui tuus unicus:
Spirat de patrio corde paraclitum.
10 *Per quem ſplendor, honos, laus, ſapientia,*
Maieſtas, bonitas, & pietas tua,
Regnum continuat numine triplici:
Texens perpetuis ſecula ſeculis. Amen.

Vnius generis atque formæ eſt huius hymni carmen: quod Græci monocolon, id eſt vnius mẽbri dicũt. Nam ſemper aſclipiadeum eſt: habens primo loco ſpondeum, ſecundo choriambum, itidem & tertio loco, qui extremas ſyllabas primam & quartam habet longas: duas autẽ intermedias breues, vt ſanctificãs, quarto deniq; loco iãbũ hebet aut pyrrhichium. Et huius quidem metri lex in ſingulis præſentis hymni carminibus integrè exacteque ſeruatur. Author eius. Prudẽtius, apud quem præſens hymnus longe diffuſior eſt & prolixior: quàm in eccleſiaſtico officio cantari ſoleat, vt inſpectanti eius opera perſpicuũ eſt, hic autem ſoli illi adducuntur verſus: qui ad eccleſiaſticum vſum accommodari conſueuerunt. Laudatur in eo ſumma dei bonitas, lucis omnis cum ſenſibilis tum ſpiritualis author: quòd non ſolum cæleſtes orbes lucidis ornarit

ſtarit ſideribus, ſed & docuerit nos arte vt incuſsione ſilicis & cęreorum adminiculo lumen inquirere ac fouere, rogatúrque vt nouæ lucernæ lumen quod in paſchalis ſolennitatis honorem accenditur, ſuæ maieſtati oblatum benignè ſuſcipiat: & nos demùm ex hac luce materiali traducat ad cæleſtis regni claritatē, vbi lux eſt perpetua & nullis fuſcata tenebris.

1 ℂ ANNOTATIONES. In primo verſu. Inuentor rutuli dux bonæ luminis. Chriſtus (ad quem hic dirigitur oratio) dicitur hoc loco inuentor rutili luminis: quoniam per creationem lucis primo die, deinde formationē ſolis, lunæ & aſtrorum quarto die productionis rerū, lumen ſenſibile & corporalibus oculis peruium mundo inuexit ac exhibuit. Idem miniſterio lucis diſtinguit ſuis vicibus tempora: ſcilicet diem & noctem, menſes & annos, per varios ſolis & lunæ motus. Gene.1.

2 ℂ In ſecundo verſu. Quanuis innumero ſydere regiam. Hic regia nomen eſt ſubſtantiuum: ſignificátque aulam ſiue palacium regis. Ouidius. Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis. Ipſius autem dei regia, cælum eſt: nam in cælis habitare dicitur à ſcriptura. In eodem quoque verſu & quarto eius carmine, ſemē ſaxigenum dicitur ſcintilla ſilice excuſſa: quòd de ſaxo ſit genita. Ea enim cum attritu ſilicis excutitur, & apto ſuſcipitur fomēto: demum ſuſcitatur in flammam, & ignem miniſtrat. Porrò nominum à gigno compoſitorum hæc ſubſtātiua ſunt: vt terrigena, grauigena, illa verò adiectiua: vt omnigenum, ſaxigenum. Pſal.2.

3 ℂ In tertio verſu. Qui dici ſtabilem ſe voluit petrā. Eſaias Chriſtum vocauit lapidem: cum ait. Ecce ego mittam in fundamētis Sion lapidem angularem, lapidē probatum, pretioſum, in fundamento fundatum. Et apud Danielem, lapis exciſus de monte ſine manibus: Chriſtū ſignat. Inſuper & pſalmus idem teſtatur: cum ait. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli. Rurſum ad Epheſios ſcribens Paulus: Chriſtū vocat ſummum lapidem angularem. Et ad Corinthios ait. Petra autem erat Chriſtus. Demùm ſeipſum monſtrauit Chriſtus: cum apud Matthæum dixit Petro. Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Eſaiæ. 28. Danie.2. Pſal.117. Ephe.2. 1.Cor.10. Matth. 16.

4 ℂ In

4 ¶ In quarto. Lychnis ac facibus paſcimus aridis. Lychnus: latine lucerna, lampas, candela, & quicquid arte induſtriáque lumen humanis vſibus miniſtrat. Virgilius. Dependent lichni laquearibus aureis. Hinc ellychnium: quod lucernis adhibetur ad lumen præſtãdum. Eſt enim funiculus ille: qui incenſus flammam nutrit. Scirpus autem eſt interior iunci pars albicans & poroſa, quaſi eius medulla. Terentius. Nodum in ſcirpo quæris. Inde fila ſcirpea hic dicuntur: quæ iuncis extracta inſtar fili in longum porriguntur: & cæræ circõpoſita aut oleo immiſſa flammam enutriunt. Fauos verò floreos vocat hic author cæram: apum ſedulitate ex floribus collectã. Demùm collita participium prĕteritum à collinor: ſimul inuncta delibutáque ſignat, & media breui dèbet proferri: quoniam ſimplicis eius lino ſupinum litum habet primã breuem. 5 ¶ In quinto verſu. Viuax flãma viget. Trifariam hoc loco deſcribitur flãma vigeri in materia corporali, ſcilicet aut in lampade ſubminiſtrante oleum paruo lintheo tanquam elichnio: aut in pice reſina, conſimili've materia arboribus defluente, aut denique in cæra, ipſi elychnio circompoſita in formam terretem: vt in ipſis cæreis. Dicitur autem teres: quod oblóngum eſt & vnica clauſum ſuperficie laterali: vt cæreus, haſta, & ſimilia id genus. 6 ¶ In ſexto verſu. Flammis mobilibus ſcilicet atria. Rectè hic flammas vocat mobiles: quoniam ipſius flammę proprium eſt, agitari ſemper & moueri. Lux item æmula dicitur agere atque referre diem abſentem: quoniam lumen cæreorum accenſorum quod imitatur diurnam claritatẽ, repræſentat ipſius diei ſplendorem, & quãuis abſens ſit dies: illa tamen luminarium accenſorum flãma rutilium emittit fulgorem, perinde atque dies foret præſens. Demùm illam lucem nox victa fugit lacero peplo, id eſt palla ſiue amictu quoniã noctis obſcuritas effugatur per illàm cæreorum lucem & diſſoluitur tenebrarũ opacitas: quæ eſt quaſi peplum & opertorium noctis.
7 ¶ In ſeptimo verſu. Quam tibi roſidæ noctis principio. Nox roſida dicitur quæ rore humecta eſt & perfuſa, quoniam noctu potiſsimum tempore verno ros placido illapſu herbas irrigat & terram irrorat: vt habet Ariſtoteles in Metheoris. Sic roſida dicuntur mala ſiue poma: quæ

quæ rore ſunt reſperſa. Virgilius. Sepibus in noſtris parvuam teroſida mala. Ponitur autem hoc loco magna lucis etiam ſenſibilis commendatio: vt quam deus voluerit ab hominibus ſibi in ſacrificium offerri, tum quòd inter corporalia nihil luce dignius inueniatur: tum quòd eius beneficio cætera omnia reddantur conſpicua & ſpectabilia. Verùm hæc deinde ad ſpiritualem & intellectualem lucẽ principalius accommodentur. Neque illud ſilentio prætereundum: quòd in quarto verſus huius carmine: vltima ſyllaba dictionis reliqua, naturaliter breuis, poſitione fit longa eo in loco: propter duas cõſonantes continuo ſubiunctas in ſequenti dictione præmia, quod quidem nonnunquam (licet raro) faciũt authores, vt cum vocalis breuis eſt vltima dictionis litera, & in principio ſequentis dictionis ſequuntur duæ conſonãtes: quòd illa vocalis producatur poſitione. Quemadmodũ Sillius in nono libro. Immane ſtridens agitur: crebróque coacta Vulnere, bellatrix properos fert belua greſſus. Et Iuuenalis ſatyra octaua: Occulta ſpolia & plures de pace triũphos. Verum id non eſt in imitationem trahendum.

8 ¶ In octauo verſu. Tu lux vera oculis. Ab imagine & figura veritatẽ ipſam & exẽplar tranſiens author: Chriſtus eſſe dicit veram lucem oculis intellectualibus & ſenſibus internis animi, quoniam de eo dicit Ioãnes. Erat lux vera: quæ illuminat omnem hominem venientem in hũc mundum. Eundem vocat ſpeculum intus & foris: quoniã & ſecundum diuinitatem intus latentem & humanitatem foris apparentẽ claritas eſt eximia, in cuius viſione: beatitudo conſiſtit. Demùm lumen quòd offertur dicit tinctũ vnguine, id eſt vnguento ſiue iunctione pacifici chriſmatis. Nam ſecundum illius temporis ritum cæreus ipſe paſchalis ſancto chriſmate, oleóque ſacro inũgebatur in conſecratione. Vocatur autem chriſma pacificum: quoniã ex oleo oliuarum conficitur, quod miſericordiam & pacem ſignat. Qui enim pacem apud antiquos indicare voluerũt: dextra prætendebant ramum frondentis oliuæ, quam ea de cauſa paciferam appellare ſunt ſoliti. *Ioan. 1.*

9 ¶ In nono verſu. In quo viſibilis ſtat tibi gloria. Non hic, inuiſibilis legendum, vt nonnulli habent libri: ſed aſſere tria dictio ponẽda, ſcilicet viſibilis. Siquidẽ deo pa-

eri eſt gloria viſibilis in filio: quoniam ex quo filius dei humanam ſuſcepit carnem, & operibus miraculorum doctrináque ſalutari ſe verum deum & dei filium declarauit, manifeſtauit hominib⁹ gloriam & maieſtatem paternam, quemadmodum ipſe in euangelio dicit: Ego honorifico patrem meum. Et iterũ ad patrem. Manifeſtaui nomen tuum hominibus.

Ioan. 8

Ioannis 17

10 ❡ In decimo verſu. Numine triplici texens. Deus pater dicitur hic texens ſecula perpetuis ſeculis: quòd temporum vices, ſucceſsiones, & decurſus perpetua duratione ordinationéque diſponit, ab ipſius ſcilicet mundi exordio ad conſummationem vſque ſeculi, vt continuo curſu & ſine interruptione: deducãtur rerum temporalium ſpacia. Et id quidem triplici numine, id eſt diuinarum perſonarum trinitate, eadem triſubſiſtentium diuinitate ac maieſtate. Eſt enim idem ipſarum trium diuinarum perſonarum numen & deitas, eadémque poteſtas. Cui ſit honor, gloria, & gratiarum actio in ſecula ſeculorum. Amen.

1 IN SOLENNITATE PASCHALI.

SAlue feſta dies: toto uenerabilis æuo.
Qua deus infernum uicit: & aſtra tenet.
2 *Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi:*
Omnia cum domino dona rediſſe ſuo.
3 *Nanque triumphanti poſt triſtia tartara Chriſto*
Vndique fronde nemus gramina flore fauent.
4 *Legibus inferni oppreſsis: ſuper aſtra meantem*
Laudant rite deum lux, polus, arua, fretum.
5 *Qui crucifixus erat: deus ecce per omnia regnat.*
Dántque creatori cuncta creata precem.

Canticum iſtud carmine hexametro & pentametro alternatim fluit, & eius legem integrè ac elegãter obſeruat. Author eius Lactantius Firmianus. Apud quem oda præſens longe copioſior eſt, & amplior pluribúſque abundãs verſibus quàm hic afferantur, vt facilè inquirenti integrum iſtud carmen conſtare poteſt: nam diuulgatum ſatis eſt & cuique ad manus promptum. Verentamen ſoli verſus illi hic poſiti ſunt: qui in officio eccleſiaſtico ſolent cãtari. Commendatur in eo ſacer dies paſchæ, triumphali

Chriſti

Chriſti reſurrectione celeberrimus: cui omnia congratulari & cõgaudere etiam inſẽſibilia & inanima mõſtrãtur.
2 ℂ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi. Mundum vocat renaſcentẽ author: quantum ad qualitates & accidẽtarias proprietates rerum corporalium: cæli ambitu comprehenſarum. Enimuerò tempore hyberno arua & arbuſta aſperitate frigoris ſunt velut emortua: & ſuo ſpoliata decore. In placida autem veris temperie (in quo ſemper dies paſchalis quotannis occurrit) repullulant & quaſi ad vitam reuocantur omnia, cum (vt ait Horatius) diffugere niues: redeunt iam gramina campis, arboribúſque comæ. Ideo Chriſti ad vitam reditum omnia teſtantur ferè corpora: cum naturali lege poſt hyemis inclementiam renouantur ad vitalem ſtatum, habitum, & gratiam. 3 ℂ In tertio verſu. Triumphãti poſt triſtia tartara Chriſto. Poſt triſtia tartara dicit, quoniã triumphauit dominus per reſurrectionem glorioſam: poſtquàm ad inferos deſcenderat, vt inde in ſanguine teſtamenti ſui (ſecundum propheticum eloquium) emitteret vinctos de lacu: in quo nõ erat aqua. Prius enim poteſtates tenebrarum ſuo potentifico deſcẽſu expugnauit & attriuit, antiquóſque patres liberauit de carcere quo hactenus fuerant detenti: quàm à morte reſurgeret. Quod ſatis indicat pſalmus: vbi ita deũ patrem Chriſtus alloquitur. Quoniã non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctũ tuum videre corruptionem. 4 ℂ In quarto verſu. Super aſtra meãtem. Hic glorioſam domini in cælos aſcenſionem celebrat: quæ conſummatio & complemẽtum fuit diuinorum operum, pro redemptione noſtra peractorum. Natiuitas enim domini, paſsio & reſurrectio: fœlicem aſſecuta ſunt finem in reditu Chriſti ad cælos vnde deſcenderat. Et operepretium eſt attendere, quàm rationabiliter hæc tria ordine quodam certo peracta ſunt: quæ hic memorantur, ſcilicet deſcẽſus ad inferos, reſurrectio à mortuis, & ad cælos aſcenſio, & in his, progreſsio quædam facta ab imo, per medium ad ſummum: tãquam ab infimo extremo per intermedium quoddam ad ſummum extremum exaltatio: Ad ima ſiquidem delapſus eſt: cum ad inferiores terræ partes (vt ait Paulus) deſcendit, vt ſe infernorũ dominum

Zacha. 9

Pſal. 15

Ephe.4. declararet. Inde ad hanc mediam noſtræ habitationis regionem eſt regreſſus per reſurrectionem, qua ſe terreſtrium aſſeruit monſtrauitque principem. Data eſt mihi
Matth.28. (inquit iam rediuiuus) omnis poteſtas in cælo & in terra. Demùm cælos repetens, cęleſtium ſe dominatum etiã obtinere, hoc indicto patefecit, vt meritos in nomine domini Ieſu omne Ieſu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & in-
Philip.2. fernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus in gloria eſt dei patris. Et triplici huius ſacramenti figura anteceſsit in Sãſone, qui Gazæ vrbis portas & vectes ferreos confregit humerisq; ſuſtulit eluſis cuſtodibus intempeſta nocte vrbe egreſſus eſt, valuáſque & portarum
Iudic.16. poſtes in ſupercilium ac culmen montis vrbi imminentis detulit. Sane primum horum, inferni confractionem, ſecundum, exitum Chriſti de ſepulchro cuſtodibus vallato, & tertium: aſcenſum ipſius in cælorum ſublimia perfigurabat.

IN FESTIS PASCHALIBVS.

1

AVrora lucis rutilat
Cælum laudibus intonat.
Mundus exultans iubilat:
Gemens infernus vlulat.

2 *Cũ rex ille fortiſsimus*
Mortis confractis viribus:
Pede conculcans tartara
Soluit à pœna miſeros.

3 *Ille qui clauſus lapide*
Cuſtoditur ſub milite:
Triumphãs pompa nobili
Victor ſurgit de funere.

4 *Solutis iam gemitibus*
Et inferni doloribus:
Quia ſurrexit dominus
Reſplẽdẽs clamat angelus.

5 *Triſtes erant apoſtoli*
De nece ſui domini:
Quem pœna mortis crudeli
Serui damnarant impij.

6 *Sermone blãdo angelus*
Prædixit mulieribus:
In Galilæa dominus
Videndus eſt quantocyus

7 *Illæ dum pergunt concitæ*
Apoſtolis hoc dicere:
Videntes eum viuere
Oſculantur pedes domini.

8 *Quo agnito: diſcipuli*
In Galilæam propere
Pergunt, videre faciem

Deſi-

Deſideratam domini,
9 *Claro paſchali gaudio*
Sol mundo nitet radio:
Cum Chriſtum iã apoſtoli
Viſu cernunt corporeo.
10 *Oſtenſa ſibi vulnera*
In Chriſti carne fulgida:
Reſurrexiſſe dominum
Voce fatentur publica.
11 *Rex Chriſte clementiſſime*
Tu corda noſtra poſſide:
Vt tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.
12 *Gloria tibi domine:*
Qui ſurrexiſti à mortuis
Cũ patre & ſãcto ſpiritu.
In ſempiterna ſecula.

Carminis iambici dimetri faciem gerit & imaginẽ præſens hymnus, eius tamen neque pedes, neque debitã obſeruat menſuram. Nam promiſcue trocheum recipit in tribus primis locis itidem & pyrrhichium, interdum etiã ſpondeum in ſecunda ſede admittit, quæ omnia, cum metri huius exacta ratione ſtare non poſſunt. Deſcribitur in eo antiquorum patrum ab inferno liberatio, glorioſa Chriſti reſurrectio, illius ad ſãctas mulieres angelico miniſterio annunciatio, & demùm Chriſti mulieribus & apoſtolis facta apparitio. Quæ omnia, ex euangelica lectione nota ſunt, neque hic ad maiorem declarationẽ repetenda.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Aurora lucis rutilat. Lucis, diei paſchalis, in cuius aurora & circa diluculum Chriſtus ſurrexit à Mortuis, quemadmodũ in pſalmo per prophetam prædixerat. Exurgam diluculo. Et Marcus in euangelio, Surgens Ieſus mane prima ſabbati: apparuit primo Mariæ Magdalenæ. Ob gloriam autem reſurrectionis Chriſti, dicitur illius diei aurora ſolito rutilantior & ſerenior mortalibus illuxiſſe. *Pſal.51.* *Marc.16.*

2 ¶ In ſecũdo verſu. Soluit à pœna miſeros. Scilicet antiquos patres, qui detinebantur captiui ne poſſent intrare regnũ dei, quouſque eſſet apertum per ſanguinẽ agni immaculati, in pretium redemptionis mundi immolati. Itaque non erant illi miſeri priuatione gratiæ aut deformitate culpæ, ſed ſola dilatione gloriæ quam perferebãt.

3 ¶ In tertio verſu. Reſurgens pompa nobili. Pompa propriè dicitur omne ſpectaculum & apparatus ſolennis, cum oſtentatione & ſpecie quadam triumphi: tam in ad-

uerſis quàm proſperis, vt pompa nuptiarũ, pompa ſacrorum, pompa funerum, hic autem ſumitur pro inſigni gloria & triumpho dominicæ reſurrectionis.

4 ¶ In quarto verſu. Solutis iam gemitibus. Ea ſententia ſumpta eſt ex verbis beati Petri, in actis apoſtolorum dicentis de Christo. Quem deus ſuſcitauit à mortuis, ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſsibile erat teneri eum ab illo. Et ſoluti debent intelligi gemitus & dolores inferni, non quos Chriſtus in anima paſſus fuerit, nam illorum expers erat & immunis, ſed quos ſancti patres fuerant perpeſsi, ſpes enim quæ differtur, affligit animam.

Act. 2.

Prouer. 13. 6 ¶ In ſexto verſu. Videndus eſt quantocyus: Aduerbiũ illud quantocyus, compoſitũ ex corrupto & integro, vtpote quantum & ocyus, ſignificationẽ habet poſitiui gradus, idem valens quod celeriter ſiue velociter. Sequitur autem ſui ſimplicis ocyus naturam, quod vocem quidem comparatiuã habet, ſed plerúnque ſignificantiã poſitiui.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Oſculantur pedes domini. In hoc carmine abundantior æquo eſt ſyllabarum numerus, nouem enim ibi numerantur ſyllabæ, cum duntaxat eſſe deberent octo. Itaque hypercatalecticum eſt id carmen: & ita potius pronunciandum. Oſculantur pedes Ieſu.

9 ¶ In nono verſu. Sol mundo nitet radio. Mũdo, ſereno, rutilo, ac lympido, vt gaudium dominicæ reſurrectionis etiam ſol ipſe clariore teſtetur ſplendore, & hoc die, ſolito fulgeat illuſtrior. Si enim ſol obſcurat⁹ tẽpore paſsionis ſuum luxit conditorem, cur illi ad vitam reuerſo, lætiore vultu ſerenioréq; lumine non applaudat, ablandiatur, & arrideat?

10 ¶ In decimo verſu. Oſtenſa ſibi vulnera. Multi nominatiuos illos oſtenſa vulnera in ablatiuos abſolute poſitos oſtenſis vulneribus, commutandos cenſent, & verbum fatentur referunt ad nominatiuum apoſtoli, in præcedenti verſu poſitum. Poſſent tamen etiam dictiones illæ oſtenſa vulnera, intelligi vt nominatiui caſus rationem retineant: & ordinentur cum verbo fatentur. Nam vulnera Chriſti apoſtolis oſtenſa: aperte profitebantur & teſtabantur dominum reſurrexiſſe.

IN TEM-

¶IN TEMPORE PASCHALI: alius hymnus.

1 *TE lucis author perſonent*
Huius cateruæ carmina
Quam tu repleſti gratia
Anaſtaſis potentia.
2 *Nobis dies hic innuit*
Diem ſupremum ſiſtere:
Quo mortuos reſurgere
Vitæq; fas ſit reddere.
3 *Octaua prima redditur:*
Dum mors ab unda tollitur
Dum mente circũcidimur:
Nouiq; demum naſcimur.
4 *Dum manc noſtrum cernimus*
Rediſſe uictis hoſtibus:
Mundiq; luxum temnimus.
Panem ſalutis ſumimus.
5 *Hæc alma ſit ſolennitas:*
Sit clara hæc feſtiuitas.
Sit feriata gaudijs
Dies reducta ab inferis.
Amen.

¶Iambici dimetri carminis regula & pedibus: hic hymnus integrè aptéque componitur. Commendatur in eo dominicæ reſurrectionis dies:quòd reparationis vitæ ſit author,ſpiritualis noſtræ reſurrectionis per circuncisionem ſpiritus & regenerationem baptiſmi præbeat documentum,& futuræ reſurrectionis exemplum :in conſummatione ſeculi exhibendæ.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Quam tu repleſti gratia. Non hic quem legendum eſt:vt faciũt plerique,cum nullum ibi maſculinum ſit nomen:ad quod legitimè id relatiuum referri poſſit,ſed quam :ſcilicet cateruam. Anaſtaſis autem græcum vocabulum:idem eſt quod reſurrectio, & hic genitiuus eſt,cum ablatiuo potentia,ordinatus. 2 ¶In ſecundo verſu. Diem ſupremum ſiſtere. Diem ſupremum intelligit author: nouiſſimum hui' mundi diem, in quo erit conſummatio ſeculi & vniuerſalis mortuorum reſurrectio. Itaque dies iſte poſtremus inſinuatur nobis & futurus denunciatur :per hunc dominicæ reſurrectionis diem,illius indicem atque prænuncium.
3 ¶In tertio verſu. Octaua prima redditur. Octaua dies eſt dies dominicę reſurrectionis. Nam die,proximè ſabbatum ſequente:Chriſtus victor mortis ſurrexit de ſepulchro. Sabbatum autem:ſeptimus eſt dies hebdomadæ, quare

Regē precemur milites:
Vt in ſuo clariſsimo
Nos ordinet palacio.
7 *Per ſecla metæ neſcia*

Patri ſupremo gloria:
Honorque ſit, cum filio
Et ſpiritu paraclito.
Amen.

¶ Carmen iambicum dimetrum in hoc hymno exacte, integréque obſeruatur. Author eius, ſanctus Ambroſius. Inuitatur in illo populus fidelis ad depromendas Chriſto laudes, ob gloriam ſuæ reſurrectionis. per quam ſpoliauit infernum, & inde captiuos eduxit.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Chor⁹ nouæ Hieruſalem. Per chorum nouæ Hieruſalem intelligitur hic multitudo congregatióque fidelium animarum: renouatarum in hoc feſto paſchali per ſuſceptionem baptiſmi & depoſitionem vetuſtatis peccati, & in ipſius matris eccleſiæ (quæ miſtitycè Hieruſalem dicitur & pacis viſio) ſinum receptarum. In eodē quoq; verſu, dictio meli, ſimplo l, ſcribenda & ſine litera terminalis, genitiuus eſt ſingularis nominis melos, quod etiam interdum nominatiuū ſingularem facit in us, à quo per ſecundam inflectionem ſit ginitiuus meli. Eſt autem melos: harmonia, dulcisſque cōcentus atque conſonantia. Inde melodia: eiuſdem ſignificationis nomen deducitur. Demùm ſobria hic dicuntur gaudia, quæ mediocritate temperata ſunt & moderata ſiue cum ſobrietate non autem in comeſſationib⁹ & ebrietatibus, peracta. 2 ¶ In ſecundo verſu. Quo Chriſtus inuict⁹ leo. In Apocalypſi Chriſtus nomine leonis nuncupatur, cum ait. vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, quòd indomabili virtute, ſuperata morte, ſurrexit ad vitam immortalem. Quod autem hic ſubiungitur, à morte functos excitat, id intellige aut à morte ſpirituali animæ inducta per peccatum, cum euangelica admonitione Chriſtus ſalutarem nobis doctrinam inculcat. aut à morte corporali in conſummatione ſeculi, cum in voce archangeli & nouiſsima tuba perſonabit. De vtraque antem excitatione loquitur dominus apud Ioannem, cum ait. Amen amē dico vobis, quia venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij dei, & qui andierint: viuent. Deinde ſubnectit. Amen amē doco vobis, quia venit hora in qua omnes qui in monumētis ſunt, audient vocem filij dei, & pro-

Exod. 12

Apoc. 5

Ioannis 5

Victor redit de baratro.
Tyrannum trudens vinculo:
Et reſerans paradiſum.
7 *Quæſumus author omnium:*
In hoc paſchali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Amen.

¶Non ſeruat integram carminis iambici dimetri normã, præſens hymnus. Nam literæ m, itidem & vocali ſubiunctam ſæpius habet ſine colliſione vocalem: trocheum quoque paſſim admittit in omnibus ſedibus, itidẽ & pyrrichiũ, demùm in ſecundo loco ſpondeum habet pro iambo, quę huius metri generi non cõueniunt. Referuntur in eo myſteria reſurrectionis domini: quod ſpoliato inferno deuictóque Sathana reſurrexerit de ſepulchro, ſimul & nos incitamur ac admonemur: vt cum puritate ac munditia ſacroſanctam ſumamus euchariſtiam, in hoc ſacratiſſimo tempore paſchali.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Ad cœnam agni prouidi. In veteri lege agnus paſchalis cum certo ritu ac cærimonia manducari iuſſus eſt. Debebant enim ipſum manducaturi baculos manibus tenere, renes habere ſuccinctos, & calceos pedib⁹ circumpoſitos: neque abeſſe debuit azimus panis, cum lactucis agreſtibus. Itaque in noua lege verum ſumpturi agnum & eius conuiuium acceſſuri: proſpicere debemus cũ magna cautione, ne imparati atque inculti illud adeamus: ſed prouidè circunſpiciamus: vt ſupradicta omnia ſpiritualiter nobis conueniant, aſſit & puritas cum corporis tum animi: tanquam candida veſtis nuptialis nos adornans. Et quemadmodum filij Iſrael poſt eſum agni pertranſito mari rubro, cecinerunt deo canticum quòd ab Aegyptijs eos liberarat: ita et nos ſuſcepto baptiſmo (qui per rubri maris tranſitum ſignatus eſt) & Aegypto regione peccati dimiſſa: Chriſto duci & liberatori noſtro laudes debitas exoluere debemus.

2 ¶In ſecundo verſu. In ara crucis torridum. Id torridum dicitur: quod igne crematum eſt & exuſtum, à torrendo dictum, quod igni excoquere ſignat. Virgilius. Et torrere parant flammis: & frangere ſaxo.

Indę

Inde & toſtum dicitur, ignis calore concoctum. Et quoniam ſacratiſſimum Chriſti corpus in ligno crucis igne paſſionis & doloris accerbitate excoctum fuit, recte hic torridum dicitur. Eſt autem hoc loco id nomen cum ſuo ſubſtantiuo corpus, accuſatiui caſus, & ordinatur cum gerundio, guſtando, cum quo itidem gerundio, necti debet ablatiuus cruore roſeo, ſubaudita præpoſitione cum, vt hic habeatur ſenſus: quòd nos Chriſtiani guſtando ſanctiſſimum Chriſti corpus in ara crucis paſſum, vna cum pretioſo eius ſanguine, viuimus ipſi deo. Nam ipſa veritas dicit de ſe in euangelio. Qui manducat me, ipſe viuet propter me. Et iterum. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.

Ioan. 6.

3 ¶ In tertio verſu. Protecti paſchæ veſpere. Quod in figura populo Iſraelitico olim contigit, in veritate hic applicatur populo Chriſtiano. Ille enim per eſum agni paſchalis & aſperſionem ſanguinis ipſius ad poſtes oſtij & ſuperliminaria domus, ereptus fuit ab angelo exterminatore & interfectore primogenitorum Aegypti: inſuper & liberatus à dura Pharaonis ſeruitute per egreſſum ab Aegypto, vt ſacra Exodi narrat hiſtoria. Ita Chriſtianus populus per immolationem veri agni, qui abſtulit peccata mundi, liberatus eſt à dæmone vaſtatore qui mortis habet imperium, & à grauiſſimo ipſius iugo exemptus, qui per Pharaonem Aegypsium vt figuram ſuam & membrũ deſignatus eſt.

Exo. 12.

4 ¶ In quarto verſu. Iam paſcha noſtrum Chriſtus eſt. Hæc ſententia ex beatiſſimo Paulo ſumpta eſt, ita ad Corinthios ſcribente. Etenim paſcha noſtrum, immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri neq; in fermento maliciæ & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis. Sanè Chriſt⁹ dicitur noſtrum paſcha, quoniam per ipſum tranſiuimus à morte ad vitam, paſcha enim ſicut & phaſe, tranſitum ſignat. Ipſius etiam Chriſti caro oblata eſt vt azyma ſynceritatis, quoniam ſine fermẽto peccati & tota ſancta fuit, & nullo modo caro peccati. Azyma enim, ſine fermento ſignat, fermentum autem in ſcriptura, ſæpenumero peccati habet ſignificationem, indiciúmque gerit.

1. Cor. 5.

6 ¶ In ſexto verſu. Conſurgit Chriſtus tumulo. Hic conſur-

conſurgit, uerbum compoſitum à con & ſurgo, legendum eſt, & non diuiſim atque per duas dictiones cum ſurgit, vt aliqui habent libri. Nam oratio illa, integræ perfectæque ſententiæ enunciatiua eſt, atque abſoluta, neque per ſuſpenſionem ad ſequentem annexa orationem, cõiungitur enim ſequenti ſententiæ per ſubauditam copulationem & non autem per aduerbium temporis.

¶ IN TEMPORE PASCHALI:
1 ad completorium.

Ieſu ſaluator ſeculi:
Verbũ patris altiſsimi:
Lux lucis inuiſibilis:
Cuſtos tuorum peruigil.

2 *Tu fabricator omnium,*
Diſcretor atq; temporum:
Feſſa labore corpora.
Noctis quiete recrea.

3 *Te deprecamur ſupplices:*
Vt nos ab hoſte liberes.
Ne ualeat ſeducere
Tuo redemptos ſanguine.

4 *Vt dum graui in corpore*
Breui manemus tempore:
Sic caro noſtra dormiat.
Vt mens ſoporem neſciat.
Amen.

¶ Non habet hic hymnus pedes carminis iambici dimetri ſuis locis ritè diſpoſitos: tametſi cum illo conueniat in forma & numero ſyllabarum octonario. Nam ſpondeum in ſecundo admittit loco, & trocheum ſępius in primo: cõtra regulas & legem huiuſce carminis, habet item vocalis ante vocalem ſine colliſione poſitionem. Maiore verò ſtudio ſeruata eſt ſimilis ſyllabarum deſinẽtia in vnoquoque fermè verſu: & reſponſus quidam primi carminis ad ſecundum, & tertij ad quartum, in exitu ſyllabarum.

¶ In eo ad Ieſum Chriſtum dei filium ſupplex fit oratio: vt nocturno tempore iam imminente (nam ad completorij officium quod in crepuſculo & veſpera diei peragitur: cantari ſolet hic hymnus) nos ſeruet ab inſidijs dæmonicis, placidámque concedat ſomni quietem: quo ſpiritus noſter factus vegetior alacrius ad diuinas laudes mõdulandas exurgat.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Lux lucis inuiſibilis. Licet adiectiuum inuiſibilis: & nominatiui caſus eſſe poſſit, & genitiui, nam & lux illa quæ filius eſt: inui-

inuiſibilis eſt,& lux illa quæ pater eſt(cuius & ipſe filius eſt lux ex ea prodiens)etiam eſt inuiſibilis. Eſt enim inuiſibile,ipſi deo proprium:& cuique diuinarum perſonarũ
1. Timo. 1. commune:quemadmodum ait apoſtolus. Regi autem ſeculorum,immortali:inuiſibili ſoli deo:honor & gloria in ſecula ſeculorum Amen, concinnior tamen eſt oratio & ſententia congruentior:ſi id nomen intelligatur eſſe nominatiuus,& cum nomine lux vt ſuo ſubſtantiuo ordinari,ſicut & apoſtolus illud epithetum attribuit filio dei:cũ ita ſcribit ad Coloſſenſes,qui eſt imago dei inuiſibilis :pri
Coloſ. 1. mogenitus omnis creaturæ. Quòd verò idem dei filius ſit
Iob.7. cuſtos ſuorum peruigil:teſtatur Iob dicens,quid faciam ti
Pſal. 96. bi ò cuſtos hominum? Et propheta in pſalmo. Cuſtodit do
Ioan.10. minus animas ſanctorum ſuorum :de manu peccatoris liberabit eos. Et in euangelio de ouibus ſuis loquens dominus:ait.Et non peribunt in æternum :& non rapiet eas quiſquam de manu mea: Et peruigil : noctes atque dies vigilans dicitur. Nam vt ait propheta in pſalmo. Ecce non dormitabit neque dormiet:qui cuſtodit Iſrael.
Pſalm.120 Eſt enim peruigilare:ad finem vſque vigilare, & totam noctem inſomnem ducere. Martialis. Nam vigilare leue eſt,peruigilare graue.

Pſal. 37. ¶ In ſecundo verſu. Tu fabricator omnium. Hoc pſal-
Pſal.88. mus etiam his verbis teſtatur. Tuus eſt dies & tua eſt nox:
Pſal.103 tu fabricatus es auroram & ſolem,tu feciſti omnes terminos terræ:æſtatem & ver,tu plaſmaſti ea. Et iterum alio in loco. Tui ſunt cæli & tua eſt terra:orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti,aquilonem & mare tu creaſti. Denique alio in loco. Fecit lunam in tempore:ſol cognouit occaſum ſuum.

Pſalm. 89 4 ¶ In quarto verſu. Breui manemus tempore. Nam vt ait propheta in pſalmo. Dies annorum noſtrorum in ipſis: ſeptuaginta anni,ſi autem in potentatibus octoginta anni:& amplius eorum labor & dolor. Inſuper quantumcũque extendatur ætas noſtra, etiam ſi ipſius Mathuſalem æquet annos:æternitati tamen aut æuo perpetuo finiſque experti collata eſt quaſi punctum ad lineam infinitam, quoniam mille anni ante oculos tuos(inquit) tanquã dies
Pſal. 89. heſterna quæ præterijt. Quod & beatus Petrus admonet
2. Petri. 3. in epiſtola dicens. Vnum verò hoc vos non lateat chariſſimi,

ſimi, quia vnus dies apud dominum ſicut mille anni & mille anni ſicut dies vnus. Quare quantumcunque hic viuimus tempus, id breue cenſeri iure debet. In eodem verſu. Vt mens ſoporem neſciat. Soporem inquam peccati & ignauiæ, de quo dicit pſalmus. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, Et beatus Paulus de eodē ad Romanos. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Rurſum idem ad Epheſios. Surge qui dormis, & exurge à mortuis & illuminabit te Chriſtus. Cæterùm nonnulli loco huius quarti carminis, vt mens ſoporem neſciat, habent hoc carmen, vt mens in Chriſto vigilet, & rectè quidem, nam pia eſt eius ſententia, & huic loco aptè cōgruens. Itaque vtrū volueris carmen hoc quarto diſponas loco, nam vtrūque concinnum eſt & conueniens, licet prius ſit rectius. Et præſens hymnus quantum ad ſententiam ſatis reſpondet huic hymno ſuperius explicato. Chriſte qui lux es & dies.

Pſal. 12. *Roma. 13.* *Epheſ. 5.*

¶ IN TEMPORE PASCHALI: alius hymnus.

1 *Vita ſanctorum, decus angelorum:*
Vita cunctorum pariter piorum.
Chriſte, qui mortis moriens miniſtrum
Exuperaſti.

3 *Tu tuo lætos famulos trophæo*
Nunc in his ſerua placidis diebus:
In quibus ſacrum celebratur omnem
Paſcha per orbem.

3 *Paſcha: quo uictor rediens ab imo,*
Atq; cum multis alijs reſurgens:
Ipſe ſuſceptam ſuper alta carnem
Aſtra leuaſti.

4 *Nunc in excelſis dominus refulgens*
Et ſupra cælos deus eleuatus:
Inde uenturus homo iudicatus
Denuo iudex.

5 *Corda tu ſurſum modo noſtra tolle:*
Quo patri dexter reſides in alto.

Ne

Ne reſurgentes facias in ima
Præcipitari.
6 *Hoc pater tecum, hoc idem ſacratus*
Præſtet amborum pie Chriſte flatus.
Cum quibus regnas deus unus omni
Iugiter æuo, Amen.

¶Præſens hymnus admodum ſuauis & dulciſonus: carmine ſapphico atque adonico conſtat. Habet enim in vnoquoque verſu tria prima carmina ſapphica, & quartũ adonicum. Celebrantur in eo præconia glorioſæ reſurrectionis & aſcenſionis Chriſti in cælum: dirigitúrque ad ipſum oratio, vt nobis gratiam reſurgendi à morte peccati & cæleſtia deſiderandi benignus elargiatur.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Qui mortis moriens miniſtrum exuperaſti. Miniſter mortis eſt diabolus: qui primis parentibus fraude circunuentis abſtulit immortalitatis gloriam, & conditionem mortalitatis intulit, de quo ait ſapiens. Inuidia diaboli: mors intrauit in orbem terrarum. Et Paulus ad Hebræos loquens de Chriſto: dicit: Vt per mortem deſtrueret eum: qui mortis habebat imperium. 2 ¶In ſecundo verſu. Sacrum celebratur omnem paſcha per orbem. Paſcha, æ: neutri generis eſt. Auſonius. Nos etenim primis ſanctũ poſt paſcha diebus. Et Paulus ad Corinthios. Etenim paſcha noſtrum: immolatus eſt Chriſtus. Quod planè nomen hebræum eſt. & tranſitum ſignificat, vt his verbis teſtatur Hieronymus. Paſcha quod hebraice dicitur phaſe: non à paſſione vt plerique arbitrantur: ſed à tranſitu nominatur, eo quòd exterminator videns ſanguinem in foribus Iſraelitarum: pertranſierit, nec percuſſerit eos. Et Auguſtinus. A diligẽtioribus & à doctoribus inuentum eſt, quia paſcha hebræum verbum eſt, & non interpretatur paſſionem ſed tranſitum. Per paſſionem enim tranſiuit Chriſtus à morte ad vitam, & fecit nobis viam credentibus in reſurrectione eius vt tranſeamus & nos de morte ad vitam. Sic enim ipſe dominus ait. Qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me: habet vitam æternam, & in iudicium non venit: ſed tranſiet à morte in vitam.

Sap. 2. *Hebræ. 2.* *1. Cor. 5.* *Exo. 2.* *Ioan. 5*

¶ In tertio verſu. Atque cum multis alijs reſurgens. Illis ſcilicet: de quibus Matthæus ſcribit in euangelio. Et monumenta aperta ſunt: & multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerunt. Et exeuntes de monumẽtis poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem: & apparuerunt multis. Quamuis enim tempore mortis & paſſionis Chriſti eorum monumenta fuerint aperta: non tamen dicuntur reſurrexiſſe niſi cum Chriſto reſurgente, vt ipſe reuera fuerit primitiæ reſurgentium. Et per anticipationem illud (quemadmodum ſæpenumero & multa alia in ſcriptura) à Matthæo narratum eſt in deſcribenda Chriſti paſſione. Mat. 27.

5 ¶ In quinto verſu. Quo pari dexter reſides in alto. Melius hic verbum reſides: legitur: quàm participium reſidens, quoniam verbum nullum eſt expreſſum cui hoc participium annectatur: niſi qui velit ſubaudire verbum ſubſtantiuum es. Verùm ſine ſubintellectione, ſi reſides legatur: aperta eſt & plana ſententia. Melius idem eodem in loco legitur, patri dexter reſides: quàm patris dextræ reſides, vt aliqui habent libri. Quamuis enim vtrobique eadem ſit ſententia: prior tamen orationis contextus multò eſt aptior, quandoquidem verbum reſides, vix vnquam cum datiuo poni ſolet: frequenter autem cum nominatiuo adiuncto.

6 ¶ In ſexto verſu. Hoc pater tecum, hoc idem ſacrat⁹. Hoc loco poſt, m, finalem dictionis literã ponitur ſine colliſione vocalis, & hoc, neutri generis pronomen: fit breue, quod vel rarum eſt, aut nũquam fit ab authoribus. Idcirco mallem carmen illud ita potius legi. Hoc pater tecũ ſimul & ſacratus. Nam hoc pacto & metrum ipſum recte ſe habet: & ſententia manet integra.

¶ IN ASCENSIONE domini.

1 *Æſtum nunc celebre, magnaq; gaudia*
F *Compellunt animos carmina promere:*
Cum Chriſtus ſolium ſcandit ad arduum
Cælorum pius arbiter.
2 *Conſcendit iubilans lætus ad æthera:*

Sanctorum populus prædicat inclytum.
Concinit pariter angelicus chorus
Victoris boni gloriam.
3 *Qui ſcandens ſuperos uincula uinxerat:*
Donans terrigenis munera plurima.
Diſtrictus rediens arbiter omnium:
Qui mitis modo tranſijt.
4 *Oramus domine, conditor inclyte:*
Deuotos famulos reſpice, protege.
Ne nos liuor edax dæmonis obruat:
Demergat uel in inferos
5 *Vt cum flammiuoma nube reuerteris*
Occulta hominum pandere iudicans:
Ne des ſupplicia horrida noxijs,
Sed iuſtis bona præmia.
6 *Præſta hoc genitor optime maxime:*
Et tu nate dei & bone ſpiritus.
Regnans perpetuo fulgida trinitas
Per cuncta pie ſecula. Amen.

¶ Hymnus iſte ex aſclepiadæo & gliconico carmine cõiunctis coaleſcit ac conflatur. Vnuſquiſque enim verſuũ eius, tria prima carmina habet aſclepiadæa: & quartũ gliconicum. Quid autem ſit aſclepiadæum carmen: ſuperius annotatum eſt in explanatione illius hymni. Inuentor rutili dux bone luminis. Gliconicum autem vt pars quædã aſclepiadæi carminis, & ſola vnius choriambi prætermiſſione ab eo differens: primo loco habet ſpondeum, ſecundo choriambum, tertio verò & poſtremo iambum vel pyrrhichium. Veruntamen huiuſce carminis lex & regula: in hoc hymno non ſatis integrè neque exactè ſeruatur. Nam pleriſque in locis vocalis ſine colliſione vocalem antecedit: & loco choriambi nunc vnus nunc alius ponitur pes tetraſyllabus diuerſam à choriambo habens ſyllabarum quantitatem. Inſuper loco ſpondei nonnunquam trochæus primo loco reponitur, vt ſyllabarum menſuram quantitatéſque callens: facilè deprehendet. Hæc autem omnia: rationi

rationi atque rectæ compoſitioni carminis, tum aſclepiadæi, tum gliconici aduerſantur. Celebratur autem & prædicatur in hoc hymno gloria dominicæ aſcenſionis atque triumphus: & demùm oratio ad Chriſtum funditur, vt cũ redierit ad iudicandum ſeculum: nobis placidus ſit, mitis & benignus.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Scandit ad arduum. Id eſt altum: vtpotè ſuper omnes cælos & ad ſedem paternam. Arduus enim: interdum altum, excelſum & ſublime ſignat. Ouidius. Mons ibi verticibus petit ardu us aſtra duobus. Arbiter autem cælorum hic dicitur Chriſtus: quoniam à deo patre conſtitutus eſt iudex non ſolũ hominum, ſed & angelorum: qui cæleſtes ſunt incolæ, ciues & domeſtici. 2 ¶ In ſecũdo verſu. Sanctorum populus prædicat inclytum. Populus ſanctorum hic dicitur cœtus ille venerandus antiquorum patrum: qui inferno lacu educti, dominum conſcendentem æthera comitati ſunt, & dignis laudibus proſecuti, ſecundum illud Pauli verbum. Epheſ. 4. Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatẽ: dedit dona hominibus. Et hoc ipſum etiam innuitur in tertio verſu præſentis hymni: cum dicitur: qui ſcandens ſuperos vincula vinxerat. Dirupit enim vincula: quibus antiqui patres erant obſtricti in inferno, & illa confringendo quodammodo ea alligauit, impediuit enim & obſtitit: ne amplius vinctos illos detinerent, & vinculorum in ipſos munus & vſum exercerent, & ergo vincula vinxiſſe dicitur Chriſtus: ſicut & captiuitatem ſanctorũ duxiſſe captiuã. 3 ¶ In tertio verſu. Donans terrigenis munera plurima. Idipſum eſt quod modo ex beato Paulo adductum eſt: Dedit dona hominibus. Sed quæ dona: inquies: larga ſeptiformis ſpiritus chariſmata: quæ regreſſus in cælos diffudit abundè in totum orbem, ſecundum illud propheticum oraculum. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnẽ. Iohel. 2.

4 ¶ In quarto verſu. Ne nos liuor edax. Liuor pro inuidia, aptum habet epithetum edax. Nam ſeipſam erodit & conſumit inuidia: carpitq; & carpitur vna: ſuppliciúmque ſuum eſt, vt canit Ouidius, qui & alio loco dicit. Quid mihi liuor edax ignauos obijcis annos?

5 ¶ In quinto verſu. Vt cum flãmiuoma nube reuerteris. Flammiuomum: quod flammas euomit, ſicut igniuomum

quod ignem eructat. Quoniam igitur clara & flammea erit nubes illa in qua dominus veniet ad iudicium: rectè hic flammiuoma dicitur. Demùm reuerteris verbum, in eodem verſu poſitum: ſecundum vocem præſens eſt, ob carminis exigentiam, ſignificationem tamen intelligatur & notionem habere temporis futuri: quoniam quod venturum eſt enunciat.

¶ IN ASCENSIONE DOMINI: ad completorium.

1 IEſu noſtra redemptio.
Amor & deſiderium.
Deus creator omnium:
Homo in fine temporum:
2 Quæ te uicit clementia
Vt ferres noſtra crimina?
Crudelem mortem patiens
Vt nos à morte tolleres.
3 Inferni clauſtra penetrãs
Tuos captiuos redimens.
Victor triumpho nobili
Ad dextrã patris reſidens.
4 Ipſa te cogat pietas:
Vt mala noſtra ſuperes
Parcendo, & uoti cõpotes
Nos tuo uultu ſaties.
5 Tu eſto noſtrũ gaudium
Qui es futurus præmium.
Sit noſtra in te gloria:
Per cuncta ſemper ſecula.

¶ Iambicum dimetrum videtur huius hymni carmen: ſed regulam ipſius ac pedes nequaquam accuratè obſeruat. Nam & ſpondeum in ſecundo loco, & trocheum in omnibus paſſim recipit ſedibus: quod huius metri genus omnino repudiat. Laudatur in eo mira Chriſti benignitas: quòd natus pro nobis fuerit, & mortem paſſus, quòd ad inferna deſcenderit: reſurrexerit à mortuis, & cælos repetiuerit, quò vt nos demùm perducat: enixè oramus.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu, Homo in fine temporum. Finem temporum vocat author ſextam mundi ætatem: cui non eſt ætas alia in hoc mundi ſtatu ſucceſſura. Nam ſeptima ætas: in mundi conſummatione adueniet. Eſt igitur huius mundanæ ſubſiſtentiæ ac conditionis poſtrema ea ætas: in qua Chriſtus aſſumpſit humanæ carnis ſubſtantiam, & idcirco in nouiſſimis dieb⁹ veniſſe perhibetur.

2 ¶ In ſecundo verſu. Vt ferres noſtra crimina. Ferres, portares, deferres, & ſuper te tolleres. Nam vt ait Eſaias de Chriſto. Vere languores noſtros ipſe tulit: & infirmitates

tes noſtras ipſe portauit. Et beatus Petrus de eodem. Qui peccata noſtra in corpore ſuo pertulit ſuper lignum, cuius liuore ſanati ſumus. Eſa. 53. 1.Pet. 2.

4 ¶ In quarto verſu. Vt mala noſtra ſuperes parcendo. Cum deus ipſe pro ſua benignitate dimittit nobis peccata iam commiſſa: tunc mala noſtra parcendo ſuperat. Nam maior eſt eius in nos miſeratio: quàm peccatorum noſtrorum ſit grauitas & pōdus. Præualétque tunc illius miſericordia noſtræ culpæ, efficatiórque eſt vt nos ſaluet, quàm ſit pernicioſa culpa vt nos damnet.

5 ¶ In quinto verſu. Qui es futurus præmium. Hic futurus in maſculino genere legendū eſt: vt referatur ad pronomen qui non futurum, in neutro genere: vt legunt nōnulli: ordinantes ipſum cum nomine ſequente, præmium. Nam huiuſmodi participia factus, futurus & conſimilia, duobus interiecta nominibus verbo ſubſtantiuo cōnexis: reſpondere debent & conuenire priori ſubſtantiuo: vt aqua eſt facta vinum: non factum.

¶ IN ASCENSIONE DOMINI: ad veſperas.

1 *Aeternæ rex altiſſime:*
Redemptor & fidelium:
Quo mors ſoluta deperit:
Datur triumphus gratiæ:

2 *Scandens tribunal dexteræ*
Patris: poteſtas omnium
Collata eſt Ieſus cælitus,
Quæ non erat humanitus.

3 *Vt trina rerū machina*
Cæleſtium, terreſtrium
Et infernorum condita:
Flectant genu iam ſubdita.

4 *Tremunt uidentes angeli*
Verſa uice mortalium.
Culpat caro, purgat caro:
Regnat deus dei caro.

5 *Tu Chriſte noſtrum gaudium:*
Manens olympo præditū.
Mundi regis qui fabricā:
Mundana uincens gaudia.

6 *Hinc te precantes quæſumus:*
Ignoſce culpis omnibus.
Et corda ſurſum ſubleua:
Ad te ſuperna gratia:

7 *Vt cū ſubente cæperis*
Clarere nube iudicis:

Pœnas repellas debitas
Reddas coronas perditas.
8 *Gloria tibi domine:*
Qui aſcendiſti ad æthera.
Cũ patre & ſancto ſpiritũ
In ſẽpiterna ſecula. Amẽ.

¶ Præſens hymnus carminis iambici dimetri pedes & locos exactè completéque ſeruat: præter id quod in quarto ſecundi verſus carmine pyrrhichius in ſecundo loco ponitur pro iambo. Octauus item verſus: huius carminis legẽ non ſeruat: ſed ſolum ſyllabarum numerum. Verùm is pro more eccleſiaſtico adiectitius eſt ad gratiarum actiones exoluendas: neque in eandem cum præcedentibus ſortem numerari debet. Celebratur in eo egregijs præconijs glorioſa Chriſti aſcenſio, qua ſuper omnes cælos exaltatus: nunc ſedet ad dextram patris. Angelicorum etiam ſpirituum venerabunda admiratio deſcribitur: qua obſtupuerũt humanam in Chriſto naturã ſuper omnia ſublimari. Demũ ſupplex ad ipſum fit oratio: vt in die iudicij nos in electorum ſortem aſciſcat & æternæ gloriæ corona adornet.
1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Quo mors ſoluta deperit. Soluta: reſoluta, deſtructa, peſſũdata. Soluere enim interdum deſtruere ſignat, vt legem ſoluere dicitur qui eam violat. Mortem verò per Chriſtum ſoluendam prædixerat propheta: in illius perſona ita loquens:
Oſe.13. Ero mors tua ò mors: quod ſanè per paſſionem, reſurrectionem & aſcenſionem ipſius completum eſt, & tunc triumphus gratiæ datus: quoniã gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta, tum inſigni victoria triũphauit de hoſte antiquo: de cuius poteſtate, ſola dei miſericordia liberati ſumus. Nõ enim ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit. 2 ¶ In ſecundo verſu. Scandens tribunal dexteræ. Intelligendum ibi eſt verbum ſubſtantiuum ſecundæ perſonæ: quod referatur ad vocatiuum in præcedente verſu poſitum hoc modo, O Chriſte rex æterne, tu es ſcandẽs tribunal & ſolium gloriæ patris. Quod autem deinde ait author in eodem verſu, omniũ poteſtatẽ eſſe ipſi Ieſu collatã, ſumptũ eſt ex illo verbo Chriſti apud Matthæum, poſt reſurrectionẽ & paulo ante aſcenſionem dicto. Data eſt mihi omnis poteſta
Matth.28. in cælo & in terra. Et huiuſmodi poteſtas collata eſt Chriſto ſecundum humanam naturam (quandoquidẽ ſecundũ deitatem

deitatem,eam habet ab æterno)cælitus:hoc eſt à cælo & à deo patre,non autem humanitus:ſiue ab homine. Nam illam vniuerſorum authoritatem & virtutem,non ab hominibus accepit Chriſtus,ſed à ſolo deo. 3 ¶In tertio verſu,*Flectant* genu iam ſubdita. Id ex beatiſſimo Paulo deſumptum eſt:ſic ad Philippenſes ſcribente. Propterea exaltauit illum deus:& donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen,vt in nomine Ieſu omne genu flectatur: cæleſtium,terreſtrium & infernorum,& omnis lingua confiteatur quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt dei patris Phili,2.
4 ¶In quarto verſu.Tremunt videntes angeli.Tremũt: cum tremore reuerentur & venerantur Chriſtum, dicentes cum admiratione quod apud Eſaiam ſcribitur. Quis eſt iſte qui venit de Edom:tinctis veſtibus de Boſra?& ꝙ in pſalmo viceſimotertio habetur. Quis eſt iſte rex gloriæ?Et tunc planè verſa eſt ſors atque conditio mortaliũ, nam prius humana natura: & naturali ſua conditione & peccati depreſſione longè infra angelicam naturam fuerat conſtituta.In Chriſto verò,eadem ſuper omnes angelorum choros exaltata eſt:& ad dei patris dextram collocata,atque ab angelis meritò adorata.Et hæc mutatio dextræ excelſi:deinde clarius explicatur per ea quæ hic ſubiunguntur.Nam caro Adæ culpam induxit:Chriſti autem caro nos à peccatis purgat.Inſuper ipſa dei caro, regnat deus.Nam ipſa Chriſti humanitas non abſolutè conſiderata,ſed vt deitati vnita,verè deus eſt:nomina illa abſtracta pro cōcretis ſumēdo:ad hunc ſenſum,quòd ipſe Chriſtus verus homo regnat deus.Nempe ſumenda eſt illa locutio(vt ita dixerim)tranſitiua,caro dei:loco intranſitiuę & identitatem deſignantis:caro quæ eſt deus,id eſt homo deus.Et tunc enunciandi ratio,datáque propoſitio, nulli patet falſitatis calumniæ. 5 ¶In quinto verſu. Manens olympo præditum.Præditum:ornatum,honoratum, ſublimatum.Petimus autem hoc loco vt ipſe Chriſtus noſtrũ ſit cæleſte gaudium,ſupernum ſtabile & perpetuum: vincátque in nobis mundana gaudia,tranſitoria, euanida & occidua:illorum affectuum & deſideria in nobis extinguēdo. 7 ¶In ſeptimo verſu.Vt cum rubente cœperis. Rubente:micante,& rutilæ flammæ ſpeciem præ ſe ferēte,atque igneſcente.

Eſa.63.
Pſal.23.

IN DIE PENTECOSTES.

VEni creator ſpirit⁹:
Mẽtes tuorũ viſita
Imple ſupna gratia
Que tu creaſti pectora.
2 Qui paraclitus diceris:
Donum dei altiſſimi:
Fons viuus, ignis, charitas,
Et ſpiritalis vnctio.
3 Tu ſeptiformis munere:
Dextræ dei tu digitus.
Tu rite promiſſum patris:
Sermone ditans guttura.
4 Accende lumẽ ſenſibus
Infunde amorem cordib⁹.
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.
5 Hoſtem repellas lõgius:
Pacémq; dones protinus.
Ductore ſic te præuio
Vitemus omne noxium.
6 Per te ſciam⁹ da patrẽ:
Noſcamus atque filium
Te vtriuſque ſpiritum
Credamus omni tempore.
7 Sit laus patri cum filio:
Sancto ſimul paraclito.
Nobiſq; mittat filius
Chariſma S. ſpirit⁹. Amẽ.

¶ Hymnus iſte, carminis iambici dimetri legibus concinè & aptè continetur. In eo fit pia ſancti ſpiritus inuocatio: vt corda noſtra donis ſuæ gratiæ impleat. Varia eius nomina quibus in ſacris nuncupatur eloquiis explicantur: & demùm ad eundẽ fit ſuplicatio, vt nobis lumen gratiæ ſuæ & ignẽ ſancti amoris immittat, quo ſuccẽdamur.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Quæ tu creaſti pectora. Quòd ſpiritus ſanctus humana pectora, id eſt corda & animas creet: quandoquidem deus eſt, cuius propriũ eſt creare, vt oſtendit pſalm⁹ cum ait. Emitte ſpiritũ tuum & creabuntur, & renouabis faciẽ terræ. Et Iob. Spiritus domini fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me. 2 ¶ In ſecundo verſu. Qui paraclitus diceris. Multa hic ordine quodam ponuntur nomina, quibus ſpiritus ſanctus in ſacra ſcriptura exprimitur. Dicitur ſanè primo paraclitus, id eſt, conſolator & aduocatus. Eſt enim deus totius conſolationis qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Et Paulus ad Romanos ſcribẽs, ait. Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Secũdo dicitur donum dei altiſsimi, quod ex gratuita boni-

*Pſal.*103.
Iob 33
2.Cor.1.
*Roma.*8

tate ſua diffundit in orbem: vt per prophetā prædixerat. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnē. Tertio ſanctus ſpiritus dicitur fons viuus, vt apud Ioannem. Aqua quā ego dabo ei: fiet in eo fons aquę ſalientis in vitā æternam. Et iterum qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit *Ioan.2*
de ſpiritu, inquit, quem accepturi erant. Quarto dicitur *Ioan.4*
ignis: vt apud Lucā. Ignē veni mittere in terram: & quid *Ioan.7*
volo niſi vt accendatur? Quinto charitas: vt cum ait Ioan *Luc.12*
nes in epiſtola. Deus charitas eſt & qui manet in charita *1.Ioan.4*
te, in deo manet, & deus in eo. Sexto nuncupatur hic ſpiritus ſanctus: ſpiritualis vnctio, vt apud Ioannem in eadem epiſtola. Sed vos vnctionē habetis à ſanctis, & no- *1.Ioan.2*
ſtis omnia. Et rurſū. Sed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus. 3 ¶ In tertio verſu. Tu ſeptiformis munere alia hoc loco ſpiritu ſancti propria hic explicantur attributa. Quorum primum eſt, quod ſeptiformis eſt, atq; ſeptemplici munere clarus, quoniā ſeptem ſunt eius dona, ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, pietas, ſcientia, timor domini. Secundo dicitur digitus dextræ dei, vt *Exo.31*
in exodo legitur Moyſes portaſſe de monte duas tabulas *Luca.11*
teſtimonij lapideas, ſcriptas digito dei. Et in euāgelio reſpondiſſe perhibetur dominus calumniātibus phariſæis. Porrò ſi in digito dei eiicio dæmonia: profectò peruenit in vos regnum dei. Tertio dicitur ſpiritus ſanctus promiſſum patris: quoniam promiſit dominus diſcipulis, illum à patre in ipſos mittendum, apud Ioannem capite decimo- *Act.1*
quarto & duobus ſequentibus. Proinde in actis apoſtolorum legitur dominus præcepiſſe diſcipulis ſuis. Ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſsionem patris: quam audiſtis, inquit, per os meū. Quarto dicitur *Act.2*
idem ſpiritus ditare guttura ſermone: quoniam diſcipulis varia diſtribuit genera linguarum, quemadmodum acta teſtantur apoſtolorum. Repleti, inquit Lucas, ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis: prout ſpiritus ſanctus dabat eloqui illis. Porrò hoc in loco promiſſum in nominatiuo caſu legendum eſt: quod ſubſtātiuum ſit neutri generis, ordinatum cum genitiuo patris, nō autem promiſſo dicēdum in ablatiuo caſu: quod ſit adiectiuum ablatiui caſus: annexum nomini ſubſtātiuo ſermone

vt legunt nonnulli. nam non promptum eſſet oſtendere, quòd ſpiritus ſanctus impleat ora loquentium ſermone patris promiſſo. Neque tam apta & quadrãs (vt opinor) eſt hæc ſententia, quando quidem nõ ſatis conſtat quis ſit ille ſermo patris promiſſus. 4 ¶ In quarto verſu. Virtute firmans perpeti. Vt prius in vno hymnorum de natiuitate domini (vbi duo poſtrema huius verſus carmina omnino eodem contextu diſponuntur) dictum eſt, potius hic perpeti legendum eſt, in ablatiuo ſingulari, qui referatur ad ſubſtantiuum virtute, quàm perpetim aduerbium, vt ferè legũt omnes. Nam venuſtius ſubſtantiuũ illud exornatur ibi adiectiuo, quàm participium aduerbio, & ſingnificantior eſt ſententia. 6 ¶ In ſexto verſu. Te vtriuſque ſpiritum. Spiritus ſanct' dicitur vtriuſque vt puta patris & filij ſpiritus, quoniã ab vtroque ineffabiliter procedit, Proinde in ſacris literis, nunc patris, nunc filij ſpiritus nuncu-
Matth. 10. patur, vt apud Matthæum. Non enim vos eſtis qui loqui-
mini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Et a-
Gala. 4. pud Paulum. Quoniam autem eſtis filij dei, miſit deus ſpiritũ filij ſui clamantẽ in corda veſtra. abba pater. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Chariſma. S. ſpiritus Chariſma, donũ ſiue mun' gratuitũ. Et quoniã mun' ſua dona ſpirit' S. ex ſola bonitate & benignitate ſua difundit: ea rectè chariſmata
Eſaiæ 11 dicuntur, quæ apud Eſaiam ita explicantur. Et requieſcit ſup eũ ſpiritus domini, ſpiritus ſapiẽtiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpirit' timoris domini. Ecce ſeptiformem munere ſpiritum.

¶ IN DIE PENTECOSTES: alius hymnus.

1
BEata nobis gaudia
Anni reduxit orbita
Cũ ſpirit' paraclit'.
Effulſit in diſcipulos.
2 *Ignis vibrante lumine*
Linguæ figuram detulit:
Verbis vt eſſent proflui,
Et charitate feruidi.
3 *linguis loquũtur omniũ:*
Turbe pauent gentilium.
Multo madere deputant:
Quos ſpiritus repleuerat.
4 *patrata ſũt hæc myſticè*
Paſchæ peracto tempore:

Sacro

Sacro dierum numero
Quo lege fit remiſsio.
5 *Te nunc deus piiſsime.*
Vultu precamur cernuo:
Illapſa nobis cœlitus
Largire dona ſpiritus:
6 *Dudũ ſacrata pectora*
Tua repleſti gratia:
Dimitte nunc peccamina,
Et da quieta tẽpora. Amẽ.

Carmen iambicum dimetrum hoc in hymno integrè & accuratè obſeruatur, ſingulis pedibus in ſua ſede vt res ipſa efflagitat vbique conſtitutis. Commemorãtur in illo myſteria diei pentecoſtes: ob ſancti ſpiritus miſsionem in forma ignis & linguarum, & apoſtolorũ in variis linguis prædicationem celebratiſsime. Oratúrque deus: vt & nobis ſacratiſsima ſui ſpiritus dona benigniter infundat.

1 ❡ ANNOTATIONES. In primo verſu. Anni reduxit orbita. Vocant orbitam authores viam rotis curuũ reuolutis ſignatam atque protritam: quæ longo tractu in rectum porrigitur: & ęquo inter ſe ſpacio vna ab altera ſemper diſpeſcitur. Hic autem per quandam tranſlationẽ pro curriculo & reuolutione temporis ſumitur, quòd ea continuo cœli rotatu, perpetua vertigine iugique circungiratione peragatur. 2 ❡ In ſecũdo verſu. Ignis vibrante lumine. Hoc loco ignis, nominatiui caſus eſt, & cũ verbo detulit ordinatur. Dicitur autem ignis ipſe detuliſſe figurã linguæ: quoniam in hac ſpiritus ſancti miſsione apparuerunt diſcipulis diſpartitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Linguarum quidem figura: donum linguarum illis datum inſinuabat, ignis verò: feruorem charitatis ingentem, eorum cordibus ſuccenſum.

3 ❡ In tertio verſu. Muſto madere deputant. Muſtum, vinum nouum & necdum ſatis digeſtum atque excoctum: & ideo facile inducens ebrietatem ob vaporulentiam ſi immoderatius ſumatur. Vt autem ſacra actuum apoſtolorum narrat hiſtoria: nonnulli audientes apoſtolos variis linguis loquentes diuina myſteria, dixerunt eos vino obrutos eſſe ac ebrios. 4 ❡ In quarto verſu. Deno dierum circulo. Peracta ſunt, inquit, hæc ſacra miſsionis ſpiritus ſancti myſteria: poſtquam paſchale tempus tranſactũ eſt denaria dierum reuolutione quinquies facta, die ſcilicet quinquageſimo poſt diẽ paſchæ. Secundũ quẽ quidẽ numerũ quinquageſimum: in antiqua lege fiebat debitorum ſerui-

Act. 2

ſeruitiorum, contractuúmque remiſsio, & vendicabantur omnia in libertatem ob annum iubileum: quinquageſimo
Leui.25. ſemper anno ex diuina inſtitutione iuſſum obſeruari. Ita & in hoc ſacro quinquagenario dierum numero, in quo miſſus eſt ſpiritus ſanctus: obtinetur peccatoru remiſsio, & priſtina ſpirit⁹ libertas, atq; reditus in poſſeſsionē antiquam cæleſtis regni, quinimmo & in ſupernam patriam conceditur nobis regreſſus ab ea exulantibus.

5 ¶ In quinto verſu. Illapſa nobis cælitus. Datiuus ille nobis: cum verbo largire ordinari debet non autem cum participatio illapſa. Nam ſi dona ſancti ſpiritus forēt nobis illapſa: non vtique expetendum eſſet vt deus illa nobis elargiretur, quandoquidem iā adeſſent. Intelligamus ergo dona illapſa atq; infuſa apoſtolis, in die pētecoſtes.

6 ¶ In ſexto verſu. Dudum ſacrata pectora. Particula dudum, apud probatos authores: tempus præteritū haud multum diſtans à præſenti ſignat, hic autem ſumitur pro quondam vel olim. Nam id nobis ſignat tempus: quo ſpiritus ſanctus in ſacra apoſtorum corda miſſus eſt, quod ſanè magno interuallo à præſenti nobis tempore diſtat.

DE SANCTO SPIRITV: alius hymnus.

IAm Chriſtus aſtra aſcenderat
Regreſſus vnde venerat:
Promiſſum patris munere
Sanctum daturus ſpiritū.

2 Solēnis vrgebat dies:
Quo myſtico, ſeptemplici
Orbis uolutus ſepties
Signat beata tempora.

3 Dū hora cunctis tertia
Repente mundus intonat:
Orantibus apoſtolis
Deum veniße nunciat.

4 De patris ergo lumine
Decorus igni aduenit:
Qui fida Chriſti pectora
Calore verbi compleat.

5 Impleta gaudēt viſcera
Afflata ſancto ſpiritu:
Voces diuerſas intonant.
Fantur dei magnalia.

6 Ex omni gente cogniti
Græcis, Latinis, Barbaris:
Cunctiſq; admirantibus,
Linguis loquuntur omniū.

7 Iudæa tunc incredula
Veſana toruo ſpiritu:

Ructare

Ructare muſti crapulam	*Occurrit, & docet Petrus:*
Aiunos Chriſti cõcrepat.	*Falſa profari perfidos*
8 *Sed ſignis & uirtutib⁹*	*Iohelis teſtimonio.*

Non omnino integrè carminis iambici dimetri legem & regulam obſeruat hic hymnus: quòd in anterioribus locis pyrrhichium nonnunquam recipiat, ſecundo etiá loco ſpondeum, & nonnunquã trochæum pro ſpondeo aut iambo admittat. Referuntur in eo ſacra miſsionis ſpiritus ſancti myſteria, & ſanctæ illius ſolennitatis ſacramenta: quæ diffuſius in ſecundo capite actuum apoſtolorum enarrantur: cóque ex loco requirenda ſunt, neque hic amplius repetenda.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Promiſſum patris munere. Ita hoc loco legendum eſt: vt participium promiſſum accuſatiui caſus referatur ad ſpiritum, Ioan. 14 qui promiſſus eſt apoſtolis quòd eis mitti debeat gratuito dei patris munere: cum ipſis dixit filius. Ego rogabo Ioan. 15 patrem, & alium paraclitum dabit vobis. Et iterum paraclitus autem ſpiritus ſanctus: quem mittet pater in nomine meo. Et rurſum. Cum venerit paraclit⁹: quẽ ego mittam vobis à patre. 2 ¶ In ſecundo verſu. Solennis vrgebat dies. Vrgebat: inſtabat, imminebat, atque propinquabat. Et de die pentecoſtes loquitur: qui beata quidem ſignat tẽpora legiſlationis factæ quinquageſimo die poſt Exo. 19 egreſſum filiorum Iſrael de AEgypto. Quæ plane legis datio in mõte Sinay: erat figura & imago miſsionis ſpiritus ſancti, & promulgationis legis euangelicæ hodierno die inceptæ. Signat item ille dies pentecoſtes beata tempora anni iubilei: quinquageſimo quoque anno celebrati apud Iudæos, quinimmò & quietis perpetuæ in cælo: Leui. 25 per annum illum iubileum (qui ſpiritualiter à nobis obſeruatur) ſignificatæ. Illo autem die myſtico ſacráque ſignante myſteria, & ſeptemplici, id ſeptem vicibus replicato: orbis ipſe cæleſtis reuolutus ſepties, inſinuat & ſignificat ſacrata tempora feſti pentecoſtes. Nam ſi ſeptenariũ dierum numerum in ſeipſum duxeris: conficiuntur quadraginta nouem dies, quadratus numerus & perfectionis index. Quibus ſi addatur vnitas, vt conſummatrix & completiua ipſius perfectionis: protinus conſurgit quinquagenarius

quagenarius numerus, ſacramento miſsionis ſancti ſpiritus conſecratus & dedicatus. Et hoc ipſum myſterium innuitur in Leuitico, vbi à die feſto paſchæ iubentur numerari ſeptem hebdomadæ plenæ vſque ad alterã diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt quinquaginta dies: & tunc conplentur dies pẽtecoſtes. Quocirca planum eſt inter paſcha & pentecoſten, orbem & circulum ſeptẽ dierum ſiue hebdomadam, ſepties volui: vt hic dicit verſus.

Leui.23

4 ¶ In quarto verſu. Calore verbi compleat. Non hic compleuit legendum eſt: vt ferè omnes habẽt libri. Nam trochæus tunc quartum occuparet locum, quod non admittit huius carminis ratio, ſed compleat dicendũ, vt pyrrhichius carmen claudat. Ita in quinto verſu, afflata ſancto ſpiritu legendum eſt, vt iambus ſecundũ obtineat locum, & non afflatu ſancti ſpiritus: ſicut aliqui habent libri. 5 ¶ In quinto verſu. Fantũr dei magnalia. Id vocabulum magnalia, in ſacræ ſcripturę vſu receptum, apud ſecularis literaturæ authores non vſurpatur. Significat autem magna myſteria ſiuæ mirabilia opera, quę arduum & ſublime quiddam prę ſe ferunt, vt eſt ſacramentum incarnationis domini, paſsionis eius, reſurrectionis, aſcenſionis, & conſimilia ſuſceptæ diſpenſationis carnis opera.

6 ¶ In ſexto verſu. Ex omni gente cogniti. Subintellige, apoſtoli ſiue diſcipuli Chriſti, nam de ipſis hic fit ſermo, qui ſanè cogniti ſunt per intelligentiam ſermonis & linguæ, ſiue ĩtellecti & Græcis, & Latinis, & Barbaris. Nã vnuſquiſque lingua ſua audiebat illos loquentes. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Ructare muſti crapulã. Ructare eſt ex interiori plenitudine ructum ore ſubinde emittere, accuſatiuúmque poſtulat, ſicut eructare ſuum cõpoſitum. Virgilius. Saniem eructans & fruſtra, cruento per ſomnum cõmixta mero. Quare crapulam hic legendum eſt: non crapula. In eodẽ verſu. Cõcrepat: ſimul increpat, redarguit, obiectat. Alumnos Chriſti, apoſtolos & diſcipulos, eius ſalutari doctrina & miraculorum contuitu mirificè enutritos ac educatos. 8 ¶ In octauo verſu. Iohelis teſtimonio. Confutauit beatus Petrus illorum improbitatem: qui ebrietati imputarunt & aſcripſerunt illam in apoſtolis linguarum diuerſitatem. Et ſimul ex Iohelis prophetæ vaticinio oſtendit completam tunc eſſe ſancti ſpiritus effuſio-

Act.2
Iohel.2

nem

nem in homines: quam multo ante tẽpore idem propheta prænunciauerat, atque ex huiuſmodi ſpiritus ſancti dono declarauit illam linguarum varietatem proueniſſe. Quæ omnia ex ſermone beati Petri ad Iudæos habito in ſecundo capite actum apoſtolorum: dilucida ſunt & perſpicua.

AD VESPERAS, IN DIE SANCTO pentecoſtes: hymnus.

1 *ALma chorus domini nũc pangat nomina ſũmi.*
2 *Meſsias, ſother, emmanuel, ſabaoth, adonai.*
3 *Eſt unigenitus, uia, uita, manus, homouſion.*
4 *Principium, primogenitus, ſapientia, uirtus.*
5 *Alpha, caput, finiſq; ſimul uocitatur & eſt ω.*
6 *Fons & origo boni, paraclitus ac mediator.*
7 *Agnus, ouis, uitulus, ſerpens, aries, leo, uermis.*
8 *Os, uerbum, ſplendor, ſol, gloria, lux & imago.*
9 *Panis, flos, uitis, mons, ianua, petra, lapiſq́;.*
10 *Angelus & ſponſus, paſtorq́; propheta ſacerdos.*
11 *Athanatos, Kirios, theos pantocratonniſus,*
12 *Saluificet nos: ſit cui ſecla per omnia doxa. Amen.*

Modulationem heroici carminis ſiue hexametri perſonat hic hymn⁹, monocolos ac vniformis: eius tamẽ legẽ & regulam non ad amuſsim ſeruat, immò pleriſque in locis ab ea diſcedit: quemadmodum artem componendorum carminum tenens ac callens, diiudicare facilè poteſt. Planum eſt enim ſecundã ſyllabam dictionis vnigenitus corripi debere, & poſtremam dictionis manus: quoniam in nominandi caſu ponitur, vtraque tamen: hic producitur. Et dictionis paraclitus, ſecunda ſyllaba breuis eſt & tertia longa, ediuerſò tamen hic obſeruatum eſt. Continet autem præſens hymnus complura nomina primũ hebraica, deinde latina & poſtremùm Græca, quibus ipſe dei filius & propter diuinitatis ſuæ maieſtatem & propter aſſumptam humanitatem in ſacris literis denominatus inuenitur. Illa tamen nomina quæ eidem ratione deitatis conueniunt, non ſingularem perſonæ proprietatem ſed naturam atque ſubſtantiam reſpicientia: & patri & ſpiritui ſancto eiuſdem cum filio eſſentiæ, ſunt etiam communia.

communia. Et decantatur hic hymnus ad vſum inſignis eccleſiæ Pariſienſis, in die ſancto pẽtecoſtes ad veſperas: ob fœcundam diuinorum nominum multiplicitatem pręclarus admodum, & dignus qui cæteris inſeratur: & ex ſacrarum literarum teſtimonio aliquantam lucem accipiat. Nonnulli ſanè hanc diuinam laudem inter proſas collocant: proſamque vocant: ſed quoniam præter proſarũ morẽ carmine cõtexitur: malui ipſam inter hymnos ponere.
2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Meſsias, Sother, Emmanuel. Quinque filij dei nomina, verſus iſte complectitur, hoc ordine digeſta. Meſsias. id eſt Chriſtus, ſiue vnctus, effuſa ſpiritus ſacti largitate, præ conſortib⁹ & participibus ſuis. Vt apud Ioãnẽ: beatus Andreas ad Si-
Ioan. 1 monẽ fratrẽ ſuũ ait. Inuenimus Meſsiã, quod eſt interpre-
Ioan. 4 tatum Chriſtus. Et mulier Samaritana, ad dominum noſtrũ. Scio quia Meſsias venit, qui dicitur Chriſtus. Sother Græcum nomen, latine ſaluator interpretatur: quo nomine Chriſtus in euangelio ſæpius appellatur, vt in il-
Luca 2 lo angeli ad paſtores præconio. Natus eſt vobis hodie ſal
Ioan. 4 uator, qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate Dauid, & in
Eſa. 7 ea Samaritanorum confeſsione. Ipſi audiuimus & ſcimus: quia hic eſt verè ſaluator mundi. Emmanuel, interpretatur nobiſcum deus. Eſaias. Ecce virgo concipiet & pariet
Matth. 1 filium, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel, cuius quidem nominis interpretationem explicat Matthæus, oſtendens in ſacratiſsima virgine Maria filio dei fœta, completum eſſe illud Eſaiæ oraculum, cum ait. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt à domino: per prophetam dicẽtem. Ecce virgo in vtero habebit filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum, deus. Sabaoth hebręum nomen, idem ſignificat ſicut exercituum ſiue virtutum atque militiæ cæleſtis. Eſaias. Sanctus, ſanctus, ſanctus: dominus deus ſabaoth, ſiue exercituum, vt habet noſtra traductio. Et Hieremias. Tu autẽ domine ſabaoth, qui iudicas iuſtè & pro-
Eſaia. 6 bas renes & corda: videam vltionem tuam ex eis. Adonai
Hier. 11 hebræum nomen, vniuerſorum dominum ſignat, & quan
Exo. 6 dam pluralitatis rationẽ cũ ſingularitate & vnitate inſinuat, interpretatúrq; dominus, vt in Exodo: dominus ad
Iudith. 16 Moyſen. Et nomẽ meum adonai, non indicaui eis. Et Iudith

dith in ſuo cantico. Adonai domine, magnus es tu, & præclarus in virtute, & quẽ ſuperare nemo poteſt. 3 ¶ In tertio verſu. Et vnigenitus, via, vita. Hic etiã verſus: quin *Ioan.1*
que dei nomina proponit, hoc ordine. Vnigenitus. Ioannes. Et vidimus gloriam eius: gloriã quaſi vnigeniti à patre. Rurſum idem. Vnigenitus qui eſt in ſinu patris: ipſe enarrauit. Via, vita, Apud Ioannem, dominus ad diſcipulos ſuos. Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem: niſi per me. Et idem ad Marthã ſororẽ Mariæ. Ego ſum reſurrectio, & vita. Qui credit in me. etiã ſi mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternũ. Manus. Propheta in pſalmo Emitte manum tuam de alto, id eſt tuum filium de excelſo cælorum habitaculo: ad ſuſcipiẽdam humanæ carnis ſubſtantiam. Et dominus apud Eſaiam. Manus quoque mea fundauit terram. Eſt enim filius: virtus natiua patris æterni, & manus nomine: vim operatricem explicare ſolemus. Homouſion nomen græcum: latine dicitur conſubſtantialis, quòd vſia apud Græcos: ſubſtantiam ſignificet, & particula græca homo, in compoſitione idem ſignat: quod apud Latinos particula con. Et illud filij dei nomen eſt: quod contra Arrianam impietatem eccleſia catholica illi verè & piè aſcribit, cum in ſymbolo Niceno confitetur ipſum eſſe genitum non factum, conſubſtãtialem patri, quod & ex ſacro deducitur euangelico: vbi Chriſtus ſuę diuinitatis ſacramentum aperiens dicit. Ego & pater vnũ ſumus, id eſt vnius & eiuſdem ſubſtantiæ ſiue naturæ. 4 ¶ In quarto verſu. Principiũ, primogenitus. Hic verſus, quatuor filij dei nomina exprimit: hoc ordine. Principium: quoniam omnium rerum effectrix cauſa & author. Apud Ioannem cum interrogaſſent Chriſtum Iudæi. Tu qui es? reſpondit eis. Principium, qui & loquor vobis. Et cum dicit Moyſes in exordio Geneſeos. In principio creauit deus cælum & terram, nõnulli graues authores id ita exponunt. In princio: id eſt in filio. Primogenitus dicitur filius dei: quoniam ante omnẽ creaturam immò ab æterno eſt genitus ex ſubſtantia patris, vt in toto genitorũ numero nihil eius genituram anteceſſerit: immò eius generatio omnem aliam præuenerit generationem, quemadmodum diuina ſapiẽtia apud eccleſiaſticum teſtatur. Ego

Ioan.14 *Ioan.11* *Pſal.143* *Eſa.48* *Ioan.10* *Ioan.8* *Gene.1* *Eccl.24*

Coloſ.1 ex ore altiſsimi prodiui:primogenita ante omnem crea-
1.Cor.1 turam, Et Paulus ad Coloſſenſes ſcribens ait. Qui eſt ima
Pſal.103 go dei inuiſibilis,primogenitus omnis creaturæ. Sapien
tia,virtus. Vtrunque nomen ſimul attribuit Paulus Chri
ſto: cum ſcribit. Ipſis autem vocatis Iudæis atque Græ-
cis: Chriſtum dei virtutem & dei ſapientiam. Et cum di-
Luca.1 cit propheta in pſalmo. Omnia in ſapientia feciſti, ple-
rique ita interpretantur,id eſt in filio,qui eſt ſapientia pa
tris. Illud item angeli verbum ad ſacroſanctam virginē,
virtus altiſsimi obumbrabit tibi, deſignat dei filium vm-
braculo carnis ſuam diuinitatem in virgine obtecturum,
vt multis viſum eſt.

5 ¶ In quinto verſu. Alpha,caput,finiſque ſimul. Duo
dei nomina in toto hoc verſu continentur: Græco ſermo-
ne & latino comprehenſa, vtpote quòd ſit alpha & ω,ca-
put & finis: rerúmque omnium principiū per productio-
Apoca.1 nem,& finis itidem rerum,per omnium in ipſum vt opti-
Apoc.21 mum reuocationem ac reditum. Quod & ipſe & in Apo-
Apoc.22 calypſi de ſeipſo teſtatur: dicens. Ego ſum primus & no-
uiſsimus,& viuus. E rurſum in alio eiuſdē libri loco. Ego
ſum alpha & ω,initium & finis. Denique in alio eiuſdem
libri loco. Ego ſum alpha & ω,primus & nouiſsimus,prin
cipium & finis. Eſt enim alpha: prima litera alphabeti
Græci, & ω magnum, poſtrema eiuſdem litera: hanc ob
cauſam in illa dei denominatione: per alpha & ω princi-
pium & finis intelligitur. Dicitur & Chriſtus,caput ſecun
dum aliam rationem: quoniam ſuper totam fidelium ec-
cleſiam primatum tenet ex diuina conſtitutione, in quo-
Pſal.132 ſque dei cultores tāquam corporis myſtici membra de-
riuans dona gratiarum: ſicut vnguentum in capite quod
deſcendit in barbam,barbam Aaron, quod deſcendit in
oram veſtimenti eius. Et ſecundum hanc rationem ſcribit
Ephe.1 de eo apoſtolus ad Epheſios: quòd ipſum deus dedit ca-
Coloſ.1 put ſuper omnem eccleſiam. Et ad Coloſſenſes de eodem
dicit: quòd ipſe caput corporis eccleſiæ 6 ¶ In ſexto
verſu. Fons & origo boni. Quatuor dei nomina filio po
tiſsimum accommodanda, hoc ordine digeruntur in pre
Hiere.2 ſente verſu. Fons: quoniam affluentiſsimus eſt bonitatis
torrens, vt apud Hieremiam: de iniquis conqueritur do-
minus: Me dereliquerūt fontem aquæ viuæ: & foderunt
ſibi

ſibi ciſternas quæ continere non valent aquas. Origo boni, quoniam omne bonum ab eo vbertim profluit. Iacobus in ſua epiſtola. Omne datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt: deſcendẽs a patre luminũ. Paraclitus, id eſt, conſolator. Eſt enim ipſe (vt ait Paulus) pater miſericordiarũ & deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Cum etiam dixit Chriſtus diſcipulis ſuis de ſpiritu ſancto. Ego rogabo patrem: & altum paraclitum dabit vobis nonne & ſeipſum eſſe paraclytum ſatis innuit? conſolationémq; ſe illis præſtiturum promiſit dicens. Iterũ autem videbo vos: & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Mediator dicitur Chriſtus quoniam cõmunione noſtræ carnis ſe medium præbuit inter deum & homines nobiſque deum morte ſua conciliauit, quemadmodum ſcribit Paulus ad Timotheum. Vnus (inquit) deus: vnus & mediator dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. *Iac. 1* *2. Cor. 1* *Ioan. 16* *1. Timo. 2*

7 ¶ In ſeptimo verſu. Agnus, ouis, vitulus. Septem filij dei nomina, ſuſceptæ carnis diſpenſationem cõcernentia: in hoc verſu ita diſponuntur. Agnus, quoniam pro ſalute mundi immolatus eſt. Eſaias. Emitte agnum domine dominatorẽ terræ. Et Ioannes Baptiſta de Chriſto ait. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ouis, ob manſuetudinem. Eſaias. Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondẽte ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Vitulus, ob immolationẽ eius in cruce pro nobis factam. Et ſignificatus eſt myſticè per vitulum ſaginatum, qui à patrefamilias iuſſus eſt occidi vt epularetur cũ filio ſuo prius perdito: ſed demùm reuocato ad melioris vitæ ſortem. Serpens: ob ſuſpenſionem in ligno, ſignificatus per ſerpẽtem æneum à Moyſe in deſerto ſuffixum ligno, quem quicunque à ſerpentibus percuſſi intuebantur protinus ſanabantur: quemadmodum Chriſtus dixit Nicodemo. Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita oportet exaltari filium hominis. Aries: quoniã inter duo brachia crucis extentus eſt, & oblatus pro nobis, haud aliter quàm aries ille hærens cornibus inter vepres, quem Abraham obtulit in holocauſtum pro Iſaac filio ſuo. *Eſaia. 16* *Ioan. 1* *Eſa. 53* *Num. 21* *Ioan. 3* *Gene. 22*

Prouer.30 Leo: ob inuictam fortitudinē. Sapiens in prouerbiis. Leo
Apoc 5 fortiſsimus beſtiarum : ad nullius pauebit occurſum. Et
Pſal.21 Ioannes in Apocalypſi. Vicit leo de tribu iuda: radix Dauid. Vermis, ob infirmitatem carnis & adiectionē. Propheta in pſalmo. Ego autem ſum vermis & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis. 8 ¶ In octauo verſu. Os, verbum, ſplendor. Alia ſeptem filij dei nomina, hoc verſu ita comprehenduntur Os, quoniam volun
Eſa.40 tatem patris filius eloquitur. Eſaias. Et videbit omnis ca
Eſa 58 ro pariter, quod os domini locutum eſt. Et rurſum alio lo
Pſal.32 co. Os enim domini locutum eſt. Verbum, quoniam intima paternæ mentis eſt notio, & eius explicatio. Prophe
Ioan. 1 ta in pſalmo. Verbo domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum. Et Ioannes in principio ſui
Sapien.7 euāgelij In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Splendor: quoniam effulgētia eſt paternæ maieſtatis, ſicut ait liber ſapientiæ. Cādor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula dei maie
Heb.1. ſtatis, & imago bonitatis. Et Paulus ad Hebræos de Chri
Malac.4 ſto ait. Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Sol, quoniam ſpirituali ſua claritate mundum illuminat Malachias. Vobis timentibus nomen meum: orietur ſol iuſtitiæ. Et eccleſia ſancta, cōcinit ſacratiſsimæ virgini. Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ. Chriſtus deus no
Eſa.60 ſter. Gloria, quoniam dei patris eminentem excellētiam declarat, vt apud Eſaiam. Surge, illuminare Hieruſalem quia venit lumē tuum: & gloria domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terrā & caligo populos: ſu
Ioan. 1 per te autem orietur dominus, & gloria eius in te videbitur. Lux: quia ſplendore ſuæ gratiæ mētes hominum illuminat, Ioannes. Erat lux vera quæ illuminat omnē ho
Ioannis 8 minem veniētem in hunc mundum. Et Chriſtus apud Ioannem dicit. Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me nō ambulat in tenebris, ſed habebit lumē vitæ. Imago. quia viua, naturalis & vera eſt paternæ ſubſiſtentiæ expreſsio, illi ꝑ omnia æqualis & ſimilis. Paulus ad Coloſſeſes. Qui eſt imago dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ. In nono verſu. Panis, flos, vitis. Septem alia Chriſti nomina, in hoc verſu tali ordine colliguntur. Panis, quoniam
Ioan.6 nos viuifico ſuo corpore ſatiat, vt ipſe apud Ioannē ait.

Ego

Ego ſum panis vitæ,& iterum. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Flos quoniã gratiſsimo ſuo odore nos recreat, vt ipſe in cantico canticorum teſtatur. . Ego flos campi,& lilium conuallium. Et Eſaias. Egredietur virga *Can.2*
de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcendet,& requieſ- *Eſa.11*
cet ſuper eum ſpiritus domini. Vitis quoniam ſuauiſsi- *Ioan.5*
mo doctrinæ ſuæ vino nos reficit, vt ipſe apud Ioannem ait. Ego ſum vitis vera,& pater meus agricola eſt. Et rurſum. Ego ſum vitis. vos palmites. Mons: quia certitudine dignitatis & perfectionis, omnes ſupereminet vt apud propheram in pſalmo. Mons dei mons pinguis : mons in quo beneplacitũ eſt domino habitare in eo. Et apud Da- *Pſal.66*
nielem lapis exciſus de monte ſine manibus: factus eſt in *Dan.2.*
montem magnum:& impleuit vniuerſam terram. In qua viſione: per vtrunque,& montem, intelligitur Chriſtus. Ianua, quia per ipſum habetur introitus in ſalutem & regnum cæleſte, vt ipſe apud Ioannem teſtatur his verbis. Amen amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium. Et paulò poſt. Ego ſum oſtium. Petra, ob ſoliditatem & fir *Ioan.10*
mitatem omnium virtutum. Paulus ad Corinthios. Bibe- *1.Cor.10*
bant autem de ſpirituali : cõſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Lapis, ob fundamenti eccleſiaſtici rationem,& ſpiritualis fabricæ connexionem. Propheta in *Pſal.117*
pſalmo lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic fa- *Eſa.28*
ctus eſt in caput anguli. Et Eſaias. Ecce ego mittã in fundamentis Syon, lapidem, lapidem probatum, angularem pretioſum, in fundamento fundatum. 10 ❡ In decimo verſu. Angelus & ſponſus. Quinque nomina, Chriſto ob ſusceptã noſtræ carnis ſubſtantiam conuenientia, hoc verſu continentur ſecundũ hunc ordinem. Angelus, quoniã paternam volũtatem & beneplacitum nobis annũciauit, *Eſa.9*
vt apud Eſaiam ſecũdum ſeptuaginta interpretum tradu- *Malach.3*
ctioné, magni conſilij angelus vocatur. Et Malachias de eodem dicit. Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator quem vos quæritis:& angelus teſtamenti qué vos vultis. Sponſus: quoniã eccleſiam ſuo ſanguine ſan- *Pſal.18*
ctificatã, ſibi in ſponſam aſſumpſit. Propheta in pſalmo. Et ipſe tanquam ſponſus: procedens de thalamo ſuo. Et dominus de ſeipſo in euãgelio. Nũquid poſſunt filij ſpõſi lugere, quandiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies

cum auferetur ab eis ſponſus: & tunc ieiunabunt. Paſtor: quia verbo ſalutari & bonæ vitæ exẽplo paſcit ſuas
Ioan.10 oues, vt ipſe de ſe dicit apud Ioannem. Ego ſum paſtor
Heb.13 bonus: & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Et Paulus ad Hebræos ſcribens ait. Deus autem pacis qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium, in ſangui-
Luca. 4 ne teſtamenti æterni, dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ,
Luc.13 Propheta, quoniam ventura diuina reuelatione prænun
Luc.7 ciauit hominibus. Nemo (inquit) propheta acceptus eſt in patria ſua. Et non capit prophetam perire extra Hieruſalem. Rurſum populus magnalia dei conſpiciens: in hanc erupit confeſsionem laudis. Propheta magnus ſurrexit in nobis: & deus viſitauit plebem ſuam. Sacerdos: quoniam ſemetipſum tradidit oblationem & hoſtiam deo in odorem ſuauitatis, quemadmodum pater æternus ad
Pſal.109 filium verba faciens ait. Tu es ſacerdos in æternum ſe-
Heb.7 cundum ordinem Melchiſedech. Et beatus Paulus ad Hebræos ſcribens ait. Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes: idcirco quòd morte prohiberentur permanere, hic autem eò quòd maneat in æternum: ſempiternum habet ſacerdotium.

11 ¶ In vndecimo verſu. Athanatos, kirios. Hic verſus quinque conſtringit filij dei nomina, græco ſermone expreſſa: hoc ordine diſpoſito Athanatos: id eſt immortalis, quòd ſuę durationis nec principium habeat nec finem, quemadmodum ſcribit Paulus ad Timotheum.
1.Timot 6 Qui ſolus habet immortalitatem: & lucem habitat inac-
1. Timot.1 ceſsibilem. Et iterum. Regi autem ſeculorum, immor-
Apoc.19 tali, inuiſibili, ſoli deo: honor & gloria in ſecula ſeculo-
Pſal.96 rum. Kirios: dominus, quòd omnium dominetur & quæ ſunt in cælis & quæ in terra, habet enim in fœmore ſuo ſcriptum: rex regum & dominus dominantium. Et propheta in pſalmo. Quoniam tu dominus altiſsimus ſuper omnem terram: nimis exaltatus es ſuper omnes deos.
Pſal.44 Theos, deus, quòd ſimplici ſuo obtentu omnia contuea-
Baruch.3 tur & circunluſtret. Propheta in pſalmo. Sedes tua deus in ſeculum ſeculi: virga directionis, virga regni tui. Et Ba
Exo.15 ruch propheta. Hic eſt deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Pantoncraton: omnipotens ſiue omnitenens. Pan enim, omne ſignificat, cratos verò potens ſiuę

ſiue tenens. Et id tamen filio dei rectè conuenit, quatenus deus eſt. Dominus (inquiũt filij Iſrael in ſuo cãtico) quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Et in ſacra Apocalypſi quatuor animalia aſsiduè hanc deo laudem concinunt. Sanctus, ſanctus, ſanctus, dominus deus omipotẽs qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt. Paulus item ad Hebreos ſcribẽs dicit de filio dei: quòd eſt omnia portãs verbo virtutis ſuæ. Porrò qui gręcam callent linguam exactè dicunt hoc loco coniunctim & in vna dictione legendum eſſe pantocrator, quòd compoſita ſit apud Gręcos dictio, perinde ac omnipotens apud latinos. Iſus: græcum nomen, tantundem ſignat atque ſaluator, eſt enim omnino idem nomen quod Ieſus apud Hebræos, nomen ſcilicet glorioſum & venerandum cælo delatum, & chriſto dei filio impoſitum de quo angelus ad Ioſeph ait. Pariet autẽ filium, & vocabis nomen eius Ieſum. ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum, á peccatis eorum. De eodem angelus ad virginem. ecce concipies in vtero & paries filiũ, & vocabis nomen eius Ieſum. Cæterùm Græci idem nomen triſyllabum proferunt. Nam iota primæ ſyllabæ literam, & η ſecundæ, dirimunt ab inuicem, atque ſeiungunt in prolatione. latini verò illud η Græcum in e conuertunt, & diuiſim proferunt per trium ſyllabarum tenorem, Ieſus. Mãtuanus. ſtrenuꝰ indigenas populos abigebat Ieſus. Hebræi autem coniunctim proferũt i, & e, litteras prædictæ dictionis, eámque diſyllabam proferunt. Sunt & alia nomina in ſacris literis filio dei attributa, quæ his verſibus non cõtinentur, vt quòd radix Dauid dicatur veritas, ſtella matutina, & lignum vitæ. ſed ſtudioſe perſcrutãti ſanctam ſcripturam, ex his quæ dicta ſunt facilè reliqua innoteſcent.

Luc. 1 *Hebr. 1* *Apoc. 4* *Matth. 1.*

Porrò doxa in fine poſtremi carminis Gręcum vocabulum, idem eſt quod gloria, neque hic dei nomẽ eſt, ſed inſinuat laudem ac honorem qui deo impẽdi exoptatur.

DE SANCTA TRINITATE.

ADeſto ſancta trinitas,
Par ſplendor, vna deitas:
Qui extas rerum omnium
Sine fine principium.
Te cælorum militia
Laudat, adorat, prædicat:

Triplexq́; mundi machina
Benedicit per ſecula.
3 *Aſſumus & nos cernui*
Te adorantes famuli:
Vota precesq́; ſupplicum
Hymnis iunge cæleſtium.
4 *Vnū te lumē credimus:*
Quod & ter idē colimus.
Alpha & ω quem dicimus:
Te laudet omnis ſpiritus.
Laus patri ſit ingenito:
Laus eius unigenito,
Laus ſit ſancto ſpiritui:
Trino deo & ſimplici.

Hymnus iſte, carminis iambici dimetri præfert ſpeciem: eius tamen formam non vſquequaque obſeruat. Nā pyrrhychium in anterioribus locis & paſsim trochæum recipit, itidem & ſpondeum in ſecunda regione & loco: quod huiuſce carminis ratio nō admittit. In eo proponitur catholica de ſācta trinitate confeſsio: ꝙ vnus eſt & ſimplex deus ſecūdum ſubſtantiam, trinus tamen in perſonis, quē omnis laudat & adorat creatura rationalis.

1 ❡ ANNOTATIONES. In primo verſu. Qui extas rerum omnium. Relatiuum qui, non ad expreſſum nomen trinitas referendum eſt, cui diſcōuenit in genere: ſed ad nomen ſubauditum tantūdem ſignificās, ſcilicet deus. Summa enim & ſuperſancta trinitas, vnus eſt deus. Et huiuſmodi relatio, non ad nomen ſed rem potius ſignificatam: frequens eſt in ſcripturis, vt domus Iſrael ſperauit in domino: adiutor eorum & protector eorum eſt. Dicitur autē ſancta trinitas & ipſe deus vnitrinus: rerū omnium principium per efficientiam atque creationem, quòd omnia ad eſſe produxit. Quod & ipſi deo communi ratio-
Pſal.115 ne expreſſo attribuitur in ſcripturis, & cuique etiam diuinarum perſonarū ſingulatim. Deo quidem communiter ſumpto: vt in Geneſi. In principio creauit deus cælum & terrā. Patri vero, vt Paulus ad Hebræos. Per quē fecit & ſecula. Filio autem: vt Ioannes in euangelio. Omnia per
Gene.1. ipſum (ſcilicet verbum) facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt
Heb.1. nihil. Et propheta in pſalmo ad filium. Initio tu domine
Ioan.1. terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli. De-
Pſal.101. nique ſpirituiſancto: vt in pſalmo. Emitte ſpiritum tuum
Pſal.103 & creabuntur: & renouabis faciem terrę. Et Iob. Spiritus
Iob.33. dei fecit me: & ſpiraculū omnipotentis viuificauit me. Eſt autē deus ipſe ſine fine, ſicut & ſine principio durationis,
quo-

quoniam eſt æternus, atque idem ipſe eſt: & anni eius non deficient. 2 ¶ In ſecundo verſu. Te cælorum militia. Angelicorum ſpirituum multitudo dicitur hic cęlorum militia: quoniam ipſi deo militat iugiter, famuletúrque & ſeruit. Et hoc nomine etiam inſcriptura nuncupatur, vt apud Lucam. Et ſubito facta eſt cum angelo, multitudo militiæ cæleſtis, laudantium deum & dicentium. Gloria in excelſis deo, & in terra pax hominibus bonæ volũtatis. At verò cum reprehenduntur in ſcriptura filij Iſrael, quòd adorauerint militiam cæli, vt in Deuteronomio. Et ſeruiãt diis aliénis, & adorent eos: ſolẽ & lunam & omnem militiam cæli, que non præcepi: ibi milia cęli pro multitudine ſtelarum: vt planetarum aliorúmque aſtrorũ ſumitur, quę errore vano ſeducta gentilitas vt numina coluit & deos exiſtimauit. In eodem quoque verſu: triplex mũdi machina dicitur, cæleſtiũ terreſtriũ & infernorum diſtinctio, à deo cõſtituta atque ordinata. quẽadmodum ait B. Paulus ad Philipenſes. Vt in nomine Ieſu, omne genu flectatur, cæleſtium terreſtium, & infernorum. Et alius hymn⁹ dicit de Chriſto, Trinam regentẽ machinã, clauſtrũ Mariæ baiulat. Sed quomodo (dicet quiſpiam) infernorũ machina benedicit deum. cum dicat pſalmus. In inferno autẽ quis cõfitebitur tibi? Et Eſaias. Quia nõ infernus cõfitebitur tibi, neq; mors laudabit te. Prõpta eſt reſpõſio, infernorũ turbã non benedicere deo confeſsione laudis & gratiarum actionis, ſed declaratiõe rectitudinis diuinæ iuſtitiæ, quæ cũ in ipſam ſeruare æquitatẽ & ſeueritatem cõſpicitur, inde ipſius laudãdæ, cómendandæque materiã aliis ſuggerit & præſtat. Vt enim dicit Pſal. letatur iuſtus cũ viderit vindictã, man⁹ ſuas lauabit in ſãguine peccatoris. 4 ¶ In quarto verſu. Alpha & ω quẽ dicimus. Alpha, prima eſt Grecorũ elemẽtorũ litera: ω verò magnũ, poſtrema. Dicitur igitur de⁹ alpha & ω, quia rerũ omniũ principium eſt productiuũ, & finis vltimus in quem reuocãtur omnia. Vnde in Apocalypſi nõ ſemel dicit deus de ſeipſo. Ego ſum alpha & ω, principiũ & finis, prim⁹ & nouiſsim⁹. Demùm in quarto huius verſus carmine dicendũ eſt poti⁹ te laudet oĩs ſpirit⁹, quàm laudat. vt optatio potius quàm indicatio inſinuetur, & reſpõdeat illi loco pſalmi cẽteſimi quinquageſimi. Omnis ſpiritus laudet dominum.

Luca 2

Deut. 17

Philipp. 2

Pſal. 6
Eſaia 83

Pſal. 57

Apoc. 1
Apoca. 21
Apocal. 2.
Pſal. 150

DE

¶DE SANCTA TRINITATE: alius hymnus.

1 *IN maieſtatis ſolio.*
Tres ſedent in triclinio.
Nam non eſt conſolatio
Perfecta: ſolitario.
2 *Aeternæ mētis oculo*
Quando pater inflectitur:
In lucis ſuæ ſpeculo
Imago par exprimitur.
3 *Imaginis conſortium*
Natiuus præbet exitus:
Conſorsq́; ſpirans gaudium
Ingenitus & genitus.
4 *Hoc gaudium eſt ſpiritꝰ*
Quo patri natus iungitur.
Et unum bonum funditus
In his tribus concluditur.
5 *In tribus eſt ſimplicitas:*
Quos non diſtinguit qualitas.
Nec obſtat tribus unitas:
Quos ampliat immenſitas.
6 *Per ſolam uim originis*
Communio fit numinis.
Natiui ductu germinis.
Votiuiq; ſpiraminis.
7 *Ingenito & genito*
Cum ſpiritu paraclito:
Ipſis honore debito
Deo pſallamus inclyto.
Amen.

¶Præſens hymnus carminis iambici dimetri gerit imaginem: non tamen exactam ſeruat eius legem, ſed potius cōſonantiam poſtremarum ſyllabarum in exitu & deſinentia carminum eiuſdem verſus. Declaratur in eo ſuperdiuinæ trinitatis myſterium: in vnitate diuinæ ſubſtantię ineffabiliter ſubſiſtentis. Emanationes itidem diuinarum perſonarum vt ſecundæ ex prima per generationem æternam, & tertiæ ex prima & ſecunda per proceſſionem etiā æternam, aptis & congruis modis exprimūtur: qui noſtræ capacitatis infirmitati ſunt accommodi. Nam profundior huius materiæ perſcrutatio: noſtræ mentis excedit captū, & periculoſa eam attentantibus eſſe ſolet.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Tres ſedent in triclinio. Triclinium: locus dicitur in quo diſcumbunt conuiuæ, ita nominatus à triplici lectorum ordine: quibꝰ inſidentes antiqui, menſis accūbere ſunt ſoliti. Latinè cœnaculum ſiue diſcubitorium appellatur. Itaque per maieſtatis ſolium, vnitas diuinitatis: per triclinium verò ī quo tres ſedent, perſonarum diuinarum trinitas inſinuatur. Quòd autem ponenda non ſit vnius perſonæ ſingularitas & ſo-

& ſolitudo, eo ipſo oſtenditur: quòd ſolitarius nulla perfruitur ſuorum bonorum iucunditate: quoniam illi deeſt ſocius cum quo lætetur & hilareſcat. Nullius enim boni ſine ſocio iocunda eſt poſſeſſio: vt ait Seneca.

2 ¶ In ſecũdo verſu. Aeternę mẽtis oculo. Cum quis obiectum ſibi inſpicit ſpeculum: ſui vultus imaginem in eo plenè: & integrè efformat Ita pater æternus ſeipſum mente ſua intima tanquam diuino ſpeculo, intelligendo: viuã & perfectam imaginem ſuam producit vt internam prolẽ omnino ſibi æqualem ac ſimilem. Et hæc, dei filius eſt: ac ſecunda in trinitate perſona. De quo ſcribit apoſtolus ad Coloſſenſes. Qui eſt imago dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ. *Coloſ. 1.* 3 ¶ In tertio verſu. Imaginis conſortium. Exitus atque emanatio per diuinam natiuitatem, filij à patre: præſtat ipſi filio conſortium & communionẽ imaginis paternæ. Ratione ſiquidem inenarrabilis generationis: filius eſt imago patris. At pater ingenitus, quoniam à nullo ſumit originem: & filius à patre genitus ſpirant ſimul gaudium mutuum vnius de altero, ipſum ſcilicet ſpiritum ſanctum, qui nexus eſt & communio patris & filij. Nempe ſpiritus ſanctus à patre filioq; procedens: eſt gaudium ſuperſubſtantiale patris de filio & ediuerſò: vt dicit quartus verſus. In illis autem tribus ſuperbeatis perſonis diuinis: omne bonum conſiſtit, & ex ipſis vt fortunæ bonitatis exordio ac ortu: bonum omne in creaturas profluit ac deriuatur. 5 ¶ In quinto verſu. In tribus eſt ſimplicitas. Non obeſt ipſa perſonarum pluralitas: diuinæ ſimplicitati, nam non minus ſimplex eſt deus attendendo diuinam naturam atque ſubſtantiam, vbi tres ſunt perſonæ, quàm eſſet ſi vnica eſſet diuina perſona, quòd numerus ipſe perſonarum nequaquam derogat ſimplicitati ſuper diuinæ. Eas etiam perſonas non diſtinguit qualitas: vt ſapientia, bonitas, perfectio, & ſimiles. Nam eadem eſt ipſarũ triũ ſapientia, bonitas, ac virtus. Neque etiam vnitati deitatis ipſarũ perſonarũ: obſiſtit ipſarũ immenſitas. Nam immenſus pater, immenſus filius, immenſus ſpiritus ſanctus: attamen vnus ſunt deus verus & viuus. 6 ¶ In ſexto verſu. Per ſolam vim originis. Communicatio deitatis intima & ipſis immanens perſonis: potiſſimùm fit per interiorem originem atque emanationem diuinarum perſonarum.

Gar-

Germen namque diuinum ſcilicet dei filius: à patre emanat per generationem ęternam. Spiramen verò myſticum & ſpiritus ſanctus: producitur à patre & filio atque proficiſcitur per proceſſionem intimam. Quid autem ſit illa diuina generatio & quomodo fiat: non eſt amplius inquirendum: cum dicat Eſaias de filio dei, Generationē eius quis enarrabit? quod & de proceſſione ſimiliter eſt dicendum.

Eſaiæ 53

¶ De eadem ſancta trinitate: alius hymnus.

1

O Lux beata trinitas
Tres unum, trium unio:
Imperialis unitas
In trium contubernio.

2 *O pater innaſcibilis,*
Natura ſemper pullulans:
Pondus rei uertibilis
Verbo uirtutis baiulans.

3 *O uerbum in principio:*
Paternæ ſplendor gloriæ
Tu conditor, & ratio:
Lux cordium, fons ueniæ.

4 *O amor ſancte ſpirit⁹:*
Concordiæ ſpiraculum.
Summi dulcoris halitus:
Pax. fœdus, fructus, oſculū

5 *Pater gignit imaginem*
Aequalem ſibi penitus.
Solamq; per originem:
Ab ipſis differt ſpiritus.

6 *Tres unum deū colimus*
Vnam trium eſſentiam.
Tribus unam impendimus
Honoris reuerentiam.
Amen.

¶ Præſens hymnus & in compoſitione & materia, præcedenti omnino eſt perſimilis. Nam carminis iambici dimetri ſpeciem potius refert quàm veritatem exprimat: alternorum carminum eiuſdem verſus conſonantiam in exitu vt primi ad tertium, & ſecundi ad quartum, ſtudioſè obſeruans. Continet autem ipſius ſummæ trinitatis arcanum, & aliquantulum adaperit vnitatem diuinæ maieſtatis, ipſarum perſonarum pluralitati nequaquam derogare declarans. Deinde cuiuſque diuinarum perſonarum ſingulares proprietates explicat, & peculiares denominationes, oſtéditque eas ab inuicem ſola originis ratione, perſonaliq; diſcretione diſtare.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. In trium contubernio. Contubernium proprie dicitur plurium militum ſub vno papilione atque tabernaculo degentiū con

uictus

uictus atque ſocietas: qui idcirco contubernales dici ſolent Transfertur autem ad quancunque ſodalitatem ſiue conſortium plurium: ad vnum quicquam rationem communionis habentium. Vnde ab imis ad ſumma aſſurgendo: vnitas deitatis in perſonarum trinitate, hic dicitur imperialis, id eſt principalis & eminentiſſima vnitas in trium contubernio.

2 ¶ In ſecundo verſu. O pater innaſcibilis. Exprimitur hic ſingularis dei patris proprietas: vtpote innaſcentia ſiue ingignentia, qua pater ingenitus dicitur & innaſcibilis quoniam ab alio non habet originem: ſed à ſeipſo eſt, & principium ſine principio. Idem etiam pater dicitur hic natura ſemper pullulans: quoniam perpetuam & iugem habet naturæ fœcunditatem, qua ab æterno filium ex ſe genuit, aſſiduéque gignit: nec ab eius vnquã productione deſiſtet, perinde atque fons in ſeipſo indeficienter ſcaturiens: ac ebulliens. Demùm dicitur pater totam hanc rerum mutabilium molem verbo virtutis baiulare: quoniã omnipotenti ſua virtute hanc totam mundi machinam in ſuo continet tenore, ſeruátque integritatẽ, portátque omnia (vt de filio dicit Paulus) verbo virtutis ſuæ. Id enim, omnia inquam verbo ſuę virtutis portare: tam patri quàm filio, immò & ſpiritui ſancto eſt commune, quoniam ſpectat ad extera. *Hebra.1.*

3 ¶ In tertio verſu. O verbum in principio. Id ex euangelij beati Iohannis initio eſt deſumptum: vbi ait. In principio erat verbum: id eſt filius in patre: vt complures exponunt, aut in temporum & ſubſiſtentiæ rerum principio iam erat verbum: vt alij interpretantur ne quis ipſum inter creaturas collocet: quas omnes æternitate antecedit. Dicitur & filius hoc loco ſplendor paternæ gloriæ: quoniam effulgentia eſt, & expreſſio paternæ excellentiæ: vt ſcribit Paulus ad Hebræos de filio. Qui cum ſit ſplendor gloriæ: & figura ſubſtantiæ eius. Idem quoque eſt conditor omniúmque rerum creator: vt ait propheta in pſalmo ad filium. Initio tu domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli. Eſt & ratio atque ſapientia patris per quam condita ſunt vniuerſa quoniam omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Dicitur etiam lux cordium: quoniam eſt lux vera quæ illuminat omnẽ homi- *Heb.1.* *Pſalm.101* *Ioan.1.*

hominem venientem in hunc mundum. Poſtremùm fons eſt veniæ: quoniam apoſtolo teſte, purgationem peccatorum facit dei filius.

4 ¶ In quarto verſu. O amor ſancte ſpiritus. Verſus iſte complectitur pulchras admodum & præclaras denominationes ſancti ſpiritus. Et primum quòd ſit amor: quoniam ſummus & ſuperdiuinus eſt amor, quo pater & filius ad inuicem nectuntur & deuinciuntur. Deus enim charitas eſt. Concordiæ etiam eſt ſpiraculum: quoniam inſpirat mentibus humanis pacem ac concordiam. Eſt enim deus pacis & dilectionis. Eſt & ſummi dulcoris halitus: quoniã dulcedinem ſpiritualem afflat & infundit cordibus pié in deum affectis, vt teſtatur ſapiens cum ait. O quàm ſuauis eſt domine ſpiritus tuus in omnibus. Demùm dicitur pax, fœdus, & oſculum: quoniam veram largitur pacem, componit fœdera: & mentes prius infenſas beniuolentia conciliat, oſculóque ſancto coniungit ac confœderat. Poſtremùm & fructus nuncupatur propter exuberantem fructuum ſpiritualium communicationẽ in fideles ab eo diffuſam, de quibus ait apoſtolus. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Et ita hoc loco, cauſa nomine ſui effectus exprimitur: ſecundum hanc expoſitionem.

1. Ioan. 4
2. Cor. 13.
Sap. 12.

5 ¶ In quinto verſu. Pater gignit imaginem. Quòd filius ſit vera, viua, & perfecta imago patris: omnino ei æqualis potentia, ſapientia, bonitate, & perfectione: ex hymno præcedente iam planum euaſit. Quòd verò ſpiritus ſanctus à patre & filio per ſolam differt originem: conſtat, quoniam ab vtroque procedit, qui quidem originis modus: nec patri nec filio conuenit. In reliquis autem vt ſubſtantia, virtute, æternitate, maieſtate: cum ambobus omnino conſpirat.

¶ DE SANCTO EVCHARISTIAE ſacramento.

1
Ange ligua glorioſi
Corporis myſterium
Sanguiniſq; precioſi:
Quem in mundi precium
Fructus uentris generoſi
Rex effudit gentium.
2 *Nobis natus, nobis datus*
Ex intacta uirgine:

Et

Et in mundo conuerſatus
Sparſo uerbi ſemine,
Sui moras incolatus
Miro clauſit ordine.
3 Inſupremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obſeruata lege plene
Cibis in legalibus:
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.
4 Verbũ caro, panem ue rum
Verbo carnem efficit.
Fitq; ſanguis Chriſti: merum.
Et ſi ſenſus deficit:
Ad firmandũ cor ſyncærũ
Sola fides ſufficit.
5 Tantum ergo ſacramentum
Veneremur cernui.
Et antiquum documentum
Nouo cedat ritui.
Præſtet fides ſupplementũ
Senſuum defectui.
6 Genitori, genitoq;
Laus & iubilatio.
Salus, honor, uirtus quoq;
Sit & benedictio.
Procedenti ab utroque
Compar ſit laudatio.
Amen.

¶ Præſens hymnus metro alcmanio ac eurypidio alternatim decurrit: vt nonnulli alij conſimilis generis ſuperius declarati. Eius tamen carminis legem non ſemper exactè ſeruat: ſed magis ad rythmi formam ac obſeruationem accedit, in certo ſyllabarum cuiuſque carminis numero & conformi adinuicem ſoni deſinentia. Cum enim cuiuſque verſus ſex ſint carmina: eorum primum tertium & quintum, eundem habent ſyllabarum numerum & conſimilem terminalis dictionis exitum, habet namque quódque eorum octo ſyllabas: quarum duæ poſtremæ adinuicem conſonant, vt penultima vnius carminis aliorum penultimæ, & vltima vltimæ reſpondeat. Sitque penultima cuiuſque carminis impari loco diſpoſiti ſyllaba: longa, aut quoniã diſyllabæ dictionis eſt principium: ſit ſyllabæ longæ in tenore prolationis ſimilis, vt prior ſyllaba dictionis merũ, & quoque. Secundum verò quantum & ſextũ carmẽ eiuſdem verſus, mutuum etiam adinuicem habent reſponſum. Primo in ſyllabarum numero: nam quodque eorum ſeptẽ complectitur ſyllabas: ſecundo in conſimili terminatione: nam duæ poſtremæ vnius carminis ſyllabæ adinuicem

termina-

terminationis conſonantiam ſeruant cum duabus poſtremis aliorum carminum ſyllabis: penultima ſcilicet cum penultima: & extrema cum extrema. Denique & in quantitate ſyllabarum: tria illa eiuſdem verſus carmina locis paribus diſpoſita. etiam habent conformitatem. Nam in vnoquoque eorum: penultima ſyllaba breuis eſt. Author eius: ſanctus Thomas Aquinas. Qui ad petitionem Vrbani quarti ſummi pontificis totum officium eccleſiaſticum de ſanctiſſimo corporis Chriſti ſacramento eleganter & luculenter compoſuit, in quo & hic hymnus & duo proximè ſequentes: continentur. Deſcribitur autẽ in hoc hymno prima inſtitutio ſacratiſſimi myſterij ſanctæ euchariſtiæ à Chriſto facta: & pia exhortatio ad honorandũ hoc digniſſimum ſacramentum.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Rex effudit gentium. Chriſtus dicitur hic rex gentium: quoniam eas ad veritatis agnitionem per apoſtolorum prædicationem adduxit, & illas rectiſſimis ſuorum præceptorum inſtitutis euangelicæque legis doctrina moderatiſſimè rexit Vnde hanc illi nuncupationẽ ſcriptura ſæpius attribuit, vt in pſalmo pater ad filium loquitur. *Pſal. 2.* Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ: reges eos in virga ferrea. Rurſum alio loco. *Pſalm. 46* Regnabit deus ſuper gentes. Denique Hieremias. Quis non timebit te: O rex gentium!

2 ¶In ſecundo verſu. Sparſo verbi ſemine. Semen verbi hic dicitur prædicatio legis euangelicæ, quam Chriſtus cum in hoc mundo diuerſaretur: in Hieruſalem & per totam Iudæam ante paſſionem ſuam fecit. Nempe illam vt ſemen quoddam ſpirituale ſparſit in animos humanos tanquam agros intellectuales: ad proferendum fructum iuſtitiæ & bonorum operum. Ipſe enim Chriſtus eſt ſeminator ille, qui exiit ſeminare ſemen ſuum: cuius vna pars ſecus viam cecidit, alia ſupra petram, alia inter ſpinas, & denique alia in terram bonam. Et vt ipſe parabolam illã dignatus exponere teſtatur: ſemen eſt verbum dei. In eodem quoque verſu, incolatus nomen quartæ declinationis: habitationem manſionemque ſignificat. deducitúrque *Luca. 8.* à verbo incolo, is, ere: quod habitare deſignat. Vnde pſalmus. Hi mihi: quia incolatus meus prolongatus eſt.

Itaque ſui moras incolatus miro clauſit ordine Chriſtus: quia tempus ſuæ in mundo conuerſationis finiuit & terminauit mirabili ordinatione rerum arduarum atque prouidentia, ſcilicet inſtitutione noui ſacramenti nouiq́; teſtamenti, & paſſione mortis pro totius mundi redemptione.

3 ¶ In tertio verſu. Recumbens cum fratribus. Fratres hic vocat Chriſti diſcipulos. Nam eo nomine ſyncæri amoris & dignationis admirandę, eos appellat Chriſtus in pſalmo: cum ait ad patrem. Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio eccleſiæ laudabo te. Et in euangelio ad ſanctas & ſedulas mulieres. Ite, nunciate fratribus meis: vt eant in Galilæam. Rurſum adferuentem diuino amore Magdalenam. Vade autem ad fratres meos & dic eis. In eodem itidem verſu dicitur Chriſtus plenè legem veterem & Moſaicam obſeruaſſe in cibis legalibus: ſcilicet eſu agni paſchalis cum panib⁹ azimis & lactucis agreſtibus, ſecundum eum ritū qui duodecimo capite Exodi obſeruandus præſcribitur. Non enim venit ſoluere legem: ſed adimplere, & antiquæ legis finem voluit ipſius nouæ exordio: præmitteres vt illi hæc ſuccedere debere inſinuaretur.

Pſal. 21. *Matth.* 28. *Ioan.* 20.

4 ¶ In quarto verſu. Verbum caro, panem verum. Quoniam huius loci ſententia primo obtutu videtur ſubobſcurior: paucis ita eſt aperienda. Verbum caro: fili⁹ eſt dei factus homo: ſicut ait euangeliſta. Verbum caro factū eſt. Is autem verum panem efficit carnem: quia id quod ante benedictionem fuit verus panis, conuertit in ſuam carnem & ſacratiſsimum corpus. Et id inquam efficit verbo: prolatione ſcilicet verbi, eam conuerſionem inſinuantis. Hoc eſt corpus meum. Merum itidem fit ſanguis Chriſti, etiam verbo: quia per prolationem verborum ad ſignandum hanc tranſmutationem attinentium, ſcilicet, hic eſt calix ſanguis mei, cum rēliquis: vinum calicis in ſuum precioſum ſanguinem conuertit, vt tres euangeliſtæ Matthæus, Marcus, & Lucas, in dominicæ paſſionis enarratione plenè deſcripſerunt.

Mat. 26.

5 ¶ In quinto verſu. Et antiquum documentum nouo cedat ritui. Antiquum documentum: vetus eſt inſtrumentum, à deo per Moyſen traditum, continens agni paſchalis immolationem & multiformium hoſtiarum oblationes

quæ erant tanquam figura & imago ipſius veri agni pro nobis immolandi. Nouus autem ritus :eſt nouum teſtamentum & euangelica ſanctio,continens inſtitutionem vnius veræ & perfectiſſimæ hoſtiæ:quæ in locum multiplicium hoſtiarum,imperfectarum quidem & vmbratilium ſucceſſit. Sicut igitur adueniente die:nox propellitur , & nouitate inducta:vetuſtas abijcitur ,denique ſicut illucente veritate atque exemplari:relinquenda eſt vmbra, figura & imago,ita coruſcante nouæ legis gratia:non amplius locum habere debent veteris legis cærimoniæ,ſed pro agno illo figurali:nunc celebranda eſt & frequentanda ſacroſancta euchariſtia,& pro panibus azimis antiquæ conſtitutionis:nunc ſumendus eſt panis vitæ,nouo ritu à deo inſtitutus.

¶DE EODEM SACRAMENTO: alius hymnus:

1 *SAcris ſolenniis iuncta ſint gaudia:*
Et ex præcordiis ſonent præconia.
Recedant uetera,noua ſint omnia:
Corda,uoces, & opera.

2 *Noctis recolitur cœna nouißima*
Qua Chriſtus creditur agnum & azyma
Dediſſe fratribus,iuxta legitima
Priſcis indulta patribus.

3 *Poſt agnum typicum expletis epulis:*
Corpus dominicum datum diſcipulis
(Sic totum omnibus,quod totum ſingulis)
Eius fatemur manibus.

4 *Dedit fragilibus:corporis ferculum*
Dedit & triſtibus:ſanguinis poculum.
Dicens:accipite quod trado uaſculum.
Omnes ex eo bibite:

5 *Sic ſacrificium iſtud inſtituit:*
Cuius officium committi uoluit.
Solis presbyteris,quibus ſic congruit:

Vt ſumant, & dent cæteris.

6 Panis angelicus fit panis hominum:
Dat panis cælicus figuris terminum.
O res mirabilis: manducat dominum
Pauper, ſeruus, & humilis.

7 Te trina deitas, unaq; poſcimus:
Sic ut nos uiſites, ſicut te colimus.
Per tuas ſemitas duc nos quo tendimus
Ad lucem quam inhabitas, Amen.

¶Hymnus iſte, carminis aſclepiadæi choriambici præ ſe gerit ſpeciem: eius tamen pedes & locos nequaquam ſeruat. Neque enim tria prima eiuſdem verſus carmina exactè ſeruãt: primo enim loco ſpondeũ, ſecũdo & tertio choriambum, & quarto pyrrhichium aut iambum: vt aſclepiadæum carmen expoſcit. Neque quartum carmẽ quod glyconium eſſe deberet: primo habet loco ſpondeum, ſecundo choriambum, & tertio pyrrhichium: vel iambum: vt tale carmen poſtulat. Sed non habita ratione quantitatis ſyllabarum: ſolus earum numerus ad vnguem ſeruatus eſt, conformiter ad numerum ſyllabarum: in ſupradictis carminibus neceſſarium. Continet enim vnumquodque triũ primorum carminum eiuſdem verſus, duodecim ſyllabas: ſicut & carmen aſclepiadæum, & quartum carmen cuiuſque verſus ex ſeptem coaleſcit ſyllabis ſicut etiam carmẽ gliconium. Videtur præterea hic ſtudioſè potius obſeruata rythmica quædam conſonantia in ipſorum carminuum fine. Nam tria prima eiuſdem verbis carmina duas poſtremas ſyllabas habent ſimiliter deſinentes: conferendo penultimam ſyllabam vnius carminis ad penultimam aliorum, & vltimam ad vltimam. Quartum verò carmen non habet ad aliquid aliud huiuſmodi conſonantiæ reſponſũ. Author eius: ſanctus Thomas Aquinas. Commemoratur in eo, inſtitutio ſanctiſſimi ſacramenti euchariſtiæ: à trib⁹ euangeliſtis, & beato Paulo in prima ad Corinthios epiſtola, plenius explicata. Deinde altiſſimi illius myſterij cõmunionis ſanctæ (quod omni laude ſuperius eſt) excellentia: claris extollitur præconiis.

1 ❡ ANNOTATIONES. In primo verſu. Sacris ſolennijs iuncta ſint gaudia, Apud probatos & receptos authores linguæ latinæ, ſolennis tertiæ dútaxat eſt inflexionis: & in datiuo & ablatiuo plurali facit ſecũdum rectam regulam ſolennibus. At verò apud vſum eccleſiaſticũ inoleuit & frequens eſt nomen, ſolennia, orum: in plurali numero: neutro genere & ſecunda declinatione: à quo deducitur datiuus & ablatiuus pluralis, ſolénijs. Verũtamẽ extra orationũ eccleſiaſticarũ locutionẽ: nõ ſuaderẽ hoc nomine vtendum. Debet aũt id nomen in ſecunda ſyllaba nõ per, m, ſcribi: vt faciunt plerique, ſed per n, quoniam à verbo ſolet & annus cõponitur: & id dicitur, quod celebrari quotannis eſt conſuetum. Annus autem duplo n ſcribitur: quare & ſolennis ſuum compoſitum: & ſolennitas, ac reliqua inde profecta. 2 ❡ In ſecũdo verſu. Iuxta legitima priſcis indulta patribus. Legitima hic dicũtur traditiones ipſius legis Moſaicæ: potiſſimũ in ijs quæ ad cærimonias & ritus ſacrificiorum pertinebant (de quibus ſæpe dicit

Leui. 23. Leuiticus. Legitimum ſempiternum erit vobis: in cunctis generationibus & habitationibus veſtris) & quæ vulgo legalia dici conſueuerunt. Illa autem legitima de manducãdo agno paſchali cum panibus azimis à deo inſtituta, de quibus hic habetur ſermo: indulta erant, id eſt, tradita priſcis patribus, vtpote Moyſi, Aaron, & filijs Iſrael cum in Aegypto adhuc conſiſterent: vt duodecimum Exodi cap. diffuſè refert. Cæterùm indulgere cum actiuum eſt verbum: ſignificat dare ſiue tradere, & datiuum cum accuſatiuo requirit, vt apud Iuuenalem. Principio indulſit communis conditor illis, tantum animam: nobis animum quoque. Inde formatur participium indultus, id eſt, datus vel traditus. 3 ❡ In tertio verſu. Poſt agnum typicum expletis epulis. Agnum typicum vocat agnum illum paſchalem: quem ſecundum Moſaicæ legis ritum cum diſcipulis manducauit dominus, antequam ſacramentum ſui ſanctiſſimi corporis inſtitueret. Qui dictus eſt typicus, id eſt figuralis (typos enim ſiue typus: figuram & imaginem pręſtantioris formæ ſignificat) aut figuratiuus: quoniam is agnus figura erat & repræſentatio ipſius veri agni: pro toti' mũdi ſalute in ara crucis immolandi. Et quæ tanquam in imagine circa agnum illum fieri iuſſa ſunt: in Chriſto tanquã

veri

veritate perfecte conſummata & completa cōſpiciuntur. In eodem etiam verſu dicitur corpus dominicum datum diſcipulis, ſic totum omnibus quòd totum ſingulis, quoniam ſinguli duodecim diſcipulorum acceperunt totū Chriſti & integrum corpus, omnes tamen idem omnino Chriſti corpus ſumpſerunt. Vnicum enim erat & eſt Chriſti corpus: quod ab omnibus diſcipulis tum perceptum eſt, Sicut & quotidie ſinguli percipientes ſacram communionem: totum Chriſti ſumunt ſacratiſſimum corpus: omnes tamen vnum & idem omnino percipiunt corpus: integrū & perfectum. Perinde atque vox aliqua prolata multis coram aſtantibus: à ſingulis quidem eorum plenè & integrè auditur attamen ab omnibus eadem omnino percipitur.

4 ¶ In quarto verſu. Dedit fragilibus corporis ferculū. Fragilibus diſcipulis ſuis: qui ſoli tum præſentes erant: cū inſtitueretur primo hoc ſacrum myſterium. Erant autem ipſi fragiles, infirmi & inualidi animo contra terrores & pericula. Nam paulo pòſt relicto domino cum caperetur à Iudæis, fugerunt omnes. Et Petrus ter abnegauit ſe noſſe eum. Erant & triſtes ob imminens malum & graue diſcrimen: quod ſuperuenturum audierāt domino. Sed quia hæc dixi vobis (ait dominus ipſis) triſtitia impleuit cor veſtrum. Et poſt orationem in horto: inuenit Chriſtus diſcipulos ſuos dormientes (vt inquit euāgeliſta) præ triſtitia. Mat. 26. Ioan. 16 Luca. 22.

5 ¶ In quinto verſu. Solis presbyteris quibus ſic congruit. Presbyter apud antiquos non officij nomen erat aut miniſterij eccleſiaſtici, ſed ætatis: tantundem in Græco ſignificans, atque ſenior & grandior æuo. Nunc tamen ita in vſu receptum eſt id nomen: vt ſacerdotes ſignificet & eos qui ſacri altaris gerunt miniſterium, conficiendiq; euchariſtiæ ſacramenti habent officium. Quo in ſignificatu etiam in ſancta interdum ſcriptura ſumitur: vt cū Paulus ad Titum ſcribit, quòd conſtituere debeat presbyteros per ciuitates. Et rectè eodem nomine presbyter, ſignatur vtrumque: & ſenilis ætas & ſacerdotium, quòd deceat ſacerdotes iam maturos eſſe ætate & grandæuos: vt virtute ſint conſummatiores ad dignè exequendum (quantum homini fas eſt) id altiſſimum munus altaris atque miniſterium. Tit. 2.

6 ¶ In ſexto verſu. Panis angelicus fit panis hominum.

Panis iſte vitæ dicitur panis angelorum, quòd ſpiritus angelici in regno cælorum dulci ipſius diuinitatis & humanitatis Chriſti contemplatione iugiter reficiuntur & ſatiantur. Idcirco de manna (quod erat huius panis ſupercæleſtis ſymbolum) dictum eſt in pſalmo. Panem angelorum manducauit homo. Dicitur & panis cælicus: quia de cælo ſi deitas Chriſti attenditur) deſcendit, quemadmodum de ſeipſo dicit Chriſtus in euangelio. Panis enim verus eſt qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo. Et de manna Iſraelitico, huius ſacramenti ſymbolo dicit pſalmus. Panem cæli dedit eis manducare. Et alio loco. Pane cæli ſaturauit eos.

Pſal. 77.
Ioan. 6.
Pſal. 77.
Pſal. 104.

¶ DE EODEM SACRAMENTO: alius hymnus.

1 *VErbum ſupernum prodiens:*
Nec patris linquēs dexteram.
Ad opus ſuum exiens:
Venit ad uitæ ueſperam.

2 *In mortem à diſcipulo*
Suis tradendus æmulis:
Prius in uitæ ferculo
Se tradidit diſcipulis.

3 *Quibus ſub bina ſpecie*
Carnem dedit & ſanguinē:
Vt duplicis ſubſtantiæ
Totum cibaret hominem.

4 *Se naſcens dedit ſocium:*
Conueſcens in edulium.
Se moriens in precium:
Se regnans dat in præmium.

5 *O ſalutaris hoſtia:*
Quæ cæli pandis oſtium.
Bella premunt hoſtilia:
Da robur, fer auxilium.

6 *Vni trinoq; domino*
Sit ſempiterna gloria:
Qui uitam ſine termino
Nobis donet in patria.
Amen.

¶ Carminis iambici dimetri forma in hoc hymno obſeruata videtur: ob certum cuiuſque carminis eius ſyllabarū numerum qui in tali metro etiam requiritur. Eius tamen pedes & norma non omniquaque hic ſeruatur: quòd paſſim pyrrhichius in anterioribus locis & trochæus recipiatur, necnon & ſpondeus in ſecunda ſede, quod non admittit huiuſce carminis regula. Verùm videtur potius author huius odæ, rythmicæ proſæ quàm carminis contexendi hic fuiſſe ſtudioſus, quandoquidem in vnoquoque verſu pri-

primum & tertium carmen ſimilem habent duarũ poſtremarum ſyllabarum exitum atque deſinẽtiam: ſimiliter ſecundum & quartum eiuſdem verſus carmen, conferendo penultimam vnius carminis ſyllabam ad penultimam alterius in ſono terminali: & vltimam ad vltimam.

Author eius: ſanctus Thomas Aquinas. Deſcribitur in eo huius digniſſimi ſacramenti prima inſtitutio à Chriſto facta: & quanta eius humanitas atque ſuauitas in illo nobis declaretur. Demùm pia fit ad ipſum ſacramentum inuocatio.

1 ¶ANNOTATIONES. In primò verſu. Verbum ſupernum prodiens. Verbum dei tunc prodiiſſe dicitur, ſeq; palam conſpiciendum exhibuiſſe: quando humana indutum forma in terris viſum eſt, & cum hominibus conuerſatum. Nec tamen tunc patris liquit dexteram; quia ſemper manſit & manet ſecũdum diuinitatem intimum patri. Nempe poſt incarnationem eius dictum eſt de ipſo. Vnigenitus qui eſt in ſinu patris: ipſe enarrauit. Ipſo quoque Philippo petenti patrem ſibi oſtendi reſpondit. Neſcis *Ioan.1.* quia ego in patre: & pater in me eſt? Cęterùm idem dei ver *Ioan.14.* bum exiuit ad opus ſuum: quando ſecundum patris beneplacitum legem euangelicam annunciauit mundo, & humani generis ſalutem operatus eſt in medio terræ. Vnde ipſe ad patrem expleta nouiſſima cœna orationem dirigens: ait. Ego te clarificaui ſuper terram: opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam. Denique venit ipſe ad vitæ veſperam, finẽmque & extremitatem: quando propinqua iam erat hora ab ipſo præordinata, qua ſeipſum traderet in mortem pro noſtra redemptione.

3 ¶ In tertio verſu. Vt duplicis ſubſtantiæ. Hic vna *Ioan. 17* redditur cauſa, ob quam Chriſtus hoc communionis ſanctorum ſacramentum ſub duplici ſpecie inſtituit: panis ſcilicet & vini, vt ſcilicet totum hominem reficeret & ſaginaret: qui ex duplici componitur ſubſtantia, vtpote corpore & anima. Caro enim ſiue panis, ad cibandum (vt ita dixerim) corpus pertinet: quòd panis & caro naturale ſit eius nutrimentum. Vinum verò & ſanguis, ad animæ ſpectat alimentum: quòd ſedes animæ ſecundum phyſicos in ſanguine ſit, & vt ſacra teſtatur ſcriptura: anima carnis in ſanguine eſt. Sunt & nonnullæ aliæ rationes, quæ ad idem

Leuit.17 dem propoſitum aſsignari ſolẽt. Tum vt hoc ſacramenti inſinuetur eſſe integrum & conſummatum alimentum animæ: quemadmodum panis & vinũ (quæ pro cibo & potu primum tenent locum) ſunt perfecta corporis alimonia. Tum vt memoria paſsionis dominicæ expreſsius nobis in hoc myſterio repræſentetur, in qua & eius ſacrum corpus oblatum eſt, & ſanguis pro nobis corpore effuſus. Tum deniq; vt corporis myſtici ſimilitudinem illa materialia ſigna nobis apertius indicẽt, in quo multa membra ad vnum caput Chriſtum inter ſe charitate coaleſcunt, ſicut ex multis granis tritici conficitur panis, & ex multis acinis racemiſque vitis confluit vinũ. 5 ¶ In quinto verſu. Bella præmunt hoſtilia. Potiſsimum bella ſpiritualia & contra hoſtes animę, qui nos quotidie infeſtant. Nam vt canit eccleſia, mundus, caro, dæmonia, diuerſa mouẽt prælia. Contra quæ præcipuum munimentum & præſidium eſt ſacroſancta euchariſtia, in qua continetur veraciter do-

Pſal.23 minus fortis & potens, dominus, dominus potens in prælio: dominus virtutum & rex gloriæ. Cæterùm cum etiam corporalia bella nos infeſtant & hoſtiles in nos ſurgunt acies, pium admodum & religioſum eſt, ad huius ſanctiſsimi ſacramenti auxilium adiutoriúmque petendum per hanc orationem ſuppliciter confugere. Quod cum multa pietate ſedulitatéque ſuperioribus annis perſpeximus palam obſeruari, cum vndiquaque in florentiſsimum Galliæ regnum coniurati inſurgerent hoſtes, & infeſtis armis ipſum opprimere molirẽtur Ad quorum improbos conatus reprimẽdos id laudabiliter inſtitutum eſt quòd in eleuatione ſanctiſsimi corporis & ſanguinis Chriſti in ipſo altaris ſacrificio per omnia loca quæ regni illius ambitu continentur, decantaretur à choro fidelium hic verſus, ꝙ magnopere credo cõtuliſſe ad pacẽ placidã & trãquillitatẽ poulo poſt in oĩbus regni finibꝰ obtentã, quæ in primis deo accepta referri debet.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

VRbs B. Hieruſalẽ.
Dicta pacis viſio.
Quæ conſtruitur ĩ cælis
Viuis ex lapidibus:
Et angelis coronata
Vt ſponſata comite.
2 *Noua veniẽs ę cælo:*

Nup-

Nuptiali thalamo
Præparata, ut ſponſata
Copuletur domino.
Plateæ & muri eius:
Ex auro puriſſimo.
3 *Portæ nitēt margaritis:*
Adytis patentibus.
Et uirtute meritorum
Illuc introducitur:
Omnis qui ob Chriſti nomen
Hoc in mundo premitur:
4 *Tonſionibus, preſſuris*
Expoliti lapides,
Suis coaptantur locis
Per manus artificis.
Diſponuntur permanſuri
Sacris ædificiis.
5 *Angulare fundamētū:*
Lapis Chriſtus miſſus eſt.
Qui compage parietum
In utroque nectitur.
Quē Syon ſancta ſuſcepit:
In quo credens permanet.
6 *Omnis illa deo ſacra:*
Et dilecta ciuitas.
Plena modulis, & laude
Et canore iubilo:
Trinum deum, unicumque
Cum fauore prædicat.
7 *Hoc in templo ſumme deus*
Exoratus adueni:
Et clementi bonitati
Precum uota ſuſcipe.
Largam benedictionem
Hic infunde iugiter.
8 *Hic promercātur oēs*
Petita acquirere
Et adepta poſſidere
Cum ſanctis perenniter.
Paradiſum introire
Translati in requiem.
Amen.

Hic hymnus carmine trochaico alcmanio & erupidio alternatis decurrit: eius tamen legem ac normam nō admuſſim ſeruat. Nam loco trochæi nunc ſpondeus collocatur: nunc pyrrhichius, nunc iambus, ſalúſque numerus certus ſyllabarum cuiuſq; carminis hic exactè ſeruatus: reddit huius hymni modulationem ſupradicto generi carminis perſimilem. Deſcribitur autem in eo ciuitas ſuperna Hieruſalem in regno cæleſti triumphans: & miro decore ornata, atque ſpirituali fabrica ſplēdidè extructa. Cuius in terris imago & figura, eſt eccleſia ſub Chriſto militans, congregatióque fidelium: deum piè religioſeq; colentium. Illa autem cum in templo materiali diuino nomini conſecrato quotannis in ipſo dedicationis die potiſ-

ſimum

ſimũ cõueniat ad veneratioñe diuinæ maieſtatis, ſuppliciter petit ſuã orationẽ exaudiri à deo, & ſua vita p̃cẽſq; ſuſcipi. 1 ❡ ANNOTATIONES. In primo verſu. Vrbs beata Hieruſalem. Quoniam vrbs illa Iudeæ, Hieruſalem nominata, figura fuit & typus eccleſiæ cum militantis in terris, tum triumphantis in cælo, modo pro hac, modo pro illa ſumitur in ſcriptura, vt apud Paulum ad Galatas. Illa autẽ quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt: quæ eſt mater noſtra. Et in pſalmo. Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. Hieruſalẽ, quæ ædificatur vt ciuitas. Et vtrique harum acceptionum aptè congruit ipſa nominis prædicti interpretatio. Hieruſalem enim dicitur: quaſi viſio pacis. In militante autem eccleſia viſio eſt per fidem, pacis internæ ad deum, ad ſeipſum, & ad proximũ. Quoniam vt ait propheta in pſalno ad deum. Pax multa diligentibus legem tuam, & nõ eſt illis ſcandalũ. In triumphante verò eccleſia viſio eſt per apertam ſpeculationẽ, pacis veræ & perpetuæ: quæ nullo turbine bellorũ intercidet aut interturbabitur. Hoc itaque loco ſumitur Hieruſalem: pro eccleſia triumphante, quę cõſtrui dicitur in cęlis ex viuis lapidibus, ſanctis ſcilicet animabus & ſpiritib⁹ beatis, de quibus ait Petrus. Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domos ſpirituales in ſacerdotium ſanctũ. Et ipſa coronata ãgelis: adornata ſ. numeroſa angelicorũ ſpirituũ multitudine. ſicut ſpõſa eſt exornata comite, viróq; ſuo, cõnubialis fœderis ſocio ac cõſorte. 2 ❡ In ſecundo verſu. Noua veniẽs è cælo. Alludit totus hic verſus ad id quod ſcribit beatus Ioannes in Apocalypſi. Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalẽ nouam deſcendentem de cælo, à deo paratam, ſicut ſponſam ornatã viro ſuo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem. Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et venit vnus de ſeptem angelis, & locutus eſt mecum dicens. Veni, & oſtendam tibi ſponſam: vxorem agni. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum & oſtẽdit mihi ciuitatem ſanctam Hieruſalem, deſcendentem de cælo, habentem claritatem dei. Et paulopoſt ſubiungit. Et erat ſtructura muri eius ex lapide Iaſpide, ipſa verò ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo, & fundamenta muri ciuitatis: omni lapide prçcioſo ornata. Et pla-

Galat. 4

Pſal. 121

Pſal. 118

1. Petri 2

Apoc. 21

platea ciuitatis, aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum 3 ¶ In tertio verſu. Portæ nitent margaritis. exprimit hic locus & id: quod dicit Ioãnes in Apocalypſi. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis. Et portæ eius non claudentur per diem, nox enim illi non erit. Apoc.21
Idcirco hic dicit, adyta illius ſanctæ vrbis eſſe patentia. Eſt autem adytum i, locus templi penitior atq; ſecretior, in penetralibus illius conſtitutus. Verùm quoniam hæc omnia ſpiritualiter & myſticè, non autem materialiter vt ſonant, ſunt accipienda, vt per aurũ, ardor charitatis ſupernorum ciuium, per vitrum: puritas & mudicia eorum, per margaritas, ornatus & precioſitas virtutum, idcirco ſubnectit hic verſus, quis illam tam ſplendidam ciuitatẽ ingredi permittitur, is ſcilicet, qui pro Chriſto hic preſſuris angitur. Beati enim qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Math.5
Porrò in penultimo huius verſus carmine, ferè legunt vniuerſi: omnis qui pro Chriſti nomine, & carmẽ illud red dunt vnius ſyllabæ ſuperexcremento, prolixius æquo. Octo enim duntaxat ſyllabarum eſſe deberet: cum hic nouem contineantur, quare melius ita adaptaretur carmen, omnis qui ob Chriſti nomen.

4 ¶ In quarto verſu. Expoliti lapides. More ædificij materialis, exprimitur hic quàm aptiſsimè ædificatio ciuitatis ſanctæ Hieruſalem in cælis. Nempe in extruenda domo exciduntur lapides & ſculpuntur: tunduntúrque malleis antequàm aptentur ædificio. Ita animæ ſanctæ accõmodandæ extructioni ſpirituali cæleſtis Hieruſalẽ: hoc in mundo tribulationibus & perſecutionibus premuntur atque cõtunduntur, vt expolitæ adornatæq;: tã ſancto operi inſerantur. Per multas enim tribulationes (vt ait Paulus) oportet nos venire in regnũ cælorum. Diſponũtur autem lapides illi permanſuri ſacris ædificiis, quoniam inde nunquam auellentur nec dimouebuntur. Cæterùm in tertio huius verſus carmine: legendum eſt potius, ſuis coaptantur locis, quàm ſuiſq; aptantur locis, nam particula connexiua, q̃: nihil ibi habet quod alteri copulet & annectat. Act.14

5 ¶ In quinto verſu. Angulare fũdamẽtũ. Chriſt⁹ ſæpius ĩ ſcripturis dicitur lapis ãgularis, vt ĩ pſalmo. Lapidẽ quẽ Pſal.117
reproba-

Pſal.117 reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.
Ephe.2 Et apud Paulum ad Epheſios. Superædificati ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum: ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in domino. Et hic lapis: miſſus dicitur apud Eſaiam, cum ait. Ecce ego mittam
Eſa.28 in fundamentis Syon lapidem, lapidem probatum, angularem, prçcioſum, in fundamento fundatum. Nectitur autem lapis ille, compage iuncturaque ſpirituali in vtroque parietum, quia duos populos gentilem & Iudaicum Chriſtus coniunxit in vnum eccleſiæ catholicæ ædificiũ, quẽadmodum inquit Paulus. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. At verò hunc lapidem Syon, ſancta eccle-
Ephe.2 ſia ſcilicet catholica ſuſcepit, quia ſuper hanc petram ædificata eſt & firmiter fundata. Porrò nomine Syõ: in ſancta ſcriptura frequenter accipitur eccleſia Chriſti militãs in terris, vt in pſalmo. Fũdatur exultatione vniuerſæ mõs
Pſal.47 Syon: latera aquilonis, ciuitas regis magni. Et rurſum. Di
Pſal.86 ligit dominus portas Syon: ſuper omnia tabernacula Iacob. Et huic acceptioni reſpondet apte ipſa nominis Syõ interpretatio. Syon nanque, ſpecula vel ſpeculatio dicitur. Hic autem deum per fidem ſpeculamur & cognoſcimus. Demùm ipſa Syon credens, in Chriſto permanet ſtabilis, per oppoſitum eius quod dicit Eſaias. Si non credi-
Eſa.7 deritis: non permanebitis.

6 ¶ In ſexto verſu. Omnis illa deo ſacra. Totus iſte verſus, de eccleſia cæleſti rectè intelligitur, in qua ſublatus in ſpiritu Ioannes vidit turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, & clamabant voce magna dicen-
Apoc.7 tes. Salus deo noſtro qui ſedet ſuper thronũ, & agno benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo: deo noſtro, in ſecula ſeculorũ. Amen. Secũdo autem loco de eccleſia Chriſti in terris, etiam poteſt hic verſus accipi, quç ad imitationem cæleſtis ciuitatis iuges deo laudes perſonat, illique pro modo ſuo iubilat. Porrò nomen iubilus in quarto præſentis verſus carmine, adiectiuum eſt huius nominis canor, oris: idẽ ſignans quod iubilatorius ſiue exultatorius. Iubilus autem ſubſtantiuum: eſt gaudium illud animi in domino, quod neque omnino exprimi poteſt, neque omnino ſupprimi

ob

ob indicibilem eius exuberantiam. Et vtrunque ſupradictorum nominum: à verbo iubilare deſcendit. Cæterùm legendum eſt potius in tertio huius verſus carmine: plena modulis & laude, quàm in laude, vt tres illi ablatiui ſe cõtinuo conſequentes, adiungantur adiectiuo plena quoniam ſi præpoſitio in, ponatur eo in loco: non adeo aptè tunc quadrat ſententia & loquendi ratio. Non enim concinnè & cõgruenter dicitur quiſpiam prædicare deum in laude: ſed potius omiſſa præpoſitione, prædicare laude.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Hoc in tẽplo ſumme deus. Quoniam materialis templi ædificatio & conſtructio inſinuat nobis ſpiritualem fabricam eccleſiæ Chriſti cum in terris, tum in cælis, rectè poſt vtranque eccleſiam myſticam dignis celebratam præconiis, tertio loco nunc de templo dei quæ domus orationis eſt hic habetur ſermo, fitque ad deum ſupplex oratio in illius dedicatione, annuàque dedicationis celebritate, vt ſuæ maieſtatis præſentiam benignitatiſq; fauorem in ipſum expãdat, & ſupplicum in eo vota precéſque libenter ſuſcipiat. Quemadmodum in tertio libro regum, rex Salomon in dedicatione templi magnificè à ſe, deo extructi, vtroque genu in terra poſito, & ſublatis in cælum manibus, deuotam effudit orationem dicens. Reſpice ad orationẽ ſerui tui & ad preces eius: domine deus meus. Audi hymnum & orationem, quam ſeruus tuus orat coram te hodie: vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte & die, ſuper domum de qua dixiſti: erit nomen meum ibi, vt exaudias orationẽ quam orat in loco iſto ad te ſeruus tuus, vt exaudias deprecationẽ ſerui tui & populi tui Iſrael, quodcunque orauerit in loco iſto, & exaudies in loco habitaculi tui in cælo, & cũ exaudieris, propitius eris. Et reliqua, quę cũ magna deuotione & ſynceritate animi deinceps diffuſè proſequitur.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE: alius hymnus.

CHriſte cunctorum dominator alme:
Patris æterni genitus ab ore.
Supplicum uota pariter ac hymnum
Cerne benignus.

Sint dies læti, placidæq́; noctes
Nullus ex nobis pereunte mundo
Sentiat ignes.

11 *Hæc dies in qua tibi conſecratam*
Conſpicis aulam: tribuat perenne
Gaudium nobis, uigeatq́; longo
Temporis uſu.

12 *Gloria ſummum reſonet parentem*
Gloria natum, pariterq́; ſanctum
Spiritum: dulci modulemur hymno
Omne per æuum. Amen.

Carminis ſapphici & adonij modulationẽ præfert hic hymnus: eius tamen legem nõ omniquaque ſeruat. Nam in ſecunda ſede loco ſpondei recipit plærunque iambum: & in quarta pro trochæo ſæpius habet pyrrhichium, contra huiuſce carminis regulam. Cõmendatur in ipſo annua templi dedicatio in dei honorem celebranda, ipſiusq́; domus dei ſiue eccleſiæ enarrantur laudes non modicæ: quòd in ipſa recipiuntur eccleſiaſtica ſacramenta in medellã peccatorum, quódque ſupra firmam petram fundata nullo concuti poſsit aduerſarum poteſtatum turbine. Demùm ad deum oratio dirigitur, vt hæc dies vnica dedicationis annuæ: tandem nobis commutetur in diem perpetuæ iugisque lætitiæ in regno cæleſti.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Patris æterni genitus ab ore. Sumpta eſt hæc ſententia ex eo Eccleſiaſtici loco, in quo diuina ſapiẽtia dicit de ſeipſa. Ego ex ore altiſsimi prodiui: primogenita ante omnem creaturã. Sanè ipſa diuina ſapientia, dei filius eſt & verbũ patris coæternum, quod ex ore, id eſt virtute patris generatiua prodiiſſe ſe cõteſtatur, ſicut verbũ ſenſibile formatur ab ore corporali. Alio autẽ loco: ipſum patris verbũ ex corde ipſius emanaſſe dicitur, vt cum in pſalmo dicit pater æternus. Eructauit cor meum verbum bonum, vbi nomine cordis intelligitur mens paterna, & intima ſnbſtantia patris: ex qua originẽ ſumpſit verbũ illi coæternum & ſemper ipſi immanens, neque vnquam ab eo digreſsibile, perinde

Eccl. 24

Pſal. 44

perinde atque mens humana ſuam gignit notionem illi ſemper intimam:& verbum ſuum internum. Itaque cum ex ore patris prodiiſſe Chriſtus dicitur, æterna filij generatio prorſus ineffabilis & in eloquibilis, nobis quoquo inſinuatur, manuductione verbi humani prolati & ſenſibilis. Cum vero idem ex corde patris ortum habuiſſe refertur: eadem natiuitas filij dei nobis innuitur per analogiam & quandam proportionem ad verbum hominis intellectuale, menti immanens ac internum.

3 ¶ In tertio verſu. In qua populus ſacratum. Oſtenditur hic ſingularis excellentia domus dei, quòd in ea populus fidelis eccleſiaſtica ſuſcipit ſacramenta : in antidotum peccatorũ noſtrorum à deo inſtituta, vt ſacratiſsimũ Chriſti corpus & ſanguiné: in ſalutiferum animæ cibum & potum. Lauacrum regenerationis & ſanctum baptiſmi ſacramentum, quo renaſcuntur homines deo ex aquà & ſpiritu ſancto, criſmatéq; ſacro ſimul inunguntur : vt vnctionem ſpiritualem gratiæ ſuſcipere in anima inſinuentur, de quo baptiſmali lauacro : fit mentio in quarto præſentis hymni verſu. Suſcipit etiam in templo ſancto populus fidelis ſacramentum reconciliationis & pœnitentiæ: in remiſsionem & abolitionem peccatorũ ſuorũ. Et hoc remedio affertur ſalus iis, qui animo ægrotant, grauique laborant morbo vitiorum, præſtatur & medicina defeſsis ſub onere duróque pondere peccatorum : qui laſſati ſunt in via iniquitatis, & ambulauerunt vias difficiles. Deniq; lumen diuinæ gratiæ infunditur eorum cordibus, quos propria excæcauit malitia, & reddidit orbatos internis oculis, quemadmodum quintus dicit verſus: id ſacramentum pœnitentiæ ſatis ſignificans. De aliis verò ſacramentis hic non expreſsis ſimile fertur iudicium: ſcilicet cõfirmationis, ordinis & matrimonij, nam ex inſtituto eccleſiaſtico illa etiam ſuſcipiũtur in ſancto dei templo, & per tria ſupradicta in litera expreſſa, facile intelliguntur.

Sapien.5

Porrò veternus apud probatos authores ferè ſéper ſubſtantiuum eſt nomen, dicitúrque morbus ex nimio ocio perpetuum ſomnum inducens, quem Græci lethargum nominant. Et quoniam hic morbus pigros homines reddit & ad negocia inutiles, ſicut & ſenectus, ideo veternus interdum pro pigritia ſumitur. Virgilius in Georgicis.

Neo

Nec torpore graui paſſus ſua regna veterno. Inde veternoſus adiectiuũ deducitur, qui graui premitur ſomno aut torpet ignauia. In hoc autem loco, veternas culpas vocat author, id eſt vetuſtas & diutius incoctas animæ, vt originalem & actualem longa conſuetudine inueteratam culpam. 6 ¶ In ſexto verſu. Dæmonis ſæua perit. In templo ſancto dei perit rapina dæmonis, quoniã animæ prius in prædam eius actæ per peccatum, & ab eo abſorptæ: eruũtur ex ipſius faucibus, & liberantur à poteſtate tenebrarum per ſalutarem pœnitentiam & reſipiſcentiã à malo. Nec animæ ſolum: ſed & corpora hominum eripiuntur à dæmonica infeſtatione plærũque, cum lymphatici ſiue energumini ducuntur ad loca ſancta: & diuina virtute curantur à vexatione malignorum ſpirituum. Horret enim ipſe dæmon aut corpora ſanctorum in templis illis condita, aut ſanctitatem locorum diuino obſequio deputatorum: & ſentiens diuinũ adeſſe domibus ſacris numen, nõ ſuſtinet illic diutius ſubſiſtere, cogitúrque obſeſsis exire corporibus. Dicitur autem hic dæmon, monſtrũ, propter informitatem à diuturna malita contractam, quæ totum ſuſtulit natiuum eius decorem: & mentem ipſius maximè deformé, aſpectúque horrẽdam reddidit. Peruicax verò idem hic nominatur, propter obſtinatũ vincendi ſtudium, quo vel maxime laborat. Vincere enim ſemper adnititur eos quos tentat: & vinci ſummopere erubeſcit, ob inſitam maligni eius animi elationem. Proinde cum reſiſtentes offendit ſuis ſuggeſtionibus: continuo diffugit ne ſi perſtet in tentatione inferẽda, tandem vincatur. Quod & beatus Iacobus affirmat, cũ ait. Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis, ob ſuã ſcilicet peruicaciã 7 ¶ In ſeptimo verſu. Hic locus nempe vocitatur aula. Vt in pſalmo. Adorate dominum in atrio ſancto eius. Vbi alia trãſlatio habet, adorate dominum in aula ſancta eius. Et in Geneſi cũ euigilaſſet Iacob de ſomno, in quo myſticã habuerat viſionem de ſcala cælum ſuo cacumine contingente & pedib⁹ terram, ait. Verè dominus eſt in loco iſto: & ego neſciebam. Pauénſque, quàm terribilis eſt (inquit) locus iſte. Non eſt hic aliud, niſi domus dei & porta cęli. Erectionéque illius lapidis in titulum quem ſuppoſuerat capiti ſuo cum iret dormitum, & effuſione olei ſuper eũ, deſignauit

Iac. 4
Pſal. 28
Gene. 28

futuram templorum deo dedicandorum conſecrationem & ſanctificationem. Illa autem cæli porta ſpiritualis, ſcilicet domus dei & templum, ſuo ſinu omnes accipit tendentes in ſupernam ciuitatem Hieruſalem, quoniam nullus peruenire poteſt ad fœliciſsimã illam beatorum ſortem: niſi eccleſia illum ſuo fouerit gremio, & intra ambitum ſuum continuerit. Siquidem extra eccleſiam nõ eſt ſalus: vt neque extra arcam Noe quiſquam ſaluatus eſt à dilu-

Gene.7 uio. 8 ¶ In octauo verſu. Turbo quam nullus quatit.

Luc.6 Apud Lucam ſancta eccleſia comparatur à domino, ipſi domui ædificatæ à ſapiente architecto: qui fodit in altum & poſuit fundamẽtum ſupra petram. Inundatione autem facta, illiſum eſt flumen domui illi: & non potuit eam mouere. Fundata enim erat ſupra firmam petram. De eadem dixit dominns Petro. Super hanc petram ædificabo eccle-

Matth.16 ſiam meam: & portę inferi non præualebunt aduerſus eã. Sanè vt nauicula continens diſcipulos & Chriſtum in ea dormientem, agitabatur fluctibus ſæuisq; procellis quatiebatur: non tamen fecit naufragiũ, nec eſt demerſa pro-

Matth. 8 fundo. Ita & eccleſia ſancta grauibus ærumnis & preſſuris eſt ſæpius afflictata: nunquam tamen ſuccubuit malitiæ aduerſariorum, quoniam domin9 illi ſemper fuit pręſidio & munimento.

Poſt hymnos de tempore, per totũ anni curriculum, ſubiiciuntur hymni de ſanctis, ſeruato temporis quo celebrantur ordine.

DE SANCTO NICOLAO.

EXultet aula cæli-
ca,
Lætetur mundi ma-
china.
Dum refert ſolis orbita
Nicolai ſolennia.
2 *Qui uagitus infantiæ*
Decorauit mirificè.
Dans uirtutum primordia
Inter ortus crepundia
3 *Quarta & ſexta feria*
Semel ſugebat ubera:
Iam in ætate tenera
Hac uſus abſtinentia.
4 *Cuius tumba fert oleũ:*
Matris oliuæ neſcium.
Quod natura nõ pertulit:
Marmor ſudãdo parturit.
5 *O uenerande pontifex*
Pius nec tardus opifex
Cunctis: qui corde credulo
Te quærunt in periculo.

6 Aufer mortis diſpendia:	*7 Præſta pater & genite*
Confer uitæ ſubſidia.	*Vna cum ſancto flamine:*
Vt poſt carnis exilia	*Vt Nicolai precibus*
Tecum ſimus in gloria.	*Iũgamur ĩ cæleſtib⁹. Amẽ.*

Debitum ſyllabarum numerum, cùm carmine iambico dimetro hic hymnus habet communem: non autem legitimam rectámque pedum diſpoſitionem, nam & ſpondeum in ſecundo recipit loco: necnon trochæum, & pyrrhichium in tertio. Verùm loco debitæ menſuræ pedum: hic obſeruata conſpicitur in vnoquoque verſu rythmica conſonantia primi carminis ad ſecundũ, & tertij ad quartum. ¶ Referuntur in eo præclara ſanctiſsimi Nicolai præcoma: ob parſimoniam victus in primis cunabulis admirãdã, & olei ex ſacra eius tumba emanationẽ. Demùm ad eundẽ fit oratio ſupplex: vt nobis famulis ſuis ſit præſidio. Eius vitã elegãtiſsimè & grauiſsimo ſtylo trãſtulit ex Græco in Latinum Leonardus Iuſtinianus. Quam qui legerit (legere autẽ poſſunt omnes: nã illud extat opus) ea quæ de egregiis beati Nicolai moribus & miraculis, cognitu digna ſunt: ampliſsimè denarrata conſpiciet.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Inter ortus crepundia. Non hic inter ortus tripudia, legendum eſt: ſed crepundia. Nam tripudium eſt ſaltatio quæ fit in chorea: cum pedibus terram feriunt ſeruato quodã certo numero qui choros ducunt, quæ ſanè ſignificatio huic loco nequaquam cõgruit. Crepundia verò dicuntur prima munuſcula quæ dãtur pueris, vt faſciolæ, coralia, crepitãcula, & cætera id genus ornamenta, quibus pueri oblectantur: à crepãdo, id eſt tinniendo ſic dicta. Vnde & pro ipſis etiam ſumuntur puerorũ incunabulis. Plinius. Semeſtris locutus eſt Crœſi filius in crepundiis, quo prodigio totum id concidit regnum. Et hoc modo ſumitur in præſenti loco. 3 ¶ In tertio verſu. Quarta & ſexta feria. Feriæ plurali tantũ numero apud authores: dicũtur dies ceſſationum ab opere, ſiue dies feſti, vel à feriendis victimis vel à ferendis epulis: quòd illis diebus & hoſtiæ immolarentur apud antiquos, & largius inſtruerentur conuiuia. Vſus verò eccleſiaſticus contra morem authorũ eo nomine in ſingulari vtitur numero, & ad ſignificãdũ quẽ-

que diem hebdomadæ: per adiectionem nominis numeralis ordinem ſignantis, ſiue dies feſtus ſit, ſiue profeſtus & operi exercendo deſignatus, vt ſecunda feria, ſecũdus eſt dies hebdomadæ, & tertia, tertius, & ita deinceps.
4 ¶ In quarto verſu. Matris oliuæ neſcium. Hic legi nõ debet neſcia, in fœminino genere: vt habent libri incaſtigati, quoniam tunc illud adiectiuum, ad tumba tamquam ſuum ſubſtãtitiuum referretur, & ineptus redderetur ſenſus, cum oliua dici nõ poſsit aptè ipſius tumbę mater. Similiter in exitu ſyllabarum non ſeruaretur reſponſus illius carminis ad primum eiuſdem verſus carmen: quod tamen in cæteris omnibus ſtudioſè obſeruatũ eſt. Sed eo loco legendum eſt, neſcium, in neutro genere, idque referẽdum ad oleum, cuius mater natura, eſt oliua. Illud verò oleum quod ex ſancti Nicolai tumba reſudat: eſt neſcium matris oliuæ, quoniam ipſum ex oliua nequaquam naſcitur, vt natura expoſcit, ſed diuina virtute ex ſacris oſsibus ſancti antiſtitis Nicolai emanat. 5 ¶ In quinto verſu. O venerande pontifex. Pontifex apud Romanos ſacer erat magiſtratus, qui ſacra faciebat, & templo miniſtrabat, ita dictus (vt Varroni placet) à ponte & facio: quòd põs ſublicius Romæ à pontificibus primũ factus eſt, & ſæpe deinde reſtitutus. At quoniam illis apud gentiles magiſtratibus ſucceſſerunt apud Chriſtianos epiſcopi, habẽtes publicam eccleſiarum cum graui authoritate adminiſtrationem & curam, idcirco præſules ipſi & antiſtites ſiue epiſcopi, etiam pontifices dicuntur, & pontificatus: ipſorũ dignitas. Porrò opifex, ab opus & facio deducitur, apud authores, & is eſt: qui aliquod opus facit ac molitur, hinc deus, opifex mundi & rerum omniũ author dicitur. Ouidius. Ille opifex rerum, mũdi melioris imago. Et opificiũ: opus ab aliquo factum, vt totus hic mundus, dei eſt opificium. Hic autẽ deduci videtur id nomen ab opis, i, em: & facio, quaſi is opifex dicatur: qui alicui fert & præſtat opem, ſiue auxilium, quæ ſanè deriuatio ſimul & ſignificatio non eſt apud authores vſitata neque probata: apud quos potius ille diceretur opitulator. Verùm maluit author ſimilem exitum ſyllabarum illius carminis cum præcedente ſeruare, quàm rectè locutionis proprietàtem.

DE

DE SANCTO NICOLAO: alius hymnus.

1 PAnge ligua Nicolai
Præſulis præconiū.
Vt nos ſumus adonai
Rex & pater omnium:
Ad ſalutis portum trahi
Faciat per filium.
2 Dum penderet ad mamillam
Matris, ab infantia:
Quarta ſemel bibit illam:
Atque ſexta feria.
Ne per lactis puer ſtillam
Solueret ieiunia.
3 Sublimatus ad honorē
Nicolaus præſulis:
Pietatis ita rorem
Cunctis pluit populis,
Vt uix parem aut maiorē
Habeat in ſeculis.
4 Auro dato: uiolari
Virgines prohibuit.
Far in fame, uas in mari
Seruat & diſtribuit.
Qui timebant naufragari:
Nautis opem tribuit.
5 A defunctis ſuſcitatur:
Furtum qui commiſerat.
Et Iudæus baptizatur:
Furtumq; recuperat.
Illi uita reſtauratur:
Hic ad fidem properat.
6 Nicolae ſacerdotum
Decus, honor, gloria:
Plebem omnē, clerū totū,
Mentes, manus, labia,
Ad reddendum deo uotū:
Tua iuuet gratia.
7 Sit laus ſūmæ trinitati
Virtus & uictoria:
Quæ det nobis ut beati
Nicolai gaudia
Aſſequamur laureati
Poſt uitam in patria.
Amen.

De eodem: alius hymnus.

CLeri patrem & patronum
Nicolaum prædicet:
Læte promens uocis ſonū
Clerus & magnificet.
Se cor promptum, ſe cor pronum:
Sono uocis ampliet.
Græcus omnis & Latinus
Lingua, tribus, natio:
Orbis terræ, maris ſinus,
Sexus & conditio:
Hoſpes, ciuis, peregrinus,
Pari pſallat ſtudio.
3 Sēper dedit, dat & dabit

ſu. Pange lingua Nicolai. Nicolaus à nici grçca dictione (quæ victoriam deſignat) primariam ducit originem, à qua & alia propria nomina permulta deſumũtur, vt pote Nicander: quaſi victor vir, & Nicanor idẽtidẽ. Rurſum Nicarch⁹, victor princeps. Micomachus: victor pugnæ. Item Nicophanes, victor illuſtris. Nicoſtrata, victori⁹ exercit⁹, olimpionices, olimpiæ victor. Ita demùm Nicola⁹ quaſi victor populi dicitur. Quocirca cum primitiua illa dictio, in ſecunda ſyllaba aſpirationẽ nõ admittat, neque in aliqua enaſcentium ab ea vocũ, aſpiratio eo loco conſtituẽda eſt, quare nomẽ Nicolaus: cũ c, exili & minimẽ aſpirato conſcribi debet Verùm hoc grammaticorũ indagini atq; diſceptationi relinquatur. In eodẽ verſu, ſummus adonai dicitur ipſe deus: hoc nomine Hebræo (quod eſt ſeptimum inter decem nomina dei) appellatús, quòd generaliter omnium ſit dominus, & in ſacris literis id nomen, dominus interpretatur. Neque ſolum dominum in creaturas, ſed & diuinarum perſonarum pluralitatem in vnitate ſubſtantiæ, idem nomen ſignat, ſicut & nomen Heloim, tanquam numeri multitudinis rationem habeat, idque inſinuet, ꝙ dicit Athanaſi⁹ ĩ ſymbolo. Domin⁹ pater, domin⁹ filius, domin⁹ ſpirit⁹ ſanct⁹. Et tamẽ nõ tres domini ſed vnus eſt dominus. Ponitur autẽ id nomen inde mutatum: in duobus ſcripturæ ſanctæ locis. Primùm in exodo, vbi dominus dicit ad Moyſem. Ego dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in domino omnipotente, & nomen meum adonai non indicaui eis. Secundo in cantico ipſius Iudith ſpectabilis viduæ, vbi ait. Adonai domine, magnus es tu & præclarus in virtute, & quem ſuperare nemo poteſt. 3 ¶ In tertio verſu. pietatis ita rorem. Sicut nubes in cælo pendulæ impluunt rorem herbis, & illas placido illapſu irrigant, ita Nicolaus (inquit) miſericordiæ viſceribus affluens, ſuæ pietatis officia in cunctos exhibuit. Erat enim (vt canit de ipſo eccleſia) animo valde compatiens, & ſuper afflictos pia geſtans viſcera, quod protinus innoteſcit per largã auri contributionẽ: qua triũ virginũ pudicitiã ſeruauit illeſam, & per farris in fame multiplicationẽ: ꝑ vaſis itẽ mari demerſi cõſilio redditionẽ. deniq; ꝑ nautarũ à naufragio imminẽte liberationẽ

Atanaſius.

Exo. 6

Iudic. 15.

horum autem quatuor inſignium operum enarratio integra : ad verſus proximè ſequētis pertinet explanationem,& mox ſubiungitur.

4 ¶ In quarto verſu. Auro dato violari. Quatuor in hoc verſu innuuntur pręclara opera pietatis,quæ beatus Nicolaus exhibuiſſe legitur hominibus. Primum. Cū ipſe parētibus ſuis orbatus anxius apud ſe cogitaret,qua ratione ac via,opes ex hęreditate ſibi relictas in pauperū ſubleuationem diſpenſaret, accepit vnum ex vicinis ſuis in extremam redactum inopiā ex amplis diuitiis, apud ſe cōſtituiſſe, ꝙ tres filias virgines quas habebat, proſtitueret,vt eo infœlici commercio ac ſordido quæſtu vitā traheret. Exhorrens id facinus Nicolaus intempeſtæ noctis ſilentio magnū auri pondus, ſemel & iterū ac tertio, per feneſtram clanculū eius camerę iniecit.Quo adiutus dono vicinus, tres ſuas filias viris honeſtè collocauit,nuptuiq; tradidit,& eo quod ſupererat auro deinde reliquā vitam cum honeſtate & citra egeſtatem tranſegit. Fuit autem in eo virtutis officio,admirāda etiā beati Nicolai humilitas, quòd cum in tertio auri iactu vicinus ille anxie ſolicit⁹ vt cognoſceret tantum ac talem ſuum benefactorem,excitatus ſtrato protinus exiliiſſet, & fugientem Nicolaū ne agnoſceretur:curſu fuiſſet cōſecutus, prouolutúſque ad genua eius de tanto beneficio iam ter impenſo gratias ingētes egiſſet,dolēs ſanctus Nicolaus ſe eſſe cognitū,iuramento illū conſtrinxit,ne nomen eius & acceptum beneficium quādiu ſuperſtes eſſet cuiquā vnquam detegeret,vſqueadeo erat fugitans humanæ laudis, & aurā popularem declinans. Secundum opus pietatis etiam miraculo coniunctum, quod hic innuitur,eſt huiuſmodi. Cum ſemel totā Myrrheorum prouinciam valida fames occupaſſet,vt etiam neceſſaria deeſſent incolis alimenta, audiens beatus Nicolaus naues tritico oneratas portui myrrheæ vrbis applicuiſſe, illuc ſe contulit, rogauitque nautas,vt cētū modios tritici ſuis ſubditis fame periclitātibus impartirent. Cúmque reſponderent nautæ ſe id facere nō audere,ꝙ oporteret triticum certa mēſura ipſis traditum : Alexandri eadem menſura horreis imperatoris reddere ac imponere, reſpōdit ſanctus Nicolaus eos debere bono animo eſſe, futurum enim, quòd nullam tritici

tritici diminutioné eſſent inuenturi apud regium exactorem. Paruerunt monenti antiſtiti nautæ, & tradito quod petierat tritico cum Alexandriam aduenaſſent: eandem inuenerunt tritici quantitatem, quam in principio nauib⁹ ſuſceperât. Tunc dei virtutem in S. Nicolai opere agnouerunt, & miraculum aliis prædicarunt. Suſceptum auté triticum ita ſuis beatus Nicolaus diſtribuit, vt ad victum & ad ſementem abundè ſufficeret. Tertiũ opus inſigne & admirãdum quod hic inſinuatur, eſt. Rogauit vir quidam nobilis beatum Nicolaum vt ſibi filium impetraret: promittens ſe illum cum cipho aureo ad eccleſiã eius ducturum, & ciphum illum oblaturum eidem ſancto. Cúmq; ſuſcepto filio, ciphus ad voti expletionem fabricat⁹ eſſet multũ illo delectatus ad proprium vſum ipſum accómodat, & alterum tanti ponderis ac precij ad votum implendum fabrefieri curauit. Nauigantibus autem patre & filio ad voti abſolutionem, iuſsit pater filio vt in primo cipho aquam è mari hauriret. Quod cum facere tentaret filius, in mare cum cipho cecidit, & aquis abſorptus eſt. Mœſtiſſimus hoc caſu pater, iter ſuum tamen perfecit, & altari ſancti Nicolai ſecundum ciphum impoſuit, qui ſemel & iterum ab altari eſt reiectus. Mirantibus rei nouitatem cunctis: ecce filius eius cum priore cipho templum ſancti Nicolai incolumis ingreditur, cunctis coram conteſtãs, quòd cum in mare cecidiſſet, ſanctus Nicolaus eundem ſeruauit illæſum ne ſubmergeretur. Itaque recepto filio pater lętus: vtrúnque ciphum beato Nicolao obtulit. Quartum pietatis opus præſente verſu cóprehenſum eſt, quòd nautis quibuſdam graui tempeſtate iactatis & ſancti Nicolai nomen enixe inuocantibus: ipſe præſens affuit, & ſedatis procellis eos naufragio liberauit. 5 ¶In quinto verſu. A defunctis ſuſcitatur, furtũ qui commiſerat. Quidam grandem pecuniam à Iudæo mutuo accepit: promittens ad aram ſancti Nicolai ſe illam breui redditurũ. Cúmque poſt longuam dilationé Iudæus pecuniam repeteret, reſpondit ille ſe debitũ illud creditori perſoluiſſe. Die dicto vocatur in ius, & iuramento affirmaturus corã iudice quòd pecuniã illã Iudæo tradidiſſet: baculũ (qué excauatum auro repleuerat) Iudæo dedit tenendum tantiſper, dũ iuraméti verba proferret. Facto auté iuraméto quòd plus

pecu-

Virgo concepit, peperitq́; uirgo:
Atque poſt partum meruit manere
Inuiolata.

3 *Quem ſenex iuſtus Simeon in ulnas.*
In domo ſumpſit domini: gauiſus
Hoc, quod optatum proprio uideret
Lumine Chriſtum.

4 *Tu libens uotis (petimus) precantum*
Regis æterni genitrix, faueto:
Clara quæ celſi renitens olympi
Regna petiſti.

5 *Sit deo noſtro decus & poteſtas:*
Sit ſalus. perpes ſit honor perennis:
Qui poli ſumma reſidet in arce
Trinus & unus. Amen.

¶ Carminis ſapphici & Adonij modulationem exactè ſeruat præſens hymnus in vnoquoque verſu tria continens metra ſapphica & quartum adonium. Habet tamen præter illius carminis legem: in tertij verſus ſecundo carmine ſpondeum pro trochæo in quarta ſede: cum prima ſyllaba participij gauiſus ſit longa. Propertiûs. Non ita Dardanio gauiſus Atrida triumpho. Et in quinti verſus tertio carmine habet in quarto loco pyrrhichium pro trochæo. Depromitur in eo laus ſacratiſſimæ virginis Mariæ, quæ omni laude eſt ſuperior: quòd completa ſint in ea omnia, quæ multo ante à prophetis de ea fuerant prænunciata. Nam ſeruata candidæ virginitatis ſuæ integritate, concepit & peperit filium dei: & deinceps ſemper virgo permanſit, quòd item obtulerit filium ſuum ſecundum purificationis legem in templo à iuſto Simeone inter brachia reuerenter & lætè ſuſceptum, quòd denique ad cælos glorioſa conſcendit.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Quod chorus vatum. Vatem interdum prophetam ſignificare, ſicut hoc in loco: oſtendit verbum vaticinor inde compoſitum (quod prophetizare & futura prænunciare deſignat) in ſacris literis ſatis frequens. Vt apud Ezechielem. Eze. 37.

Et

Et dixit ad me. Vaticinare de oſſibus iſtis: & dices eis,& ſæpe alias, Cæterum ſi ſciſcitetur quiſpiam: quænam prædixerunt ſpiritu ſancto inſpirati prophetæ de ſemper ſancta virgine Maria: quæ nunc in ea perfecta atque conſummata clare perſpiciuntur? Reſpondet Eſaias propheta id oraculum. Ecce virgo concipiet & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emanuel, quod quidem vaticiniũ Matthæus in ſui euangelij exordio perhibet in ea eſſe completum. Rurſum dicit Eſaias. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini. Quod itidem propheticum verbum: eſt in ea completum. Nam & ipſa & benedictus filius eius: de ſtirpe Ieſſe & Dauid progeniti ſunt. Præterea Hieremias de ea ait. Nouum faciet dominus ſuper terram: fœmina circundabit virum. Et illud etiam in ea eſt expletũ: quando filium concepit operatrice ſpiritus ſancti virtute ſecũdum omnia corporis lineamenta & figuram in ipſo conceptionis articulo integrè formatum. Denique de eadem dicit pſalmus. Et terra noſtra dabit fructum ſuum, quod ſanè in ea completum eſt: quando ipſa ſacrata virgo (quæ terra eſt ſpiritualis: cæleſti rore irrigata) benedictum fructum ventris ſui huic mundo fœliciter protulit. Et ita de alijs locis propheticis eſt dicendum.

Eſaiæ 7. *Mat. 1.* *Eſa. 11.* *Hier. 31.* *Pſalm. 84*

3 ¶ In tertio verſu. Hoc quòd optatum proprio videret. Multi libri hoc loco habent, ob quod optatũ proprio videret, ſed difficile eſt ex tali verborum contextu conuenientem ſenſum elicere. Nam pronomen quod, præpoſitioni adiunctum: nihil habet (quod nouerim) ad quod referatur. Quòd ſi legatur, hoc quod optatum: vt intelligatur particula hoc, accuſatiuus eſſe ſingularis, ordinatus cũ participio gauiſus (quandoquidem apud authores interdũ gaudeo verbum: cum accuſatiuo poſitum inuenitur, vt apud Hieron. in prologo Iob dicẽtem. Beatum Iob qui adhuc apud Latinos iacebat in ſtercore, & vermibus ſcatebat errorum, integrum immaculatúmque gaudete) & quòd, non pronomen ſit, ſed coniunctio: apertus & accommodatus eſt ſenſus, quod Simeon gauiſus eſt hoc ipſum, ſiue ob id: quod videret Chriſtum optatum proprio lumine. Cæterùm alij hunc verſum ita legunt, gauiſus hoc, quod optauit proprio videre lumine Chriſtum. Sed non tam aptũ

&

& huic loco congruum exprimunt ſenſum: ſicut litera pręcedens. Non enim gauiſus eſt Simeon, quia optauit videre Chriſtum: ſed quia eum diutius expectatum viderit, ſicut declarat gratiarum actio ab eo decantata deo. Quia viderunt (inquit) oculi mei ſalutare tuum. Quod ſi ponentes verbum optauit, dicant in illius carminis fronte, ob ꝙ: adhuc difficilius quàm prius ſenſum aliquem poterunt eruere. 4 ❡ In quarto verſu. Clara quæ cæli renitens olympi. Olympus, mons eſt altiſſimus inter Theſſaliam & macedoniã: qui tamẽ Theſſaliæ aſcribitur. Cuius cacumẽ in tantam attollitur altitudinem: vt ſummitatem eius accolæ cælum vocent. Propter quod poetæ cælum vocant olympum: & in hymnis eccleſiaſticis ſemper id nomen pro cælo ſumitur. Dicitur autem olympus ſecundum Græcam nominis eius deductionem, quaſi totus fulgens: quia ſolẽ clarum habet ſemper, nulliſque nubibus fuſcatur vnquã. De quo Lucanus. Nubes excedit olympus. Luc. 2.

❡ DE BEATA VIRGINE: alius hymnus.

1 *Lux mundi beatiſsima:*
Maria ſplẽdidiſsima.
Cæli, terræ nobilitas
Sanctorum & feſtiuitas.

2 *Per te mundus ſaluatus eſt:*
Per te ſurſum leuatus eſt.
Per te iam mors damnata eſt:
Per te uita donata eſt.

3 *Te adeſſe depoſcimus*
Supplicibus nunc uocibus.
Iam ueni dulcis domina:
Noſtra tolle incommoda.

4 *Dona confer cæleſtia:*
Vitæ beatæ præmia
Inſtanti prece flagita
In tui nati patria.

5 *Concedat tuus filius*
Hoc Ieſus benigniſsimus:
Cum patre & paraclito
Qui regnat ſine termino.
Amen.

❡ Solum ſyllabarum cuiuſque carminis numerum: cum carmine iambico dimetro præſens hymnus habet commu nem. Nam vnumquodque carminum eius octo ſyllabis integratur: ſicut & metrum iambicum dimetrum. Legitimi tamen pedes nequaquam in ſuis ſedibus & locis conſtituuntur: ſicut efflagitat verſus iambici dimetri ratio. Nã vocalis

calis terminalis vnius dictionis: alteram in fronte ſequentis dictionis poſitam, ſine colliſione ſæpius antecedit. Trochæus item promiſcuè locum omnem occupat, & ſponde in ſecunda ſede ſæpius reponitur: quæ omnia repudiat iãbicum carmẽ. Commemorantur in illo beneficia: à ſacroſancta virgine Maria humano generi indulta. & ad eam demùm dirigitur ſupplicatio: vt pro nobis poſtulet à filio ſuo veniam peccatorum & cæleſtem gloriam.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Sanctorũ & feſtiuitas. Feſtiuus apud probatos authores dicitur homo: qui ſermone lepidus eſt & iocundus, atque in verbis gratiam habet & vrbanitatem. Ita feſtiua oratio, feſtiuum dictum. Vnde feſtiuitas: iocunditas quædam & comitas ſiue dexteritas in verbis. A multis etiam feſtiuum, quia à nomine feſtum deducitur: accipitur pro feſto, ſiue pertinente ad feſtum, vt dies ſic dicitur feſtiuus & gaudia feſtiua, & feſtiuitas pro ſolennitate, dieique feſtæ celebritate, potiſſimum & ferè ſemper in hymnis & orationibus eccleſiaſticis: ſicut & in hoc loco. 2 ¶ In ſecundo verſu. Per te mũ-
Ioan. 1. dus ſaluatus eſt. Muudus hic ſumitur pro genere humano
Ioan. 3. hunc mundum incolente: ſicut & frequentiſſimè in ſacra ſcriptura, vt in eo loco. Ecce agnus dei: ecce qui tollit peccata mundi. Et rurſum. Sic deus dilexit mundum: vt filium ſuum vnigenitum daret. Dicitur autem hic mundus ſaluatus per ſacratiſſimam virginem: non quidem primo & præcipuè. Hoc enim modo, duntaxat per Ieſum Chriſtum ſaluatus eſt mundus: qui ſemetipſum obtulit deo pro mundi vita, & proinde dicitur verè ſaluator mundi. Sed quoniã dominus noſter ex ſacroſancta virgine humanam ſuſcepit carnem, quam pro nobis immolauit in ara crucis, odorem ſuauiſſimum domino: per eam ſecundo loco & proximè poſt filium eius dicitur mundus eſſe ſaluatus, quòd cooperata ſit ſaluti ipſius mundi perficiendæ. Adde quòd peccatoribus ad ſe confugientibus ipſa impetrat ſalutem à deo,
Roma. 8. & aſſiduè poſtulat deum pro nobis (quemadmodũ de Chriſto dicit Paulus) vt ipſe nos ſaluos facere dignetur. Idcirco per eam tanquam aduocatam & patronam humani generis, non autem primariam ſalutis cauſam: dicitur mund ſaluatus, quemadmodum largitrix & mater gratiæ dicitur quia nobis à deo gratiam impetrat.

In

3 ¶In tertio verſu. Noſtra tolle incommoda. Peccata ſcilicet, quæ maximè nobis incommodant, nam gratiam dei (quæ vita eſt animæ & bona eius diſpoſitio) auferũt: & æternam inferunt mortem. Secundo verò loco detrimenta corporis vt morbus, captiuitas, egeſtas, & ſimilia id genus incommoda noſtra ſunt, vtique illa à nobis auferantur: etiam petere debemus, quoniam vbi inualeſcunt illa & opprimunt hominem: virtutum officia & bona opera impediunt.

¶De beata virgine: alius hymnus.

1 *Quem terra, pontus, æthera:*
Colunt, adorant, prædicant.
Trinam regentem machinam:
Clauſtrum Mariæ baiulat.
2 *Cui luna, ſol, & omnia*
Deſeruiunt per tempora
Perfuſa cæli gratia
Geſtant puellæ uiſcera.
3 *Mirantur ergo ſecula.*
Quod angelus fert ſemina.
Quod aure uirgo concipit:
Et corde credens parturit.
4 *Beata mater munere.*
Cuius, ſupernus artifex
Mundum pugillo continens:
Ventris ſub arca clauſus eſt.
5 *Beata cæli nuncio:*
Fœcunda ſancto ſpiritu
Deſideratus gentibus
Cuius per aluum fuſus eſt.
6 *O glorioſa domina:*
Excelſa ſupra ſydera.
Qui te creauit prouidè:
Lactaſti ſacro ubere.
7 *Quod eua triſtis abſtulit:*
Tu reddis almo germine.
Intrent ut aſtra flebiles:
Cæli feneſtra facta es.
8 *Tu regis alti ianua:*
Et porta lucis fulgida.
Vitam datam per virginẽ
Gentes redẽptæ plaudite.
9 *Maria mater gratiæ:*
Mater miſericordiæ.
Tu nos ab hoſte protege:
Et hora mortis ſuſcipe.
10 *Gloria tibi domine:*
Qui natus es de uirgine.
Cũ patre & ſancto ſpiritu
In ſempiterna ſecula.
Amen.

Præſen-

¶ Præſentis hymni quinque primi verſus: carminis iambici dimetri legem exactiſſimè ſeruant, reliqui verò quinque in pleriſque locis ab ea deficiunt: quòd interdum pyrrhichium in anterioribus admittant ſedibus, & nõnunquã vocalem habent in diuerſis dictionibus cõtinenter & proxime vocali ſine colliſione ſubiunctam. Author eius: Fortunatus epiſcopus, in hymnis modulandis elegans. Commendatur in eo eximia ſanctiſſimæ virginis Mariæ dignitas: quòd cæli & terræ dominum & cui totus famulatur orbis, ſuo geſtauerit vtero virginali, quòd nunciante angelo & ſpiritu ſancto in eam ſuperueniente, filium dei conceperit: & virgo permanens ediderit in lucem, quódque ſuum authorem virgineo lacte nutriuerit. Demùm quòd lapſus humani generis reparatrix, inſtauratrix vitæ, cæliq; reſeratrix: nunc ſuper omnes cælos exaltata, glorioſa reſidet in throno cæleſti. Poſtremò ad eam fit ſupplicatio fidelium.

1 ¶ ANNOTATIONES In primo verſu. Quem terra, pontus æthera. Hoc loco æthera, nominatiuus eſt ſingularis primæ declinationis: adiunctus (vt præcedentes nominatiui) verbis proximè poſtpoſitis. Neque enim ſenſus ipſe aut locutionis ratio admittit: vt accuſatiuus ſit ſingularis tertiæ declinationis, huius nominis æther, eris. Verũ vt in adiectis ad præcepta elegantiarum Auguſtini Dati explanationibus annotauimus, hoc hymni loco in teſtimonium inibi citato: nomen tertiæ inflectionis à græco deductum cuius genitiuus nominatiuum numero ſyllabarum ſuperat, tranſit nonnunquam in nomen primæ aut ſecundæ declinationis formatum ab obliquo excreſcente, ſeruato eodem ſignificato & genere, vt à delphin, inis: dicitur delphinus, i, ab elephas, antis: elephantus, i. à lampas, adis: lampada, æ. ſic ab æther, eris: æthera, æ. Neque illud etiam hic prætermittendum: quòd in quarto carmine huius primi verſus, nullum eſt vitium ratione huius verbi baiulat, quod ſi primam haberet breuem, vt autumant aliqui: conſtitueret in tertio illius carminis loco trochæum, contra ipſius carminis iambici regulam. Verùm prima verbi ſupra dicti ſyllaba eſt longa: propter i, duplicem conſonantem duabus vocalibus interiectam. Et à Sedulio etiam conſtituitur longa: in illo hymno. A ſolis ortus cardine, vbi ait:

venter puellæ baiulat:ſecreta quæ non nouerat. Et ergo in tertio loco hic dati carminis,ſicut & in carmine illo Sec duliano:reponitur ſpondeus,qui in ea ſede ſecundum huiuſmodi metri normam aptè collocatur.

3 ¶In tertio verſu. Quòd angelus fert ſemina. Verba illa quæ Gabriel archangelus ad ſacratam deo virginem pertulit,filij dei conceptum in ea futurum denunciantia: hic per quandam analogiam & ſimilitudinis rationem dicuntur ſemina, quoniam illis indubitato credens ſancta virgo:concepit filium. Et ergo per aurem ſiue auditum, immò & verbo concepiſſe ipſa dicitur:quòd auditis ab angelo verbis fidem habens,dei filio oppignerata facta eſt, quemadmodum ſecundum naturæ legem:mulier ſuſcepto ſemine ſolet fœtum concipere. Cæterùm in tertio huius verſus carmine non dicendum eſt ſecundum præteritum tempus,concepit:ne trochæus in quarto conſtituatur loco:ſed in præſenti concipit, ſicut & verbum ſequens parturit præſentis eſt temporis. Neque id ſcrupulum cuiquam mouere debet:quòd hoc ipſum vt præſens enunciatur quod iampridem eſt præteritum. Nam id in hymnis frequens eſt:quòd ratione carminis præſens pro præterito & pro tempore ponatur tempus. Sicut nec verbum parturit,propriam hic ſeruat ſignificationem: vt deſignet dolore partus & enixu laborare. Nam ſacroſancta dei mater expers doloris fuit in partu,& vt ait Eſaias: antequam parturiret peperit. Sed ſumi debet id verbum :pro ſuo primitiuo,parit. Et ita in plæriſque alijs hymnorum locis, ver *Eſa.66* ba ſententiæ ſunt accommodanda : vt res ipſa exigit. Et quamuis hic tertius verſus in multis libris prætermiſſus videatur:dignus tamen eſt ob excellens virginis præconium inibi explicatum,qui omnibus inſeratur & poſthac cũ cæteris decantetur. Quemadmodum à viris religioſis,ordinis ſanctæ trinitatis de redemptione captiuorum Pariſiis apud ſanctum Mathurinum : quotannis in ſolennitate aſſumptionis beatæ virginis & octauarum eius celebriter vt cæteri concinitur.

4 ¶In quarto verſu. Beata mater munere. Hic ablatiuus munere,cum adiectiuo præcedente beata,ordinandus eſt: vt inſinuetur mater ipſa dei eſſe beata munere diuino, & dono illo excellenti : quòd dei genitrix eſt effecta.

P Geni-

Genitiuus autem continuo ſequens:ad nomen ventris ordinari debet, vt ſenſus ſit, ſub cuius matris, arca ventris: ſupernus artifex mundum pugillo continens clauſus eſt, Porrò pugillus diminutiuum eſt à nomine pugnus (quod manum complicatis in mediam palmam digitis contractã ſignificat) & ergo paruum pugnum deſignat. Atqui quod pugillo continemus: facilè & ſine moleſtia complectimur longèque plura nos poſſe continere: illo loquendi genere demonſtramus. Quoniam igitur filius dei, portans omnia (vt ait Paulus) verbo virtutis ſuæ: hunc mundum facilè & ſine labore ac defatigatione ſuſtentat ac fulcit, & omnitenente ſua virtute (vt quæ ſit immenſa atque infinita) longè ampliora comprehendere & continere poſſit: hic dicitur mundum pugillo continere, vt per corporalem continendi modum hiſce verbis effictum: ſpiritualis eius virtus omnia ambiens ac comprehendens ſignificetur, Et alludere videtur hic locus: ad id quod dicit Eſaias. Quis menſus eſt pugillo aquas: & cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terrę: & liberauit in pondere mõtes, & tolles in ſtatera.

Heb.1.

Eſa.40.

5 ¶ In quinto verſu. Beata cæli nuncio. Hic nuncius pro re nunciata ſiue annunciatione ſumitur. quod & nuncium dicitur, non autem pro ipſo nunciante. Deſideratus autem gentibus: eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus qui eo nomine interdum in ſacris literis celebratur: vt in prophetia Iacob de Chriſto. Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius: donec veniat qui mittẽdus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Et in Aggæo. Adhuc vnum modicum eſt: & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridã, & mouebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gẽtibus. Demùm in eodem verſu, fuſus eſt: tantundem ſignat atque egreſſus eſt, prodijt, ſiue exijt.

Gene.46.
Aggæi.2.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Intrent vt aſtra flebiles, Flebile eſt quod defleri dignum eſt: ob miſeriam & calamitatẽ ſuam Bœtius. Flebilis heu mœſtos cogor inire modos. Quoniã igitur homines ex lapſu primorum parentum & propria fragilitate miſeri ſunt & miſerabiles, & digni ſuper quib° fundantur lamenta ac fletus: hic flebiles rectè dicuntur.

8 ¶ In octauo verſu. Gentes redemptæ plaudite. Plaudere dicimur: cum alicui pro re bene geſta congratulamur

&

& lætitiam oſtendimus, quaſi manuum compoſione illã palam indicantes, vt in pſalmo. Omnes gẽtes plaudite manibus: iubilate deo in voce exultationis. Et quoniam neutrum eſt verbum atque abſolutum: poſt ſe obliquum non requirit, habet tamen aliorum verborum more: interdum datiuum. Horatius: at mihi plaudo ipſe domi: ſimul ac nũmos contemplor iu arca. Proinde accuſatiuus vitam, hic poſitus: ad infinitiuum eſſe ſubintellectum referri debet. Aut ſi quis contendat illum accuſatiuum cum verbo plaudite ordinari debere: tunc verbum illud in vim tranſit verbi actiui, & ſignificat cum lætitia & plauſu extollere, atq; declarare, ſiue prædicare. Pſal. 46.

1 ¶DE SANCTA AGATHA.

Martyris ecce dies Agathæ
Virginis emicat eximiæ.
Qua ſibi Chriſtus eam ſociat:
Et diadema duplex decorat.
2 *Stirpe decens, elegans ſpecie:*
Sed magis actibus atque fide:
Terrea proſpera nil reputans:
Iuſſa dei ſibi corde ligans.
3 *Fortior hæc trucibusq; uiris:*
Expoſuit ſua membra flagris.
Pectore quàm fuerit ualido:
Torta mammilla docet patulo.
4 *Deliciæ cui carcer erat:*
Paſtor ouem Petrus hanc recreat
Inde gauiſa magiſq; flagrans:
Cuncta flagella cucurrit ouans.
5 *Ethnica turba rogum fugiens:*
Huius & ipſa meretur opem.
Quos fidei titulus decorat:
Iis uenerem magis ipſa premat.
6 *Iam renitens quaſi ſponſa polo.*
Pro miſeris ſupplica domino.

Sic ſua feſta coli faciat:
Se celebrantibus ut faueat.
7 *Gloria cum patre ſit genito:*
Spiritui prouide ſacro.
Qui deus unus & omnipotens:
Hanc noſtri faciat memorem. Amen.

¶ Hymnus iſte, monocolos eſt & vniformis: quòd omnia eius carmina eiuſdem ſint generis. Metrum ipſum: alcmanium dicitur ab inuentore, dactylicum: à pede dominatũ in eo gerente trimetrum à numero ſedium ſiue locorum, & hypercatalecticum ob ſyllabam abundantem. Nam vnumquodque eius carmen conſtat ex tribus dactylis & ſemipede: vna ſcilicet ſyllaba, quæ metrici pedis eſt dimidium. Interdum tamen loco dactyli conſpicitur poſitus ſpondeus: potiſſimum ſecundo in loco. At non ſatis diligẽter hic ſeruata eſt recta ratio quãtitatis ſyllabarum: quòd nonnunquam ſyllaba, natura aut poſitione longa, fiat breuis, vt in quarto verſu: in hac dictione gauiſa, vbi ſeruatũ fuiſſet legitimum carmen: ſi ſic ipſum author diſpoſuiſſet: lætior inde magiſque flagrans, & in ſexto verſu: in hac dictione ſupplica, vbi potius dicere debuiſſet author, pro miſeris rogita dominum, niſi maluiſſet conſonantiam finalẽ illius carminis cum præcedente carmine ſeruare. cuiꝰ admodum viſus eſt fuiſſe ſtudioſus. Nam ferè cuiuſque verſus primum carmen & ſecundum ſimilem habent deſinentiam ſyllabarum: ſimiliter tertium & quartum. Interdum verò quæ natura breuis eſt ſyllaba: fit in hoc hymno longa, vt in ſeptimo verſu, in hac dictione prouide: cuius ſecunda ſyllaba breuis eſt & tertia longa, & tamen ediuerſo conſtituitur eo in loco: ſeruata quidem fuiſſet illius carminis concinnitas potius hoc modo, ſpiritui pia lauſque ſacro. Crediderim tamen hæc in carminis præſentis compoſitione errata, potius ex librorum vitiatorum mẽdis inducta fuiſſe: quàm authoris inſcitia commiſſa. Celebrantur in eo laudes ac præconia clariſſimæ virginis Agathæ: cuius vitam, agonem pro Chriſto, & martyrium in tertia parthenice elegantiſſimo carmine conſcripſit Baptiſta Mantuanus: noſtra tempeſtate poeta percelebris. Et quoniam

niam opus illud in lucem prolatum eſt: ex eo, & adiecto illi per Iodocum Badium, virum vtique de lingua latina optimè meritum & probatorum authorum illuſtratorē diligentiſſimum, commentario: requiratur martyrij ipſius & glorioſæ mortis hiſtoria.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Martyris ecce dies Agathæ. Inflectitur id nomen aut ſecundum primā declinationem latinam: Agatha, æ, aut primam inflexionē græcam: agathæ, es, ſicut dicimus Helena, ę: vel helene, es: & Catharina, æ: vel catharine, es. Vtroque enim promiſcuè vtitur Mantuanus in ſupradicto opere cum vno in loco dicit Diuæ Agathæ memoranda nouo præconia cantu. Et alio in loco. In primis Catanæam Agathen ſplendore parentum. Hic autem & in primo verſu huius carmine: genitiuus eſt primæ declinationis latinæ. In eodem verſu Et diadema duplex decorat. Diadema: corona eſt regia, & in ſignum regalis maieſtatis capiti impoſita. Iuuenalis. Ille crucem pręcium ſceleris tulit: hic diadema. Duplex autem diadema honorat, honeſtátque hanc ſacram virginem: vtpote aureola martyrij & virginitatis, nam & martyr eſt & virgo. Denique decorare hic honorare ſignificat quia ſecundam habet ſyllabam breuem ſicut decus, oris: nomen ab eo formatum. Nempe idem verbum vt venuſtare & exornare ſignat: ſecundam ſyllabam habet longā, ſicut decor, oris: nomen pro ſpecie & forma, & decorus p formoſo, ab eo deriuata: illam producunt. 3 ¶In tertio verſu. Fortior hæc trucibúſque viris. Scilicet Quintiano proconſule Siciliæ: qui ipſam primùm inſano amore dein de crudeli odio proſecutus, grauiſſimis afflixit tormentis. Hunc Mantuanus, vt nomen aptet carmini, Quintium vocat in prædicto opere: cum ait. Conſul erat Siculis vir deteſtabilis: ora Sola ferens hominis, morem ingeniúmque ferarum. Quintius, à Decio miſſus: ſceleratior ipſo barbaro & imiti domino. In eodem quoque verſu flagra dicuntur flagella: quibus verbera noxiorum corporibus inferuntur. Et inter cætera quidem tormenta: hæc inclyta virgo flagellis cæſa legitur. Demùm in vltimo eiuſdem verſus carmine: dictio paulò pro aduerbio ponitur, ſignificans idem quod clarè & manifeſtè. Id tamen præter vſum eſt probatorum latinæ linguæ authorum: qui potius eo lo-

co poſuiſſent liquido,aduerbium vſitatius eiuſdem omnino ſignificationis:& ſeruatum fuiſſet carmen integrum:& conſonantia illius carminis cum præcedente in exitu & calce,propter quam obſeruandam:credi poteſt illud vocabulum ibi ſtudioſè poſitum,& nimis affectanter.

4 ¶ In quarto verſu. Deliciæ cui carcer erat. Id illi conſonat elogio:quod de ea canit eccleſia. Agatha lætiſſimè & glorianter ibat ad carcerem:& quaſi ad epulas inuitata, agonem ſuum domino prçcibus commendauit. Erat enim hæc animoſa virago & verè fortis mulier:apoſtolorũ Chriſti ſedula imitatrix,de quibus dicit ſcriptura: quòd ibant

Act.5. gaudentes à conſpectu cõcilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Idem quoque, Mantuanus ſic exprimit. Læta ergo & gaudens, & ſperabunda: latentes. Mittitur in tenebras,& carcere conditur atro. In eodem quoquè verſu,cucurrit verbum ſuapte natura neutrale,& accuſatiuum recuſans:in actiuam tranſit ſignificationem, idem valens quod pertranſijt,ſiue tranſegit ſuſtinendo,& ea ratione accuſatiuum recipit. Virgilius. Currit iter tutum non ſecius æquore claſſis.

5 ¶ In quinto verſu. Ethnica turba rogum fugiens. Ethnica:gentilis,idolorum cultui dedita,& (ne a vulgato diſcedam vocabulo)pagana. Ethnos enim:gentem ſignifi-

Matth.28. cat,& ethnicus:gentilem. Vnde illud euangelicum. Si autem eccleſiam non audierit:ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Id conſulto hic poſitum eſt:ne qui putet ethnicam turbam ab æthna monte Siciliæ denominatam,à qua dictione, thneus perdiphthongon formatur adiectiuum: non ethnicus, quod ſine diphthongo ſcribi debet. Virgilius. æidimus aſtantes nequicquam lumine toruo Aethneos fratres: cælo capita alta ferentes. Hic autem inſinuatur inſigne miraculum:ſanctæ Agathæ meritis à deo oſtenſum. Cum enim poſt fœlicem eius ad cælos tranſitũ æthna mons Siciliæ graues flammas ſolito acrius eructaret & ignium globos:qui fluminis inſtar magno impetu decurrentes per agros & loca vicina, vrbi Catanenſi extremum minabantur exitium. Incolę autem vrbis omnihumano deſtituti auxilio contra imminens incendium: ad ſepulchrum ſanctæ virginis Agathæ ocyus confugerunt, & velum eius tumulo ſuperpoſitum rapido igni obiecerunt:

qui

qui protinus diuina virtute cohibitus ſubſtitit: nec vltra progredi eſt auſus. Quo conſpecto miraculo, multi ad fidem Chriſti conuerſi ſunt: & deum in ſancta virgine glorificarunt, ipſamque deinceps vt vrbis Catanenſis protectricem & patronam ſummo ſtudio coluerunt. Petit itaque totus hic verſus: quòd cum ſancta Agatha repreſſerit Aethneum ignem, ne multitudini paganorum & ethnicis incōmodaret: multò potius nunc in famulis ſuis fidelibus & veræ fidei charactere inſignitis, incendia libidinum & acres carnalis concupiſcentiæ flammas reſtinguat.

1 ¶ DE SANCTA DOROTHEA.

Gratulare Cæſarea:
Patronæ colens merita.
Dorotheæ ſolennia
Solis reuexit orbita.

2 *Vulnerata uiuaciter*
Amoris Chriſti iaculo:
Feritur hinc letaliter
Hæc paganorum ſpiculo.

Polorum ſorti procerum
Conſors procera redditur:
Roſarioq; martyrum
Flos roſeus inſeritur.

4 *Corpus humanum tumulo*
Funeſtis caret maculis:
Pro meritorum cumulo
Late claret miraculis.

5 *Aegris ſalus infunditur:*
Cæcis uiſum clarificat
Surdis auditus panditur:
Theophilum credificat.

6 *Talis athletæ ſupplices*
Suffulti patrocinijs
Cœligenarum complices
Læte fruamur gaudijs.

7 *Præſtet hoc pater luminum:*
Splendorq; patris inclytus:
Ac illuſtrator hominum
Par utrique paraclytus.
Amen.

¶ Hymnus iſte carmini iambico dimetro in certo ſyllabarum numero aſſimilatur: quòd vnumquodque eius carmē octo ſyllabas complectitur, non autem in pedum obſeruatione & ſitu: nam promiſcuè trochæum in tribus primis ſedibus recipit: quin potius ad rythmicam quandam conſonantiam accedit: quoniam cuiuſque verſuum eius primum & tertium carmen, in eandem exeunt ſyllabarum

deſinentiam,ſimiliter ſecundum & quartum in conſimili cadentia mutuum habent reſponſum. Explicãtur in eo præconia ſanctæ virginis & martyris Dorotheæ:cuius vita loco argumenti paucis hic enrranda eſt, vt facilior atq; apertior totius hymni exinde habeatur intelligentia. Fuit quidem ipſa ſacrata deo virgo,ex Cæſarea Capadociæ oriunda,à prima infantia ſacræ fidei myſteriis ac ritu imbuta ſuorum parentum opera & cura,qui catholicæ fidei confeſsionem inuiolatam obſeruabant in illa ſæuiſsimæ perſecutionis procella, quam ſuſcitarunt contra eccleſiã dei imperatores impij, Diocletianus, & maximianus. Hæc autem beata virgo à Fabricio prouinciæ præfecto adamata eſt,& in coniugium poſtulata:promiſsis magnis muneribus oblatiſque donis ſi aſſenſum illi præberet. Cui reſpõdit Dorothea,ſe iampridem Chriſto deſponſatam & conſecratam,neque fas illi eſſe,vt mortalem ſponſum deo immortali præferret At verò ſuccenſus ira præfectus:primũ ipſam in dolium feruentis olei mitti iuſsit. Vnde omnino illæſa, virtute diuina præſeruante,exiuit.deinde faciem eius baculis & fuſtibus ita cædi contundique præcepit,vt nulla in ea faciei ſpecies aut forma,reliqua videretur. Poſtridie autem inuenta eſt integrè à plagis illis curata. Demùm caput virginis gladio obtruncari debere:præſes definiuit. Ad quod ſupplicium cum læta progrederetur Dorothea, Theophilus protonotarius regni illius irriſoriis eam verbis inſectans, petiit per ludibrium ab ea quod de viridario ſponſi ſui roſas ad ſe mittendas curaret. Quod ipſa quaſi ſerio id ille rogaſſet, benigniter eſt pollicita,licet eo tempore aſpera eſſet hyems, & frigore torperent omnia. Cúmq; gladium pro chriſto eſſet ſuſceptura,aſtare illi viſus eſt puer purpuratus & ſpecioſus ſplẽdidáque veſte adornatus,atque manu ſua ſportulã deferẽs: in qua repoſita erant tria mala punica & totidẽ roſæ. Quam cum Dorotheæ virgini vt munus à deo miſum obtuliſſet, rogo (inquit illa)defer hęc omnia Theophilo ſcribæ, meo nomine, tanq̃ donaria à me illi ꝑmiſſa. Mox capite obtrũcata ſanctũ cõſummauit martyriũ. Cæterũ Theophil⁹ ſcriba in palacio præſidis tum conſiſtens, vidit ſibi aſtantem pulcherrimum puerum candido amictu qui illum ſe vocãs à turba ait. Has roſas cũ pomis mittit tibi dono ſorror

mea

mea Dorothea, de paradiſo ſponſi ſui: ſicut ab ea poſtulaſti. Et relictis ibidem roſis: puer ille repente diſparuit. Theophilus autem viſo hoc ſigno glorificauit deũ in ſanctis ſuis mirabilem: qui omnipotenti virtute ſua & beneplacito, roſas etiam hyberno, glacialique tempore quib⁹ vult impartit. Et Chriſtianæ fidei ſacris protinus initiatus eſt Theophilus, atque fœliciter in domino conſummatus. Paſſa eſt autem mortem Dorothea, circa annum domini ducenteſimum, octogeſimum octauum: cuius dies feſtus quotãnis agitur atque celebratur ſexta die Februarij.

2 ℂ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Hæc paganorum ſpiculo. Paganus apud probatos authores dicitur ruſticus ſiue villanus, hoc eſt ruri & in villa natus atque educatus: qui nõ nouit vrbẽ, ſic dictus à pago: quod domos ruſticanas in vnum coagmentatas ſignificat, multáſque villas ſimul poſitas. Obtinuit tamen hoc vſus etiã grauium authorum, vt colentes idola, & à Chriſtiano ritu alieni (vt & hoc in loco) pagani dicantur, qui & nomine gentium in ſcriptura ſacra inſinuantur, & plærunque etiã gentiles dicuntur. Et paganiſmus: ritus paganorum vocatur, ſicut Iudaiſmus Iudæorum eſt obſeruatio & cultus, & Chriſtianiſmus: Chriſtianorum mos ac ritus.

3 ℂ In tertio verſu. Polorum ſorti procerum. Nomine procerum intelliguntur hic cæleſtis regni ciues: ſupra omnia mundi ſtamenta à Chriſto verè nobilitati. Procera verò hic dicitur ſancta Dorothea, quaſi in altitudinem ſtaturæ ſe attollens: non corporis quidem increméto, ſed virtutum ſublimitate. Itaque huius loci ſenſus eſt: quòd Dorothea procera, conſors procerum, redditur ſorti polorum. Et quoniam roſeo ſanguine ſuo perfuſa eſt: ipſa tanquã flos roſeus inſeritur roſario, id eſt collegio & cœtui martyrum.

4 ℂ In quarto verſu. Funeſtis caret miraculis. Corpus (inquit) ſacrum beatæ virginis Dorotheæ tumulo repoſitum, & multo poſt tempore vt alio transferretur inſpectum atque prolatum: inueutum eſt integrum & ſine corruptionis atque putrefactionis macula, vt ſicut in ea concupiſcétiæ carnalis nullę fuerat ſordes: ita neq; putredo atque conuerſio in puluerem, locum habuit in virginea eius carne. 5 ℂ In quinto verſu, Theophilium credificat

dificare id eſt credentem facere atque fidelem ſiue ad fidem chatolicam inducere : minus vſitatum eſt apud authores linguæ latinæ. Cuius exactam rationem ſi habuiſſet author huius hymni (quiſquis is fuerit) potius dicere debuiſſet. Theophilū ſaluificat. Nam tunc & ſimilem ſeruaſſet deſinentiam cum ſecundo huius verſus carmine, ad quam obſeruandam hoc verbo ex induſtria vſus videtur: & nihilominus eandem ſeruaſſet (aptiore tamen vocabulo) ſententiam. 6 ¶ In ſexto verſu. Cœligenarū complices. Hoc etiam vocabulo abuſus eſt author huius hymni, pro conſortes ſiue participes: vt rythmicam ſeruaret harmoniam. Cum propriè complices dicantur, conſentientes in malo, & qui alicuius mali ſimul ſunt cóſcij, cooperatores, authores, & conſpiratores. Cæterùm athleta, in eodē verſu poſitum vocabulū, aptū eſt & vſitatū, cōmunis generis, ſignificans pugillē ſiue agoniſtā nō ſolū in certamine corporali ſed & ſpirituali: quale eſt certamē martyrij. Quare hic rectè ipſi S. Dorotheæ id nomē aſcribitur.

DE SANCTO BENEDICTO.

Iesu corona celſior,
Et veritas ſublimior:
Qui confitenti ſeruulo
Reddis perenne præmium.
2 *Da ſupplicanti cœtui*
Obtentu huius optimi
Remißionem criminum:
Rumpendo nexum vinculi.
3 *Anni recurſo tempore*
Dies reluxit limine:
Quo ſanct⁹ hic de corpore
Polum migrauit præpotēs.
4 *Hic vana terræ gaudia*
Et luculenta prædia
Polluta cuncta deputans:
Ouans tenet cæleſtia.
5 *Te nūc redēptor queſumus:*
Vt ipſius cōſortio
Iungas precātes ſeruulos
In ſēpiterna ſecula. Amē.

¶ Hymnus iſte, carminis iambici dimetri legibus propemodum coſtat, præter id quòd vocalem habet alterius dictionis vocali ſine colliſione præpoſitam, & ſemel ſpódeū in ſecundo loco pro iambo. Et quāuis peculiariter ſancto Benedicto aſcriptus annotetur: indifferenter tamen vna cum hymno proximè ſequente, cuique ſancto confeſſori poteſt attribui, quandoquidem nihil in eo ſententiæ exprimitur, quod non alteri etiam cuiuis de beatorum confeſſorum numero aptè conueniat.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu qui confité ti ſeruulo. Hoc in loco & in hymno etiam ſequente: confitens, confeſsio, & confeſſor, in eo ſumuntur ſignificato: quo certum vnum & proprium ſanctorum ordinem, ſtatum & gradum ſignant, qui ab eccleſia catholica confeſſores nuncupantur. Qui ſcilicet poſt apoſtolos, euangeliſtas, & martyres in confeſsione ſanctę fidei & moribus & vita perſtiterunt, & per mundi contemptum egregiáſque virtutes præclari: placida tandem morte in Chriſto quieuerunt. 2 ¶ In ſecundo verſu. Rumpendo nexũ vinculi. Peccatorum ſcilicet, quo conſtringimur: cũ per prauam conſuetudinem peccato adiicimus peccatum, & nos ipſos arctius culpis innectimus, quẽadmodum ait ſapiẽs, Funibus iniquitatum ſuarum conſtringitur peccator, & pſalmus. Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Hoc verò abiici vinculum monet Eſaias cum ait. Si abſtuleris de medio tui catenam: & deſieris extendere digitum, & loqui quod non prodeſt. *Prouer.5* *Pſal.118* *Eſa.58*

3 ¶ In tertio verſu. Polum migrauit præpotens. Subaudienda hoc loco eſt præpoſitio in: quoniam verbũ migrare, accuſatiuum loci nominis communis ſine adiectione præpoſitionis habere non poteſt. Verùm id frequens eſt apud authores, quòd præpoſitio in carmine ſupprimatur. Virgilius. Deuenere locos lætos & amœna vireta.

4 ¶ In quarto verſu. Luculenta prædia. Luculentum id dicitur: quod excellentiæ ſplendorem habet & eminẽtiam. Ampla ergo prædia & quotannis largos referentia fructus, hic luculenta dicũtur. Sed illa quantacũque fuerint & quantumuis ſpacioſa: ſi ad cæleſtia & ſyncęra illa ſupernæ patriæ bona conferuntur: polluta ſunt, & quaſi ſordida, quoniam vt de æterna ſapientia dicitur: omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua. Porrò ouãs apud antiquos dicebatur, qui parta de hoſtibus incruenta victoria vbi pauci ex hoſtibus cæſi fuerant: cum gloria & honore vrbem ingrediebatur, & excipiebatur publico gaudio à populo. Erátq; ouatio: minor & inferior triumpho. At quoniam illa fiebat cũ ingenti lætitia: tranſſumptum eſt id vocabulum: vt lætum & gaudio geſtientem ſignet, quomodo & hoc in loco, & in hymnis aliis frequẽquenter ſumitur. *Sapien.7*

DE

DE SANCTO BENEDICTO: alius hymnus.

TE Chriſte rex piiſſime
Hic confitendo iugiter:
Calcauit hoſtem fortiter
Superbum & ſatellitem.
2 *Virtute clarus, & fide:*
Confeſſionis ordine:
Ieiuna membra deferens:
Dapes ſupernas obtinet.
3 *Plus currit ĩ certamine*
Confeſſor iſte ſuſtinens:
Quàm martyr ictum ſufferens,
Mucrone fundens ſãguinẽ.
4 *Proinde te piiſſime*
Precamur oẽs ſupplices:
Vt huius almi gratia
Nobis remittas debita.
Amen.

Hic etiam hymnus, metri iambici dimetri regulis nititur: vocalem tamen habet in primi verſus quarto carmine, literæ in terminali cõtinuo ſine colliſione ſubiunctã: quòd recta carminis ratio abhorret. Aſcribitur itidem (vt ſuperior) ſancto Benedicto: ſed cuiuis alio ſancto confeſſori (quemadmodum iam dictum eſt) haud iniuria etiam accommodari poteſt.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Superbum & ſatellitem. Sicut per hoſtem hoc loco rectè intelligitur diabolus, qui totius humani generis antiquus eſt hoſtis & aduerſarius, ita per ſuperbum ſatellitem aptè accipitur hic caro noſtra, quæ ſatelles eſt animę, quia illi data in obſequium & miniſterium: ſicut ancilla in famulatũ ac ſeruitium dominæ. Superbus tamen eſt ſatelles: quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & in peccati captiuitatem plærunque pertrahit. De beato autem Benedicto id conuenienter dicitur: quòd carnem edomuerit. Nã vt ieiunia prætermittantur eius quotidiana, & cibi potúſque tenuitas ac parſimonia, cum ſemel incitante antiquo ſerpente libidinum incendia pullularent in eius carne, ſe nudum ſpinis vrticis ac vepribus iniecit: vt illorum aculeis ſauciatus in corpore prurientes extingueret ipſius voluptates, quarum tandem hoc remedio victor euaſit, vt author eſt beatus Gregorius in ſecundo libro dialogorum.

Galat. 5

2 ¶ In ſecundo verſu. Virtute clarus & fide. Alij libri

hoc

hoc in loco habent: virtutũ & actu fide, ſed perperã (quãtũ coniicere poſſum) & mẽdoſe. Nã nullum adeſt verbum aut nomen, cum quo iungantur illli tres ablatiui: actu, fide, & ordine. Neque enim patitur ſententia, vt cum participio deferens paulò poſt ſequente ordinentur: quòd nõ ſit illorum ablatiuorum apta cum ea dictione (quantũ ad ſenſus exigentiam) cohærentia. Idcirco commutandũ duxi hoc modo verſum: vt hic legitur.

3 ¶ In tertio verſu, Quàm martyr ictũ ſuſtinens. Quãuis propria martyrij ratio conſiſtat in effuſione ſanguinis pro confeſsione nominis Chriſti & ea magni apud deum ſit pręcij, ſecundum largiorẽ tamen nominis illius vſum, in diuturna perpeſsione tribulationum atque perſecutionum pro iuſtitia, quas cum patientia fert animus, etiam martyrium reputatur, quanuis pro Chriſto non effundatur ſanguis. Et poſſet quiſpiam diutius afflictionibus preſſus quas æquo tolerat animo: plures apud deum haberi & ampliore compenſandus præmio, quàm alter compendiariam pro Chriſto mortem ſuſtinens. Quis enim dubitat ſanctum Iob ſublimiore apud deum loco cẽſeri: quàm plæroſque martyrum breui morte conſummatorum? Idcirco de ſancto Martino canit eccleſia, quòd etſi eum gladius perſequentium non detigit: palmam tamen martyrij non amiſit.

IN TRANSITV SANCTI Benedicti.

INter æternas ſuperum coronas
Quas ſacro portas retinent agone:
Emicas celſis meritis coruſcus
O benedicte.

2 *Sancta te compſit puerum ſenectus:*
Nil ſibi de te rapuit uoluptas.
Aruit mundi tibi flos: ad alta
Mente leuato.

3 *Hinc fuga laſpus, patriam, parentes*
Deſeris: feruens eremi colonus.
Edomas carnem, ſubigisq́; Chriſto

Tortor

Tortor acerbus.

4 *Ne diu tutus latebras foueres:*
Signa te produnt operum piorum
Spargitur fœlix celeri per orbem:
Fama uolatu.

5 *Fracta reſtauras prece præpotenti.*
Frãgis oblatum cruce mortis hauſtum.
Currit ignarus monachus per undas:
Patre iubente:

6 *Verberas fratrem: fugit hoſtis atrox.*
Ad manus ferrum redit è profundo.
Præcipis rupi: uomit illa riuos
Arua rigantes.

7 *Ales agreſtis ſibi iuſſa complet.*
Lora conſtricti pie uiſa ſoluis.
Conſpicis mundum radio ſub uno:
Raptus ad aſtra.

8 *Mortuum uitæ reuocas precando:*
Corda multorum penetras propheta.
Cernis ad cælos animas leuari
Clarificatus.

9 *Laudet exultans, deitas creatrix:*
Te chori noſtri iubilus perennis.
Quem poli iungas ſuperis choreis:
Quæſumus omnes.

Hymnus iſte, carminis ſapphici & adonici modulationem integrè & concinnè ſeruat. Singuli nanque verſus tria prima carmina habent ſapphica: quartum verò adonicum. Quem ſancto Benedicto peculiarē & proprium, vna cũ hymno proximè ſequente: benigniter pro ſua humanitate mihi communicauit, atque ad me tranſmiſit religioſus vir, frater Gulihelmus Vaſſorius: vitæ monaſticæ apud Cluniacũ obſeruantiſsimus, & ibidem ſub regulari diſciplina iampridem deo aſsiduè militãs. Et quoniã ambo

ambo elegantes admodũ ſunt & compendioſi, paucíſque multam & piam complectentes ſententiam: dignos eos duxi quos cæteris hymnis hic inſererẽ. Author huius hymni: Petrus Mauritius, cognomẽto Venerabilis, abbas Cluniacenſis: & virtute & doctrina clariſsimus. Deſcribitur in eo ſancta conuerſatio beati patris Benedicti: ab ipſo puerili æuo ad exitum vſque vitæ eius, & præclara eius miracula paucis hic cõſtringuntur, elegãter admodũ & venuſtè ea quidem arte, vt quatuor verſibus quinto, ſexto, ſeptimo & octauo: duodecim miracula ipſius contineãtur vnoquoque ſcilicet verſu tria: quæ omnia cũ aliis hic nõ expreſsis: à beato Gregorio in ſecundo libro dialogorũ planius enarrantur.

2 ¶ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Sancta te compſit puerum ſenectus. Sicut ipſius mẽtis eſt pueritia: leuitas ſcilicet & incompoſiti animi inconſtantia, de qua ait ſcriptura. Puer centum annorum morietur, & væ tibi terra cuius rex eſt puer. Ita & animi humani eſt ſenectus: morum ſcilicet maturitas, grauitas, & conſtantia. Et illa interdum annis puerilibus diuino munere eſt coniuncta: vt fuit in ſancto Benedicto, & aliis plæriſque ſanctis. De hac autem ſenectute mentis ait Salomon in libro ſapientiæ. Senectus enim venerabilis eſt: non diuturna, nec numero annnorum computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis: & ætas ſenectutis, vita immaculata. 3 ¶ In tertio verſu. Feruens eremi colonus. Eremus, ſine aſpiratione ſcribit debet, & media ſyllaba longa proferri. Nam apud Græcos ſcribitur per η: quæ apud Latinos ſemper in e longum conuertitur. Baptiſta Mantuanns in bucolicis. Sola quòd in vaſtam nondum diſceſsit eremum. Secutus autem eſt hic author vulgarem vſum ex inſcitia literarum Græcarum inductum, qui mediam ſyllabam corripit: vt & in illo loco hymni de ſancto Ioãne Baptiſta. Præpotens martyr, eremique cultor. Et nonnullis in locis apud Prudentium. Verùm non ſunt hi authores in hoc imitandi: ſed vt expoſcit ratio, media ſyllaba datæ dictionis in carmine ſemper producenda. Eſt & id nomẽ fœminini generis. Hieronymus. Inter multos ſæpe dubitatum eſt: à quo habitari cœpta ſit eremus, ſignificátque ſolicitudinẽ ſiue deſertum.

Eſa.65 *Eccl.4* *Sapien.4*

5 ¶ In quinto verſu. Fracta reſtauras prǫce præpotenti. Scilicet capiſterium, à nutrice ſua ad purgandum triticum à vicinis mulieribus commodatum, quod incautè ſuper menſam dimiſſum cum foret confractum: ſancti Benedicti adhuc pueri prǫcibus & lachrymis redintegratū eſt. In eiuſdem verò verſus ſecundo carmine: id innuitur miraculum, quòd cum in vaſe vitreo oblatum eſſet viro dei vinum veneno commixtum ab iniquis fratribus, qui ſeueritatem diſciplinæ eius ægro ferebant animo: facto crucis ſigno à beato Benedicto vas illud protinus eſt confractum, & mixti veneni prodidit inſidias. Duo verò poſtrema eiuſdem verſus carmina: id inſinuant miraculum, quòd cum Placidus puer, ſancti Benedicti diſcipulus incautè aquam hauriens cecidiſſet in fluuiū: vir dei in cella conſiſtens & id in ſpiritu cognoſcens, præcipit Mauro ſuo itidem diſcipulo: vt cito accurreret, Placidúmque à ſubmerſione eriperet. Ille verò tanta ſolicitudine iuſſa patris expleuit: vt ſuper aquam quaſi ſolidam terram decurrens (quanuis id tunc non aduerterit) puerum aquis extraxerit. 6 ¶ In ſexto verſu. Verberas fratrem. Eum ſcilicet, qui ex animi inconſtantia in oratione perſtare cum alus non potuit: viſusq; eſt ſancto viro, à nigro quodam puero per fimbriam veſtimēti extra oratorium pertrahi. Quem monachum vbi pro ea culpa virga caſtigauit: fugit ab eo omnis illa tentatio, quaſi dæmon ipſe verbera illa pertuliſſet. Secundum verò eiuſdem verſus carmen: id refert ſignum, quòd cū quidam monachus præcepto patris Benedicti vepres ſuccideret iuxta lacum: ferrū ipſum à manubrio ſeiunctum decidit in aquam. Quod vbi vir dei cognouit: acceptum manubrium immiſit aquæ, & annatans ferrum illi rurſum vnitum eſt. Denique duo poſtrema eiuſdem verſus carmina: id commemorant, quòd cum fratres eiuſdem monaſterij ſancti patris, in ardui mōtis cacumine conſtituti, graui laborarent moleſtia ad querendam in lacu inferiori procul diſtante aquam, viri dei prǫcibus ſuprema montis illius rupes aquam largiter ſcaturiuit, liquidúmque fontem euomuit.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Ales agreſtis ſibi iuſſa complet. Coruus ſcilicet: qui iuſſus à ſancto viro tollere panem veneno infectū, oblatū quaſi pro benedictiōe viro dei, à ſacerdote

cerdote quodam inuidia in eum ſtimulato, atque in eum deferre locum vbi à nullo hominũ poſſet inueniri: mox iuſſa cõpleuit, & panẽ venenatũ ſuſtulit ac aſportauit. Secũdum autem eiuſdem verſus carmen: id memorat, quòd cum Gothus quidam crudelis & ſæuus ruſticum vnum loris conſtrictum ante ſe impelleret ad ſanctum Benedictũ: cui ruſticus ipſe res ſuas (quas inhumanus ille miles cruciatu & pœnis extorquere & diripere volebat) ſe commiſiſſe dixit, ad ſolam oculorum uiri dei in eos cõiectionem atque ſubleuationem: diſſoluta ſunt illico vincula illa, & viſo hoc ſigno: perſecutor ipſe à tanta immanitate repreſſus eſt. Denique tertium & quartum eiuſdẽ verſus carmẽ: id recenſent miraculum, ꝙ cũ ſemel intempeſta nocte ſanctus Benedictus orationi intentius vacaret, vidit effuſam de cœlo lucem atras noctis tenebras effugantem: & in ea totum mundũ velut ſub vno ſolis radio collectũ, atq; ante eius oculos adductũ fuiſſe. 8 ¶ In octauo verſu. Mortuũ vitæ reuocas pręcatu. Filiũ ſcilicet illius ruſtici: qui relicto ad oſtiũ monaſterij, filij ſui mortui corpore, perrexit in agrũ ad ſanctũ Benedictũ: importunóq; clamore filiũ ſuũ reddi poſtulauit, mortuúmq; ad vitã reuocari. Cuius improbis vocibus euictus vir dei in oratione proſtratus: petiuit à deo animã pueri ſuo corpori reſtitui, quod & impetrauit. Secundũ verò eiuſdẽ verſus carmen, id refert ſignum, ꝙ cum ſancto viro cibum ſumenti hora veſpertina aſtaret vnus ex fratribus lucernam manu tenens: & tumidus animo indignaretur intra ſe, ꝙ tale deberet illi impendere miniſterium: beatus Benedictus cognoſcẽs ſuperbiã illius cogitatus: iuſsit ab eo lucernã auferri, aliúmque illi ſuccedere officio: quod is tãquã abiectũ & vile exiſtimarat, atque ſeipſo indignũ. Inſuper diẽ ſui obitus & futurã monaſterij ſui euerſionem: longè ante prænunciauit. Nõ immeritò igitur: etiam hic propheta nuncupatur. Demùm duo poſtrema eiuſdẽ verſus carmina id recitant ſignum, quòd ſanctus Benedictus ſublatus in ſpiritu & diuino lumine illuſtratus: vidit animã Germani epiſcopi Capuani tanquam ſphæram igneam ab angelis in cælum deferri. Verùm hæc omnia miracula diffuſius in ſupradicto beati Gregorij opuſculo commemorantur: & ex eo loco iã ante nominato planius agnoſcenda ſunt & requirenda.

IN TRANSLATIONE SANcti Benedicti.

1 *CLaris coniubila Gallia cantibus:*
Læteris Benedicti patris oſsibus.
Fœlix quæ gremio condita proprio:
Seruas membra celebria.

2 *Miris Italiæ fulſerat actibus:*
Gallos irradiat corpore mortuus.
Signis ad tumulum crebrius emicat:
Illuſtrans patriam nouam.

3 *Hic uatum ueterum facta reſuſcitat:*
Morti quod libuit mortuus imperat.
Extinctum propriis oſsibus excitat:
O quàm mira potentia.

4 *Nauis per fluuium nat ſine remige:*
Mirando glaciem deſecat impetu.
Sancti membra ferens obuia flumini:
Vndas reuerberat.

5 *Eductum fluuio ſenſit ut arida:*
Non curans gelidi frigora temporis,
Veſtit cuncta nouis illico floribus
Mutata facie ſoli·

6 *Iam cælo reſidens O pater optime*
Diuinis famulos imbue regulis:
Anguſtum per iter ſcandere largiens
Dona regna perennia.

7 *Cunctorum dominans omnipotentia*
Quæ de ſede poli conſpicis omnia:
Pſallentum placide ſuſcipe cantica
Votis uoce precantia. Amen.

Hymnus iſte, carmine aſclepiadæo & gliconico decēter ac venuſtè componitur: habens in vnoque verſu tria prima carmina aſclepiadæa, & quartum Gliconicum.

Author eius, idem qui & ante cedentis: Petrus ſcilicet Mauritius

Mauritius, cognomento Venerabilis, monaſterij Cluniacenſis abbas, inſigni virtute necnon ſacrarum literarum eruditione præſtans: in oratione quoque ſoluta & verſu elegantiſsimus, vt eius produnt opera. Recitantur in eo miracula: in tranſlatione ſacri corporis beati patris Benedicti cœlitus oſtenſa.. Quorum cōtéplatione, Gallia illum ſeruans theſaurum reconditum: excitatur ad laudem dei & celebratione tanti patris.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Læteris Benedicti patris oſsibus. Carminis aſclepiadæi venuſtas & ſonoritas: efflagitat cæſuram in fine primi choriambi, vt poſtrema ſcilicet illius ſyllaba finis ſit dictionis. Verùm in hoc carmine id ſeruari non potuit: quoniam id nomen Benedictus (quod vel ſemel exprimendum erat, ad ipſum inſinuandum: de quo peculiariter cantatur hymnus) non patiebatur huiuſmodi cæſuram fieri, ob ſuarum ſyllabarũ quantitatem huic ſectioni obſeruandæ minus aptam. In eodem quoque verſu: verbum coniubilare, ſecundam habet ſyllabam correptã ob neceſsitatem carminis, quæ apud probatos authores ſemper in nomine ſimplici iubilum, à iubilo verbo deſcendente: producitur. Sillius. Et lętus ſcopulis audiuit iubila cyclops. Immò & ipſũ ſimplex verbũ etiã primam habet lõgam. Fauſtus in Bucolicis. Iubilat omnis ager: vocémque ad ſydera iactat. Cæterùm in ſecundo huius verſus carmine: potius læteris optatiuum verbum legendum eſt quàm lætaris indicatiuum: ꝗ maior eſt ſententiæ & verborum cohærentia per illud optandi quàm indicandi verbum: & continuatus exhortationis inceptæ ſermo. 2 ¶ In ſecundo verſu.. Miris Italiæ fulſerat actibus. In mõte ſcilicet Caſsino, in prouincia Beneuentana ſito: vbi beati patris Benedicti conſtructũ fuerat monaſteriũ, quod ſingulari virtute & miraculorũ inſignibus: viuẽs mirũ in modũ illuſtrarat. At vbi illud poſtea à Longobardis euerſum fuit, vt ipſe ſanctus multo antè, futurum prædixerat: venerabilis pater Mummolus, abbas monaſterij Floriacenſis in Gallia, haud procul à ripa Ligeris fluminis, diuina reuelatione admonitus: miſſo ad montem Caſsinum fratre religioſo: ſacra oſſa beati patris benedicti inuenta cæleſti indicio, nocturnáque luce monſtrante locum in quo condita iacebant: in Galliam

transferri curauit atque in Floriacenſi monaſterio reuerenter collocari. 3 ¶ In tertio verſu. Hic vatum veterum facta reſuſcitat. Ipſius ſcilicet Heliſæi, in cuius tumulum cum coniectum eſſet hominis mortui corpus: contractu ſacrorum oſsium eius reuixit qui mortuus fuerat, ſeque in pedes erexit, vt quartus liber regum cõmemorat.

4. Reg. 13 Haud aliter attactu ſacri corporis ſancti Benedicti, cum transferretur: mortuus ad vitam reuocatus eſt. 4 ¶ In quarto verſu. Nauis per fluuiũ nat ſine remige. Hic aliud recitatur miraculum in illa tranſlatione factum: vtpote quòd nauis cui ſacra oſſa erant impoſita, ſine gubernatore & nauta, recto curſu fluuium ſine offenſione tranſiuit, glaciem ipſam (nam frigore concreta erat aqua) haud ſecus quàm aquam fluidam diſſecuit, & contra aquæ curſum mira celeritate, aduerſo quidem flumine deuecta eſt ad portum. 5 ¶ In quinto verſu. Eductum fluuio ſenſit vt arida. Aliud quoque ſignum cœlitus oſtenſum hic deſcribitur, ſcilicet quòd cum nauigatione completa ſancti Benedicti corpus quando transferebatur terram contigit: tunc arbores omnes loci illius floreſcere cœperunt, & nouis ſubito veſtiri frondibus: quamuis hyberno frigore tunc omnia rigerent. Dignatus eſt enim dominus hoc mirabili oſtento ſanctum ſuum glorificare: & ſupra naturæ legem, brumalem glaciem in vernam temperiem repente commutare.

IN ANNVNCIATIONE beatæ Mariæ.

AVe maris ſtella
Dei mater alma.
Atq; ſẽper uirgo:
Fœlix cæli porta.
2 *Sumens illud aue:*
Gabrielis ore.
Funda nos in pace:
Mutans namen Euæ.
3 *Solue uincla reis:*
Profer lumen cæcis.
Mala noſtra pelle:
Bona cuncta poſce.
4 *Monſtra te eſſe matrẽ.*
Sumat per te preces:
Qui pro nobis natus
Tulit eſſe tuus.
5 *Virgo ſingularis*
Inter omnes mitis:
Nos culpis ſolutos
Mites fac & caſtos.
6 *Vitam præſta puram*
Iter para tutum

Vt uidentes Ieſum / *Summo Chriſto decus.*
Semper colletemur. / *Spiritui ſancto:*
7 *Sit laus deo patri:* / *Trinus honor unus. Amē.*

Præſens hymnus, metri trochaici trimetri ſpeciem gerit: quandoquidem vnuſquiſque eius verſus quatuor cōplectitur carmina, quorum ſingulum tribus conſtat pedibus diſyllabis. Verùm pedes legitimos & illi debitos carmini, ſuis in locis non ſeruat. Nam cum omnibus in locis trochæum deberet habere: loco eius nunc ſpondeum, nūc iambum, nunc pyrrhichium promiſcuè recipit. Quare in ſolo ſyllabarum numero cum trochaico carmine cōuenit, quod vnūquodque eius carmen ſex ſyllabas (niſi fiat colliſio vocalium: ob quam ſeptima ſuperadditur ſyllaba) ſicut & trochaicū complectitur. Laudatur in eo ſacroſancta virgo Maria, ꝙ ab angelo cælitus miſſo ſalutata: dei mater eſt effecta. Denique rogatur vt nobis materna oſtēdens viſcera: filium reddat placatum atque benignum.

1 ¶ ANNOTATIONES: In primo verſu. Aue maris ſtella. Hæc nūcupatio, qua ſemper ſancta virgo, ſtella maris appellatur: alludit interpretationi nominis eius. Maria etenim, ſtella maris interpretatur: vt teſtis eſt beatus Bernardus in ſecunda homilia Euangelij. Miſſus eſt angelus Gabriel à deo. Loquamur (inquit) pauca & ſuper hoc nomine Maria: quod interpretatū maris ſtella dicitur, & matri virgini valde conuenienter aptatur. Ipſa nanque aptiſsimè ſyderi cōparatur, quia ſicut ſine ſui corruptiōne ſidus ſuum emittit radiū: ſic abſque ſui læſione virgo parturit filium. Nec ſyderi radius ſuam minuit claritatē: nec virgini filius ſuam integritatem. Ipſa eſt igitur nobilis illa ſtella ex Iacob orta, cuius radius vniuerſum orbem illuminat: cuius ſplendor & præfulget in ſupernis & inferos penetrat, terras etiā perluſtrans, & calefaciens magis mētes quàm corpora: fouet virtutes, excoquit vitia. Ipſa inquam eſt præclara & eximia ſtella, ſuper hoc mare magnum & ſpacioſum neceſſario ſubleuata: micans meritis, illuſtrans exēplis. Hæc Bernardus. 2 ¶ In ſecundo verſu. Mutans nomen Euæ. Putant nonnulli mutationē illam nominis Euæ in nomen aue eſſe factam: quia iiſdem literis ſed ediuerſo ſumptis, illæ duæ dictiōes Eua & aue ſcribantur.

Num. 24

bantur. Si enim id nomen eua præpoſtero legas ordine literarum à calce incipiendo: conficitur nomen Aue. quod tantundem ſignificare tradunt, atque ſine ve, quòd a: negatiua ſit particula, ve autem: interiectio maledictionem exprimens. Verùm huiuſmodi interpretatio, arbitraria videtur atque commentitia, neque à probato aſsignata authore neque ſatis cum ratione conſtans. Nempe a, particula eſt negatiua in compoſitione: non quidem apud Latinos aut in dictionibus Latinis, ſed ſolũ apud Græcos & in vocabulis Græcis. Atqui manifeſtum eſt, dictioné aue: Latinam eſſe non Græcma. Rurſum ve particula, vt interiectio eſt maledictionem & miſeriam inſinuans: omnẽ refugit compoſitionem, neque alteri dictioni ad tertiæ cõſtitutionem cohæret. Itaque ſecundum rei veritatem: huius dictionis aue, neque prior particula negatiua eſt, neq; poſterior maledictionis comminatiua aut miſeriæ interminatiua, ſed ipſa tota eſt dictio ſimplex, incompoſita & primigenia: idem ſignificans apud Latinos (nã Latina omnino eſt & nõ commixta ex Græco & Latino) quod ſalue, & ad ſalutationem aptè accommodatur. Itaque accidentarium eſt illud, & nihil ad rem conferens: quòd duæ illæ dictiones Eua & aue iiſdem literis & contrario ſcribantur ordine, neque id quicquam facit ad rem propoſitam: nominisve mutationem vnius in alterum. Sed mutatio illa nominis Eua à beata virgine, potius meo iudicio accipienda eſt ſecundũ cõditionem & ſortem ipſius Euę: omnino mutatam in oppoſitas proprietates per ſacrã virginem. Quippe maledictio illata Euæ: mutatur in benedictionem per Mariã. Eua dolorem & mortem nobis intulit. Maria verò: gaudium & vitam ſempiternam attulit. Eua, exilij & expulſionis à regno cæleſti, cauſa fuit. Maria verò, reuocationis in antiquam patriam & introitus in paradiſum præbet beneficium. Et ita cæteræ conditiones imperfectionem arguentes in Eua: commutatæ ſunt in oppoſitas & perfectionis indices in ſacroſancta virgine, quæ eam ob cauſam cõuenienter & rationabiliter poteſt dici mutaſſe nomen Euæ.

4 ¶ In quarto verſu. Natus tulit eſſe tuus. Tulit: voluit, cupiuit, dignatus eſt. Ferre enim iunctum verbo infinitiuo: velle, & expetere ſignificat: Ouidius. In noua fert

animus

animus mutatas dicere formas Corpora.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Trinus honor vnus. Sicut laus patri tribuitur in primo huius verſus carmine, & decus Criſto in ſecũdo: ita honor ſpiritui ſancto aſcribi debet in tertio & quarto, vt honor poſtremo collocatus loco: ad ſpiritum ſanctum referatur. & ita cuique diuinarum perſonarũ ſu⁹ reſpõdeat nominatiu⁹. Quare ĩ poſtremi verſus vltimo carmine, poti⁹ legendũ cẽſeo, trin⁹ honor vn⁹: q̃, trib⁹ honor vn⁹. Nã ſi hoc ſecũdo loco fiat lectio, tũc ſpiritui ſãcto nihis particulatim attribueretur, ſicut patri & filio, neque certus adderetur nominatiuus, cum honor poſtremo loco poſita dictio, ad tres ſimul perſonas referretur, datiuo tribus intellectas. Quod incõcinnam redderet lectionem, & ineptam ſtructuram. Eſt autem honor ille qui ſpiritui ſancto exhibendus dicitur trinus & vn⁹, quia idẽ exhibetur & patri & filio. Qua igitur parte vni intelligitur impendi perſonæ, vt ſpiritui ſancto, vnus eſt, qua uerò tribus diuinis perſonis exhibetur, idem trinus denominatur, vt deus ipſe trinus & vnus, honore etiam trino & vno colendus ac honorandus inſinuetur.

DE BEATA VIRGINE MARIA: alius hymnus.

Fit porta Chriſti peruia
Referta plena gratia
Tranſitq; rex, & permanet
Clauſa (vt fuit) per ſecula.
2 *Genus ſuperni luminis*
Proceßit aula virginis:
Spõſus, redẽptor, cõditor,
Suæ gigas eccleſiæ.
3 *Honor matris, & gaudiũ*
Immenſa ſpes credentium:
Per atra mortis pocula
Reſoluit noſtra crimina.

¶ Præſens hymnus carmini iambico in numero ſyllabarum aſsimilatur, non autem omnimode in pedũ ratiõe ac menſura. Nam interdum trochæum recipit loco iambi: & ſpondæum itidem ſecundo loco pro iambo. Laudatur in eo ſacroſancta virgo Maria: quod cæleſtis gratiæ plena, filium dei concepit & peperit ſine ſuæ puritatis detrimento Commendatur & benedictus eius filius celebri laude, quod eccleſiã ſponſã ſuã morte ſua ablueri à peccatis.

¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Fit porta Chriſti peruia. Locus iſte, ex Ezechiele ſumptus eſſe videtur: qui myſtica viſione cõſpexit portã ſanctuarij exterioris vergentem ad orientem, & clauſam. De qua dixit ad eum dominus. Porta hæc clauſa erit & non aperietur, & vir non tranſiet per eam, quoniam dominus deus Iſrael ingreſſus per eam: eritq; clauſa principi. Princeps ipſe ſedebit in ea: vt comedat panẽ corã domino. Per viã portæ veſtibuli ingredietur, & per viã eius egredietur. Enim verò hæc porta prophetę oſtenſa, omnium confeſſione ſacram inſinuat virginem Mariam: quam Chriſtus rex Iſrael & princeps regum terrę ingreſſus eſt, cum in ea conciperetur, requieuit in ea nouem menſium ſpacio: & demùm ea eſt egreſſus in partu, ſine læſione virginalis eius integritatis. Et ergo conuenienter fuiſſe perhibetur ſemper clauſa. Inſuper in eiuſdem verſus ſecundo carmine, participiũ referta: nominatiuus eſt ſingularis, vt oſtendit ratio & compoſitio metri: ordinatus cum ablatiuo, plena gratia, ſiue plenitudine gratiæ. Deſcendit autem à verbo refarcio: quod replere ſignificat, & nunc ablatiuũ, nũc genitiuum poſtulat: ſicut plenus. 2 ¶ In ſecundo verſu. Genus ſuperni luminis. Filius dei dicitur hic genus ſuperni luminis: vel vt alij legunt, numinis, quia ex deo patre ab æterno genitus eſt: qui lumẽ eſt ſupercæleſte & nomen ſupernum. Dicitur & ſponſus eccleſię: quia illam ſibi ſecũdum prophetæ oraculum deſponſauit in fide. Et hoc quidem nomine etiã celebratur à ſacris literis: vt in pſal-
Oſea.2 mo. Ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Et
Pſal.18 in euangelio. Qui habet ſponſam: ſponſus eſt. Et rurſum.
Ioan.3 Nunquid poſſunt amici ſponſi lugere: quandiu cum ipſis eſt ſponſus? Veniẽt autem dies in quibus auferetur ab eis ſponſus: & tunc ieiunabunt. Denique Chriſtus hic appellatur ſuę gigas eccleſię: quia illius propugnator eſt & fortis athleta, validáque virtute defenſor: contra inſidias dę-
Matth.9 monum & malignorum hominum. Vnde pſalmus de illo inquit. Exultauit vt gygas ad currendam viã. 3 ¶ In tertio verſu. Honor matris & gaudium. Tres iſti nominatiui
Pſal.18 ſubinde poſiti: etiam ad Chriſtum per attributionem ſunt referendi. Ipſe enim eſt honor matris ſuæ glorioſæ: nam inſigni illo priuilegio eam honorauit, quòd filium dei de

ſpiritu

ſpiritu ſancto conceperit, & permanente virginitatis honore, hinc mundo ſalutarem partum ediderit. Eſt & gaudium ſuæ matris, quia præcipuam gaudij materiam & cauſam habet ſacrata mater de ſuperbenedicto filio ſuo, quòd eius ſcilicet qui omnium códitor eſt & author genitrix ſit effecta. Vnde & idipſum in ſuo teſtatur cantico, dicens. Et *Luca 1*
exultauit ſpiritus meus in deo ſalutari meo. Denique ipſe Chriſtus eſt immenſa ſpes credentium, quia fideles omnes ſuam in eo ſpem firmiter debent conſtituere qui omnium eſt redẽptor, propitiatio pro peccatis noſtris, & aduocat⁹ pro nobis apud patrẽ. Demùm per atra mortis pocula intelligitur hic calix amaræ paſsionis, quem bibit Chriſtus, & illius virtute, peccata noſtra deleuit & abſterſit.

¶DE BEATA VIRGINE: alius hymnus.

Virgo dei genitrix: quem totus non capit orbis:
In tua ſe clauſit uiſcera, factus homo.
2 *Vera fides geniti purgauit crimina mundi:*
Et tibi virginitas inuiolata manet.
3 *Te matrem, pietatis opem te flagitat orbis:*
Subuenias famulis ò benedicta tuis.
4 *Gloria magna patri: compar tibi gloria nate:*
Cũ ſancto ſpiritu, gloria magna patri. Amen.

¶Carmẽ hexametrum dactilicum & pẽtametrum: alternis hunc hymnum rectè coſtituunt. Hoc vno excepto, ꝙ in ſecundo loco poſtremi carminis, loco dactyli ponitur antipæſtus: conſtãs ex duabus primis ſyllabis longis & tertia breui, quoniam nomen ſpiritus primam ſyllabam habet longam, Preſens autem hymnus eximiam ſacroſanctæ virginis excellentiam depromit, quod cælo terráque capacior intra vteri ſui virginalis anguſtias eum continuerit, quem totus orbis non poteſt comprehẽdere, & mundi ſaluatorem, virgo perpetua permanens: fœliciter partúque beato profuderit. Deinde ad eam ſupplicatio dirigitur: vt nobis ad ſe confugientibus famulis ferat auxilium.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Vera fides geniti. Fides geniti dicitur hic fides quæ habetur de Chriſto domino, beatæ virginis filio quod deus ſit & homo

mo,& verè ſaluator mundi. Per hanc enim fidem & ea fidei myſteria quæ de Chriſto credimus:peccata mundi purgata ſunt,ab eo ſcilicet in quem credimus tanquam præcipuo purgationis authore ,quemadmodum de ipſo ait beatus Paulus:quòd eſt purgationem peccatorum faciẽs. Ab ipſa autem fide fit etiam peccatorum expiatio:vt diſponente & præparante animum ad hanc purgationem, quẽadmodum in actis apoſtolorum dicitur de deo, fide purificans corda eorum. Porrò eo loquendi genere & in eodẽ ſenſu vtitur beatus Paulus.ſcribens ad Galatas.Quòd autem nũc viuo in carne:in fide viuo filij dei.Et paulo pòſt in eadem epiſtola. Vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.At vero in ſecundo eiuſdem verſus carmine expreſſa ſententia,ſcilicet,& tibi virginitas inuiolata manet,à Pio ſecundo,ſummo pontifice eleganter euam hoc diſticho explicatur.

Heb.1.
Act.15.
Galat.2.
Gal.3.

Partus & integritas diſcordes tempore longos
 Virginis in gremio fœdera pacis habent.

3 ❡In tertio verſu.Te flagitat orbis.Aliqui hic legunt, te clamitat orbis,ſed perperam.Nam clamito verbũ neutrum:refugit accuſatiuum.Et eſto quòd intelligatur in actiui verbi tranſire ſignificationem & vim,deſignétquecũ clamore inuocare:tunc quidem recte vnum habebit accuſatiuum,ſed duos qui in hoc carmine ponuntur,ad diuerſa pertinentes:nunquam poterit obtinere. Flagito autem cum verbum ſit(vt vocant)vehementis tranſitionis : eorũ vtrumque rectè depoſcit.

4 ❡In quarto verſu.Cum ſancto ſpiritu.Aptius eſſet hoc carmen & integrius:ſi ita legeretur,pneumate cum ſancto quòd dictio ſpiritus primam ſyllabam producat:vt iam dictum eſt.Id autem carminis vitium tolleretur, eadẽmque ſeruaretur ſententia:ſi ita verſus ipſe commutaretur & ad ſuam reduceretur rectitudinem:pneumate cum ſancto. Eſt autem pneuma ,atis:ſpiritus ſiue flatus, vnde formatur adiectiuum pneumaticus,a,um:ſpiritualis , vt organa pneumatica:quæ ſpiritu inflantur.Quare rectè id nomen in hymnis eccleſiaſticis ſpiritui ſancto accommodatur. Porrò hic non eſt prætereundum,quòd aliqui poſtremum huius hymni carmen ita claudunt ,gloria magna deo , vt tres diuinas particulatim explicatas, dei nomine demùm

ſimul

ſimul complectantur, ſignificentque vnum eſſe deum. Nomen enim dei ibidem non diſcrete ſumunt pro vna vel altera diuina perſona: ſed communiter & coniunctè pro vnaquaque ipſarum. Et id in ſacris literis frequens eſt: quòd poſt inſinuatas aut nominas tres diuinæ maieſtatis perſonas ſubiungatur quippiam vnitatem deitatis ſignificans, vt in eo loco pſalmi, benedicat nos deus deus noſter benedicat nos deus: & metuant eum omnes fines terræ. Et in illo ſanctorum Seraphim cantico apud Eſaiam. Sanctꝰ, ſanctus, ſanctus: dominus deus ſabaoth. Rurſum apud Paulum ad Romanos. Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia ipſi gloria in ſecula. Demùm Ioannes in prima ſua epiſtola. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, pater & verbum & ſpiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Quare & idē hic obſeruari non eſſet penitus improbandum: immò id ſatius foret, quàm eandem ſententiam repetere in fine ſequentis carminis: quæ fuerat poſita in principio præcedentis.

Pſal. 66. *Eſa. 6.* Rom. 11. 1. *Ioan.* 5.

¶ IN INVENTIONE SANCTAE crucis.

1 *SAlue crux ſancta: ſalue mundi gloria.*
Vera ſpes noſtra: uera ferens gaudia.
Signum ſalutis: ſalus in periculis.
Vitale lignum: uitam portans omnium.
2 *Te adorandam, te crucem uiuificam:*
In te redempti, dulce decus ſeculi.
Semper laudamus: ſemper tibi canimus.
Per lignum ſerui: per te lignum liberi.
3 *Originale crimen necans in cruce:*
Nos à priuatis Chriſte munda maculis.
Humanitatem miſeratus fragilem:
Per crucem ſanctam lapſis dona ueniam.
4 *Protege, ſalua, benedic, ſanctifica*
Populum cunctum: crucis per ſignaculum.
Morbos auerte corporis & animæ.
Hoc contra ſignum: nullum ſtet periculum.

5 *Sit deo patri laus in cruce filij:*
Sit coæqualis laus ſancto ſpiritui.
Ciuibus ſummis gaudium ſit angelis.
Honor in mundo ſit crucis inuentio: Amen.

¶ Hic hymnus, vniformis eſt atque vnimodus: omnia ſua carmina habens vno genere metri compoſita, ſcilicet iābici ſenarij, quod in locis imparibus, primo, tertio, & quinto: ſpondeum recipit. In ſedibus verò paribus ſecūda, quarta & ſexta: ſolum iambum, niſi poſtrema ſyllaba carminis fuerit breuis: quia tunc ſextam ſedem pyrrhichius occupat. Verùm non ſeruatur hic omnino exacta ſupradictorū pedum collocatio. Nam aliquando trochæus cęteris pedibus intermiſcetur, aliquando pyrrhichius in prioribus locis conſtituitur: & ſpondeus paſſim omni in loco præterquam ſexto ſitus inuenitur: quin potius certus ſyllabarum numerus ad carmen iambicum ſenarium requiſitus, tantū ſeruatus eſt. in vnoquoque ſcilicet carmine duodenarius, & conſimilis in cuiuſque ferè carminis medio & fine ſyllabarum deſinentia. In eo: ſanctæ crucis, præclaræ referantur laudes: & beneficia per eam, quinimmò per Chriſtum eius conſecratorem nobis collata, ſimul & ad ipſam fit inuocatio: vt tutetur nos à periculis animæ & corporis & ſaluos faciat in regno cæleſti.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Vitale lignum, vitam portans omnium. Viuificæ crucis ſymbolum à multis expreſſum creditur in Geneſi: vbi in medio paradiſi deſcribitur fuiſſe lignum vitæ. Quod ſicut corporalem miniſtrabat vitam ijs qui veſcebantur eius fructu: ita ſignum fuit & figura ligni crucis in medio terræ erigendi (deus enim rex noſter ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ) quod ſpiritualem conferret vitam ijs qui credunt in Ieſum Chriſtum, & ſanctę crucis myſteria confitētur. Sed & lignum illud in deſerto erectū à Moyſe, in quo ſerpens æneus ſuſpenſus eſt: & qui ipſum aſpexerant, ſanati: figura etiam fuit vitalis ligni, ſanctæ crucis, in deſerto huius mundi erecti & fidelibus omnibus ſalutiferi.

Gene. 1.

Pſal. 73.

3 ¶ In tertio verſu. Originale crimen necans in cruce. Originale crimen hic dicitur: quòd à primorum parentū origine toti hominum poſteritati eſt inductum. De quo ait

Roma. 5.

ait beatus Paulus, quòd per vnius inobedientiam : peccato res conſtituti ſunt multi. Illud autem à Chriſto deſtructum eſt in cruce. Nam per ipſius obediẽtiam deletum eſt quod aduerſum nos erat chirographum peccati: & affixum cruci. Sed percontabitur quiſpiam, quid igitur poſt conſummatam in cruce oblationem Chriſti, ſacris abluimur vndis baptiſmi ad expiandum originale crimen: ſi id in cruce deſtructum eſt & abſterſum? Adhibenda eſt reſponſio : nõ fruſtra in nobis fieri neque incaſſum, huiuſmodi ablutionem baptiſmalem: vt ſcilicet inſeramur tanquam membra ipſi Chriſto: & ita efficiamur participes munerum & donorum eius. Quamuis enim vniuerſale id crimen quòd totũ genus humanum obligauit ad mortem, per vniuerſalem Chriſti iuſtitiam & quę in omnes extenditur eſt abſterſum nullus tamen aſſequi poteſt tanti boni participationem, niſi prius inſertus ſit Chriſto inſitione ſpirituali, tanquam membrum ſuo capiti, quod primum per ſacram fit regenerationem. Priuatas autem maculas vocat author: particulares culpas quas ſponte & libera noſtræ voluntatis poteſtate poſtquam ad rationis vſum peruenimus, ipſi contrahimus, quæ etiam virtute paſſionis Chriſti delendæ ſunt. Nã dominus in eo poſuit iniquitatem omnium noſtrum : & peccata noſtra ipſe in corpore ſuo pertulit ſuper lignũ. Eſa. 53. 1. Petri. 2.

4 ¶ In quarto verſu. Hoc contra ſignum, nullum ſtet periculum. Stet præualeat, inualeat & durare poſſit, vt ipſius ſigni crucis potentifica virtute: periculum omne propellatur & diffugiat à nobis, neque poſſit in nos obtinere. Perinde atque ſignati ſigno. Tau apud Ezechielem (quod ſanctæ crucis erat expreſſio & typus) interfectionis euaſere periculum. Et ſerui dei ſignati in frontibus ſuis in Apocalypſi: ab omni nocumento quod cæteris inferebatur erant immunes. Eze. 9. Apoc. 7.

5 ¶ In quinto verſu. Honor in mundo ſit crucis inuentio. Hoc pacto finiendus eſt præſens hymnus : vt accõmodetur celebritati inuentionis ſanctæ crucis. Quòd ſi quis velit eundem adaptare feſto exaltationis eiuſdem : finiat hymnum hoc modo, honor in mundo: crucis exaltatio, atque ex præcedentibus intelligat verbum ſit, ad illam vltimam ſententiam repeti. Nã in vtroque feſto hic hymnus cantari poteſt.

IN EODEM FESTO ALIUS HYMNUS.

1 Lignum crucis miraculis
Olim per orbem prænitet,
In qua pependit innocens
Chriſtus redemptor omniũ
2 Hæc arbor eſt ſublimior
Cedris, habet quas Libanus
Quæ poma neſcit noxia:
Sed ferre uitæ præmia,
3 Tu Chriſte rex piiſſime
Huius crucis ſignaculo,
Horis, momentis omnibus
Munire nos non abnuas.
4 Vt ore tibi conſono,
Et corde deuotiſſimo,
Poſſimus omni tempore
Laudes referre debitas.
Amen.

Carmen iambicum dimetrum, in hoc hymno integrè rectéque ſeruatur, qui ſanctæ crucis excellentiam dignitatémque extollit: & demùm orationem ad Chriſtum dirigit vt ſanctæ crucis protectione atque præſidio nos ſemper muniat & ad ipſum laudandum reddat idoneos.

1 ANNOTATIONES. In primo verſu. Olim per orbem prænitet. Hoc in loco, prænitet legẽdum eſt (quod præfulgere, promicaréque ſignat) & non renitet: vt nonnulli habent libri, ne in tertio illius carminis loco conſtituatur trochæus: qui in eo locum habere non debet. Et plane cum in reliquis omnibus huius hymni locis author exactam carminis iambici dimetri regulam ſeruauerit: non eſt id veriſimile quòd in hoc tantum loco aberrauerit ab illius legibus. Prænitet autem atque emicat ipſa crux olim per orbem: quia à Chriſto ſanctificata & per totum mundum prædicata, ab omnibus honoratur atque colitur. Multis item miraculis ſuam ipſa patefecit virtutem: vnde meritò eſt celebrrima.

2 In ſecundo verſu. Cedris habet quas Libanus. Libanus, mons eſt arduus inter Arabes & Phœnices: præcelſas arbores habens, inter quas & cedrus in ſacra ſcriptura nõ nunquam nominatur, vt in pſalmo cõfringet dominus cedros Libani. Et in Eccleſia. Quaſi cedrus: exaltata ſum in Libano. Verùm ſancta crux omnibus illis arboribus eſt dignitate eminentiáque ſublimior. Cacumen enim eius cælos tangit: quimmò & cælis eſt ſuperius. Omnibus item arboribus

Pſal. 82
Eccl. 24

boribus ſalubrior eſt & fructuoſior. Non enim poma profert mortifera, & exitium manducantibus inferentia: ſicut lignum ſcientiæ boni & mali, ſed fructum maximè omniū ſalutarem, quem qui dignè ſumpſerit: æternæ vitæ pręmia & dona cæleſtis immortalitatis conſequetur.

¶ IN EODEM FESTO SANCTAE crucis: alius hymnus.

1 *REx angelorū præpotens*
Qui ſponte pauper factus es:
Vt nos per æuum diuites
In æthre tecum poneres.
2 *Largire nobis proſpera*
Crucis ſacræ ſolennia:
Grateſq; da perſoluere
Magnæ tuæ clementiæ.
3 *Qui ſuſtinens opprobria,*
Fel, uincla, ſputa, uerbera,
Mortemq;: nobis perpetis
Vitæ paraſti gloriam.
4 *Nunc clarus in regno tuo:*
Noſtri memento quæſum⁹.
Et cum latrone perfrui
Da paradiſi gaudiis.
5 *Tecum patrem piiſſimum*
Simulq; ſanctum ſpiritum
Inferna, terræ, ſydera,
Tremunt, adorant, prædicant. Amen.

¶ Carminis iambici dimetri forma rectè ſeruatur in toto hoc hymno: præter id quòd in quarti verſus quarto carmine trochæus pro ſpondeo primo loco reponitur, quandoquidem prima ſyllaba dictionis paradiſ⁹, corripitur. In eo ad dei filium dirigitur oratio, commendans inſignem eius humilitatem: qua pro nobis paupertatem perpeti, & ignominioſam mortem ſubire dignatus eſt, & demùm ſupplicatio fit eidem, vt nos tandem ad regnum cæleſte perducat: vbi ipſe nunc exaltatus regnat in æternum.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Qui ſponte pauper factus es. Hæc ſententia ex beato Paulo ſumpta eſt: qui in ſecunda ad Corinthios epiſtola ita ſcribit. Scitis enim gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt: cum eſſet diues: vt illius inopia vos diuites eſſetis. In eiuſdem quoque verſus quarto carmine, æthre legendū eſt per ſyncopam pro æthere: à nomine æther, eris, propter exigentiam carminis, quoniam 2. Cor. 8.

ſi

ſi æteere triſyllabum legeretur: ſuperexcreſceret vna ſyllaba, & non ſtaret carmen.

4 ¶ In quarto verſu. Et cum latrone perfrui. Eo ſcilicet, qui cum Chriſto crucifixus & propriam recognouit culpã conſocio ſuo de blaſphemia in illum increpato: & ipſius Ieſus innocentiam palam eſt profeſſus, dixitque ad illum. Domine, memento mei: dum veneris in regnum tuum. Meruitque hanc deſideratiſſimam & maximè optandam, à patre miſericordiarum & deo totius conſolationis audire vocem. Hodie mecum eris in paradiſo. Porrò paradiſus commune nomen pomarium ſignificat & hortum conſitum. Eſt & locus in oriente: longo ſpacij interuallo diſtans à terra noſtra. De quo Auguſtinus ad Oroſium ita ſcribit. Paradiſus in oriente ſitus eſt interiecto oceano, & à noſtro orbe longè remotus: in altiſſimo loco cõſtitutus: pertingens vſque ad lunarem circulum, vnde illuc aqua diluuij minime perueniſſe dicitur. Hic locus à primi hominis reatu interclusus eſt: nec vlli animantium datur in eum aditus. Inde etiam id nomen transfertur, vt locum beatorum regnumque cæleſte ſignificet: potiſſimũ in ſacra ſcriptura & hymnis eccleſiaſticis, quemadmodum & hoc in loco: & ſæpe alias.

Luca. 23.

¶ DE SANCTO IOANNE baptiſta.

1

VT queant laxis reſonare fibris
Mira geſtorum famuli tuorum:
Solue polluti labij reatum
Sancte Ioannes.

2 *Nuncius celſo ueniens Olympo:*
Te patri magnum fore naſciturum.
Nomen, & uitæ ſeriem gerendæ
Ordine promit.

3 *Ille promiſſi dubius ſuperni:*
Perdidit promptæ modulos loquelæ.
Sed reformaſti genitus: peremptæ
Organa uocis.

Ven-

4 *Ventris obſtruſo poſitus cubili:*
Senſeras regem thalamo manentem.
Hinc parens nati meritis uterq;
Abdita pandit.
5 *Antra deſerti teneris ſub annis*
Ciuium turmas fugiens: petiſti.
Ne leui ſaltem maculare uitam
Famine poſſes.
6 *Præbuit hirtum tegimen camelus*
Artubus ſacris: ſtrophium bidentes.
Cui latex hauſtum, ſociata paſtum
Mella locuſtis.
7 *Cæteri tantum cecinere uatum:*
Corde præſago iubar affuturum.
Tu quidem mundi ſcelus auferentem
Iudice prodis.
8 *Non fuit uaſti ſpacium per orbis*
Sanctior quiſquam genitus Ioanne.
Qui nefas ſecli meruit lauantem
Tingere lymphis.
9 *O nimis fœlix, meritiq; celſi.*
Neſciens labem niuei pudoris.
Præpotens martyr, eremiq; cultor:
Maxime uatum:
10 *Serta ter denis alios coronant:*
Aucta crementis, duplicata, quoſdam.
Trina centeno cumulata fructu:
Te ſacer ornant.
11 *Nunc potens, noſtri meritis opimis.*
Pectoris duros lapides repelle.
Aſperum planans iter: & reflexos
Dirige calles.
12 *Vt pius mundi ſator & redemptor,*

Mentibus pulſa luuione puris:
Rite dignetur ueniens ſacratos
Ponere greſſus.
13 *Laudibus ciues celebrant ſuperni*
Te deus ſimplex, pariterq; trine.
Supplices & nos ueniam precamur:
Parce redemptis. Amen.

¶Carmine ſapphico & adonico præſens hymnus componitur: habens in vnoquoque verſu tria prima carmina ſapphica & quartum adonicum, ſeruatque adamuſſim illius leges, præterquam in ſexti verſus primo carmine: vbi in ſecundo loco iambus pro ſpondeo collocatur. Fuiſſet autem ſeruata carminis integritas: ſi ita dixiſſet author. Prębuit durum tegimen camelus. Et in noni verſus tertio carmine, tribrachus tertio loco cõſtituitur pro dactylo: quod in carmine ſapphico raro vſu venit. Prædicantur in eo inſignia beati Ioannis baptiſtæ præconia: conceptus è cælo denunciatus, exultatio in vtero matris, linguæ paternæ reſeratio, habitatio in deſerto, auſteritas in victu & amictu: prophetica excellentia, Chriſti baptiſatio, virgineus candor, martyrij tolerantia, & centeſimi fructus cumulatiſſimum præmium. Demùm deuota ad ipſum fit ſupplicatio: vt à deo impetret nobis gratiã in præſenti vita, & gloriam in futura.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Laxis reſonare fibris. Extremitas linguæ, & vincula eius quibus alligatur gutturi, fibrarum nomine hic ſignificata: ſi cõſtricta fuerint & contracta, impediunt vocem libere formari. Soluta verò & laxata: præſtant facultatem liberius edendi vocem. Ita in anima noſtra ſi vires eius mens & voluntas peccatis quaſi retinaculis quibuſdam fuerint implicatæ: indiſpoſitę ſunt ad rectè depromendam laudem dei & ſanctorum, quoniam non eſt ſpecioſa in ore peccatoris laudatio. Si verò liberæ fuerint & expeditæ à laqueis peccatorũ promptius erumpent in diuina cantica. Petit igitur hic verſus: peccata noſtra, potiſſimum ea quæ loquendo contraximus, diſſolui, vt liberioribus animi viribus & organis: ſancti Ioannis laudes à nobis concinantur. Et alludere videtur

Eccl. 15.

detur hic locus ad id quod Eſaiæ ſexto capite legimus de *Eſa.6.*
ipſo propheta, conquerente apud ſe quòd pollutus labijs
eſſet, & in medio populi polluta labia habentis habitaret.
Ad quem purgãdum miſſus angelus, calculo de altari ſub-
lato tetigit os eius, dicens. Ecce tetigi hæc labia tua: & au-
feretur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.
2 ¶ In ſecũdo verſu. Te patri magnum fore naſciturum.
Cum ſcilicet ait angelus Gabriel ad Zachariam. Vxor tua
Elizabeth pariet tibi filium: & vocabis nomen eius Ioan-
nem. Et erit gaudium tibi & exultatio: & multi in natiuita *Luca. 1.*
te eius gaudebunt. Erit enim magnus coram domino: & vi
num & ſiceram non bibet, & ſpiritu ſancto replebitur ad-
huc ex vtero matris ſuæ, & reliqua deinceps ſequentia:
quæ ſanctus Lucas in exordio ſui euangelij latè proſe-
quitur. 3 ¶ In tertio verſu. Perdidit promptæ mo-
dulos loquelæ. Modulos: modulationem, articu- *Luc.1.*
latam prolationem atque efformationem: ſicut dixit
ei angelus. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vſ-
que in diem quo hæc fiant: pro eo quòd non credidiſti ver
bis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo. Verùm cum
octauo die circuncideretur puer, & Zacharias eius nomen
indicaturus ſcriberet, Ioannes eſt nomen eius: apertum eſt
illico os eius & lingua eius, & loquebatur benedicens deũ
Peremptam autem vocem hic vocat: vocem ablatam ad-
emptam & negatam. Quæ enim, vt prius non ſubſiſtunt:
perempta dicuntur. 4 ¶ In quarto verſu. Senſeras regẽ
thalamo manentem. Quando videlicet ſacroſancta virgi-
ne Maria iam filio dei grauida, ingreſſa domum Zachariæ
& ſalutante Elizabeth, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eli-
zabeth, exultauit infans in vtero eius, ſenſitque regẽ Chri
ſtum thalamo virgineo recõditum ac præſentẽ. Hinc etiã
vterq; parens infantis, arcana dei ꝓphetico ſpiritu reſera-
uit: per ipſius pueri ac filij eorũ merita. Zacharias quidẽ,
cum in circũciſione filij repletus eſt ſpiritu ſancto, & pro-
phetauit dicens. Benedictus dominus deus Iſrael: quia vi-
ſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Elizabeth verò:
cum à ſacratiſſima dei matre viſitata & ſalutata, repleta eſt
ſpiritu ſancto, & clamauit voce magna dicens. Benedicta
tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Et vnde mihi hoc: vt veniat mater domini ad me? Et beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te ea quæ dicta ſunt tibi à domino: Porrò obſtruſum, ex ob præpoſitione & trudo, interiecta ſ: ſignificat occultatum ſiue occluſum. Idem quoque deſignat & abſtruſum : ex præpoſitione abs & trudo compoſitum. Virgilius. Vt ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem, id eſt abſconditum & abditum, Obtrudere verò abiectas, aliud ſignat: ſcilicet per vim aliquid cuiquam ingerere, & quaſi contra trudere.

5 ❡ In quinto verſu. Antra deſerti teneris ſub annis. Id

Luc. 1. beatus Lucas etiam atteſtatur in euangelio : dicens. Puer autem creſcebat & confortabatur ſpiritu: & erat in deſertis vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael. Id autem faciebat (vt hic ait verſus) ne etiam leui famine, id eſt verbo atque ſermone (nam à for, aris: id nomen formatur) vitam ſuam macularet: ex conuictu & quotidiana conſuetudine inter populum. Nam qui tetigerit picem: inquinabitur ab

Eccl. 13. ea, & qui communicauerit ſuperbo: induet ſuperbiam.

Matth. 3. 6 ❡ In ſexto verſu. Præbuit hirtum tegimen camelus. Matthæus capite tertio. Ipſe autem Iohannes habebat veſtimentum de pilis camelorum: & zonam pelliceam circa lumbos eius: eſca autem eius erant locuſtæ : & mel ſylueſtre. Idem perhibet & Marcus capite primo. Cæterùm tegimen à tego formatur: ſicut regimen à rego, & id omne ſignificat: quò aliquid tegitur, ſed abiecta i per ſyncopam: frequentius tegmen dicimus. Hirtum autem eſt hirſutum ſiue hiſpidum: quod ſcilicet piloſum eſt aut villoſum, vt Virgilius hirtas vocat capellas. At verò ſtrophium propriè faſcia eſt pectoralis, quæ virginalem tumorem cohibet papillarum. Catullus. Non tereti ſtrophio lactantes ſtringe papillas. Hic autem pro cingulo & zona ſumitur: quòd corpus ſtringat & coerceat. Et quoniam zona pelliceа fuiſſe Ioanni ab euangeliſtis ſcribitur: hic oues illi præbuiſſe zonam dicuntur. Demùm locuſtæ hoc loco nō ſummitates aut extremitates arborum teniores ſignificant: quę ideò fortaſſe in cibum accommodari poſſent, ſicut cauliculi, quod tamen nonnulli: etiam graues & eruditi viri autumant. Sed animalia in ſcripturis ſæpius nominata : ſecundum vſitatam & notam acceptionem hic ſignificant, vt atteſtatur Hieronymus ſuper Ionam prophetam dicens.

Quod

Quod mihi(inquit)videntur & locuſtę ſignificare: quibus veſcebatur Ioannes, infirmas habent alas, de terra quidem conſurgentes ſed altius non valentes euolare. Idem libro primo contra Iouinianum. Rurſum orientales & Libyæ Populos, quia per deſertum & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur: locuſtis veſci moris eſt, hoc verum eſſe: Ioannes quoque baptiſta probat. Neque aliorum efficax eſt ratio, contendentium non eſſe vero ſimile: quòd Ioannes vir ſanctus cibo tam impuro (vt ſunt locuſtæ) vſus fuerit. Nam apud Leuiticum, locuſta inter animalia munda & quibus veſci licitum fuit: expreſſe numeratur. *Leui.11.*

7 ¶ In ſeptimo verſu. Cæteri tantum cecinere vatum. Teſtimonio Chriſti Ioannes non ſolum propheta ſed & pluſquam propheta fuit. Nam alij venturum Chriſtum prænunciauerunt. Ioannes autem præſentē digito oſtendit: dicens. Ecce agnus dei: ecce qui tollit peccata mundi. *Ioan.1.* Præſagum autem adiectiuum nomen: quod futurorum ſignificatiuum eſt, præſcium atque prænuncium: à præſagire verbo proficiſcitur, ſicut & præſagium: rei venture indicium ſignificatio atque nunciatio. Iubar verò hic Chriſtus dicitur: quoniam eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, de qua pſalmus. Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde: miſericors & miſerator & iuſtus dominus. *Ioan.1.* *Pſal.111.*

8 ¶ In octauo verſu. Non fuit vaſti ſpacium per orbis. Id ſummæ veritatis teſtimonio comprobatum habetur: dicentis apud Matthæum. Inter natos mulierum: non ſurrexit maior Ioanne baptiſta. Quòd autem Chriſtum in Iordane baptizauerit Ioannes: ex quatuor euangeliſtis perſpicuum eſt & clarum. *Matth.11.*

9 ¶ In nono verſu. O nimis fœlix meritique celſi. Nimis aduerbium (quod propriè ſumptum: comparatiui vim habet & notionem) hic poſitiuo valde ſumitur, quomodo & in ſcriptura frequenter ponitur, vt in pſalmo. Magnus dominus & laudabilis nimis. Et rurſum. Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. Sed penè ſuperuacuum eſt tantillæ rei admonere, lectores: quæ nulli ferè eſt incognita. *Pſal.47.* *Pſal.38.*

10 ❡ In decimo verſu. Serta ter denis alios coronant: Serta ter denis aucta crementis: ſunt præmia iis præparata, qui fructum triceſimum bonorum operum hoc in mundo viuentes ſunt aſſecuti. Et illa eos coranant: qui vitam coniugalem legitimè & caſtè egerunt. Duplicata verò ſerta ſunt cæleſtis præmij munera iis indulta, qui ſexageſimũ cum hanc ducerent vitam, fructum ſunt adepti. Et illa planè eos coronant: qui vidualem continentiam hic integrè, illabefactèque cuſtodierunt. Trina verò ſerta & centeno cumulata fructu: ea ſunt cæli præmia quæ centeſimum bonorum operum fructum adeptis ſunt aſſignata. Illa autem eos ornant: qui cum vitam hanc tranſigerent, virginalem ſeruare pudorem ſtuduerunt. Inter quos beatus Ioannes Baptiſta: miro ſplẽdore coruſcat. Eſt enim triceſimus fructus: coniugatis, ſexageſimus: viduis, & centeſimus: virginibus, à ſacris authoribus accommodatus. Eſt autem triplex iſte fructus: ſignificatus per triplicem ſeminis in terram bonam iacti prouentum. Illius enim: aliud fructũ triceſimum, aliud ſexageſimum: aliud verò centeſimum protuliſſe fructum in euangelio perhibetur.

11 ❡ In vndecimo verſu. Hinc potens noſtri meritis opimis. Opimus idem eſt quod diues, pinguis, abundans, magnificus. Virgi. Aut ſpolijs ego iam raptis laudabor opimis. Et quoniam magna ſunt apud deum beati Ioannis merita copioſaque & eximia: hic opima dicuntur. Porrò noſtri pectoris duros lapides repelli petit hic verſus: hoc eſt auferri à nobis cor lapideum & durum: dariq́ue cor carneum & molle, vt ſe facturum promiſit deus populo Iſrael: per Ezechielem prophetam. Cum verò ſubiungit, aſperum planans iter, alludit planè ad oraculum Eſaiæ de ſancto Ioanne dictum, & teſte Luca in eo completum. Et erũt praua in directa: & aſpera in vias planas. Vnde praua, directa fiunt (vt exponit Gregorius) cum malorũ corda per iniuſtitiam detorta: ad iuſtitiæ regulam dirigũtur. Et aſpera in vias planas immutantur: cum immites atque iracundæ mentes, per infuſionem ſupernæ gratiæ ad lenitudinẽ manſuetudinis redeunt.

Marc.4. *Eze.11.* *Eſa.40*

12 ❡ In duodecimo verſu. Mentibus pulſa luuione puris, Non hic liuione legendum eſt: per i in prima ſyllaba, ſed Luuione per u. a nominatiuo Luuio, onis. Quod quidem

nomen

nomen: luem, ſordemque & vitiorum labem hic ſignat, ſiue illuuiem, & à luo, is, ere, proficiſcitur. Liuio vero, onis: ne latinum quidem eſt, quantum norim, neque à liuor aut liueo formatur: vt cõfingunt aliqui. Quod denique in eodem verſu dicitur, ritè dignetur veniens ſacratos ponere greſſus, oratio eſt deprecatoria: vt deus ipſe mundi conditor & ſaluator dignetur ad mentes noſtras puras & peccatis expurgatas venire: & in illis ſuæ maieſtatis veſtigia pedéſque figere, ſicut diligentibus ſe promiſit quòd ad eos veniet: & manſionem apud eos faciet. Quòd pro ſua bonitate præſtet nobis amator hominum: deus benedictus in ſecula. Amen. *Ioan.4*

¶DE SANCTO IOANNE BAPTISta: alius hymnus:

PRæco præclarus, ſacer & propheta:
Regis æterni paranymphus almi.
Voxq; clamantis: domino potenter
Dirige callem.

2 *Qui redemptorem digito notaſti:*
Rite tollentem ſcelus omne mundi,
Intimans agnum pietate cunctum.
Soluere mundum.

3 *Angelus cum tu uocitaris alti:*
Iura formantem rogita tonantem,
Quatenus ſanctis ſociemur aſtris
Arce polorum.

4 *Hocq; tu præſta genitor ſuperne:*
Nate ſuperni dator ac redemptor,
Spiritus rector tribue precamur
Omne per æuum. Amen.

¶Carminis ſapphici modulationem ſeruat hic hymn⁹, in vnoquoque verſu tribus ſapphicis carminibus ſubiunctũ habens vnum adonicum, exactámque illius legem obſeruat præterquam in vltimi verſus ſecundo carmine vbi iambus pro ſpondeo in ſecunda ſede collocatur, & in eiuſdem poſtremi verſus tertio carmine: vbi pro trochæo

in quarta ſede ponitur pyrrhichius. Referuntur in eo præclara nomina ac officia beati Ioannis Baptiſtæ, quib⁹ excellenter enituit & inſignitus eſt cum verſaretur in terris. deinde ad eundem fit oratio, quòd nobis à deo impetret æternæ beatitudinis conſortium.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Præco præclarus, ſacer & propheta. quatuor inſigna nomina, hic verſus, ſancto Ioanni aſcribit. Primò ſiquidem dicitur præco, quòd publicè proclamarit & denunciarit aduentum Chri-
Matt. 3 ſti, Iudæis, dicens. Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cælorum, & reliqua apud euangeliſtas clarè deſcripta. Secundo denominantur propheta, vt in cantico
Luca 1 Zachariæ. Et tu puer, propheta altiſsimi vocaberis. Qui-
Matt. 11 nimmò à Chriſto in euangelio pluſquàm propheta eſſe perhibetur. Tertio appellatur hic paranymphus, id eſt iuxta ſponſum conſiſtens. Nymphos enim Græce, ſponſum deſignat Latinè. Inde paranymph⁹, vir ſponſo aſsiſtẽs, ſicut pronuba dicitur mulier, quæ eſt iuxta ſponſam, illi officij gratia aſsiſtens. Ioannes autem iuxta Chriſtum eccleſiæ ſponſum aſtitit, ad præſtandum obſequium & teſtimonium, vt ipſe in euangelio perhibet. Qui habet (inquit)
Ioann. 1 ſponſã, ſpõſus eſt, amic⁹ autẽ ſponſi, qui ſtat & audit eum: gaudio gaudet ꝓpter vocẽ ſpõſi hoc ergo gaudiũ meũ, impletũ eſt. Quarto vocatur hic vox clamãtis in deſerto,
Eſaia 40 quoniam aſsidua prædicatione in deſerto admonebat populum, vt pararet viã domini. Et de ipſo ad litterã intelligitur illud Eſaiæ oraculum. Vox clamantis in deſerto, parate viam domini, rectas facite ſemitas dei noſtri.

2 ¶ In ſecundo verſu. Tu redemptorem digito notaſti. Id
Ioann. 1 ex Ioannis euãgelio deprõptum eſt, vbi ait. Altera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe & ait. Ecce agnus dei ecce qui tollit peccata mũdi. Et paulopoſt eodẽ loco. Altera die iterũ ſtabat Ioannes & ex diſcipulis eius duo. Et reſpiciens Ieſum ambulantem dixit. Ecce agnus dei. Vtroq; autem loco, agnũ dei vocat Chriſtũ, propter ſingularem eius innocentiam immunitatémque a peccato, & propter oblationem ſalutaris hoſtiæ, quàm facturus erat Chriſtus in cruce pro mundi ſalute. Adhibebatur enim in veteri lege, agnus in ſacificium. Et Chriſtus ſeipſum obtulit pro nobis deo patri. 3 ¶ In tertio verſu.

An-

Angelus cum tu vocitaris. Beatus Ioannes dictus eſt angelus, id eſt nuncius: quia palam nũciauit toti Iudææ Chriſtum mundi redemptorem veniſſe in carnem. Quod ex ipſius Chriſti teſtimonio clareſcit, dicẽtis apud Matthæum de Ioanne. Hic eſt enim de quo ſcriptũ eſt. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viã tuã ante te. In eodem quoque verſu dicitur deus formare iura: quia rectas viuendi leges hominibus conſtituit, quibus quid iuſtum ſit vel iniuſtum, diſcernãt, amplectãtur quæ iuſta ſunt, quæ verò iniqua, diffugiant ac euitent.

DE SANCTO LADISLAO: rege Hungariæ.

1 *Regis regum ciuis, aue.*
Regum gemma Ladislae:
Regni conſors gloriæ.
Regem regũ es aggreſſus:
Sis defenſor indefeſſus
Et athleta patriæ.

2 *Salue ſalus Hungarorum:*
Rex cohæres angelorum,
Vas cæleſtis gratiæ.
Ab æterno uas electum:
Vas inſigne, uas effectum,
Vendicans iuſtitiæ.

Hungarorum gens congaude.
Noua noui regis laude
3 *Pulſans tintinabula.*
Fœlix aue Varadinum:
Cuius augens famã ſignum
Reſonet per ſecula.

4 *Tibi Chriſte conſors hymnum*
Canit orbis, qui per lignũ
Ad te trahis omnia:
Scala factus aſcenſorum,
Et corona confeſſorum.
Tibi laus & gloria.
Amen.

Hymnus iſte, potius proſæ quàm hymnicæ modulationi perſimilis eſt: quòd nullo certo genere carminis cõſtringitur: ſed cõſonantiam ſeruat ſimilémque cadẽtiã in exitu ſuarum clauſularum. Siquidem vnuſquiſque eius verſus ſex habet clauſulas rythmicas: quarũ duæ primæ ſimilem habent ſyllabarum exitum, ſimiliter quarta & quinta adinuicem reſpondent in fine ſyllabarum. Et quæque harum quatuor, octo cõplectitur ſyllabas: penultimámque

timámque longam aut longæ in prolationis tenore ſimilẽ obtinet. Tertia verò clauſula rythmica, ſextæ eiuſdẽ verſus in ſimili deſinentia ſyllabarum aſsimilatur, & vtraque earum ſeptem habet ſyllabas, penultimámque breuem.

Commemorantur in eo laudes ac præconia ſancti Ladiſlai glorioſi regis Pannoniæ, qui de temporali regno rectè ſecundum dei legem adminiſtrato, demùm ad cæleſte & æternum regnum ſubuectus eſt: vbi cum Chriſto rege regum regnat in perpetuum.

1 ¶ ANNOTATIONES In primo verſu. Regum gẽma Ladiſlae. Vt hui⁹ hymni clarior habeatur intelligẽtia nonnihil hic de ſancti Ladiſlai moribus & vita (quantum ex aliis accipere potui) adducendum eſt in medium. Sanè legitur ipſe rex inclytus cum vitam hanc mortalem ageret: non minus ſingulari virtute quam regia dignitate cæteros anteiſſe: præſertim manſuetudine & benignitate in omnes, ſeueritate & rectitudiue iuſtitiæ in ſubditos, commiſeratione pióque affectu in pauperes, quorum præcipuus erat ſubleuator, & quod omnium primum ac potiſsimum eſt: pietate religionéque in deum. Ea præterea legitur fuiſſe præditus modeſtia, vt coronam regiam capiti ſuo nunquam impoſuerit, quo cæleſtem & immarceſsibilem cæleſtis gloriæ coronam tãdem aſſequeretur. Fuit & rerum geſtarum gloria inſignis, & bellicis artibus præclarus. Nã Cunos efferatiſsimos populos adiutore deo perdomuit, qui regni Hungariæ fines inuadere tentarunt. Verùm illis attritis victor cum triumpho in Hungariã rediit. Inſuper Ruſciam adortus eſt & poloniam, regnũ ſuũ infeſtantes, de quibus itidem victoriã obtiuuit. Poſtremũ & Bohemiã ſibi inimicã deuicit. In qua quidẽ nouiſsima expeditione morbo correptus & iamiam futurũ ſuũ obitũ prænuncians: ſuſceptis pro more & ritu Chriſtiano ſacramẽtis eccleſiaſticis fœliciter migrauit ad dominũ viceſimo ſeptimo die Iunij, quo quidem feſtũ eius quotãnis celebratur. Nam ob crebra quibus ſanctum ſuum deus glorificauit miracula, ſanctorum catalogo apoſtolicæ ſedis authoritate aſcriptus eſt, & in beatorum numerum relatus, circa annum domini nonageſimum ſecundum, ſupra milleſimum & centeſimum, tranſactis à fœlici eius obitu ferè cẽtum annis. Nempe ex hac vita ad ætherẽã

cæ-

cæleſtémque vitam tranſiuit anno domini nonageſimo quinto ſupra milleſimum. 2 ¶ In ſecudo verſu. Salue ſalus Hungarorũ. Hungari vocantur à Latinis, qui à Græcis Pæones dicuntur, à Romanis verò Pãnonij. Quorum fama olim formidine totam concuſsit Italiam: tanquã eſſent bello inſuperabiles. Et noſtra etiã tempeſtate turchis efferatiſsimis (quos in vicinia habent) formidabiles planè ſunt quòd ſæpius adiutore deo eorum exercitus profligarint, & contra inimicos Chriſti, vexilla crucis erigant interriti: collatisq́; ſignis manum ſæpius cõſerant cum illis, & in trepidam eos fugam conuertant Horum regio: Pannonia dicitur ſiue Hungaria: quæ Ptolomeo teſte, Europæ eſt regio. Hungarorum autem nomen: ab Hunnis deſumptum videtur, qui quidem populi: quodam in Scythia Europæ ſupèr Meotida paludem incoluere. Deinde mutatis ſedibus cum ingenti multitudine profecti in Pannoniã tandẽ deuenerunt: cui Hungariæ: nomen indidiſſe ex ſuo nomine Hunni facilè putari poſſunt: Porrò Varadinũ ciuitas eſt epiſcopalis in Hungaria: cuius templũ ſplendidè ædificauit ſanctus Ladiſlaus in honorem ſacroſanctæ virginis Mariæ. Et ibidem ſepultus ſacrum reſudat ex ſanctis oſsibus oleum: multisq́; habetur miraculis clarus, propter quod frequens & aſsiduus eſt populi pia vota ferentis: ad eum locum affluxus. Eius epiſcopatus: etiã hac tempeſtate Varadienſis nuncupatur. 4 ¶ In quarto verſu. Qui per lignum ad te trahis omnia. Per lignũ ſcilicet crucis, ſicut ipſe Chriſtus dicit in euangelio: ſuæ mortis genus prænuncians. Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Et ideo Chriſtus factus eſt ſcala aſcenſorum, id eſt eorum qui aſcendunt in cælum, quia nemo illuc aſcẽdere poteſt, niſi per ipſum. Ego (inquit) ſũ via, veritas, & vita, nemo venit ad patrem: niſi per me.

DE SANCTIS APOSTOLIS Petro & Paulo.

AVrea luce & decore roſeo.
Lux lucis omne perfudiſti ſeculum,
Decorans cælos inclyto martyrio
Hac ſacra dei, quæ dat reis ueniam.
2 *Ianitor cæli: doctor orbis pariter.*

Iudices

Iudices ſecli:uera mundi lumina.
Per crucem alter:alter enſe triumphans.
Vitæ ſenatum laureati poßident.
3 *Iam bone paſtor Petre,clemens accipe*
Vota precantum,& peccati uincula
Reſolue,tibi poteſtate tradita.
Qua cunctis cælum uerbo claudis,aperis.
4 *Doctor egregie Paule,mores inſtrue.*
Et mente polum nos transferre ſatage.
Donec perfectum,largiatur plenius
Euacuato,quod ex parte gerimus
5 *Oliuæ binæ,pietatis unicæ.*
Fide deuotos,ſpe robuſtos maxime,
Fonte repletos charitatis geminæ.
Poſt mortem carnis impetrate uiuere.
6 *Sit trinitati ſempiterna gloria,*
Honor,poteſtas atque iubilatio.
In unitate,cui manet imperium
Ex tunc & modo,per æterna ſecula. *Amen.*

Præſens hymnus metri iambici ſenarij formam gerit & imaginem: in vnoque verſu quatuor huiuſcemodi carmina complectens,verùm à legitima pedum huiuſce metri collocatione & ſitu:longe abeſt: Nam nunc trochæũ, nunc pyrrhichium promiſcue pro ſpondeo & iambo continet:vocalem etiã vocali aut literæ m terminali ſine colliſione ſubiunctam interdum habet. Author eius fuiſſe dicitur Elpis:vxor Seuerini Boetij,viri inter Latinos facilè doctiſsimi.Cuius & thori ſocia: in modulatione carminum, Latino ſermone & ſacris literis, hoc quaſi argumento atque indicio dinoſcitur fuiſſe admodum erudita. Laudatur in eo primùm diuina bonitas:quòd totum mundum beatorum apoſtolorum Petri & Pauli gloria ac ſplẽdore illuſtrarit. Deinde celebrantur ipſorum præconias nunc ſimul & iunctim,vt in ſecũdo & quinto verſu. Nũc verò ſingulatim & ſeparatim:vt in tertio & quarto, Nam ad

ad ſolum beatum Petrum dirigitur: quartus verò ad ſolum Paulum.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Lux lucis omne perfudiſti. Geminatur hæc dictio lux in numero ſingulari; ad ſignificandam excellentiam atque eminentiam: quoniam vſus Latinorum pluralem numerum huius nominis lux potiſsimum in genitiuo nequaquam recipit. Chriſtus autem hic lux lucis(vt & alias ſæpe in hymnis)dicitur quoniam lux eſt ſuperintellectualis & ſuperſtantialis: omnem ſuperans lucem cum corporalem tum ſpiritualem. Ipſe itidem totum mundum perfudit clara & fulgida luce doctrinæ apoſtolicæ: & roſeo venuſtate martyrij. Roſa enim ob colorem ſanguineum quem præfert: martyribus aſcribi ſolet, ſicut lilium ob candorem, virginibus, nam ambo apoſtoli qui in hoc hymno celebrãtur: & doctrinæ euangelicæ prædicatores fuęrunt, & martyrij corona adornati ſunt. Porrò cęlorum nomine hic aptè intelliguntur apoſtoli: quòd ita cæteris hominibus dignitate præcellunt, vt cælum terræ ſupereminet & ea pręſtabilius eſt. Quod & in ſacris eloquuiis etiam crebro obſeruari conſpicitur, vt ibi. Cæli enarrant gloriam dei, & annunciauerunt cæli iuſtitiam eius, quorum vtrumque: apoſtolis attribuitur. 2 ¶ In ſecundo verſu. Iudices ſæcli, vera mundi lumina. Quòd ſeculi ſint iudices: teſtatur dominus noſter apud Matthæum dicens. Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione cũ ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ: ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael, Et Paulus ad Corinthios ſcribens de ſe & aliis electis: dicit. Nónne & angelos iudicabimus? Quod auté vera mundi ſint lumina: ex verbis domini conſtat, quibus dicit ad apoſtolos. Vos eſtis lux mundi. Horum quidem duorum alter, ſcilicet Petrus: per crucem triumphauit: alter verò vtpote Paulus: triumphauit enſe, quia & hic pro nomine Chriſti gladio obtruncatus eſt: ille verò cruci affixus. Demùm ambo laureati, id eſt lauro coronati, immò victrice æternæ gloriæ corona exornati: poſsident ſenatum vitæ, quia aſcripti ſunt ſenatoribus regni cæleſtis: & facti aſſeſſores æterni iudicis. Eſt enim ſenatus: ipſorum ſenatorum cœtus atque conſeſſus. Virgilius. Iura magiſtratúſque legunt:

Pſal. 18 *Pſal. 96* *Matth. 19* *1. Cor. 6* *Matth. 5*

legunt,ſanctúmque ſenatum. 3 ❡ In tertio verſu. Tibi poteſtate tradita. Soluendi peccata poteſtas eſt tradita Pe-
Matth.16 tro,cum dixit illi dominus. Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram,erit ligatum & in cælis,& quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Et propter huiuſmodi authoritatem ligandi & ſoluendi ipſe,ianitor & clauiger cæli dicitur, & verbo ferente ſententiam ligationis aut ſolutionis:cęlum cunctis aut claudere aut aperire. Quæ omnia:ſpiritualé, & diuina dicentem myſteria,acquirunt intelligentiam.

4 ❡ In quarto verſu. Et mente polum nos transferre ſatage. Sicut(inquit) tu ipſe O Paule raptus fuiſti ſpiritu
2.Cor.12 in tertiũ cælum atque in paradiſum: & audiſti ibi arcana verba quæ nõ licet homini loqui,ita ſatage,enitere, ac elabora & nos famulos tuos animo in cælũ ſubuehe:vt terrenis curis abiectis,cæleſtia tantũ curemus & meditemur. Quod auté ſubiungitur in eodẽ verſu donec perfectũ largiatur plenius,reſpondet illi ſententiæ beati Pauli in prima ad Corinthios epiſtola. Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.Cum autem venerit quod perfectum eſt:euacuabitur quod ex parte eſt. Nunc cognoſcimus ex
1.Cor.13 parte:tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.

5 ❡ In quinto verſu. Oliuæ binæ pietatis vnicæ. Duo prædicti ſacratiſsimi apoſtoli dicuntur duæ oliuæ:quia viri ſunt miſericordiæ,à quibus profluxit oleum benignitatis & lenitatis per ſalutarem doctrinam, peccatorum vl-
Pſal.51 ceribus ſalubriter medentem. Vir enim iuſtus,oliuæ comparatur in pſalmo:cum ait. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo domini. Vnicæ tamen ſunt pietatis:quia eadem conſimiliſque in vtroque benignitas eſt,& facilis ad peccatores conuertendos in rectam viam condeſcenſio.Cum verò ſubiungit:fide deuotos,ſpe robuſtos,fonte repletos charitatis geminę: tria innuit virtutũ præcipuarum(quibus mens in deũ nititur:& quas theologicas vulgo appellãt)chariſmata,de quibus Paulus ad Corinthios ait. Nunc autem manent fides,ſpes,charitas:tria hæc,maior autem horum charitas. Geminam verò charitaté appellat: propter duo præcepta habẽdæ charitatis, in deum ſcilicet & proximũ. De quibus dominus apud Matthæũ,
Matth.22 Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo,& ex to-

ta anima tua,& ex tota mente tua,& proximum tuum ſi-
cut teipſum. In his enim duobus mandatis: tota lex pen
det,& prophetæ.

DE IISDEM APOSTOLIS:
alius hymnus.

1 Fœlix per omnes feſtum mundi cardines
Apoſtolorum præpollet alacriter:
Petri beati, Pauli ſacratißimi.
Quos Chriſtus almo conſecrauit ſanguine:
Eccleſiarum deputauit principes.
2 Hi ſunt oliuæ duæ coram domino:
Et candelabra luce radiantia.
Præclara cæli duo luminaria:
Fortia ſoluunt peccatorum uincula,
Portas olympi reſerant fidelibus.
3 Habent ſupernas poteſtatem claudere
Sermone ſedes: pandere ſplendentia
Limina poli ſuper alta ſydera.
Linguæ eorum: claues cæli factæ ſunt.
Laruas repellunt ultra mundi limites.
4 Petrus beatus catenarum laqueos
Chriſto iubente rupit mirabiliter.
Cuſtos ouilis,& doctor eccleſiæ
Paſtorq; gregis, conſeruator ouium:
Arcet luporum truculentam rabiem.
5 Quodcunque uinclis ſuper terram reſtrinxerit
Erit in aſtris religatum fortiter.
Et quod reſoluit in terris arbitrio:
Erit ſolutum ſuper cæli radium.
In fine mundi: iudex erit ſeculi.
6 Non impar Paulus huic: doctor gentium,
Electionis templum ſacratißimum.
In morte compar: in corona particeps,
Ambo lucernæ,& decus eccleſiæ:

In orbe, claro corruſcant uibramine.
7 *O Roma fœlix: quæ tantorum principum*
Es purpurata precioſo ſanguine
Excellis omnem mundi pulchritudinem:
Non laude tua, ſed ſanctorum meritis:
Quos cruentatis iugulaſti gladiis
8 *Vos ergo modo glorioſi martyres:*
Petre beate, Paule mundi lilium.
Cæleſtis aulæ triumphales milites:
Precibus almis ueſtris, nos ab omnibus
Munite malis: ferte ſuper æthera.
9 *Gloria deo per immenſa ſecula:*
Sit tibi nate decus & imperium.
Honor, poteſtas, ſanctoq́; ſpiritui.
Sit trinitati ſalus indiuidua:
Per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

Hymnus iſte præcedenti ſimilis eſt: quantum ad contextum & compoſitionem, in eo ſolo ab illo diſcrepans: quòd præſens in vnoquoque verſu quinque habet carmina vniformia, eiuſdémque generis. Celebrantur in hoc hymno amborum ſupradictorum apoſtolorum præconia & præclaris extolluntur laudibus: quæ nunc de ambobus ſimul, nunc verò de vno & altero diuiſim ac ſeparatim depromuntur: vt in hymno præcedente.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Feſtum mundi cardines. Cardines, fines, limites, clymata, partes & regiones, Dicuntur enim cardines: altiſſimæ, extremæque cæli partes, quas Græci polos dicunt, à ſimilitudine eorum circa quos valuæ voluuntur. Præpollet: præfulget, & reſplendet, à præ præpoſitione & verbo polleo, quod excellere emicareque ſignat. Conſecrauit: glorificauit, & clarificauit, ſibique martyres ſacrauit. Principes: præcipuos rectores eccleſiarum, de quibus pſalmus. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Pſal.44 2 ¶ In ſecundo verſu. Hi ſunt oliuæ duæ coram domino. Hic verſus cũ proximè ſequente, illud exprimit præ-

conium:

conium:quod eccleſia ſancta in horum apoſtolorum laudem decantat,ſcilicet. Iſti ſunt duæ oliuæ,& duo candelabra lucentia ante dominum, habent poteſtatem claudere cælum nubibus,& aperire portas eius:quia linguę eorum claues cæli factæ ſunt. Quod partim ſumptum eſt ex illo verbo in Apocalypſi. Hi ſunt duæ oliuæ & duo candelabra:in conſpectu domini terræ,ſtantes,hi habent poteſta tem claudendi cælum: ne pluat diebus prophetiæ eorum. Fortia autem vocantur hic vincula peccatorum: quia dura ſunt & ſolida, arctiusque nos conſtringentia cum illis implicamur atque innectimur. Neque enim viribus noſtris diſſolui poſſunt: ſed ſola dei miſeratrice bonitate & gratia, qui dicit per prophetam. Ego ſum qui deleo iniquitates veſtras. 3 ¶ In tertio verſu. Laruas repellunt vltra mundi limites. Laruæ dicuntur hic noxiæ inferorũ vmbræ & lemures,maligni ſcilicet ſpiritus:& dęmones q horrorē incutiũt & terrorē hominib⁹ quos infeſtãt. Vnde laruati dicũtur furioſi & mēte capti:quaſi à laruis exterriti quos &energuminos & arreptitios vocãt. Quoniã igitur expellendorũ malignorũ ſpirituũ poteſtatē habuerũt hi duo præclari apoſtoli: & adeò quidē inſignum, vt perſudariola & ſemicinctia beati Pauli vexatorum corporib⁹ ſuperpoſita coerciti legãtur & expulſi ſpiritus nequã: rectè hic laruas expuliſſe mũdo dicuntur. Quod etiam de extirpato prophano idolorum cultu per ipſorum prædicationem,aptè intelligitur. Quia enim illa gentium idola erant peſsima dæmonia:eliminatis illis & damnata omni ſpurcitia,ſacrilegóque ritu illius nefandi cultus,certe dæmones ipſi ſunt per apoſtorum operam mundo eiecti.

*Apoc.*11 *Eſa.*43 *Ioan.*12 *Ioan.*10

4 ¶ In quarto verſu. Petrus beatus catenarum laqueos. Ex actis apoſtolorum ſacra nota eſt hiſtoria: quomodo Petrus ab impio Herode cõiectus in carcerem & vinctus, angelo authore & duce liberatus eſt & carcere eductus. ¶ Paſtor autem gregis hic appellatur:quia tertio ei à domino cura commiſſa eſt agnos ſuos ouéſque paſcendi. Vnde & luporum nomine qui inſidiãtur ouili,hic dæmones accipiuntur, ſicut & in illa parabola domini de paſtore & mercenario,cum ait. Mercenarius autē & qui non eſt paſtor: videt lupum veniētem & fugit, & lupus rapit & diſpergit oues.

*Act.*12

6 ℂ In ſexto verſu. Doctor gentium, electionis templum. Ex verbis domini ad Ananiam, vtrumque horum planum eſt: quibus de Paulo tale perhibet teſtimonium. Vade, quoniã vas electionis eſt mihi iſte: vt portet nomẽ
Gala.2 meum corã gentibus, & regib⁹ & filiis Iſrael. Et ipſe Paulus de ſeipſo ad Galatas ſcribens inquit. Qui operatus eſt Petro in apoſtolatum: operatus eſt & mihi inter gentes, & ſicut Petro creditum eſt euangelium circuncifionis: ita & mihi (inquit) euangelium præputij. Rurſum
1.Timot. 2 ad Timotheum de ſe dicit. Veritatem dico, non mentior: doctor gentium in fide & veritate. Demùm ambo apoſtoli coruſcant claro vibramine: hoc eſt eximio ſplendore & fulgore gloriæ. Deriuatur enim id nomen, à verbo vibrare: quod iacere & iaculari ſignificat, vt ſol ſuos vibrare dicitur radios.

7 ℂ In ſeptimo verſu. Es purpurata precioſo ſanguine. Purpurata: decorata, adornata. Color enim purpureus: ſanguineo colori propemodum vicinus eſt & propinquus, & purpura: martyrum eſt. Quod autem in huius verſus fine dicit, quos cruentatis iugulaiſti gladiis: accipiendum eſt non ſecundum ſpecialem illorum vocabulorum rationem ac notionem. Cum enim iugulare: proprie ſit iugulum reſoluere atque aperire, & beatus Petrus non conſummauit martyrium gladio ſed cruce: non poteſt ipſe dici iugulatus gladio vrbis Romanæ, ſi ſecũdum propriam ſuam acceptionem ſumantur illæ dictiones. Verùm cum interdum ſpeciale pro generali poni ſoleat: id ita accipiendum eſt, vt iugulare pro interimere ſumatur. Gladiorum autẽ nomine: inſtrumenta illata per vim mortis intelligantur, tantundémque id valeat, atque quos occidiſti ſuppliciis per te inflictis.

8 ℂ In octauo verſu. Nos ab omnibus munite malis. Munite: defendite, protegite & tutamini. Ab omnibus malis: animæ, corporis, & fortunæ, vt à peccatis, morbis, egeſtate, & cæteris id genus. Ab omnibus item malis præteritis, præſentibus, & futuris, vt præterita deleantur, & præſentia minuantur, futura verò auertantur.

IN VISI-

IN VISITATIONE BEAtæ Mariæ.

Aſſūt feſta iubilæa
In Mariæ nūc gaudia.
Tota pſallat eccleſia
Deuota laudū dramata.
2 *Cuius ſacrata uiſcera*
Dei inuiſit gratia:
Vt eſſet uirgo grauida,
Tori uirilis neſcia.
3 *Hæc paranympho dū credit:*
Sacrū hāc pneuma repleuit
Aluus tumeſcit & gerit:
Verbū patris, quod meruit
4 *Cōfeſtim mōtes adiit:*
Elizabeth ſalutauit.
Obuiis etiam ſuſcipit
Vlnis: ſtringit & circuit.
5 *Sacri iungūtur uteri*
Mileſq́; ſui domini
Præſentiam dum percipit:
Hunc exultando ſuſcipit.
6 *Clamat anus cū iubilo*
Plena ſancto paraclito:
Beata tu in filio,
Quæ credidiſti domino.
Exultet cæli regina:
Et mundialis machina.
Abyſſus atque maria
Laudent deum per ſecula.
8 *Patri ſummo, cum filio*
Sacratoq́; ſpiritui
Sit ſempiterna gloria:
In unitate ſolida. Amen.

Solum ſyllabarum numerum debitum in vnoquoque carmine hic hymnus habet cum metro iambico dimetro communem: non autem legitimum pedum ſuis in locis ſitum. Nam pedes omnes diſyllabi ſine delectu promiſcuè in quibuſuis ponuntur ſedibus: nunc trochæus, nunc pyrrhichius, nunc iambus, nunc ſpondeus. Referuntur in eo ſacra glorioſæ viſitationis Mariæ myſteria, & quæ in ea peracta ſunt diuina opera: ex euangelio Lucæ ſatis plena & perſpicua.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Aſſūt feſta iubilæa Iubilæa, læta, iocūda, & ſolennia. Formatur enim id nomen à iubilus aut iubilare. Minus tamen viſitatū eſt apud authores probatos. Nam annus iubilęus, id eſt remiſſionis Apud Iudæos: alia omnino ratiōe denominatus eſt in ſacris literis. Eodē quoque verſu, dramata laudū: dicūtur cantica & præconia laudum. Eſt enim drama, atis:

 fabu-

fabulæ in ſcænis actio vbi diuerſæ perſonæ introducuntur: & aliis accedentibus, aliis autem diſcedentibus, à diuerſis & ad diuerſos textus narrationis expletur, ſicut in comœdiis & tragœdiis, quod genus carminis: teſte Hieronymo cantari ſolebat. Vnde etiam de ſacroſancta virgine canit eccleſia. Ante thorum huius virginis: frequẽtate nobis dulcia cantica dramatis. Et id nomen : tertiæ declinationis eſt, & ſine g intermedio ſcribi debet. Nam dragma, æ, cum g & in prima inflexione: genus eſt ponderis. 3 ❡ In tertio verſu. Hæc paranympho dum credit. Paranymphus dicitur latinè pronubus: qui ſcilicet ex parte viri nuptiis preeſt ſicut pronuba: mulier quæ ex parte vxoris adhibebatur. Quare apud Chriſtianos, ſacerdotes qui ad nuptiarum fœdera celebrãda adhibentur: greco nomine paranymphi, latino verò pronubi à nobis dicũtur. Et quoniam angelus Gabriel à deo miſſus eſt ad commercium illud dei cum homine, & fœdus indiſſolubile in virginali vtero complendum, illi denũciandum: rectè quaſi ſpiritualium illarum nuptiarum nuncius, hic paranymphus dicitur.

4 ❡ In quarto verſu. Confeſtim montes adiit. Quoniam Nazareth in loco decliuiore atque demiſsiore ſita eſt quàm Hieroſolyma, vbi domus erat Zachariæ : ſacroſancta uirgo Maria à domo ſua profecta ad viſitandam Elizabeth in æditiore loco habitantem, rectè montes adiiſſe dicitur. Hoc & Lucas in euangelio perhibet dicens. *Lucæ. 1* Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth.

5 ❡ In quinto verſu. Sacri iunguntur vteri. Matrum ſcilicet, ſuper naturam & diuina virtute grauidarum: vtpote Elizabeth ſanctum Ioannem geſtantis vtero, & Mariæ virginis filium dei caſtis viſceribus complexæ. Ita & ſacri iunguntur ambarum nati. Nam vt audiuit vocem ſalutationis Mariæ Elizabeth : exultauit in gaudio infans in vtero eius, vt ex euangelio Lucæ conſtat, & id quidem : ob præſentiam domini ſui : quem vt potuit veneratus eſt.

IN EODEM FESTO VISITATIOnis: alius hymnus.

1 *O Chriſti mater fulgida*
Scatens fons omni gratia.
Lux pellẽs quæque nubila,
Maria uenuſtiſsima.
2 *Geſtansq; caſtimonia*
Intacta,patrem filia,
Virgo Monarcha inclyta,
Genitrix pudiciſsima.
3 *Tua prece hanc miſerã*
Puſillamq; plebeculam
Subleua per auxilium:
Quæ iacet nexu criminũ.
4 *O aduocata ſtrenua:*
Hoſtẽ noſtrũ extermina.
Depelle quæque noxia,
Impetra cæli gaudia.
5 *Sit gloria deo patri,*
Et Ieſu Chriſto filio.
Spiritui paraclito,
Trino & uni domino.

Carminis iambici dimetri ſpeciem habet & debitum ſyllabarum numerum hic hymnus: non tamen legitimos illius pedes:neque ſuis pedibus rite collocatos. Nã ſpondeũ plærunque ſecũdo recipit loco, & paſsim ac ſine diſcrimine nũc trochæũ nũc pyrrhichiũ admittit:quod prohibet huiuſce carminis forma.Inuocatur in eo ſacroſancta virgo Maria,vt quoniã fons eſt exuberans omni gratiæ flućto:populũ Chriſtianum ſibi deuotum benigniter viſitet, & ab hoſte exterminatore liberet.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Scatens fons omni gratia. Quoniã gratia eſſe plena,ſacratiſsima virgo Maria ab angelo prædicatur:hãc gratiæ exuberantiam poſt filium trãsfundit in omnes. Et vt ait Bernardus omnibus omnia facta eſt:ſapiẽtibus & inſipiẽtibus copioſiſsima charitate debitricem ſe fecit, omnibus miſericordiæ ſinũ aperit:vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi, captiuus redemptionem,æger curationẽ, triſtis cõſolationem:peccator veniã,iuſtus gratiam,angelus lætitiam,denique tota trinitas gloriam, filij perſona carnis humanæ ſubſtantiã:vt non ſit qui ſe abſcondat à colore eius.

2 ¶ In ſecundo verſu.Geſtansq; caſtimonia intacta patrem filia. Hoc loco caſtimonia intacta,ablatiuus eſt ſingularis: perinde ſignificans atq; integra virginitate & illibata caſtitate,ordinaturq; cũ participio geſtãs.Filia ve-

rò nominatiuus eſt ſingularis, & eiuſdem participij ſubſtantiuum. Dicitur autẽ virgo Maria, filia geſtaſſe patrẽ: quoniam Chriſtus vt deus & omnium conditor, eius per creationem pater eſt, & ſecundum hanc rationem ipſa vt eius filia: vt homo verò geſtatus eſt in caſtiſsimo eius vtero & filius eſt virginis ipſaque illius mater. Neque hæc inter ſe pugnantiam habent aut contrarietatem eo quòd ſecundum diuerſam attenduntur rationem atque habitudinem. Proinde de ipſa glorioſiſsima virgine canit eccleſia catholica. Beata es Maria: quæ dominum portaſti creatorem mundi, genuiſti qui te fecit: & in æternum permanes virgo. In eodem verſu. Virgo monarcha inclyta. Monarcha vol monarches, æ: dicitur vnicus omniũ princeps. Nam à monos componitur, quod vnum ſignificat: & archos quod ſignat principem. Inde monarchia: vnus principatus. Et quoniam beata virgo Maria cæli eſt regina & mũdi domina, ſuper omnes electorum ordines supernóſque ciues poſt deum habens principatum: haud ab re hic inclyta dicitur monarcha, intelligendus tamen eſt hic primatus ſpiritualiter: & vt tantam virginem decet.

4 In quarto verſu. O aduocata ſtrenua. Strenuus ſimplo n ſcribi debet: & quæcunque ab eo nomine deducuntur, idémque ſignificat quod fortis, celer, vigilans, & ad res gerendas promptus. Saluſtius. Nam vt quiſque ſtrenuus ceciderat in bello. Inde ſtrenuitas: alacritas fortitudo, & vigilantia. Ouidius. Priſcáque ſtrenuitas manſit. Quoniam igitur beata virgo noſtram apud deum cauſam agit indefeſſè, ac ſollicitè: aduocata ſtrenua humanis generis eſſe dicitur.

IN EODEM FESTO VISITAtionis, alius hymnus.

1 *EN mirãda prodigia,*
Concipit nã uirguncula.
Fit Ieſu Chriſti gerula
Maria ſacratiſsima.
2 *Anus ætate marcida,*
Prolis geſtat ſolatia.
Tument ad partũ gelida:
Grãdæuæ matris uiſcera.
3 *Hic perit omnis rgula:*
Naturæq; molimina.
Hic ceſſat omnis ratio:
Cadens dei miraculo.
4 *Salutat mater domini*

Matrem

Matrem vatis mirifici:
Et vates cum præconio
Reddit ſalutes domino.
5 *Laudemus & nos domi*
num:
Patrem & patris filium,
Sanctũ quoq; paraclitum.
Nunc & per omne ſeculũ.

¶ Hic hymn⁹ præcedenti ſimilis, numerũ ſyllabarũ in vnoquoque carminũ reſpondentẽ habet carmini iãbico dimetro,non tamen pedes illi conſentaneos , cum trochæus & pyrrhichius paſsim omnibus in ſedibus collocentur, & ſpondeus plærúnque ſecundũ occupet locũ. Referũtur ĩ eo p̃clara miracula,in cóceptu filij dei & ſui præcurſoris natura ſtupẽte facta,& benigna illa viſitatio mutuáq; ſanctarũ matrũ ſalutatio:cũ exultatiõe ĩfãtis ĩ vtero materno 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu.En miranda prodigia. Prodigium interpretatur quaſi porrò dictũ: quòd porrò dicat,atque ſignificet & futurum aliquid eſſe portendat.cum ſcilicet quippiam præter ſolitum naturæ morem contingit,& venturum quicquam prænũciat. Hic autẽ.vt & ſæpe alias,pro miraculo ſumitur.Cæterũ in eodem verſu,virguncula, nunc à virga diminutiuúm eſt, & paruam ſignificat virgam,nunc à virgine:& puellam ſignat intactam.in qua quidem ſecunda ſignificatiõe hic accipitur.Denique gerulus dicitur portator atque baiulus, qui ſcilicet aliquid fert, & à gero, is, proficiſcitur,corripitque penultimam.Inde in fœminino genere formatur gerula,id eſt geſtatrix ſiue portatrix. 2 ¶ In ſecundo verſu.Anus ætate marcida. Id marcidum dicitur, quod iã cõputruit,effœtũ eſt & defectũ virib⁹, vt flores decerpti: cũ ſuũ p̃dũt vigorẽ elanguidi,natiuúmq; colorẽ. Et quonia ſancta Elizabeth iam proceſſerat in diebus ſuis, & ob ſenium ſterilis erat:hic marcida dicitur,& eius viſcera ad partum fuiſſe gelida. 3 ¶ In tertio verſu. Naturæque molimina.Moliri verbum deponens,vnico l ſcribi debet, & omnia ab eo deriuata.ſignificátque ingenio vel corpore ad aliquid agendum moueri ſiue conari. Inde molimẽ, conatus.Amb. Neſcit tarda molimina,ſpiritusſãcti gratia. 4 ¶ In quarto verſu. Et vates cum præconio. Per vatem hoc loco ſanctus Ioannes Baptiſta intelligitur, præclarus quidem propheta , immò & plus quam propheta . Is autem cum præconio reddidit ſalutes ſiue ſalutationẽ do-

mino, non quidem voce aut lingua ſenſibili, cum necdũ natus eſſet, ſed animo & geſtiente corporis motu: quãdo ad ſalutationem deiparæ virginis exultauit in gaudio in vtero materno ſentiens domini ſui præſentiam.

1 DE SANCTA MARGARITA.

Pange chorus hymnum dei filio:
De *martyris Margaritæ prælio:*
Quæ præfecto paſſa ſub Olybrio
Conſecrari meruit martyrio.
2 *Ieſu Chriſti propter diligentiam:*
Se præfecti ſpernit eſſe ſociam.
Per diuinam impolluta gratiam:
Mundi huius euaſit ſpurcitiam.
3 *Caſtigatur, carceratur regia.*
Sed de cælo tenebroſa nubila:
Illuminant magnifica lumina.
Audit inaudita conſolamina.
4 *A dracone deuoratur peßimo:*
Signo crucis exit potentißimo.
Ligno ſubleuatur in altißimo:
Tormento diſcruciatur plurimo.
5 *Caro ferro ſcalpitur ſanctißima:*
Concrematur lampade terrifica.
Ad æthera Chriſti clamat anima:
Iudicium meum deus iudica.
6 *Immergitur aquæ uirgo regia:*
Coxa ſimul, manus & ueſtigia,
Abluuntur dum in aqua media:
Ligamina dirumpuntur fortia.
7 *Decollari datur carnificibus:*
Extra caſtrum ducitur uerberibus.
Decollatur, fertur in cæleſtibus:
Angelicis vlnis & concentibus.
8 *Supplicamus ergo tibi domina.*

Qui tua recolimus certamina:
Dei ſentiamus adiuuamina
Tua ſanctiſſima per præcamina.
9 *Mundi creatori patri gloria:*
Eius vnigenito victoria.
Sancto flamini laus omnifaria:
Per ſecula deus vnus omnia. Amen.

¶ Præſens hymnus, carminis iambici quinarij formã tenet, & hypercatalecticus eſt. nã in vnoquoq; verſu quatuor complectitur carmina, quorum quodlibet quinque pedes habet diſyllabos & vnam ſylabbam ſupradictam. Non tamen hic ſeruata eſt exacta ratio diſpoſióque pedum: ad tale carmen neceſſariorum. Nam pedes omnes diſyllabi, ſingulis in locis ſine delectu & promiſcue ponuntur: cum deberet in ſedibus imparibus iambus aut ſpõde⁹ ſolum conſtitui, in paribus verò ſolus iambus. Deſcribitur in eo multiplex agon & certamen martirij ſanctæ virginis Margaritæ, cuius vitam & deſudatum pro Chriſto laborem in tolerandis pro eius nomine ſuppliciis elegantiſsimo carmine conſcripſit Baptiſta Mantuan⁹ in ſua tertia parthenice. Quod quidem opus quoniam in promptu à quouis haberi poteſt, & hiſtoria huius ſacrę virginis apud omnes eſt vulgata ſatis, ab ampliore illi⁹ enarratione hic ſuperſedendũ duxi, & ad annotatiões tranſeundũ.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. De martyris Margaritæ prælio: hanc ſanctam virginẽ vulgo Margaretam vocant, per e in penultima ſyllaba, ſed inepte & perperam. Nam Margarita debet dici, per i vocalẽ correptam in tertia ſyllaba, vel Margaris. Sumpſit enim nomen (vt ex dictionis ſimilitudine coniectare licet) à gemma ſeu vnione, quæ ſecundum Seruium margaritum dicitur in neutro genere & ſecunda declinatione, vel margarita aut margarites in fœminino genere & prima declinatione, vel margaris, idis, vel idos, in eodem genere & tertia inflexione. Cæterùm ſi apud Græcos id nomen per η ſcriberetur in tertia ſyllaba, quæ apud latinos in e longũ conuertitur, non ſine ratione loqui videretur, qui Margaretam per e nominarent hanc ſacram virginem. Verùm ſcribitur

ſcribitur apud Græcos id vocabulum per iota in penultima ſyllaba: quandoquidem eam habet breuem. Mantuan⁹ Poſtquam Margaritę celebrauimus acta: ſuperſunt. Atqui iota græcum nunquam in e apud Latinos ſolet conuerti: ſed apud eos manet i breue. Appellatur & eadem virgo à Mantuano ſæpius in carmine Margaris: quod idis vel idos penultima correpta facit genitiuum: vt cum ait. Claris virgo natalibus orta Margaris: ingreſſa eſt primæ incunabula vitæ, & alijs in locis eiuſdem operis per quàm frequenter. In eodem verſu. Quæ præfecto paſſa ſub Olybrio. Hunc præfectum Antiochiæ, vnde erat orta ſancta Margarita: Mantuanus vocat Olymbrium, adiecta m ad ſecundã ſyllabam: ait enim. In virides igitur præfectus Olymbri⁹ agros pergit: agens celeres turmas hominúmque canũq;, & ſæpe alias.

6 ℂ In ſecundo verſu. Ieſu Chriſti propter diligentiam. Hic diligentia, à participio diligens deduci intelligatur: & ſignificare amorem ſiue dilectionem, non autem formari à nomine diligens: neque ſignificare ſedulitatem, operam, atque vigilantiam: Verùm id nomen diligentia pro dilectione vt hic ſumitur: in raro eſt vſu apud authores, ſicut & plæraque vocabula hoc in hymno poſita: ſatis aliena ſunt à probato vſu authorum, vt carcerari, decollari, & ſimilia. In eodem verſu. Se præfecti ſpernit eſſe ſociam. Thori ſcilicet & fœderis coniugalis. Nam exardẽs in eius concupiſcentiam præfectus, pollicitus eſt reiecta priore coniuge ſe illam ducturum vxorem, quam conditionem aſpernata eſt ſacerrima virgo: dicens ſe à teneris annis Chriſto cæleſti ſponſo nuptam eſſe, ſuámque illi virginitatem conſecraſſe.

3 ℂ In tertio verſu. Caſtigatur, carceratur regia. Non hic regina legendum, vt nonnulli habent libri: ſed regia Nam penultima ſyllaba in omnibus alijs præſentis hymni carminibus, breuis eſt: quare & in hoc carmine ob rationẽ ſimilitudinis debet corripi, vt ſi ali js in locis non ſeruatur accurata quantitas ſyllabarum: ſaltem eo vno in loco ſeruetur illa integra. Inſuper ſi ibidẽ regia legatur: aptior ob ſeruabitur conſonantia exitus illius carminis cum fine aliorum carminum eiuſdẽ verſus. Quod in hoc hymno ſtuduit author, ſedulo ſeruare: vt omnium quatuor eiuſdem

verſ⁹

verſus carminum exitus & deſinentiæ in eandem concurrerent terminationem. Intelligatur autem hic nomẽ illud regia, adiectiuum eſſe: ſubaudiaturq́ue ſuum ſubſtantiuũ, virgo aut puella.

4 ¶ In quarto verſu. A dracone deuoratur peſſimo. Nomine draconis intelligatur hic dæmon nefandus: qui teterrimo carcere clauſam ſanctam virginem exterrere volens, in forma horrendi draconis eam viuam (vt viſum eſt) abſorbuit. Verùm cum illa ſacro viuificæ crucis ſignaculo ſe muniuiſſet: per mediam crepantis aluum illæſa emerſit.

9 ¶ In nono verſu. Mundi creatori patri gloria. Ita potius legendum eſt: quàm omnium creatori patri gloria, vt hendecaſyllabum vndecimq́ue ſyllabarum ſit illud carmẽ ſicut & reliqua omnia huius hymni carmina. Quòd ſi omnium quis dixerit: duodecim ſyllabas complectens hoc carmen, in numero ſyllabarum à cæteris diſcrepabit. At ſatius eſt ſi non recta ſeruatur ſyllabarum quantitas: ſaltem debitum earum numerum non negligere, & in eo conformitatem tenere.

¶ DE SANCTA MARIA Magdalena.

1

LAuda mater eccleſia:
Lauda Chriſti clemẽtiam.
Qui ſeptem purgat uitia:
Per ſeptiformem gratiam.

2 *Maria ſoror Lazari*
Quæ tot commiſit crimina:
Ab ipſa fauce tartari
Redit ad uitæ præmia.

3 *Poſt fluxæ carnis ſcãdala*
Fit ex lebete phiala.
In uas tranſlata gloriæ:
De uaſe contumeliæ.

4 *Aegra currit ad medicũ*
Vas ferens aromaticum.
Et à morbo multiplici.
Verbo curatur medici.

5 *Surgentem cũ uictoria*
Ieſum uidit ab inferis.
Prima meretur gaudia:
Quæ plus ardebat cæteris.

6 *Contriti cordis pũctio*
Cum lachrymarum fluuio:
Et pietatis actio
Ream ſoluit à uitio.

7 *Soli deo ſit gloria*
Pro multiplici gratia.
Qui culpas & ſupplicia
Remittit: & dat præmia.
Amen.

¶ Car-

¶ Carmen iambicum dimetrum in hoc hymno videtur obſeruatum:non tamen ſuos habet pedes legitimè diſpoſitos,neque ea quam requirit menſura concinnatos. Nempe ſpondeus in ſecundo loco ſæpe reponitur:trochęus itidem & pyrrhichi⁹ in locis anterioribus promiſcuè ſedem habere conſpiciuntur. Studuit autem potius author in eo rythmicam quandam vocalitatem quàm carmen exprimere:quòd cuiuſque verſus duo carmina adinuicem reſpondent in ſimili ſyllabarum exitu,nunc quidem primum cũ tertio & ſecundum cum quarto : nunc verò primum carmen cum ſecundo eiuſdem verſus,& tertium cum quarto. Laudatur in eo ſacratiſſima Maria Magdalena ob ſalutarẽ

Luc. 7. pœnitentiam quam poſt mundi illecebras ad Chriſti egit veſtigia,vt Lucas euangeliſta ſcribit.Deinde ac tantã euecta eſt dignitatem : vt dominicæ reſurrectionis nuncia ad apoſtolos miſſa fuerit,& prima omnium quorum meminerunt euangeliſtæ,ipſum dominum rediuiuum videre eſt promerita,& notas audire ac reddere voces.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Qui ſeptẽ purgat.Id ſecundum materiam ſubiectam intelligendum eſt,præſertim in beata Maria Magdalena: licet in reliquis omnibus ad ipſum confugientibus illud etiam ſit verum. Dicunt enim ſancti euangeliſtæ Lucas & Marcus : Ieſum

Luc. 8. Marci 16 Chriſtum de Magdalena eieciſſe ſeptem dæmonia, quorũ nomine ſecundum ſacros authores ſeptem peccata mortalia ſunt accipienda : quæ purgauit in ea dominus noſter per ſeptem dona ſpiritus ſancti.Quippe ſeptem diuini ſpiritus chariſmata,ſeptem illis capitalibus vitijs à ſpiritu dæmonico profectis omnino ex oppoſito reſpondent.

3 ¶ In tertio verſu.Fit ex lebete phiala.Lebes, etis : vas eſt æneum in quo carnes bulliunt,feruentéque aqua decoquuntur,quod & olla,& cacubus,& caldaria:interdum etiam nominatur.Phiala verò vaſculum eſt vini aut aquæ: ex auro,cryſtallo,aut vitro conflatum,& ergo longè precioſius eſt & terſius lebete:atque ad digniorem vſum applicatum. Eſt igitur hic ſermo,apta velatus metaphora :ſignificans quòd Maria Magdalena prius ſordida,ac atra vitijs, & feruens carnalibus concupiſcentijs:facta eſt deinde munda,diuinæque gratiæ receptaculum, & virtute adornata,Et idipſum exponitur clarius per ſubiunctam continuo

elnuo ſententiam:In vas tranſlata gloriæ de vaſe contume
liæ,ſumptam ex Paulo ita ſcribente ad Timotheũ.In ma- 2.Tim.2.
gna autem domo,non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea:
ſed & lignea & fictilia,& quędam quidẽ in honorẽ:quędã
verò in contumeliam. Si quis ergo emũdauerit ſe ab iſtis,
erit vas in honorem ſanctificatum,& vtile domino, ad om
ne opus bonum paratum.

6 ¶ In ſexto verſu.Prima meretur gaudia. Illud conſo-
nat verbo euangelico Marci dicentis. Surgens autem Ie- Marc.16.
ſus mane prima ſabbati,apparuit primo Mariæ Magdale- Ioan.20.
næ:de qua eiecerat ſeptem dæmonia.Quòd autem plus cæ
teris arderet:aperto oſtendit teſtimonio hæc ſancta ama-
trix,quoniam diſcipulis Ioanne & Petro à monumento di
ſcedentibus:illa non inde abſceſſit:ſed graui affecta dolo-
re quòd non inueniret eum quem diligebat anima ſua:ſta
bat ad monumentum foris plorans.Vnde hunc euangelij
locum exponens Gregorius ait.Qua in re penſandum,hu
ius mulieris mentem quanta vis amoris accenderat : quæ
à monumento domini etiam diſcipulis recedentibus non
recedebat.Exquirebat quem non inuenerat :flebat inqui-
rendo,& amoris ſui igne ſuccenſa:eius quẽ ſublatum cre-
didit,ardebat deſiderio.

DE SANCTA ANNA.

1 *LVcis huius feſta*
Colat plebs honeſta:
Deum cæli dignis
Confrequentans hymnis.

2 *Ex hac carnis planta:*
Surgit uirgo ſancta.
Ex hoc fluit fonte:
Lapis cæſus monte.

3 *Annam ſic expreſſe*
Fudit radix Ieſſe:
Vt ſit mater matris
Nati dei patris.

4 *Mater matris Chri-*
ſti
Ex hoc mundo triſti
Migrans fide bona:
Sumit uitæ dona.

5 *Cælo iam ſublata*
Mulier beata:
Suo nos precatu
Purget à reatu.

6 *Trino laus & uni*
Deo ſit communi.
Cum quo uiuit Anna
Simul cum Maria.
Amen.

¶ Præſens hymnus,carmini trochaico trimetro perſimi-
lis

lis eſt in ſyllabarum numero: in vnoquoque verſu quatuor continens carmina, quorum ſingulum tres complectitur pedes diſyllabos. Verùm cum hi frequentius trochæi eſſe deberent potiſſimũ in duabus primis ſedibus: loco eorum nunc ſpondeus, nunc iambus, nunc pyrrhichius ſine delectu conſtituitur. Sicut & in eo hymno. Aue maris ſtella: dei mater alma, cui iſte propemodum aſſimilatur. Verùm id peculiare habet hic hymnus, quòd cuiuſque verſ° eius prima duo carmina ſimilem habent ſyllabarum exitum: & duo poſtrema etiam inter ſe hanc rythmicam ſeruant conſonantiam terminalem. Celebrantur in eo laudes glorioſæ matronæ & ſanctæ Annæ: cui id ſingulari priuilegio à deo indultum eſt, quòd mater fuerit genitricis dei, Chriſtiq; parentis.

Dan. 2. 1 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Lapis cæſus monte. Sumptus eſt hic locus ex Daniele propheta, qui in expoſitione ſomnij Nabugodonoſor regis Babyloniæ, inter cætera dixit. Videbas ita donec abſciſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferris & fictilibus, & cõminuit eos. Et paulo pòſt. Lapis autem qui percuſſerat ſtatuam: factus eſt mons magnus, & impleuit terram. Sanè per lapidem abſciſum de monte ſine manibus, intelligitur etiam ad literam dominus noſter Ieſus Chriſtus: qui lapis eſt angularis, miſſus à
Eſa. 28. deo in fundamentis Syon (vt ait Eſaias) eccleſiæque catholicæ. Per montem autem vnde abſciſus eſt lapis ille: accipitur ſacroſancta virgo Maria, dignitate ſiugulari & præcellentia gratiarum ſublimis, & cæteris omnibus hominibus haud ſecus ſupereminens, quàm mons terræ pla-
Pſal. 67. niciem altitudine longè tranſcendit. Cui meritò id pſalmi poteſt adaptari. Mons dei, mons pinguis: mons in quo beneplacitum eſt deo habitare in eo. Et hic quidem lapis præciſus eſt de hoc monte myſtico ſine manibus: quia ſine humano adiutorio aut conſortio ſanctiſſima virgo Chriſtum dominum: caſtis concepit viſceribus. Quoniam igitur ex beata Anna nata eſt deipara virgo Maria, & ex hac natus eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus: conſequens eſt ipſum & ex ſancta Anna ſumpſiſſe originem ſecundum carnem, quod hic etiam verſus rectè aſtruit.

3 ¶ In tertio verſu. Fudit radix Ieſſe: Beata dei mater

& virgo Maria, ex ſtirpe Dauid & radice Ieſſe ꝓgenita eſt: ſicut ꝓdixerat Eſa. Egredietur (ĩgt) virga de radice Ieſſe & flos de radice ei⁹ aſcendet: & requieſcet ſuper eũ ſpirit⁹ domini. Vbi per virgam: intelligitur ad literam virgo Maria, & per florem inde prodeuntem: dominus noſter, etiam ſine hæſitatione ex progenie Dauid natus, vt aperta ſcripturarum comprobant teſtimonia. Quare & ſancta Anna ex qua prodijt virgo Maria, eius & filius Ieſus Chriſtus etiam ex ſtirpe Dauid emanauit. Non enim poſſunt ex diuerſa origine prodire parentes & liberi: cum filij, progenitorum ſequantur ſtemmata. *Eſa. 40*

IN TRANSFIGVRATIONE domini.

1 *GAude mater pietatis*
In ualle gementium:
Pro ducatu dignitatis
Chriſti regis omnium.
Quo dilecta prædotaris
In culmine montium.

2 *Vbi patres præcellentes*
In mortali corpore:
Admirantes, aßiſtentes
De tam grandi munere:
Diuinum lumen cernentes
Iu creato lumine.

Quod uertices prophetarum
Præcolunt deuotius.
Moyſes lumen præclarum.
Legis datæ cælitus:
Et Helias iubar magnum
Zælo dei feruidus.

4 *Præſentia deitatis*
Declaratur prouide:
Inaudita uoce patris
De ſupremo germine.
Et ſpiritu ueritatis
Forma nubis lucidæ.

5 *Genitori, genitoq;*
Laus & iubilatio.
Salus, honor, uirtus quoque
Sit & benedictio.
Procedenti ab utroque
Compar ſit laudatio.
Amen.

Hymnus

¶ Hymnus iſte carmini trochaico, alcmanio & euripidio alternatim intextis eſt perſimilis: in vnoquoque verſu ſex habens carmina, quorum primum, tertium, & quintũ quatuor habent pedes diſſyllabos, penultimámque longam aut in tenore prolationis longæ perſimilem: & in exitu ſyllabarum conſonantiam atque conformitatem. Secundum verò, quartum, & ſextum: tres habent pedes itidem diſyllabos, & ſyllabam in calce ſuperabundantem: inſuper penultimam ſyllabam ſeruant breuem, & mutuum in exitu ſyllabarum reſponſum eundémque ſonum. Verùm loco trochæi, qui hoc in carmine deberet tenere dominatum & omnibus in locis præſertim paribus conſtitui: ponitur nũc ſpondeus: nunc iambus, nunc pyrrhichius, contra huiuſce carminis leges. Inuitatur in eo eccleſia fidelium adhuc in terris ſubſiſtens, ad gaudium & exultationem in domini transfiguratione glorioſa demonſtrandam: ob ſacratiſſima myſteria & cæleſtis gloriæ & manifeſtationis ſanctæ trinitatis, inibi reſerata atque declarata coram teſtibus veteris & nouæ legis.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. In culmine montium. Id dictum eſt: aut quia eccleſia hic militans, in monte ſancto Syon conſtituta in ſcripturis dicitur, ſecundum illud verbum pſalmi. *Pſal. 88* Fundamenta eius in montibus ſanctis: & per hanc transfigurationem ſublimata, & nouis dotata dignitatum inſignibus effulget, aut quia ipſa domini transfiguratio: in faſtigio excelſi montis (vt enarrat euangelium) oſtenſa eſt.

2 ¶ In ſecundo verſu. Vbi patres præcellentes. Iſti eximij patres fuerunt tres illi apoſtoli, Petrus, Ioannes: & Iacobus frater eius: aſſumpti à domino & admiſſi ad fœlix illud & ſacrum ſpectaculum transfigurationis dominicæ. Et rectè dicuntur præcellentes. Nam antiquis patribus patriarchis & prophetis ipſi tanto fuerunt præſtantiores: quanto Chriſtus Moyſe, noua lex veteri, & veritas imagine ac vmbra eſt eminentior. Viderũt item illi, diuinum lumen cæleſtis gloriæ quam tunc prælibarunt: in lumine creato ipſos circunfulgente, & clariſſimo iubare illis irradiante.

3 ¶ In tertio verſu. Quod vertices prophetarum. Moyſes & Helias hic dicuntur vertices prophetarum: quoniam inter

Inter cæteros prophetas eminentiam & primatum habent in ijs quæ peculiaria ipſis ſunt & propria, ac ſingulariter hic expreſſa. Moyſes enim antiquæ legis à deo acceptę factus eſt promulgator ad populum: quòd nulli aliorum prophetarum cum eo eſt commune Inſuper & de præteritis enarrationem propheticam contexuit ab origine mundi ad ſua vſque tempora: itidem & de futuris, vt ſuſcitatione noui prophetæ de medio populi Iſrael. Idcirco in eius laudem dicunt ſacra eloquia: cum finem de ipſo loquendi faciunt. Non ſurrexit propheta vltra in Iſrael ſicut Moyſes: quem noſſet dominus facie ad faciem in omnibus ſignis atque portentis quæ miſit per eum vt faceret in terra Aegypti Pharaoni & omnibus ſeruis eius, vniuerſæque terræ illius. Helias verò in feruore diuini zæli (quo & reges Iſrael conſtanter increpabat, & reginam impiam crudelemque non verebatur: prophetas Baal, occidit, & populum Iſrael ad dei veri cultum perduxit) nullum habuit prophetarum illi iure æquiparandum. Ideo in eius præconium dicit Eccleſiaſticus. Et ſurrexit Helias propheta quaſi ignis & verbum ipſius quaſi facula ardebat. Verbo domini continuit cælum: & deiecit à ſe ignem terræ. Qui receptus eſt in turbine ignis: in curru equorum igneorum.

Deut.18. *Deut.34.* *3.Reg.18.* *Eccl.48*

4 ¶ In quarto verſu. De ſupremo germine. Germen dicitur: quod ab alio pullulat, germinandoque exoritur. Filius autem dei ex patre genitus eſt, natiuitate quidem intemporali & æterna: ideo rectè germen patris dicitur, & quidem ſupremum. Nam prima & ſumma eſt illa vnigeniti ad deum patrem filiatio, cæterarumque omnium propagationum naturalium veritas: ex qua omnis (vt ita dixerim) filialitas in cælo & in terra nominatur. Vox autem patris in transfiguratione dominica audita de ſupremo germine: fuit vox illa paterna cælo delapſa, & filij ſui teſtificatoria. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. At verò nubes lucida obumbrãs diſcipulos in eadem transfiguratione: ſpiritum ſanctum inſinuauit, qui ſpiritus eſt lucis, diſciplinæ & refrigerij cõtra æſtus vitiorum. *Matth.17.*

¶ IN EODEM FESTO TRANS-
figurationis: alius hymnus.

1 *NOuũ ſyd⁹ exoritur*
Chriſti pia clemen-
tia:
Quo tenebroſa premitur
Inimici ſæuitia.
2 Inſurgere cum nititur
Malignitatatis ſpiritu:
Ex aduerſo reſiſtitur
Præpotenti exercitu.
3 Roborantur in acie:
Intuentes ſignaculum:
Deſudantes militiæ:
Vt aſſequantur brauium.
4 Pro quo ſe cũctis obiicit
Beatum in myſterio
Chriſtus & tandẽ perficit
Regnans in cæli ſolio.
5 Gloria tibi domine
Poteſtas & imperium:
Qui certantibus agie
Aperte monſtras præmiũ.
Amen.

¶ Hic hymn⁹ cũ carmine iambico dimetro cõuenit in certo debitoque ſyllabarum numero, qui in vnoquoque carmine eſt octonarius: non autem in legitima pedum collocatione. Nam modo trochæum, modo pyrrhichium habet vbi ſpondeus aut iambus habere ſedem ſitumque deberet. Cæterùm viſus eſt eius author (quiſquis is fuerit) rythmicæ potius ſonoritatis quàm metri rationẽ habuiſſe. Nã in vnoquoque verſu, primi & tertij carminis ſimilem ſtudioſè obſeruauit ſyllabarum exitum: ſimiliter ſecundi & quarti carminis terminalem conſonantiã. Cõmendatur in eo mira Chriſti benignitas, qui militibus ſuis in acie pugnaturis contra ſæuitiam dæmonis, oſtendere dignatus eſt in hac ſua transfiguratione futurorũ in regno cæleſti prę miorum magnitudinem ac ſpeciem, vt illorum aſſequendorum ſpe atque fiducia erecti: acrius inſurgant in hoſtem & libentius duriſſima quæque perferãt. Nam (vt ait Mantuanus) Efficiunt pugnam præmia magna leuem.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nouum ſydus exoritur. Nomine noui ſyderis, per metaphorã trãſlatitiámque locutionem hic intelligitur ſacrum transfigurationis domini myſterium: terris de nouo exhibitum, quòd haud minus ſpirituali claritate perfundit pias hominum mentes: quàm ſenſibile ſydus claro ſplendore oculos corporales. In eo enim lumine transfigurationis dominicæ: per

ſpicitur imprimis atteſtatio de Chriſto per veteris & noui teſtamenti patres, per legem itidem & prophetas: quòd ipſe is eſt qui miſſus eſt à deo ad mundi ſalutem. Secundo ſupremæ ac indiuiduæ trinitatis: in eadem eſt manifeſtatio patris quidem in voce. filij vero: in carne fulgida & cæleſti ſplendore conſpicua, ſpiritus autem ſancti: in nube lucida. Tertio gloriæ beatorum in regno cæleſti manifeſtata eſt ſpecies & quædam repreſentatio: ex qua tanquam ſubrutila imagine coniectare poſſint diſcipuli eorúmque aſſectatores fideles, quanta ſit amplitudo & copia beatitudinis æternæ, repromiſſæ ijs qui legitimè in agone certauerint: vt exinde incitentur ad animoſè dimicandum contra aduerſarios.

3 ¶ In tertio verſu. Deſudantes militiæ. Non hic deſidentes legendum eſt: vt aliqui habent libri, quòd eius dictionis ſignificatio: ſenſui huius loci repugnet. Eſt enim deſidere: cum quiete ſedere, & quaſi continuè ſedere, ſeu ſedendo tempus conſumere. Vnde formantur deſes & deſidioſus: idem ſignificantia quod ocioſus & ignauus, & deſidia: ocium, ignauia. At qui deſidet: neque rectè exercet militiam neque ad aſſequendum brauium ſe accingit. Deſudare verò eſt cum ſudore elaborare, eniti & conari, quod qui facit: munia militiæ rectè exequitur, & brauio dignus habetur: Itaque milites Chriſti, apoſtoli ſcilicet & diſcipuli, intuentes ſpectaculum illud futuri in cælo præmij: exinde roborantur, confortanturque in acie & bello ſpirituali contra hoſtes iuſtitiæ & veritatis, deſudantes ac inſiſtentes illi militiæ, agoni & certamini, vt aſſequantur brauium: cuius dulcedinem, precioſitatem & pulchritudinē aliquantulum præguſtarunt.

4 ¶ In quarto verſu. Pro quo ſe cunctis obiicit. Chriſtus (inquit) pro illo brauio aſſequendo ſe in hac transfiguratione omnibus proponit atque oſtēdit in forma glorioſa: quaſi iam beatum. Integram autem beatitudinem & plenam atque completam: perfecte nunc oſtendit cæleſtibus ciuibus in regno ſuo immortali. Itaque tunc cū transfiguratus eſt, in parte exhibuit, atque in portiuncula quadam ante monſtrauit: quòd poſtea pærfectè atque exuberanter erat daturus, vt per illud tantillum: inuitaret ad influentiſſimum ſuum fontem.

1 ¶ DE SANCTO LAVRENTIO.

MArtyris Chriſti canimus triumphum
Annuum tempus uenerando cuius:
Cernua uocis prece iam rotundus
Orbis adorat.
2 Pontifex Sixtus monuit miniſtrum
Fixus in ligno crucis:exequeris
Me cito,pœnam patiendo magnam
Ibis ad aſtra.
3 Tortor iratus petit:ut talenti
Pondus ignoti manifeſtet omne,
Mente ueſana cupiens uorare
Aurea lucra.
4 Spreuit hic mundi peritura dona.
Fert opem nudis:alimenta claudis.
Diuidit nummos miſeris cateruis
Corde flagranti.
5 Igne torquetur:ſtabili tenore
Cordis accenſus:ſuperat minaces
Ignium flammas,in amore uitæ
Semper opimæ.
6 Vritur poſtquam latus omne:teſtis
Verte præfecto loquitur iocando,
Corporis partem laniando coctam
Dentibus atris.
7 Spiritum ſumpſit chorus angelorum:
Intulit cælo pie laureandum.
Vt ſcelus laxet hominum :precando
Omnipotentem.
8 Supplici uoto rogitemus omnes
Sancte Laurenti ueniam preceris:
Qui tuum feſtum celebrant ubique
Voce uel actu.

9 *Gloriam patri reſonemus omnes:*
Eius & nato iubilemus aptè.
Cum quibus regnat ſimul & creator
Spiritus almus. Amen.

¶ Carmen ſapphicum & adonicum: huius hymni modulationem contexit, aptéque componit. Nam cæterorum hymnorum huiuſce generis more: tria prima cuiuſque verſus carmina ſunt ſapphica & quartum adonicum, ſeruato vbique ipſius carminis recto contextu. Commemoratur in eo grauis agon durúmque certamen martyrij: quod beatus ſuſtinuit Laurentius pro confeſſione nominis Chriſti, & quomodo eo expleto tanquam miles inuictus: æthereas ſubijt ſidereáſque domos. Verùm hæc omnia ex vita & hiſtoria eius (quæ apud omnes ſatis eſt vulgata) perfacilè nota ſunt, neque ampliorem poſcunt declarationem.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Annuum tempus venerando cuius. Genitiuus ille relatiuus: ad nomen martyris antecedens refertur, & accuſatiuus annuum tempus: cum verbo adorat, ordinatur, vt gerundium venerando, abſolutè poſitum intelligatur: & ſine adiecto expreſſe accuſatiuo caſu, vt hic habeatur illius verſus ordo. Colimus triumphum martyris Chriſti Laurentij, cui⁹ quidem martyris: orbis rotundus iam adorat & celebrat annuum tempus, venerando (ſubaudi ſi libet: illud annuum tempus aut feſtum) cernua prece vocis, ſiue humili ſupplicatione orationis.

2 ¶ In ſecũdo verſu. Exequeris me cito. Exequi propriè eſt opus iniunctum complere: & quod cuiquam mandatũ eſt perficere. Hic autem proſequi ſiue comitari (licet min⁹ propriè) gratia ſeruandi carminis ponitur. Quòd ſi inſequeris aut aſſequeris in futuro indicatiui poſuiſſet author ſententiam feciſſet apertiorem: & locutionem reddidiſſet aptiorem.

3 ¶ In tertio verſu. Tortor iratus petit vt talenti. Hoc loco petit, in præſenti tempore & diſyllabum ponẽdum eſt. Nam ſi petiit in præterito perfecto ponatur & triſyllabũ: vitiatur carmen & rectè conſtare non poteſt.

5 ¶ In quinto verſu. Stabili tenore cordis accẽſus. Teno

re:conſtantia, firmitate, ſtabilitate, quæ animum eius adeo fixum, immotum incõcuſſũq; tenuit in amore dei: vt propter acerrima ignis incendia non fuerit dimotus à confeſſione Chriſti. Vitam autem opimam in eodem verſu vocat author, vitam regni cæleſtis: omnium bonorum copia cumulatiſſimam, & ſpiritualibus diuitiis abundè affluentem. Gloria enim & diuitiæ: in domo domini.

6 ¶ In ſexto verſu. Teſtis verte præfecto loquitur. Nomen teſtis, hic nominatiuus eſt ſingularis, annexus huic verbo loquitur: & idem ſignat quod martyr: quin potius ediuerſo martyr græcum nomen: idem eſt quod teſtis latinum, & martyrium teſtimonium. Et rectè ſanctus Laurentius hic teſtis dicitur. Nam tormentorum illi inflictorum tolerantia: teſtificatus eſt veritatem & ſynceritatem fidei Chriſtianæ. Quod ſi quis contendat hic nomen teſtis ablatiuum eſſe pluralem à nomine teſta, æ: ineptum prorſus faciet ſenſum. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Intulit cælo pie laureandum. Quoniam ſecunda ſyllaba aduerbij pie eſt longa: non conſtituitur in tertio illius carminis loco dactylus, vt deberet. Seruaretur autem carmen: ſi illius loco poneretur aduerbium bene: quod vtranque habet breuem. At verò laureandus non ſatis vſitatum eſt vocabulũ: quòd verbum laureor, aris vnde formetur, vſus latinorum non recipit, laureatus autem tritum & aptum nomen à nomine laurea, æ, non à verbo deſcendit, ſicut tunicatus, & loricatus. Ita etiam intelligatur hic laureandus: à nomine laurea non à verbo originem ducere. Demùm in tertio carmine huius verſus, tribrachus pro dactylo ponitur: quod in ſapphico carmine infrequens eſt ac inſuetum.

¶ DE SANCTO LAVRENTIO alius hymnus.

1 *EN martyris Laurentij*
Armata pugnauit fides.
Nam morte mortẽ diruit:
Ac ſemet impendit ſibi.
2 *Fore hoc ſacerdos dixerat.*
Iam Sixtus affixus cruci.
Laurentium flentem uidẽs
Crucis ſub ipſo ſtipite.
3 *Deſiſte deceſſu meo*
Fletum dolenter fundere.
Præcedo frater: tu quoque
Poſt hoc ſequeris triduum.

Extre-

4 *Extrema uox epiſcopi,*
Prænunciatris gloriæ:
Nihil fefellit, nam dies
Prædicta palmā præſtitit.

1 *De eodem alius hymnus.*

COnſcendat uſque ſydera
Cæliq; pulſet intima
Vox atque cantus omnium
Te deum collaudantium.
Adeſt nanque feſtiuitas
Et dies uenerabilis,
In qua cælum pro meritis
Laurentius ingreſſus eſt.
Qui ſuperatis ignibus
Et impijs tortoribus:
Sæuis deuictis hoſtibus,
Nunc gaudet in cæleſtibus.
4 *Ipſe dignetur dominum*
Rogare clementiſsimum:
Vt ab æternis ignibus
Nos ſeruet, & dæmonibus.
5 *Deo patri ſit gloria*
Eiusq; ſoli filio, &c.

¶ Duorum præſentium hymnorum de ſancto Laurentio propoſitorum: primus carminis iambici dimetri legem integrè & ad vnguem ſeruat, non autem ſecundus: nam in prima ſede pro ſpondeo nunc trochæum habet nunc pyrrhichium. In ſecunda verò, pro iambo quandoque ſpondeum habet quandoque trochæum, & ita in tertio loco: vt ſolum numerum ſyllabarum videatur cum recto carmine iambico habere communem. Commendantur in eo dura certamina beati Laurentij: quæ conſtanter pertulit pro fide Chriſtiana, quemadmodum Sixtus ſummus pontifex illi prædixerat. Demùm oratio ad deum funditur: vt precibus ſancti Laurentij nos conſeruet ab æternis gehennæ incendijs.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nam morte mortem diruit. Beatus Laurentius morte ſua precioſa in conſpectu domini: & pro Chriſto ſuſcepta: diruit mortem peccati & infidelitatis à multorum cordibus, qui perſpecta eius indomabili conſtantia: ad Chriſtum ſunt conuerſi. Eadem quoq; morte ſua glorioſa: diruit mortem propriã, nam etſi ſecundum corpus mortuus eſt: anima tamen eius tranſlata ad vitam perpetuam, nihil diſpendij ex

morte corporis eſt perpeſſa,neque ipſi' mortis ſenſit moleſtiam aut incommoda. Quemadmodum Sapiens dicit de iuſtis,quòd viſi ſunt oculis inſipientium mori:& exiſtima-
Sap.3. ta eſt afflictio exitus eorum:illi autem ſunt in pace. Ipſe etiam Laurentius ſemet impendit ſibi : quoniam ſeipſum obtulit holocauſtum, & ſacrificium deo viuenti pro fide. Verbum enim impendere,interdum ſignificat ſeipſum victimam facere,ac oblationem deo exhibere per martyrũ
1.Corin.2 pro aliorum ſalute, vt apud Paulum. Ego autem libentiſſime impendam:& ſuper impendar ego ipſe pro animab' veſtris. 2 ¶ In ſecũdo verſu. Fore hoc ſacerdos dixerat. hoc:quod Laurentius ſeipſum impenderet hoſtiam deo ꝑ animabus aliorum,& huius vitæ curſum cõſummaret martyrio. Et id quidem dixit Sixtus,in cruce ſuffixus pro cõfeſsione fidei:cum beatum Laurentium videret aſtantem cruci,& ſe relinqui à patre ſuo lachrymoſa voce conquerentem. Enimuerò cum ipſe Laurentius ſanctum Sixtum apoſtolicæ ſedis moderatorem ac præſulem videret duci ad martyrium:his verbis eum compellaſſe dicitur. Quo progrederis ſine filio pater? Quo ſacerdos ſanctæ ſine diacono properas? Tu nunquam ſine miniſtro ſacrificaſti,nec offerre cõſueueras. Quid in me ergo diſplicuit tibi pater? Num degenerem me probaſti? Experire certè, vtrum idoneum miniſtrum elegeris. Cui commiſiſti dominici ſanguinis diſpenſationem, cui conſummandorum cõſortium ſacramentorum credidiſti:huic ſanguinis tui conſortium negas. 3 ¶ In tertio verſu. Deſiſte deceſſu meo. Predictis ſancti laurentij quęrimoniis,& piis ſane & ſingularis amoris in patrem ſuum ſpiritualem teſtib',ipſe Sixtus reſpõdiſſe fertur hoc modo. Nõ ego te fili chariſsime deſero,ac relĩquo, ſed maiora tibi debẽtur ꝑ fide Chriſti certamina. Nos quaſi ſenes,leuioris pugnę curſum recipim': te quaſi iuuenem manet glorioſior de hoſte triumphus. Poſt venies,flere deſiſte. Poſt triduum me ſequeris,ſacerdotem leuita. 4 ¶ In quarto uerſu. Extrema vox epiſcopi. Epiſcopus dicitur qui ſupintẽdit iis quibus præficitur, curã eorũ gerẽs. Nã epi præpoſitio greca,ſignificat ſuper, ſcopos verò,intẽtio ſiue cõſideratio dicitur. Et epiſcopin verbũ gręcũ,ſuperintendere ſignat. vt intelligat ſe nõ recte fũgi officio epiſcopi,qui præeſſe dilexerit, nõ ꝓdeſſe.

Et is potiſsimum dicitur epiſcopus, qui peruigilem gerit curam populi fidelis, ſuæ directioni commiſsi, cuius virtutes, conditiones, atque officia. deſcribit Paulus ad Timotheum his verbis. Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ornatum, prudentem, pudicum, hoſpitalem, doctorem. Et ad Titum ſcribens: eadem ferè repetit virtutis opera. Oportet (inquit) epiſcopum ſine crimine eſſe: ſicut dei diſpenſatorem. Inde epiſcopatus: intentiſsima vigilantia & conſideratio in ſubditorum directionem ad ſalutem, vt Paulus ad Timotheum. Fidelis ſermo. Siquis epiſcopatum deſiderat: bonum opus deſiderat. Cæterùm circa poſteriorem de ſancto Laurentio hymnum hoc loco adductum, nihil occurrit annotatu dignũ, quòd per quàm facilis eſt & intellectui peruius: ideo ab annotationibus circa illum conficiendis ſuperſedendũ duximus, ſolam literam adduxiſſe contenti.

1. Timot. 3
Titum. 1
1. Timot. 3

DE SVSCEPTIONE SANCTAE CORONÆ DOMINI: HYMNUS:

1 *Sacræ Chriſti celebremus*
Coronæ ſolennia:
Et ipſius reuocemus
Ad mentem præconia:
Vt impleta comprobemus
Legis uaticinia.

2 *Inter uepres demonſtratur*
Veruex hærens cornibus.
In quo Chriſtus figuratur:
Coronandus ſentibus.
Deus uiuit: immolatur
Homo pro hominibus.

3 *Sina rubus inflãmatur:*
Nec tamen comburitur.
Ignis ſpinis coronatur:
Quo culpa conſumitur.
Nec læditur ſed ſacratur
Spina: dum ſic tangitur.

4 *Arcam, menſam, & altare:*
Sertum ambit aureum.
Et ſculptura cingit mare
Sacerdotum æneum.
Quæ nunc Chriſti ſignat clare
Diadema ſpineum.

5 *Sponſum ſerto decoratum:*
Eſaias meminit.
Ad uidendum coronatum:
Inuitans rex cecinit.

Hoc

Hoc Sibylla coornatum
Serto, vates concinit.
Gloria & bonor deo:
Vſquequo altiſsimo.
Vna patri, filióque:
Inclyto paraclyto.
Cui laus eſt & poteſtas:
Per æterna ſecula. Amen.

¶ Carmine trochaico alcmanio & euripidio alternatim poſitis, præſens hymnus componitur, ſicut & ille de ſancto Nicolao ſuperius expoſitus. Pange lingua Nicolai, præſulis præconium. Obſeruatur tamen in eo, maiore ſtudio conſonantia alternorum verſuum, quàm integra carminis ante dicti lex & regula. excepto poſtremo verſu qui in fine cuiuſque hymni conſimilis generis, locum plerúnque ſolet vltimum obtinere, vt pro more eccleſiaſtico deſinat hymnus in glorificationē ſummæ trinitatis. Referuntur in eo præconia ſacræ coronæ ſpineæ, qua dominus noſter in ſua paſsione fuit coronatus, & multæ veteris legis adducuntur figuræ & oracula prophetarum: quibus præſignatum fuit ipſius ſacræ coronæ myſteriū quemadmodum annotationes ſequentes clarius elucidabunt.

2 ¶ ANOTATIONES In ſecundo verſu. Inter vepres demoſtratur. Cum Abraham prohibitus eſſet ab angelo immolare filium ſuum, quemadmodū propoſuerat,
Gene. 22 eleuās oculos ſuos vidit poſt tergum, arietem cornib⁹ inter vepres, aſſumens, obtulit holocauſtum pro filio ſuo. Ille autem aries vepribus circunſeptus. Chriſtum ſignificauit à Iudæis ſpinea corona affligēdum. Idē quoque aries immolatus, ipſo Iſaac dimiſſo incolumi: ſignauit humanitatem Chriſti pro redemptione mundi mortem paſſuram. ipſa diuinitate per Iſaac repreſentata, permanente impaſſibili, & in perpeſsione dolorum & mortis nihil habente conſortij cum carne. vt præclare oſtēdit Damaſcenus: circa finem tertij libri, de fide orthodoxa. 3 ¶ In tertio verſu. Sina rub⁹ inflammatur. Cum minaſſet Moyſes gregem
Exod. 3 ſuum vſq; ad interiora deſerti & veniſſet ad montem Sinai: vidit rubum ardentem atque inflamatum, qui tamen minime comburebatur, & ita ſpinæ rubi illic circundabātur igni: non tamen abſumebantur. Significabat autem hæc figura CHRISTVM qui ignis eſt conſumens omnem culpam (deus enim noſter, vt ait Moyſes ignis
Deut. 4 conſumens eſt) ſpinis coronandum. At quemadmodum in

in rubo, ſpinæ igni circundatæ non lædebantur eius incẽ
dio, ita & contactu ſacratiſsimi capitis Chriſti coronata
ſpinea non eſt læſa aut reddita contemptibilior: ſed con-
ſecrata in ornamentum & diadema regis æterni. 4 ¶ In *Exod.25*
quarto verſu. Arcam menſam & altare. In exodo arca iuſ
ſa eſt à domino cõponi ex lignis ſethim, & in eius circui-
tu corona aurea fabricari. In menſæ itidẽ & altaris cõpoſi
tione: per gyrum iuſsit dominus coronam auream circũ-
poni. Quod deinde ab ipſo artifice diuino delectu ad id
opus conficiendum accito: completum fuiſſe deſcribitur. *Exo.37*
Inſuper in libro tertio Regũ dicitur Salomon feciſſe, ma- *3.Reg.7.*
re fuſile decem cubitorũ à labio vſque ad labium, rotun-
dum in circuitu, & ſculptura ſubter labium circuibat il-
lud: decem cubitis ambiens mare. Hæc autem quatuor o-
pera materialia, coronis au ſculpturis circundata: ſignifi-
cabant Chriſti caput in circuitu ſpinis circunſpiciendum,
ſpineaque corona per gyrum circundandum, quoniã ip-
ſe eſt arca noui teſtamenti myſtica: continens in ſe diuinæ
maieſtatis ſecretum, velamine carnis obtectum. Ipſe itidẽ
eſt menſa illa propoſitionis: in qua collocatur panis vitæ,
ſacratiſsimúmque eius corpus iugiter coram domino. De
qua menſa loquitur propheta in pſalmo. Paraſti in con- *Pſal.22*
ſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. Eſt
etiam Chriſtus altare ſpirituale, in quo offeruntur no-
ſtra vota & preces: quoniam per ipſum à deo acceptan-
tur. Denique idem eſt mare æneum ſacerdotum: in quo
abluuntur ab inquinamentis, quoniam fons eſt miſericor
diæ copioſus, immò immenſũ gratiæ pelagus: inquo pec-
cata noſtra abſtergũtur & diluuntur. Apud dominum e-
nim miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.
5 ¶ In quinto verſu. Sponſum ſerto coronatum. Apud *Pſal.130*
Eſaiã Chriſtus ſpiritus domini vnctus: dicere perhibetur. *Eſa.16*
Induit me dominus veſtimẽto ſalutis, & indumẽto iuſtitiæ
circũdidit me: quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi
ſponſam ornatam monilibus ſuis. Vbi ſeipſum nominat
ſponſum decore coronæ adornatum: præſignificans ip-
ſius ſacræ coronæ ſpineæ ſacramentum. Præterea Sa-
lomon in cantico canticorũ ait ad animas fideles ſponſæ *Can.3*
pediſſequas. Egredimini filiæ Syõ & videte regẽ Salomo
nẽ in diademate: quo coronauit illũ mater ſua ĩ die deſpõ
ſationis

ſationis illius,& in die lætitiæ cordis eius. Quibus verbis rex ipſe ſapientiſsimus inuitat omnes ad videndum verũ Salomonem Chriſtum,diademate ſpineo coronatũ: quo mater ſua ſynagoga ipſum adornauit,in die deſponſationis ipſius cum eccleſia,ſua dilecta ſpõſa.Demùm vna Sibyllarum ſuo etiam vaticinio prænunciauit Chriſtũ ſpinea corona circumambiendum, vt multiplici teſtimonio conſtet prædictam eſſe hanc Chriſti coronationem. Quæ autem & qualis fuerit illa Sibylla, aut quomodo cognominata: non habetur compertum.

DE SVSCEPTIONE CORONAE SPI-
1 neæ domini: alius hymnus.

DEus tuorum militũ
Sors & corona præmium:
Tuæ coronæ meritum
Confer medellã omnium.
2 *Tua corona ſpinea:*
Tuos coronet aurea.
Tua nobilis humilitas:
Pœnas repellat debitas.
3 *Tuæ coronæ miſticæ*
Suſcepto patrocinio:
Iubilus uocis melicæ
Concurrat mentis gaudio.
4 *Noſtra cõſeruat regio:*
Tibi theſaurum inclytum.
Imminente iudicio:
Reſumes hoc depoſitum.
5 *Qui tanto diademate*
Nos coronat in ſtadio.
Cum utriuſque pneumate
Sit laus patri cum filio.
Amen.

Carminis iãbici dimetri ſolam gerit ſpeciem hic hymnus: legem autem eius nequaquã exactè ſeruat,ſed rythmicam potius modulationem & conſonantiã in exitu carminum eiuſdem verſus. Commendatur in eo corona ſpinea domini,quam Chriſtus humiliter pro nobis pertulit: & per quam multa nobis contulit beneficia, potiſsimùm coronationem glorioſam quam decurſo ſtadio expectamus in regno cælorum,quam ſanè coronationem:in hoc hymno ſuppliciter expoſcimus.

1 ¶ANNOTATONES. In primo verſu. Sors & corona,præmium.Chriſtus ſuorum militum eſt ſors:quoniã eſt pars & portio eorum, quem aſſequentur poſt confectam ſuam militiam.Eſt & eorum corona ſecundum actiuam

uam rationem, quoniam eos demùm victores coronabit in cælis. Denique eſt præmium eorundem: quoniam eſt ipſorum merces copioſa in regno cælorum, quemadmodum dixit Abrahę. Ego protector tuus ſum: & merces tua magna nimis. Accommodatior autem huius carminis eſſet ſermo: ſi geminata coniunctione ita legeretur, ſors, & corona, & præmium, quoniam non ſolet coniunctio illa inter primum & ſecūdum copulatum poni: niſi etiam collocetur inter ſecundum & tertium: ſi affuerit. *Gene.15*

2 ❡ In ſecundo verſu. Tuos coronet aurea. Adiectiuū illud, in ablatiuo caſu collocari intelligatur: & corona ſpinea in nominatiuo, vt ſenſus ſit, tuum ſertum ſpineum in terris tuo capiti impoſitum: aureo nos diademate coronet in cælis. Suſtulit enim Chriſtus hic pro nobis ſpineam cō ronam, vt aureę coronæ decore nos exornaret in regno cæleſti. In tertio autem verſu corona domini ſpinea dicitur myſtica: quia ſignificabat regnum & dominatū Chriſti in Iudæos & omnes fideles, quanuis id non intelligentes milites: per ludibriū ipſum appellarint regem Iudæorum. Coronæ autem ſpineæ patrocinium ſuſceptū eſt ab iis: ad quos delatum eſt hoc ſacrum pignus, cuius præſidio & munimine tuti redduntur ab hoſtium inſultibus: & protectione firmantur. Demùm vox melica dicitur vox harmonica, nam melos vnde id deducitur adiectiuū: concentum & melodiam ſignat. *Ioan.15*

4 ❡ In quarto verſu. Noſtra conſeruat regio Inclyta Gallorum regio & præſertim florentiſsima vrbs Pariſienſis: hunc ſacræ coronæ ſpineæ theſaurum conſeruat in regio illius palacio reconditum. Inſtante autem iudicio extremo, Chriſtus hoc reſumet depoſitum, humanæque cuſtodiæ commiſſum: quoniam ſicut cum cruce, clauis, flagellis & aliis ſuæ paſsionis inſignib⁹ apparebit in iudicio, ita & cum ſpinea corona angelico miniſterio deferenda. Quare vt ipſa corona exhibeatur coram omnium conſpectibus: repetetur à Chriſto, & ab eo loco vbi repoſita eſt accipietur. In quinto verò verſu Chriſtus in huius mundi ſtadio dicitur nos coronare tanto diademate, coronæ ſcilicet ſpineę, quoniam nos exornat & nobilitat eo beneficio. vt repoſitum apud nos habeamus tā precioſum theſaurum, contactu ſacratiſsimi capitis ſui conſecratum, & precioſo

❡Hymnus iſte carmini trochaico,alcmanio & euripidio alternatim intextis eſt perſimilis:in vnoquoque verſu ſex habens carmina,quorum primum,tertium,& quintũ quatuor habent pedes diſſyllabos, penultimámque longam aut in tenore prolationis longæ perſimilem:& in exitu ſyllabarum conſonantiam atque conformitatem Secundum verò,quartum,& ſextum:tres habent pedes itidem diſyllabos,& ſyllabam in calce ſuperabundantem:inſuper penultimam ſyllabam ſeruant breuem, & mutuum in exitu ſyllabarum reſponſum eundémque ſonum. Verùm loco trochæi,qui hoc in carmine deberet tenere dominatum & omnibus in locis præſertim paribus conſtitui:ponitur nũc ſpondeus:nunc iambus,nunc pyrrhichius,contra huiuſce carminis leges. Inuitatur in eo eccleſia fidelium adhuc in terris ſubſiſtens, ad gaudium & exultationem in domini transfiguratione glorioſa demonſtrandam:ob ſacratiſſima myſteria & cæleſtis gloriæ & manifeſtationis ſanctæ trinitatis,inibi reſerata atque declarata coram teſtibus veteris & nouæ legis.

1 ❡ANNOTATIONES. In primo verſu. In culmine montium. Id dictum eſt:aut quia eccleſia hic militans, in monte ſancto Syon conſtituta in ſcripturis dicitur, ſecundum illud verbum pſalmi. Fundamenta eius in montibus ſanctis:& per hanc transfigurationem ſublimata, & nouis dotata dignitatum inſignibus effulget,aut quia ipſa domini transfiguratio:in faſtigio excelſi montis (vt enarrat euangelium)oſtenſa eſt.

Pſal.88

2 ❡In ſecundo verſu. Vbi patres præcellentes. Iſti eximij patres fuerunt tres illi apoſtoli,Petrus,Ioannes:& Iacobus frater eius:aſſumpti à domino & admiſſi ad fœlix illud & ſacrum ſpectaculum transfigurationis dominicæ. Et rectè dicuntur præcellentes. Nam antiquis patribus patriarchis & prophetis ipſi tanto fuerunt præſtantiores: quanto Chriſtus Moyſe,noua lex veteri,& veritas imagine ac vmbra eſt eminentior. Viderũt item illi,diuinum lumen cæleſtis gloriæ quam tunc prælibarunt: in lumine creato ipſos circunfulgente, & clariſſimo iubare illis irradiante.

3 ❡In tertio verſu. Quod vertices prophetarum. Moyſes & Helias hic dicuntur vertices prophetarum:quoniam inter

inter cæteros prophetas eminentiam & primatum habent in ijs quæ peculiaria ipſis ſunt & propria, ac ſingulariter hic expreſſa. Moyſes enim antiquæ legis à deo acceptę factus eſt promulgator ad populum: quòd nulli aliorum prophetarum cum eo eſt commune. Inſuper & de præteritis enarrationem propheticam contexuit ab origine mundi ad ſua vſque tempora: itidem & de futuris, vt ſuſcitatione noui prophetæ de medio populi Iſrael. Idcirco in eius laudem dicunt ſacra eloquia: cum finem de ipſo loquendi faciunt. Non ſurrexit propheta vltra in Iſrael ſicut Moyſes: quem noſſet dominus facie ad faciem in omnibus ſignis atque portentis quæ miſit per eum vt faceret in terra Aegypti Pharaoni & omnibus ſeruis eius, vniuerſæque terræ illius. Helias verò in feruore diuini zæli (quo & reges Iſrael conſtanter increpabat, & reginam impiam crudelemque non verebatur: prophetas Baal, occidit, & populum Iſrael ad dei veri cultum perduxit) nullum habuit prophetarum illi iure æquiparandum. Ideo in eius præconium dicit Eccleſiaſticus. Et ſurrexit Helias propheta quaſi ignis & verbum ipſius quaſi facula ardebat. Verbo domini continuit cælum: & deiecit à ſe ignem terræ. Qui receptus eſt in turbine ignis: in curru equorum igneorum.

Deut. 18. *Deut.* 34. 3. *Reg.* 18. *Eccl.* 48.

4 ¶ In quarto verſu. De ſupremo germine. Germen dicitur: quod ab alio pullulat, germinandoque exoritur. Filius autem dei ex patre genitus eſt, natiuitate quidem intemporali & æterna: ideo rectè germen patris dicitur, & quidem ſupremum. Nam prima & ſumma eſt illa vnigeniti ad deum patrem filiatio, cæterarumque omnium propagationum naturalium veritas: ex qua omnis (vt ita dixerim) filialitas in cælo & in terra nominatur. Vox autem patris in transfiguratione dominica audita de ſupremo germine: fuit vox illa paterna cælo delapſa, & filij ſui teſtificatoria. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. At verò nubes lucida obumbrãs diſcipulos in eadem transfiguratione: ſpiritum ſanctum inſinuauit, qui ſpiritus eſt lucis, diſciplinæ & refrigerij cõtra æſtus vitiorum.

Matth. 17.

¶ IN EODEM FESTO TRANSfigurationis: alius hymnus.

1 *Nouũ ſyd⁹ exoritur*
Chriſti pia clementia:
Quo tenebroſa premitur
Inimici ſæuitia.
2 *Inſurgere cum nititur*
Malignitatatis ſpiritu:
Ex aduerſo reſiſtitur
Præpotenti exercitu.
3 *Roborantur in acie:*
Intuentes ſignaculum:
Deſudantes militiæ:
Vt aſſequantur brauium.
4 *Pro quo ſe cũctis obiicit*
Beatum in myſterio
Chriſtus & tandẽ perficit
Regnans in cæli ſolio.
5 *Gloria tibi domine*
Poteſtas & imperium:
Qui certantibus agie
Aperte monſtras præmiũ.
Amen.

¶ Hic hymn⁹ cũ carmine iambico dimetro cõuenit in certo debitoque ſyllabarum numero, qui in vnoquoque carmine eſt octonarius: non autem in legitima pedum collocatione. Nam modo trochæum, modo pyrrhichium habet vbi ſpondeus aut iambus habere ſedem ſitumque deberet. Cæterùm viſus eſt eius author (quiſquis is fuerit) rythmicæ potius ſonoritatis quàm metri rationẽ habuiſſe. Nã in vnoquoque verſu, primi & tertij carminis ſimilem ſtudioſè obſeruauit ſyllabarum exitum: ſimiliter ſecundi & quarti carminis terminalem conſonantiã. Cõmendatur in eo mira Chriſti benignitas, qui militibus ſuis in acie pugnaturis contra ſæuitiam dæmonis, oſtendere dignatus eſt in hac ſua transfiguratione futurorũ in regno cæleſti pręmiorum magnitudinem ac ſpeciem, vt illorum aſſequendorum ſpe atque fiducia erecti: acrius inſurgant in hoſtem & libentius duriſſima quæque perferãt. Nam (vt ait Mantuanus) Efficiunt pugnam præmia magna leuem.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nouum ſydus exoritur. Nomine noui ſyderis, per metaphorã trãſlatitiámque locutionem hic intelligitur ſacrum transfigurationis domini myſterium: terris de nouo exhibitum, quòd haud minus ſpirituali claritate perfundit pias hominum mentes: quàm ſenſibile ſydus claro ſplendore oculos corporales. In eo enim lumine transfigurationis dominicæ per

ſpicitur imprimis atteſtatio de Chriſto per veteris & noui teſtamenti patres,per legem itidem & prophetas: quòd ipſe is eſt qui miſſus eſt à deo ad mundi ſalutem. Secundo ſupremæ ac indiuiduæ trinitatis:in eadem eſt manifeſtatio patris quidem in voce.filij vero:in carne fulgida & cæleſti ſplendore conſpicua,ſpiritus autem ſancti:in nube lucida. Tertio gloriæ beatorum in regno cæleſti manifeſtata eſt ſpecies & quædam repreſentatio:ex qua tanquam ſub rutila imagine coniectare poſſint diſcipuli eorúmque aſſectatores fideles,quanta ſit amplitudo & copia beatitudinis æternæ,repromiſſæ ijs qui legitimè in agone certauerint: vt exinde incitentur ad animoſè dimicandum contra aduerſarios.

3 ¶ In tertio verſu. Deſudantes militiæ. Non hic deſidentes legendum eſt: vt aliqui habent libri, quòd eius dictionis ſignificatio:ſenſui huius loci repugnet. Eſt enim deſidere:cum quiete ſedere,& quaſi continuè ſedere,ſeu ſedendo tempus conſumere. Vnde formantur deſes & deſidioſus:idem ſignificantia quod ocioſus & ignauus,& deſidia: ocium,ignauia. At qui deſidet: neque rectè exercet militiam neque ad aſſequendum brauium ſe accingit. Deſudare verò eſt cum ſudore elaborare,eniti & conari,quod qui facit:munia militiæ rectè exequitur,& brauio dignus habetur: Itaque milites Chriſti,apoſtoli ſcilicet & diſcipuli, intuentes ſpectaculum illud futuri in cælo præmij : exinde roborantur,confortanturque in acie & bello ſpirituali contra hoſtes iuſtitiæ & veritatis,deſudantes ac inſiſtentes illi militiæ,agoni & certamini , vt aſſequantur brauium: cuius dulcedinem,precioſitatem & pulchritudinē aliquantulum prægustarunt.

4 ¶ In quarto verſu. Pro quo ſe cunctis obiicit. Chriſtus (inquit) pro illo brauio aſſequendo ſe in hac transfiguratione omnibus proponit atque oſtēdit in forma glorioſa : quaſi iam beatum. Integram autem beatitudinem & plenam atque completam:perfecte nunc oſtendit cæleſtibus ciuibus in regno ſuo immortali. Itaque tunc cū transfiguratus eſt,in parte exhibuit,atque in portiuncula quadam ante monſtrauit:quòd poſtea pærfectè atque exuberanter erat daturus,vt per illud tantillum:inuitaret ad influentiſſimum ſuum fontem.

1 ¶DE SANCTO LAVRENTIO.

MArtyris Chriſti canimus triumphum
Annuum tempus uenerando cuius:
Cernua uocis prece iam rotundus
Orbis adorat.
2 Pontifex Sixtus monuit miniſtrum
Fixus in ligno crucis: exequeris
Me cito, pœnam patiendo magnam
Ibis ad aſtra.
3 Tortor iratus petit: ut talenti
Pondus ignoti manifeſtet omne,
Mente ueſana cupiens uorare
Aurea lucra.
4 Spreuit hic mundi peritura dona.
Fert opem nudis: alimenta claudis.
Diuidit nummos miſeris cateruis
Corde flagranti.
5 Igne torquetur: ſtabili tenore
Cordis accenſus: ſuperat minaces
Ignium flammas, in amore uitæ
Semper opimæ.
6 Vritur poſtquam latus omne: teſtis
Verte præfecto loquitur iocando,
Corporis partem laniando coctam
Dentibus atris.
7 Spiritum ſumpſit chorus angelorum:
Intulit cælo pie laureandum.
Vt ſcelus laxet hominum: precando
Omnipotentem.
8 Supplici uoto rogitemus omnes
Sancte Laurenti ueniam preceris:
Qui tuum feſtum celebrant ubique
Voce uel actu.

Glo-

9 *Gloriam patri reſonemus omnes:*
Eius & nato iubilemus aptè.
Cum quibus regnat ſimul & creator
Spiritus almus. Amen.

¶ Carmen ſapphicum & adonicum: huius hymni modulationem contexit, aptéque componit. Nam cæterorum hymnorum huiuſce generis more: tria prima cuiuſque verſus carmina ſunt ſapphica & quartum adonicum, ſeruato vbique ipſius carminis recto contextu. Commemoratur in eo grauis agon durúmque certamen martyrij: quod beatus ſuſtinuit Laurentius pro confeſſione nominis Chriſti, & quomodo eo expleto tanquam miles inuictus: æthereas ſubijt ſidereáſque domos. Verùm hæc omnia ex vita & hiſtoria eius (quæ apud omnes ſatis eſt vulgata) perfacilè nota ſunt, neque ampliorem poſcunt declarationem.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Annuum tempus venerando cuius. Genitiuus ille relatiuus: ad nomen martyris antecedens refertur, & accuſatiuus annuum tempus: cum verbo adorat, ordinatur, vt gerundium venerando, abſolutè poſitum intelligatur: & ſine adiecto expreſſe accuſatiuo caſu, vt hic habeatur illius verſus ordo. Colimus triumphum martyris Chriſti Laurentij, cui' quidem martyris: orbis rotundus iam adorat & celebrat annuum tempus, venerando (ſubaudi ſi libet: illud annuum tempus aut feſtum) cernua prece vocis, ſiue humili ſupplicatione orationis.

2 ¶ In ſecũdo verſu. Exequeris me cito. Exequi propriè eſt opus iniunctum complere: & quod cuiquam mandatũ eſt perficere. Hic autem proſequi ſiue comitari (licet min' propriè) gratia ſeruandi carminis ponitur. Quòd ſi inſequeris aut aſſequeris in futuro indicatiui poſuiſſet author ſententiam feciſſet apertiorem: & locutionem reddidiſſet aptiorem.

3 ¶ In tertio verſu. Tortor iratus petit vt talenti. Hoc loco petit, in præſenti tempore & diſyllabum ponẽdum eſt. Nam ſi petiit in præterito perfecto ponatur & triſyllabũ: vitiatur carmen & rectè conſtare non poteſt.

5 ¶ In quinto verſu. Stabili tenore cordis accẽſus. Teno

re:conſtantia, firmitate, ſtabilitate, quæ animum eius adeo fixum, immotum incõcuſſũq; tenuit in amore dei: vt propter acerrima ignis incendia non fuerit dimotus à confeſſione Chriſti. Vitam autem opimam in eodem verſu vocat author, vitam regni cæleſtis: omnium bonorum copia cumulatiſſimam, & ſpiritualibus diuitiis abundè affluentem. Gloria enim & diuitiæ: in domo domini.

6 ¶ In ſexto verſu. Teſtis verte præfecto loquitur. Nomen teſtis, hic nominatiuus eſt ſingularis, annexus huic verbo loquitur: & idem ſignat quod martyr: quin potius ediuerſo martyr græcum nomen: idem eſt quod teſtis latinum, & martyrium teſtimonium. Et rectè ſanctus Laurentius hic teſtis dicitur. Nam tormentorum illi inflictorum tolerantia: teſtificatus eſt veritatem & ſynceritatem fidei Chriſtianæ. Quod ſi quis contendat hic nomen teſtis ablatiuum eſſe pluralem à nomine teſta, æ: ineptum prorſus faciet ſenſum. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Intulit cælo pie laureandum. Quoniam ſecunda ſyllaba aduerbij pie eſt longa: non conſtituitur in tertio illius carminis loco dactylus, vt deberet. Seruaretur autem carmen: ſi illius loco poneretur aduerbium bene: quod vtranque habet breuem. At verò laureandus non ſatis vſitatum eſt vocabulũ: quòd verbum laureor, aris vnde formetur, vſus latinorum non recipit, laureatus autem tritum & aptum nomen à nomine laurea, æ, non à verbo deſcendit, ſicut tunicatus, & loricatus. Ita etiam intelligatur hic laureandus: à nomine laurea non à verbo originem ducere. Demùm in tertio carmine huius verſus, tribrachus pro dactylo ponitur: quod in ſapphico carmine infrequens eſt ac inſuetum.

¶ DE SANCTO LAVRENTIO alius hymnus.

1 *EN martyris Laurentij*
Armata pugnauit fides.
Nam morte mortẽ diruit:
Ac ſemet impendit ſibi.
2 *Fore hoc ſacerdos dixerat.*
Iam Sixtus affixus cruci.
Laurentium flentem uidẽs
Crucis ſub ipſo ſtipite.
3 *Deſiſte deceſſu meo*
Fletum dolenter fundere.
Præcedo frater: tu quoque
Poſt hoc ſequeris triduum.

Extre-

4 *Extrema uox epiſcopi,*
Prænunciatris gloriæ:
Nihil fefellit,nam dies
Prædicta palmā præſtitit.

1 De eodem alius hymnus.

Conſcendat uſque ſydera
Cæliq; pulſet intima
Vox atque cantus omnium
Te deum collaudantium.
Adeſt nanque feſtiuitas
Et dies uenerabilis,
In qua cælum pro meritis
Laurentius ingreſſus eſt.
Qui ſuperatis ignibus
Et impijs tortoribus:
Sæuis deuictis hoſtibus,
Nunc gaudet in cæleſtibus.
4 *Ipſe dignetur dominum*
Rogare clementiſſimum:
Vt ab æternis ignibus
Nos ſeruet, & dæmonibus.
5 Deo patri ſit gloria
Eiuſq; ſoli filio,&c.

¶ Duorum præſentium hymnorum de ſancto Laurentio propoſitorum:primus carminis iambici dimetri legem integrè & ad vnguem ſeruat,non autem ſecundus : nam in prima ſede pro ſpondeo nunc trochæum habet nunc pyrrhichium.In ſecunda verò,pro iambo quandoque ſpondeum habet quandoque trochæum, & ita in tertio loco: vt ſolum numerum ſyllabarum videatur cum recto carmine iambico habere communem. Commendantur in eo dura certamina beati Laurentij:quæ conſtanter pertulit pro fide Chriſtiana,quemadmodum Sixtus ſummus pontifex illi prædixerat. Demùm oratio ad deum funditur: vt precibus ſancti Laurentij nos conſeruet ab æternis gehennæ incendijs.

1 ¶ ANNOTATIONES.In primo verſu. Nam morte mortem diruit. Beatus Laurentius morte ſua precioſa in conſpectu domini:& pro Chriſto ſuſcepta:diruit mortem peccati & infidelitatis à multorum cordibus , qui perſpecta eius indomabili conſtantia:adChriſtum ſunt conuerſi. Eadem quoq; morte ſua glorioſa:diruit mortem propriā, nam etſi ſecundum corpus mortuus eſt : anima tamen eius tranſlata ad vitam perpetuam , nihil diſpendij ex

Et is potiſsimum dicitur epiſcopus, qui peruigilem gerit curam populi fidelis, ſuæ directioni commiſsi, cuius virtutes, conditiones, atque officia deſcribit Paulus ad Timotheum his verbis. Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ornatum, prudentem, pudicum, hoſpitalem, doctorem. Et ad Titum ſcribens: eadem ferè repetit virtutis opera. Oportet (inquit) epiſcopum ſine crimine eſſe: ſicut dei diſpenſatorem. Inde epiſcopatus: intentiſsima vigilantia & conſideratio in ſubditorum directionem ad ſalutem, vt Paulus ad Timotheum. Fidelis ſermo. Siquis epiſcopatum deſiderat: bonum opus deſiderat. Cæterùm circa poſteriorem de ſancto Laurentio hymnum hoc loco adductum, nihil occurrit annotatu dignũ, quòd per quàm facilis eſt & intellectui peruius: ideo ab annotationibus circa illum conficiendis ſuperſedendũ duximus, ſolam literam adduxiſſe contenti.

1. Timot. 3
Titum. 1
1. Timot. 3

DE SVSCEPTIONE SANCTAE CORONÆ DOMINI: HYMNUS:

1 *Sacræ Chriſti celebremus*
Coronæ ſolennia:
Et ipſius reuocemus
Ad mentem præconia:
Vt impleta comprobemus
Legis uaticinia.

2 *Inter uepres demon ſtratur*
Veruex hærens cornibus.
In quo Chriſtus figuratur:
Coronandus ſentibus.
Deus uiuit: immolatur
Homo pro hominibus.

3 *Sina rubus inflãmatur:*
Nec tamen comburitur.
Ignis ſpinis coronatur:
Quo culpa conſumitur.
Nec læditur ſed ſacratur
Spina: dum ſic tangitur.

4 *Arcam, menſam, & altare:*
Sertum ambit aureum.
Et ſculptura cingit mare
Sacerdotum æneum.
Quæ nunc Chriſti ſignat clare
Diadema ſpineum.

5 *Sponſum ſerto decoratum:*
Eſaias meminit.
Ad uidendum coronatum:
Inuitans rex cecinit.

Hoc

Hoc Sibylla coornatum
Serto, vates concinit.
Gloria & honor deo:
Vſquequo altiſſimo.
Vna patri, filióque:
Inclyto paraclyto.
Cui laus eſt & poteſtas:
Per æterna ſecula. Amen.

¶ Carmine trochaico alcmanio & euripidio alternatim poſitis, præſens hymnus componitur, ſicut & ille de ſancto Nicolao ſuperius expoſitus. Pange lingua Nicolai, præſulis præconium. Obſeruatur tamen in eo, maiore ſtudio conſonantia alternorum verſuum, quàm integra carminis ante dicti lex & regula. excepto poſtremo verſu qui in fine cuiuſque hymni conſimilis generis, locum plęrúnque ſolet vltimum obtinere, vt pro more eccleſiaſtico deſinat hymnus in glorificationē ſummæ trinitatis. Referuntur in eo præconia ſacræ coronæ ſpineæ, qua dominus noſter in ſua paſſione fuit coronatus, & multæ veteris legis adducuntur figuræ & oracula prophetarum: quibus præſignatum fuit ipſius ſacræ coronæ myſteriū quemadmodum annotationes ſequentes clarius elucidabunt.

2 ¶ ANOTATIONES In ſecundo verſu. Inter vepres demoſtratur. Cum Abraham prohibitus eſſet ab angelo immolare filium ſuum, quemadmodū propoſuerat, eleuās oculos ſuos vidit poſt tergum, arietem cornib' inter vepres, aſſumens, obtulit holocauſtum pro filio ſuo. Ille autem aries vepribus circunſeptus. Chriſtum ſignificauit à Iudæis ſpinea corona affligēdum. Idē quoque aries immolatus, ipſo Iſaac dimiſſo incolumi: ſignauit humanitatem Chriſti pro redemptione mundi mortem paſſuram. ipſa diuinitate per Iſaac repreſentata, permanente impaſſibili, & in perpeſſione dolorum & mortis nihil habente conſortij cum carne. vt præclare oſtēdit Damaſcenus: circa finem tertij libri, de fide orthodoxa. 3 ¶ In tertio verſu. Sina rub' inflammatur. Cum minaſſet Moyſes gregem ſuum vſq; ad interiora deſerti & veniſſet ad montem Sinai: vidit rubum ardentem atque inflamatum, qui tamen minime comburebatur, & ita ſpinæ rubi illic circundabātur igni: non tamen abſumebantur. Significabat autem hæc figura CHRISTVM qui ignis eſt conſumens omnem culpam (deus enim noſter, vt ait Moyſes ignis conſumens eſt) ſpinis coronandum. At quemadmodum in

Gene. 22 — Exod. 3 — Deut. 4

in rubo, ſpinæ igni circundatæ non lædebantur eius incẽ
dio, ita & contactu ſacratiſsimi capitis Chriſti coronata
ſpinea non eſt læſa aut reddita contemptibilior: ſed con-
ſecrata in ornamentum & diadema regis æterni. 4 ¶ In Exod.25
quarto verſu. Arcam menſam & altare. In exodo arca iuſ
ſa eſt à domino cõponi ex lignis ſethim, & in eius circui-
tu corona aurea fabricari. In menſæ itidẽ & altaris cõpoſi
tione: per gyrum iuſsit dominus coronam auream circũ-
poni. Quod deinde ab ipſo artifice diuino delectu ad id
opus conficiendum accito: completum fuiſſe deſcribitur. Exo.37
Inſuper in libro tertio Regũ dicitur Salomon feciſſe, ma- 3.Reg.7.
re fuſile decem cubitorũ à labio vſque ad labium, rotun-
dum in circuitu, & ſculptura ſubter labium circuibat il-
lud: decem cubitis ambiens mare. Hæc autem quatuor o-
pera materialia, coronis au ſculpturis circundata: ſignifi-
cabant Chriſti caput in circuitu ſpinis circunſpiciendum,
ſpineaque corona per gyrum circundandum, quoniã ip-
ſe eſt arca noui teſtamenti myſtica: continens in ſe diuinæ
maieſtatis ſecretum, velamine carnis obtectum. Ipſe itidẽ
eſt menſa illa propoſitionis: in qua collocatur panis vitæ,
ſacratiſsimúmque eius corpus iugiter coram domino. De Pſal.22
qua menſa loquitur propheta in pſalmo. Paraſti in con-
ſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. Eſt
etiam Chriſtus altare ſpirituale, in quo offeruntur no-
ſtra vota & preces: quoniam per ipſum à deo acceptan-
tur. Denique idem eſt mare æneum ſacerdotum: in quo
abluuntur ab inquinamentis, quoniam fons eſt miſericor
diæ copioſus, immò immenſũ gratiæ pelagus: in quo pec-
cata noſtra abſtergũtur & diluuntur. Apud dominum e-
nim miſericordia: & copioſa apud eum redemptio. Pſal.130
5 ¶ In quinto verſu. Sponſum ſerto coronatum. Apud Eſa.16
Eſaiã Chriſtus ſpiritus domini vnctus: dicere perhibetur.
Induit me dominus veſtimẽto ſalutis, & indumẽto iuſtitiæ
circũdidit me: quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi
ſponſam ornatam monilibus ſuis. Vbi ſeipſum nominat
ſponſum decore coronæ adornatum: præſignificans ip-
ſius ſacræ coronæ ſpineæ ſacramentum. Præterea Sa-
lomon in cantico canticorũ ait ad animas fideles ſponſæ Can.3
pediſſequas. Egredimini filiæ Syõ & videte regẽ Salomo
nẽ in diademate: quo coronauit illũ mater ſua ĩ die deſpõ
ſationis

uam rationem, quoniam eos demùm victores coronabit in cælis. Denique eſt præmium eorundem: quoniam eſt ipſorum merces copioſa in regno cælorum, quemadmodum dixit Abrahę. Ego protector tuus ſum: & merces tua magna nimis. Accommodatior autem huius carminis eſſet ſermo: ſi geminata coniunctione ita legeretur, ſors, & corona, & præmium, quoniam non ſolet coniunctio illa inter primum & ſecũdum copulatum poni: niſi etiam collocetur inter ſecundum & tertium: ſi affuerit. Gene.15

2 ¶ In ſecundo verſu. Tuos coronet aurea. Adiectiuũ illud, in ablatiuo caſu collocari intelligatur: & corona ſpinea in nominatiuo, vt ſenſus ſit, tuum ſertum ſpineum in terris tuo capiti impoſitum: aureo nos diademate coronet in cælis. Suſtulit enim Chriſtus hic pro nobis ſpineam cõronam, vt aureę coronæ decore nos exornaret in regno cæleſti. In tertio autem verſu corona domini ſpinea dicitur myſtica: quia ſignificabat regnum & dominatũ Chriſti in Iudæos & omnes fideles, quanuis id non intelligentes milites: per ludibriũ ipſum appellarint regem Iudæorum. Coronæ autem ſpineæ patrocinium ſuſceptũ eſt ab iis: ad quos delatum eſt hoc ſacrum pignus, cuius præſidio & munimine tuti redduntur ab hoſtium inſultibus: & protectione firmantur. Demùm vox melica dicitur vox harmonica, nam melos vnde id deducitur adiectiuũ: concentum & melodiam ſignat. Ioan.15

4 ¶ In quarto verſu. Noſtra conſeruat regio Inclyta Gallorum regio & præſertim florentiſsima vrbs Pariſienſis: hunc ſacræ coronæ ſpineæ theſaurum conſeruat in regio illius palacio reconditum. Inſtante autem iudicio extremo, Chriſtus hoc reſumet depoſitum, humanæque cuſtodiæ commiſſum: quoniam ſicut cum cruce, clauis, flagellis & aliis ſuæ paſsionis inſignib⁹ apparebit in iudicio, ita & cum ſpinea corona angelico miniſterio deferenda. Quare vt ipſa corona exhibeatur coram omnium conſpectibus: repetetur à Chriſto, & ab eo loco vbi repoſita eſt accipietur. In quinto verò verſu Chriſtus in huius mundi ſtadio dicitur nos coronare tanto diademate, coronæ ſcilicet ſpineę, quoniam nos exornat & nobilitat eo beneficio: vt repoſitum apud nos habeamus tã precioſum theſaurum, contactu ſacratiſsimi capitis ſui conſecratum, &

precioſo ſuo ſanguine ſanctificatum, quo tam amplo raróque donario multisque negato populis: quodammodo coronari, ac inſigniri videmur.

DE EADEM SVSCEPTIONE CO-
ronæ ſpineæ: alius hymnus.

1 *AEternæ rex altiſſime*
Reddens coronas perditas:
Da coronæ ſanctiſſimæ
Laudes proferre debitas.
2 *Corona Chriſti capitis:*
Membra coronat hodie.
Honoribus exhibitis:
Concrepet uox letitiæ.
3 *Sertum ſignat uictoriam:*
Qua Chriſtus mortem expulit.
Spinæ, noſtram miſeriam:
Quã caput noſtrũ ſuſtulit.
4 *Vitæ coronam reperit*
Corona mortis auxiæ.
Quo mors ſoluta deperit:
Datur triumphus gratiæ.
5 *Tu fructus trium ſeminum.*
Ieſu corona uirginum.
Corona continentium:
Coniugatorum præmium.
6 *Qui tanto diademate*
Nos coronat in ſtadio:
Cum utriuſque pneumate
Sit laus patri cum filio.

Amen.

Præſens hymnus, & in carminis ipſius modulatione & materiæ pertractatiõe: pręcedẽti hymno perſimilis eſt, habet enim formam & ſpeciem carminis iambici: quanuis eius exactam legem non obſeruet, ſed potius conſonãtiæ carminum eiuſdem verſus in exitu ſyllabarum conformitatem. Pertractat etiam coronæ ſpineæ domini laudes ac præconia: quid myſticæ illa ſigneta daperiens, & quãtum nobis beneficium cõtulerit æternæ ſcilicet coronæ in cælis conſecutionem.

1 ❡ ANNOTATIONES. In primo verſu. Reddens coronas perditas. Per lapſum primorum parentum, perditæ ſunt quamplurimæ coronæ: quas aſſecuti fuiſſent homines ſi perſtitiſſet Adam in ſuam innocentiã, quoniam ad eas perueniſſent finito huius vitę curriculo: quas tamẽ per præuaricationem protoplaſtorum & inde ſequentem

propriam

propriam ipſorum culpam perdiderunt. Eas autem coronas Chriſtus nobis reddidit: quoniam per paſsionem ſuã & mortem recluſit nobis ianuã paradiſi, aditúmque præſtitit ad percipiendam æternę glorię coronam prius amiſſam. 2 ℭ In ſecundo verſu. Corona Chriſti capitis. Id per appoſitionem intelligendum eſt: non ſeiunctioné, vt hic habetur ſenſus, quòd corona ſpinea Chriſti qui eſt caput noſtrum, hodie coronat membra, ſiue noſipſos, qui ſumus inuicé membra in corpore myſtico, vt hoc modo caput ad membra aptam habeat concinnitatem: quæ non ita eluceret nec eſſet conſpicua, ſi caput Chriſti intelligeremus hoc in loco corporaliter: quòd ſpinis fuit confixum. Sanè Chriſtus eſt caput noſtrum: quoniam ipſum dedit deus caput ſuper omnem eccleſiam, & ipſe eſt caput corporis eccleſiæ, vt ait Paulus. Coronaauté domini ſpinea: dicitur hodie membra coronare: quoniam eius præſentia & ſolennitas: magno nos afficit honore, & nouo beneficio adornat, quemadmodum in fine præcedentis hymni dictũ eſt ſecundum eandem ſententiam: quòd tanto diademate coronæ ſcilicet ſpineæ, Chriſtus nos coronat in ſtadio. *Ephe.1* *Coloſ.1*

3 ℭ In tertio verſu. Sertum ſignat victoriam. Explicatur hoc loco myſtica ſignificatio coronæ ſpineæ domini, ſecundum quã, corona deſignat victoriam: qua de morte Chriſtus triumphauit, quòd victores, apud antiquos: corona ſolebant adornari in ſignum victoriæ. Idcirco ſancti in regno cælorum mundo triumphato glorioſi: viſi ſunt geſtare coronas in capitibus eorum. Spinæ verò quibus coronatus eſt Chriſtus deſignant humanæ conditionis miſeriã, quam Chriſtus qui caput eſt noſtrum pertulit in prę ſentis vitæ incolatu, quoniam inter cætera miſeriæ noſtrę incommoda hoc ipſi Adæ à domino eſt inflictum: quòd cum operaretur terrã, produceret illi ſpinas & tribulos. *Apoc.7* *Gene.3*

Itaque in argumentum noſtræ miſeriæ à Chriſto toleratæ: caput eius ſpinis eſt confixum. 4 ℭ In quarto verſu. Vitæ coronam reperit. Mortis anxiæ corona, fuit ipſa corona ſpinea: quam tépore mortis & paſsionis ſuæ amariſſimę Chriſtus pertulit, immò quæ cum cęteris illi inflictis tormentis mortem demùm intulit. Illa autem attulit nobis coronam vitæ: quoniam promeruit nobis & cõtulit vitæ perpetuæ in cælis hæreditatem ac conſortium. Ipſa

nanque

Summum ſine tenet ſine

3 *Quæ uirgo peperit, uirgoq́; permanet*
Lactauit propriis uberibus deum:
Portantémque gerebat
Vlnis prona trementibus.

4 *Fœlix multiplici laude puerpera:*
Regis porta ſui clauſa perenniter.
Mundi ſtella fluentis:
Floris uirgula regia.

5 *Te nunc ſuppliciter ſancta theotocos*
Regis perpetui ſponſaq́; poſcimus:
Vt nos ſemper, ubique
Miti munere protegas.

6 *Sanctis obtineas uirgo precatibus*
Pacis præſidium dulce diutinæ:
Nobis atque beati
Regni dona perennia.

7 *Præſta ſumme pater, patris & unice:*
Amborumq́; ſimul ſpiritus annue.
Qui regnas deus unus:
Omni tempore ſeculi. Amen.

Præſens hymnus, tricolos eſt atque triformis: quòd in vnoquoque verſu tria carminum genera cõplectatur. eſt & tetraſtophos: quoniam poſt quatuor carmina ad primum genus completo iam verſu reuertitur. Cõſtat enim quiſque verſuum ex duobus primis carminibus aſclepiadæis, tertio autem pherecratio (quod dactylicũ eſt trimetrum: conſtans ex primo pede ſpondeo, ſecundo dactylo, & tertio ſpondeo vel trochæo) quarto verò carmine glíconico. Nõ tamen vbique ſeruatur recta huius carminis lex. Nã in primi verſus ſecundo carmine, loco primi choriãbi ponitur ionicus maior: cõſtans ex duabus primis ſyllabis longis & reliquis duabus, breuib⁹ cũ ſecũda ſyllaba dictionis eccleſia: ſit lõga: eo quòd apud Græcos per η ſcribitur, quæ apud Latinos ſemper in e longum conuertitur.

nentémque vniuerſa ſecundum diuinitatis maieſtatẽ. At quoniam ipſa, deitatis filij ſui haud dubiè erat conſcia: cũ humilitate, veneratione, & tremore illum in annis infantilibus, & cõtrectabat & brachiis geſtabat, non immemor ſe illum geſtare: qui totum hunc mũdum immenſa virtute gubernat, idcirco prona ſiue inclinata & humilis, eum hic geſtaſſe dicitur vlnis tremẽtibus: ob venerationẽ, dignitatẽ, & reuerentiã eius qui portabatur. 4 ¶ In quarto verſu. Floris virgula regia. Alludit illa ſentẽtia ad illud Eſaię oraculum: ſæpius ante adductum. Egredietur virga de radice Ieſſe: & flos de radice eius aſcendet. Vbi nomine virgæ, ſacratiſsima virgo: & nomine floris, dominus noſter Ieſus Chriſtus accipiẽdus eſt. Itaque hic virgula regia dicitur ſemper ſancta virgo: quia ex regali progenie exorta refulget, & de ſtirpe Dauid nata. Virgula inquã floris: quoniã ex ea flos ille ſuauiſsimus prodiit, cuius odore bono totus mundus: ad vitam reuocatus eſt. 5 ¶ In quinto verſu. Te nũc ſuppliciter ſancta theotocos. Id nomen gręcum: idem ſignificat latinè quod deũ pariens, vel dei genitrix, ſiue deipara. Quod quidẽ epithetum: illi merito & verè ab eccleſia catholica attributũ eſt, primũ in tertio cõcilio vniuerſali, atque inter quatuor primas ſacroſanctas patrum cõciones tertio loco celebrato apud Epheſiũ, ſub Celeſtino primo, ſummo pontifice, & Theodoſio iuniore Romanorũ impetratore: in conceſſu ac cœtu ducẽtorum patrum, circa annum domini quadringenteſimum viceſimum quartum. In quo damnata eſt impij Neſtorij veſania atque blaſphemia: aſtruentis ſacroſanctam virginem Mariam non dei ſed hominis tantummodo fuiſſe genitricem, vt aliam perſonam carnis, aliã faceret deitatis: Chriſtúmque verum deum eſſe negaret. Ad cuius explodendã hæreſim decreuit vnanimi ſententia, illa celeberrima ſynodus: ꝙ beata virgo, deinceps theotocos, id eſt dei mater appellaretur. Idẽ quoque deinde corroboratum eſt & ſecunda aſſertione denuo approbatum temporibus Vigilij ſummi pontificis: contra repullulantem ipſius Neſtorianæ hæreſeos per improbos aſſectatores impietatem, circa annum domini quingenteſimum & qinquageſimũ. Nempe ea tempeſtate, Conſtantinopoli quinta ſynodus habita eſt contra Theodorum & eius aſtipulatores: qui

Eſa.11

affirmabant beatam virginem, ſolum hominem non etiã deum & hominem peperiſſe. Qua quidem in ſynodo rurſum conſtitutum eſt authore Platina: vt beata virgo, theotocos diceretur, quia deum ſuo partu nobis ædidiſſet. Cæterùm quanuis ea dictio theotocos quatuor habeat ſuas ſyllabas breues: quòd in trib⁹ poſtremis ſyllabis pero paruum apud Græcos ſcribatur, neceſsitate tamen carminis adactus author: hic ſecundam eius ſyllabam producit.

IN EODEM FESTO ASSVMPTIONIS: alius hymnus.

1 *O Quàm glorifica luce coruſcas:*
Stirpis Dauidicæ regia proles.
Sublimis reſidens uirgo Maria:
Supra cæligenas ætheris omnes.

2 *Tu cum uirgineo mater honore:*
Angelorum domino pectoris aulam
Sacris uiſceribus caſta paraſti.
Natus hic deus eſt corpore Chriſtus

3 *Quem cunctus uenerans orbis adorat:*
Cui nunc rite genu flectitur omne.
A quo nunc petimus te ueniente
Abiectis tenebris gaudia lucis.

4 *Hoc largire pater luminis omnis.*
Natum per proprium flamine ſacro.
Qui tecum nitida uiuit in æthra:
Regnans ac moderans ſecula cuncta. Amen.

Præſens hymnus vnico genere carminis componitur: quod eſt dactylicum: tetrametrum, hypercatalecticum. Dactylicum quidem: à pede dominatũ in eo tenente. Tetrametrum, à numero pedum. quoniam ſingula carmina quatuor continent pedes. Et hypercatalecticũ: quoniam in medio vna ſyllaba ſupercreſcit. Conſtat enim id carmen ex pẽtimetri dactylica heroica, id eſt duobus pedibus & medio, carminis heroici, habens primo loco ſemper ſpondeum, ſecundo verò dactylum: & deinde ſyllabã longam adiectam, quæ debet ob ſonoritatẽ carminis claudere

dere dictionem: & vltima eſſe ſyllaba alicuius dictionis. Tertio autem loco hoc carmen ſemper habet dactylum: quarto verò ſpondeum vel trochæum. Laudatur in hoc hymno ſacratiſsima virgo, quòd regia ſtirpe ædita, claro virtutum & gratiarum ſplẽdore ſit mirificè adornata, nõ ſolum cum in terris facta eſt dei mater: ſed & nunc in cælis, vbi ſuper omnes ſanctorum ordines glorioſa reſidet. Porrò ſacræ aſſumptionis ipſius gloriam diffuſius exprõpſimus in opuſculo de huius ſolennitatis celebritate ædito. idcirco ab illa latius explicanda nunc ſuperſedendum duximus: & ad annotationes pro more tranſeundum.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Stirpis Dauidicæ regia proles. Quoniam id nomen Dauid, d terminalem habet & poſtremã literam non t, in adiectiuo Dauidicus inde formato manere debet litera d in tertia ſyllaba, quare Dauidicus ſcribendum & proferendum eſt: non Dauiticus. Rurſum Latini id nomen (quod apud Hæbræos inflexionem per caſus refugit) declinant plærũque more nominis tertię declinationis, & probati authores in obliquis illius nominis ſic inflexi vt Dauidis, Dauida: mediam illam ſyllabam producunt vt Mantuanus in prima Parthenicæ. Sic Dauida pater tulit: Ezechiáſque Manaſſem. Sic Eroſmus Arã genuit: Salmona Naaſon. Quare deriuatum ab eo adiectiuum Dauidicus: ſecundã illã ſyllabam debet habere longam, quod ſtudioſè ſeruant exactiores & terſiores latinæ linguæ authores. Vt mãtuanus in eodẽ opere. Cũ cœtu comitata graui Dauidica virgo: In patriã reduxi flexit veſtigia greſſu. Quod etiã ſi ſedulo obſeruaſſet hic hymnographus ſecundũ carmen primi verſus reddidiſſet nitidius & aptius. 2 ¶ In ſecundo verſu. Angelorum domino. Non ſeruatur hoc in verſu recta huius carminis lex. Nam in prima ſede loco ſpondei ponitur amphimacrus, pes triſyllabus: vnã breuẽ ſyllabam duabus longis interiectam habens, qui in huiuſmodi carmine dactylico nunquã pro ſpõdeo poni ſolet. At verò ſi hoc modo legeretur illud carmen. Cælorũ domino pectoris aulã. Et aptum eſſet carmem & grata prolatio ob debitum ſyllabarum numerum, pedúmque ſitum: necnon & ſententiæ integritas atque decẽtia ſeruaretur. Cõſimiliter in vltimo eiuſdẽ ſecundi verſus carmine: contra dactylici

metri legem ac regulam trochæus pro ſpondeo in prima ſede collocatur. Verùm illi facilè occurreretur vitio: ſi cõmutato duarum primarum dictionũ ordine hoc modo cõtexeretur carmen. Hinc natus deus eſt corpore Chriſtus.
3 ¶ In tertio verſu. A quo nos petimus te veniente. Relatiuum te, ſacroſanctã virginem mõſtrat: ad quam ſolam in tribus primis verſibus dirigitur ſermo. Petimus autẽ in hac oratione ipſam venire in noſtrũ ſubſidiũ: potiſsimum in agonia & anguſtia mortis, vbi omni humano auxilio deſtituti: ſummopere dei & glorioſę virginis Mariæ angelique cuſtodis indigebimus præſidio, ne malignus rapiat vt leo animã noſtram. 4 ¶ In quarto verſu. Hoc largire pater luminis omnis. Nomine luminis, ſpiritualia dona à deo in creaturas rationales profluentia, hic rectè intelliguntur quemadmodum Iacobus ait. Omne datũ optimum & omne donum perfectum, de ſurſum eſt: deſcẽdẽs à patre luminum. Flamẽ autẽ hic neutri generis eſt idem ſignificans quod ſpiramen ſiue ſpiritus ſanctus, & nomen verbale eſt: formatum à flo, as. Nam ſi maſculinum eſſet nomen: ſignificaret ſacerdotem gẽtilium, vt Romanorũ, quæ ſignificatio huic loco nequaquam congruit. Deniq;: æthra diſyllabum hic proferendũ eſt: vt ſatis oſtendit ipſa carminis ratio, & ſignificat ſplendorem ſiue fulgorem ætheris: hic autem pro ipſo toto cælo ſumitur.

DE SANCTO STEPHANO:
1 rege Hungariæ.

Gaudent cæli noua luce:
Tonitrui uox dũ clangit.
Nouo rege nouo duce
Gedeonis tuba barrhit.
2 Per quẽ fratres liberan
Paganiſmi cæcitate. (tur
Hungarorum gẽs lætatur
Ortu prolis & magiſtri.

3 Pannonia gratulatur:
Angelica uox dum ſonat.
Decrepitus dux cum Geſa:
Dei cepit repromiſſa.
4 Inquit miſſus æthereus.
Sũ protomartyr Stephanus:
Et qui naſcetur Stephan⁹:
Rex erit & apoſtolus.
5 Pater credẽs admirãtur,
Pauens mater rẽ rimatur.

Rore

Rore ſimul perluſtratur
Orthodoxæ fidei.
6 *Creſcunt dona, creſcunt laudes:*
Cor cõgaude, vox nõ ceſſet
Cum non ſiſtat operari
Summus rerum artifex.
7 *Puer natus vegetatur:*
Et in regem coronatur
Regnum rite gubernatur:
Fides Chriſti dilatatur.
8 *Sydus claret matutinũ*
Ante ſolem fert vexillum.
Per quod, ſolis fulſit lumen
In Hungarorũ mentibus.
9 *Hic eſt miles, rex, & rector.*
Qui dum rexit & regnauit
Hoſtis tandem de tortura
Gentem ſuam liberauit.
10 *Hierarchiæ iam congaudent:*
Cum rex regni prædicatur.
Reparandam ad ruinam:
Saxa quadrauit verbere.
11 *Almo patri ſit gloria*
Natóque ſit victoria:
Amborum cum ſpiramine
In ſempiterna ſecula.
Amen.

¶ Præſens hymnus in ſolo ſyllabarum numero conuenit cũ carmine iãbico dimetro, habẽs in vnoquoque carmine inſtar illius, octo ſyllabas. Quòd ſi pauciores inueniantur forſan ob librum mendoſum, adiiciendæ ſunt. ſin verò plures quàm octo, reſecandæ, vt ſaltem debitus ſyllabarum numerus hic ſeruetur cum hoc metro communis. Nam pedes nullo modo habet hic hymnus illi generi carminis congruentes, ſed ſine diſcrimine nunc trochæũ nunc pyrrichium in quauis ſede, nunc verò ſpondeum in ſecunda liberius admittit. Commemorantur in eo præconia ſancti Stephani regis Hungariæ: cuius vita (vt clarior habeatur totius hymni intelligentia) quoniam vulgata non eſt neque apud omnes cognita, hoc loco paucis eſt perſtringenda. Poſt Attilam qui primus fuit author ingreſſus Hunnorum in Hungarium, quartus illorum immanium populorum (quos ob feritatem & ſeuitiam appellarunt ea tempeſtate flagellum Chriſtianorum) princeps: fuit Geyſa, author ſecundæ ingreſsionis Hunnorum in Pannoniã: quàm à ſe deinde vocarunt Hungariã. Is & ſi more illi⁹ barbaræ gentis, in ſuos efferus eſſet & crudelis

in alienos tamen vt Chriſtianos mitis erat & benignus quanuis adhuc à vera fide alienus foret & gentilis. Vnde Chriſtianis omnibus regnum ſuum intrare volẽtibus hoſpitalitatem & beniuolentiam exhibuit, clericis & monachis poteſtatem fecit ſuam præſentiam adeundi: quibus de fide Chriſtiana diſſerentibus libenter accommodauit aurem, & tandem ipſe credidit in Chriſtum cum familiaribus ſuis. & ſacro baptiſmatis fonte ablutus eſt, proponens apud ſe omnes ſuæ ditioni ſubiectos etiam ad orthodoxæ fidei confeſsionem adducere. Cumque id negocij animo ſolicito ſecum volutaret tacitus: vidit in ſomnis aſtantem ſibi iuuenem aſpectu decorum (erat autem is: angelus eius cuſtos) qui à deo ſe miſſum cõteſtans, iuſsit ipſum omnẽ illã qua angebatur curam animo deponere: quoniã quæ meditabantur per eum non erant omnino cõplenda, quòd manus haberet humano ſanguine in bello effuſo pollutas: ſed per filium ſibi diuino munere naſciturum. Facta eſt deinde eidem Geyſæ & eius coniugi altera reuelatio à beato Stephano protomartyre. quòd filius ipſorũ, Stephanus vocari debeat. Qui cũ natus eſſet, à ſancto Adalberto archiepiſcopo Pragenſi per ſummum pontificem ad Hungariam miſſo, baptiſatus eſt: & primus ab incunabulis Chriſtianus rex Hungarorum. Et factus eſt ipſis non ſolum moderator regni: ſed & apoſtolus & prædicator veritatis catholicæ, totúmque regnum ſuum integrè conuertit ad Chriſtum, quare & gẽtis illius patronus eſt præcipuus: tutelariſque & defenſor ſingularis ac vnicus. Nempe cum vitam ageret, ipſam tutatus eſt ſedulo ab infeſtis hoſtibus, illorum vires armis cõtundendo, aut precibus ad deum non minus quàm gladio pro ſuo populo dimicando, illique pacem impetrando. Celebratur autem quotannis dies eius feſtus: viceſima die Auguſti. Porrò tranſiuit ex hoc regno temporali ad cæleſte: anno verbi incarnati triceſimo octauo ſupra milleſimum, ſepultus in Baſilica Albenſi quam in honore dei genitricis cõſtruxerat: vbi multis coruſcat miraculis.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Tonitrui vox dum clangit. Clangere, eſt tuba perſonare ad ineundum prælium. Vnde clangor, tubæ ſonitus. Virgilius. Aſtra ferit ſonus armorum, clangórque tubarum. Cum

autem

autem tonitruū perſtrepit in nubibus ſubito fulgore totus aer emicat.ita & in noua huius ſancti celebritate (cuius ſplendor virtutis mirificè rutilat) noua laudum reſonare debent præconia vt in noui regis feſto, innouentur & gaudia. At verò cum idem verſus ſubiungit in quarto carmine, Gedeonis tuba barrhit: inſinuat hiſtoriam ſacram quę in libro Iudicum ſcribitur de Gedeone. quo modo ipſe cū trecentis viris pugaturus contra Madiam, ſtetit circuitu caſtrorum hoſtilium, & clangore continuo buccinarum, cōfractionéque lagenarum fictilium & fulgore lampadum, totum exercitum hoſtium profligauit & in trepidam fugam conuertit. ita & hic ſanctus Stephanus tuba ſuæ vocis altiloca perſonans, omnem deorum veterum immò dæmoniorum cateruam effugauit à phanis Hungariæ, & totam illam regionem deo conſecrauit. denique barrhire, proprium eſt elephantorum, qui etiam barrhi ab authoribus nominantur. & cum vocem ædunt, barrhire dicuntur. Inde barrhitus, vox elephanti. 2 ¶ In ſecundo verſu Ortu prolis & magiſtri. Non hic orto legendum eſt, vt habēt libri mendoſi. Nam illud, adiectiuum eſt participium, cui deeſt nomen ſubſtantiuum, neque cum genitiuo conſtitui poteſt quemadmodum hic ponuntur genitiui ab illo ablatiuo regendi. Sed ſi ortu legatur, & ſententia & oratio erit apta. Proles autē & magiſter, & beatus Stephanus, qui nunc celebratur? proles inquam Hungarorum, quoniam ex ipſis oriundus & exortus eſt. Magiſter verò, quoniam illorum in Chriſti fide inſtitutor ac doctor. 3 ¶ In tertio verſu. Decrepitus dux cum Geſa. Licet in oratione ſoluta vox illa Geſa triſyllaba ſcribatur ac proferatur, interiecta y Græca inter duas ſyllabas in hoc tamen loco & carmine, abiecta y, proferri debet diſyllaba, vt non excedatur numerus ſyllabarum cuique carmini debitus. Nequę enim triſyllabam admitteret ipſa carminis ſtructura. *Iudicum 7.*

4 ¶ In quarto verſu. Rex erit & apoſtolus. Græcum eſt id nomen apoſtolus, ſignificans idem quod miſſus. Quoquidem nomine inſigniti ſunt & nūcupati à domino, prę ſertim illi duodecim ab eo electi & miſsi ad annuntiationem euangelij in omnem terram. Secundo tamen loco & poſt eos, ſancti viri in diuerſas regiones diuina diſpenſatione miſsi vt illis primum euagelizarent myſteria fidei, dicuntur

dicuntur etiam illorum populorum quibus annunciarunt eloquia dei, apoſtoli. Sic enim ſacratiſſimus pater Dionyſius Areopagita: Galliarum dicitur apoſtolus, & ſanctus Firminus: Ambianenſium, ita & beatus iſte Stephanus: rectè dicitur Hungarorum apoſtolus.

5 ¶ In ſexto verſu. Cum non ſiſtat operari. Simplex pro compoſito hic intelligatur ſumptum: ſcilicet ſiſtat pro deſiſtat quod ſæpe vſu venit: vt ponere pro deponere, mittere pro dimittere, & legere pro eligere plerunque accipitur.

8 ¶ In octauo verſu. Ante ſolem fert vexillũ. Id dictum putetur, quoniam lucifer vt ſolaris ortus prænuncius: ante ſolem exoritur: & eam ob rem: ante ſolis lucem dicitur quaſi ſignum & vexillum ferre. Ita & ipſe Stephanus exortus eſt, vt lumen Chriſti (qui eſt ſol iuſtitiæ) luceret in cordibus Hungarorum.

10 ¶ In decimo verſu. Hierarchiæ iam congaudent. Si gaudium eſt angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: quantò magis ſuper totius vnius populi à ritu gentilitio ad Chriſtum conuerſione? Itaque cæleſtes hierarchiæ & angelici ſpiritus hic congratulati fuiſſe dicuntur: cum beatus Stephanus Hungariæ rex inſtitutus eſt. Qui ad inſtaurandum ruinam & lapſum Hungarorum à fide: ſaxea eorum corda in quadrum diſpoſuit, & virtuti exercendę adaptauit crebra prædicationis inculcatione: quaſi malleo aſſiduè feriente & excidente à cordibus eorum quod inutile viſum eſt, quemadmodum ædificij ruinam reparaturus: ſaxa in quadratam redigit figuram aſſiduo verbere celtis aut ſcalpri, tollentis quod in eis ſuperfluum eſt.

¶ DE SANCTO LVDOVICO: rege Francorum.

1 *Gaude mater eccleſia*
Nouæ laudis præconio:
Quam Ludouici gloria
Solenni replet gaudio.

2 *De regno terræ uehitur*
Ad regni cæli ſolium:
Cuius vita dinoſcitur
Forma uirtutum omnium.

3 *Fide purus, ſpe patiens.*
Et charitate feruidus.
Omni petenti largiens:
Pius,

Pius,pudicus,prouidus.
4 *Fraus,furor,uiolentia*
Relegantur à ſubditis
Signa coruſcant uaria:
Virtutum eius meritis.
5 *Pro corona iuſtitiæ*
Iam coronatus gloria:
Noſtræ memor miſe-
riæ
Cæli procuret præmia.
6 *Trino deo & ſimplici:*
Laus,honor, uirtus, glo-
ria.
Qui nos regis mirifici
Coronet per ſuffragia.
Amen.

¶Hymnus iſte formam gerit carminis iambici dimetri, ob certum ſyllabarum numerum in vnoquoque eius carmine ſeruatum:qui etiam debetur illi generi metri. Eius tamen pedes non habet legitimè diſpoſitos, nam loco iãbi in ſecunda ſede nunc ſpondeum habet,nunc trocheum alijs etiam in locis plærumque trochæum admittit pro ſpondeo aut iambo. Verùm alterna eiuſdem verſus carmina vt primum & tertium inter ſe, ſimiliter ſecundum & quartum adinuicem mutuum habent reſponſum in deſinentia & exitu ſyllabarum:ſtudioſè loco legis metricę obſeruatum. Incitatur in eo tota fideliũ cõcio:ad celebranda ſanctiſſimi Ludouici regis Francorum feſta,cuius egregię virtutes & præclara opera in regum Gallorum annalibus atque hiſtorijs ampliſſimè referuntur:& ex illis ſunt requirenda, vt ſuperuacuum ferè videri poſſit:illa latius ibidem explicata hic repetere.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Quam Ludouici gloria. Id nomen Ludouicus, vſitatius atque vulgarius in lingua Latina ita profertur & ſcribitur: per u ſcilicet vocalem in prima ſyllaba. Illam tamen ſæpius alij in o commutant:dicentes Lodouicus, quòd duæ illæ vocales o & u,magnam ad inuicem cognatiocem & germanitatem habeant:quantum ad id quòd vna in alteram ſæpius tranſit & ediuerſo. Vt Iudocus dicunt Latini: vel Iodoc⁹. Iucundus pro Iocundus: aduleſcens pro adoleſcens. Id planè facit Mantuanns in vita ſancti Ludouici Morbioli: cum ait. Nomen erat ſacro ductum Ludouicus ab amne.

Myſtica

Myſtica cum tenerum diluit vnda caput. Neque deſunt tertij,qui vt leniorem faciat prolationem &gratiorem auribus:auferunt u conſonantem à tertia ſyllaba, & dicunt præſertim in carmine, Lodoicus. Verum ſiue Ludouicus dixeris,ſiue Lodouicus:ſiue Lodoicus:nomina quidem ſunt plura,res tamẽ eadem.

3 ❡In tertio verſu. Fide purus,ſpe patiens. Hic tres illę virtutes præcipuæ,quæ hominem decent ad deum:attribuuntur ſanctiſſimo Ludouico, cum proprijs & admodum aptis epithetis. Nempe fidei puritas accommodatur: quòd ſyncæra eſſe debeat, & omnem aduerſari ſuperſtitionem atque vanitatem. Vnde in actis apoſtolorum dicit beatus Petrus. Fide purificans corda eorum. Spes autem congruenter patiens dicitur:quòd expectatione cæleſtium bonorum inducat hominem adferenda ęquo animo aduerſa huius vitæ. Idcirco apoſtolus patientiæ annexuit ſpem : cum ita ſcribit ad Romanos. Sed & gloriamur in tribulationibus:ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur,patientia autem probationem,probatio verò ſpem,ſpes autẽ non confundit. Rurſum in eadem epiſtola alio loco. Si autem quod non videmus ſperamus:per patientiam expectam⁹. Charitati verò feruor conuenienter aſcribitur: nam ignis eſt ſpiritualis diffuſus in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum,qui datus eſt nobis. Vnde & ſpiritu feruentes nos iubet eſſe apoſtolus. In eodem verſu. Omni petenti largiens. Inter cætera virtutum ſuarum ſtudia atque exercitia, largitatem in pauperes & munificentiam in egenos exercuit hic rex clariſſimus, vt de eo verè dicatur illud verbũ pſalmi. Diſperſit dedit pauperibus:iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi, & quòd eleemoſynas illius enarrabit omnis eccleſia ſanctorum. Vt raros admodum inuenias ſanctitatis titulo conſpicuos cæleſtes incolas : qui ipſum liberalitate & effuſa eleemoſynarum erogatione aut æquauerint aut ſuperauerint. Et quoniam intimis ſyncæræ charitatis viſceribus miſericors fuit:certè nunc miſericordiam ſecundum Chriſti promiſſum conſecutus eſt.

Act*u*.5. Roma.5. Rom.8. Rom.12. Pſal.111. Eccl.31.

4 ❡In quarto verſu. Relegantur à ſubditis. Relegantur: elimantur,expelluntur & abiiciuntur. Fuit enim ipſe ſanctus Ludouicus, ſeruantiſſimus æqui:& regius iuſtitiæ ſatelles,

Matth.5.

telles, quoties per ocium licuit ſibi, conſcendens tribunal: & pauperum, viduarum, pupillorumque cauſas audiens ac breuiter expediens. Curauit item adminiſtratores iuſtitiæ in toto ſuo regno conſtitui viros ſapientes & timentes deum: in quibus eſſet veritas & qui odio haberent auaritiam, vt in Exodo legitur Ietro ſuggeſſiſſe Moyſi genero Exod.18
ſuo. Diligenter item ipſe rex amator iuſtitiæ: perſcrutabatur mores & acta eorum qui magiſtratum in ferendis iudiciis gerebant, an ſuo quiſque (vt par erat) fungeretur officio, quare nullus fraudi, rapinæ, concuſſioni pauperum, & violentiæ apud ſubditos eius tunc erat locus. Sunt & duo alij omnino eiuſdem formæ & generis hymni: de eodem ſanctiſſimo rege compoſiti, dilucidi tamen ſatis & aperti: vt expoſitione non videantur egere. Quos quoniam elegantes ſunt, & ad celebriorem facientes eius commendationem hic continuò ſubiunxi.

¶ DE SANCTO LVDOVICO: alius hymnus.

1 Noua regis præconia
ſolenni digna cantico
deuota promat Francia:
cātu plaudēs angelico.

2 Regis huius religio
& aſpectus gratiſſimus
mōſtrabāt: qdde pręmio
eius guſtaret animus.

3 Monſtrāt quoq; miracula
quātus ſit in cæleſtibus:
morbos, peſtes, pericula
ſuis fugando precibus.

4 O quàm dulce ſpectaculū
in Ludouico cerneret:
qui virtutis ſignaculum
eius vultum inſpiceret.

5 Nam vult⁹ eius claritas
nunquā in terrā corruit
nec affectus benignitas
deo præſente caruit.

¶ De eodem: alius hymnus.

1 Hymnum nouæ lætitiæ
regi canamus omnium:
qui ſancto regi Franciæ
noui dat regni ſolium.

2 Ludouicus ex nomine
Lucis dator exprimitur:
& cuſtos in certamine
præſentis vitæ ponitur.

3 Crucis hoſtes concutiens
concuſſus ægritudine:
vitam inuenit moriens
tali fœlix certamine.

4 Nam ſic in vita viguit:
vt patiendo vinceret.
& hoc in morte meruit:
vt moriendo viueret.

5 Viuit ergo fœliciter
rex Francorū in gloria:
quē Chriſt⁹ ſingulariter
ſua repleuit gratia.

DE

DE SANCTO AVGVSTINO.

Magne pater Augustine
Preces noſtras ſuſcipe:
Et per eas conditori
Nos placare ſatage.
Atque rege tuum gregem
Summum decus præſulum.
2 Amatorem paupertatis
Te collaudant pauperes:
Aſſertorem ueritatis
Amant ueri iudices.
Frangis nobis fauum mellis:
De ſcripturis diſſerens.
3 Quæ obſcura prius erãt
Nobis plana faciens:
Tu de uerbis conditoris
Dulcem panem conficis.
Et propinas potum uitæ
De pſalmorum nectare.
4 Tu de uita clericorum
Sanctam ſcribis regulam.
Quam qui amãt & ſequuntur:
Viam tenent regiam.
Atque tuo ſancto ductu
Redeunt ad patriam.
5 Regi regum ſalus, uita:
Decus & imperium.
Trinitati laus & honor
Sit per omne ſeculum.
Qui conſortes nos aſcribat
Supernorum ciuium.
Amen.

Hymnus iſte, trochaicus eſt: alcmanio metro & euripidio alternatim intermixtis compoſitus, ſicut hymnus ille prius explicatus. Corde natus ex parentis: ante mundi exordium. Verùm non ita accuratam ſeruat legitimorũ pedum ſuis in locis conſtitutionem: cum loco trochæi nunc ſpondeum, nunc pyrrhichium, nunc iambum recipiat. In eo ad beatum Auguſtinum ſupplex habetur fidelis populi oratio: vt nobis apud deum patronus ſit & adiutor. Eximiæ itidem illius virtutes: paupertas ſpiritus, ſyncæritas veritatis catholicæ, diligentia interpretandi ſcripturas ſacras, & conſcriptio regulæ monaſticæ: deinde celebrãtur. Quæ omnia latius innoteſcunt cum cæteris hic nõ expreſſis eius præconijs, ex vita eiuſdem: quam conſcripſit vir venerabilis Poſſidonius, epiſcopus Calamenſis, qui quadraginta ferè annos cũ ipſo beato Auguſtino conuerſat⁹ eſt & magna

magna eidem familiaritate quotidianáque conſuetudine coniunctus. Et quoniam illa facilè à quouis haberi poteſt, iampridem in lucem emiſſa, non opus eſt ipſam hic recenſere, ne actum agere videamur aut ſuperuacuo labore occupari.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nos placare ſatage. Satago ſecunda ſyllaba correpta: ex aduerbio & ago componitur, facit præteritum ſategi: ſupinum verò ſatactum. Significátque nunc anxium & ſolicitum eſſe, genitiuumque poſcit. Terentius. Is ſuarum rerum ſatagit. Nũc feſtinare & diligentem eſſe. Plautus. Nunc ſatagit: adducit domum. Denique interdum eniti ſignat & laborare, vt in hoc loco: & in hymno ſuperius explicato de ſancto Paulo, & mente polum nos transferre ſatage: id eſt ſtude & conare.

2 ¶ In ſecundo verſu. Amatorem paupertatis. Euangelicæ paupertatis atque ſpontaneæ beati Auguſtini: teſtimonium perhibet Poſſidonius in vita ipſius dicens, quòd factus presbyter monaſterium intra eccleſiam mox inſtituit: & cum dei ſeruis viuere cæpit, ſecundum modum & regulam ſub ſanctis apoſtolis conſtitutam, maximè vt nemo quicquam proprium in illa ſocietate haberet: ſed eſſent eis omnia communia, & diſtribueretur vnicuique prout cuique opus erat, quòd iam ipſe prior fecerat: dum de tranſmarinis ad ſua remeaſſet. Quòd ſi amplius expetitur paupertatis ipſius argumentum audiatur rurſum Poſſidonius de eo ſcribens. Teſtamentum autem nullum fecit: quia vnde faceret, pauper Chriſti non habuit. In eodem verſu. De ſcripturis diſſerens. Singularis in beato Auguſtino fuit diligentia conſcribẽdi libros ad explanationem diuinorum eloquiorum: vt his verbis teſtatur poſſidonius. Tanta autem ab eodem dictata ac ædita ſunt, tantaque in eccleſia diſputata, excerpta atque emẽdata: vel aduerſus diuerſos hæreticos conſcripta, vel ex canonicis libris expoſita ad ædificationem ſanctorum eccleſiæ filiorum: vt ea omnia vix quiſquam ſtudioſorum noſſe ac perlegere ſufficiat. Dicitur autem hic Auguſtinus de ſcripturis diſſerens, nobis fauum mellis frangere: propter admirabilem ſui eloquij ſuauitatem & ſermonis dulcedinem, quam in ſuis operibus habet, necnon & propter ſacrorum eloquiorũ dulcorem

rem:de quibus dicit pſalmus. Quàm dulcia faucibus meis
Pſal.118. eloquia tua:ſuper mel ori meo. Et alio in loco:iudicia do-
Pſal.18. mini dulciora dicuntur ſuper mel & fauum.
Deut.8. 3 ¶ In tertio verſu. Tu de verbis conditoris. Quoniam non in ſolo pane viuit homo:ſed & in omni verbo quod procedit de ore dei Et de iſto pane,potuque ſpirituali di-
Eccl.15. cit Eccleſiaſticus:quòd dominus cibauit virum iuſtum & timentem deum pane vitæ & intellectus,& aqua ſapientię ſalutaris potabit eum. De pſalmorum autem nectarę hic præſertim fit mentio: quoniam in pſalmos omnes beatus Auguſtin⁹ copioſam & luculentam elaborauit expoſitionem,cuius ſententias breuibus conſtrinxit. Caſſiodorus: in ſua elucubratione admodum præclara ſuper pſalterium.

4 ¶ In quarto verſu. Tu de vita clericorum. Regula illa à beato Auguſtino conſtituta:inſcribitur de communi vita clericorum cuius initium eſt. Ante omnia fratres chariſſimi diligatur deus,deinde proximus:quia iſta præcepta ſūt principaliter nobis data. Quā deinde eximius pater Hugo de ſancto Victore,eam profeſſus:breui & facili explanatione elucidauit. At verò clerici dicuntur: non (vt vulgaris eſt multorum ſententia)ſcolaſtici aut eruditi,vel ſtudio literarum addicti,ſed qui eccleſiaſtico ordini ſe manciparunt,& iam ſacris initiati ſunt aut propemodum vt initientur diſpoſiti,atque ad id deſtinati. Cleros enim:Latine ſors dicitur,ſiue ſorte electus. Inde clericus: ſortitus dici poteſt & in domini ſortem aſcitus,qui ſcilicet eccleſiaſticę vitæ inſtitutum amplectitur. Hieronymus ad Nepotianū. Propterea vocantur clerici,quia de ſorte ſunt domini: vel quia dominus ipſe,ſors id eſt pars clericorum eſt. Et quia vel ipſe pars domini eſt,vel dominum partem habet: talem ſe exhibere debet, vt & ipſe poſſideat dominum &
Num.18. ipſe poſſideatur à domino. In eodem verſu. Viam tenent regiam. Via regia hic dicitur recta mandatorum dei ſemita,quæ ducit ad vitam. non declinando ad dexteram aut
Num. 20. ſiniſtram per abrupta aut deuia vitiorum. Dicitur enim enim in rebus corporalibus via regia, quæ publica eſt & trita regionis via:per quam conſtitutum eſt & conſuetum viatores ipſos progredi debere, vt in libro Numeri capite viceſimoprimo dixerunt filij Iſrael ad Seon regem Amorreorum.

reorum. Via regia gradiemur: donec tranſeamus terminos tuos. Quod & in præcedente eiuſdem libri capite ad regẽ Edom his dixerant verbis. Gradiemur via publica: nec ad dexteram nec ad ſiniſtram declinantes, donec tranſeamus terminos tuos. Et rurſum eodem loco. Per tritam gradiemur viam. Itaque à ſenſibili via & materiali ad ſpiritualẽ & myſticam hic apta eſt tranſlatio.

1 DE SANCTO MICHAELE archangelo.

Chriſte ſanctorum decus angelorum
Rector humani generis & author:
Nobis æternum tribue benignus
Scandere cælum.
2 *Angelum pacis Michael ad iſtam*
Cælitus mitte rogitamus aulam.
Nobis ut crebro ueniente creſcant
Proſpera cuncta.
3 *Angelus fortis Gabriel: ut hoſtem*
Pellat antiquum, uolitet ab alto.
Sæpius templum ueniens ad iſtud
Noſtri miſertus.
4 *Angelum nobis medicum ſalutis:*
Mitte de cælis Raphael: ut omnes
Sanet ægrotos, pariterq; noſtros
Dirigat actus.
5 *Hinc dei noſtri genitrix Maria,*
Totus & nobis chorus angelorum
Semper aßiſtant: ſimul & beata
Concio tota.
6 *Præſtet hoc nobis deitas beata*
Patris ac nati, pariterq; ſancti
Spiritus: cuius reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

Carminis ſapphici forma non omnino ad vnguẽ ſeruatur in hoc hymno. Nam interdum loco trochæi in prima

que felle illius piſcis impoſito oculis Thobiæ ſenioris viſum ſexennio illi adeptum reſtituiſſe.

5 ¶In quinto verſu.Et beata concio tota.Concio, onis: aliquando locum ſuggeſtumque ſignificat,vnde ad populum verba fiunt,aliquando verò ipſam populi multitudinem,conuocatam ad audiendum concionantem.Denique interdum ipſam orationem ſignat:quæ habetur ad populum.Inde concionari:eſt ad populum orationem habere, & concionator,qui publicam habet orationem. Cæterùm ratione ſecundę acceptionis,omnis congregatio,cœtus et conceſſus multitudinis,nomine concionis ſignificatur , vt hic omnis ſanctorum chorus:concio dicitur.

¶DE SANCTO MICHAELE: alius hymnus.

1 *Tibi Chriſte ſplendor patris*
Vita,uirtus cordiũ:
In conſpectu angelorum
Votis uoce pſallimus.
Alternantes concrepando
Melos damus uocibus.

2 *Collaudamus uenerãtes*
Omnes cæli milites.
Sed præcipuè primatem
Cæleſtis exercitus
Michaelem:in uirtute
Conterentem zabulon.

3 *Quo cuſtode procul pello*
Rex Chriſte piiſſime
Omne nefas inimici:
Mundo corde & corpore
Paradiſo redde tuo
Nos ſola clementia.

4 *Gloriam patri melodis*
Reſonemus uocibus:
Gloriam Chriſto canamus,
Gloriam paraclito.
Qui deus trinus & unus
Extat ante ſecula. Amen.

¶Hic hymnus carmine alcmanio ac euripidio trochaico commixtus,alternationem vtriuſque ſeruat:in vnoquoq; verſu ſex habens carmina , quorum primum , tertium & quintum:eiuſdem ſunt formæ,ſecundum itidem quartum & ſextum:inter ſe mutuum habent reſponſum. Non tamé ſemper aptè collocantur hic pedes:vt deberent.Nam loco trochæi nunc ſpondeus admittitur hoſpes nunc iambus

uis etiam ipſa ad ſalutem ſint neceſſaria. Si vis (inquit) ad
vitam ingredi: ſerua mandata. Si enim iniquitates obſerua
uerit dominus: quis ſuſtinebit iudicium eius? Si itidem ſe-
cundum peccata noſtra faciat nobis, & ſecundum iniqui- *Luc.* 17.
tates noſtras retribuat nobis: quis auſit ſperare ſalutem?
Si cum fecerimus omnia quæ præcepta ſunt nobis: dicere
debemus & verè, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus fa-
cere: fecimus, quid igitur nobis dicendum: cum pauca ad-
modum immò ferè nulla eorum quæ præcepta ſunt vt de- *Tit.* 3.
buimus fecimus? Itaque humili confeſſione dicamus cum
beato Paulo, quòd non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus
nos: ſed ſecundum magnam miſericordiam ſuam ſaluos
nos faciet in regno ſuo cæleſti, & in ſola miſericordia dei
ſperemus ſaluari: neque fiduciæ operum noſtrorũ tanquã
baculo arundineo innitamur.

4 ¶ In quarto verſu. Gloriam patris melodis. Nomen il-
lud melodis, hic triſyllabum eſt, & adiectiuum, à nomina-
tiuo melodus, a, um, deductum: cuius ſubſtantiuum eſt vo-
cibus. Nam ſi melodiis tetraſyllabum legatur: & ineptus
erit ſenſus & nimius ſyllabarum numerus. Significat au-
tem melodus idem quod ſuauis, dulcis & harmonicus: for
matúrque à nomine melos ſiue melodia.

¶ DE OMNIBVS SANCTIS.

1 *CHriſte redemptor omnium*
Conſerua tuos famulos:
Beatæ ſemper uirginis
Placatus ſanctis precibus.

2 *Beata quoque agmina*
Cæleſtium ſpirituum:
Præterita, præſentia,
Futura mala pellite.

3 *Vates æterni iudicis,*
Apoſtolíq; domini:
Suppliciter expoſcimus
Saluari ueſtris precibus.

4 *Martyres dei inclyti:*
Confeſſoresq́; lucidi.
Veſtris orationibus
Nos ferte in cæleſtibus.

5 *Chorus ſacratus uirginum*
Monachorumq; omnium:
Simul cum ſanctis omnib⁹
Conſortes Chriſti facite.

6 *Gentem auferte perfidam*
Credentium de finibus:
Vt Chriſto laudes debitas
Perſoluamus alacriter.

7 *Gloria patri ingenito, Vnà cum ſancto ſpiritu:*
Eiuſq; unigenito, In ſempiterna ſecula. Amē

❡Carmini iambico aſſimilatur hic hymnus in forma & ſpecie metri propter numerum ſyllabarum cuiuſque carminis ritè obſeruatum. Non tamen legitimam ſibi vendicat pedum ſuis in locis conſtitutionem: cum in ſecunda ſede plærumque ſpondeum pro iambo, & frequenter in anterioribus locis trochæum aut pyrrhichiū nunc pro ſpondeo nunc pro iambo admittat. Habeat item vocalem: alteri vocali aut literæ m terminali ſine colliſione proxime poſtpoſitam. In eo ad omnes ſanctorum ordines dirigitur oratio: vtpote ad deum, ſacroſanctam dei matrem, angelicos ſpiritus, ſanctos prophetas, apoſtolos, martyres, confeſſores & virgines: vt à nobis hoſtium noſtrorum propellant ferociam atque moleſtiam, æterniq; regni cōſortium nobis indulgeant & ſuæ gloriæ participationem.

2 ❡ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Præterita præſentia, futura mala pellite. Præterita quidem vt diuina bonitate deleantur, & data facili venia aboleantur. Præſentia, vt emendentur in melius, & ſubſtollantur. Futura verò: ne eueniant nobis, neque ſinamur in illa prolabi. Sicut enim præteritorum ſiue præſentium malorum ſine dei miſericordia non poſſumus remiſſionem conſequi: ita neque futura declinare valemus aut euitare, niſi diuina nobis virtus animum vireſque miniſtret.

3 ❡In tertio verſu. Vates æterni iudicis. Per vates (quòd rectè intelligi poteſt hic eſſe vocatiuus pluralis) omnes ſancti prophetæ accipiuntur: qui vnum peculiarem ſanctorum conſtituunt ordinem. Aeterni autem iudicis vates eſſe merito dicuntur: quoniam ferè omnes de futuro domini aduentu ad iudicium perhibuerunt teſtimonium. Inter omnes tamen principatum habet & primum vendicat locū ſacratiſſimus Ioannes baptiſta, de æterno etiam iudice cōteſtans: quòd cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum in horreum ſuum, palèas autem comburet igni inextinguibili.

Matth. 3. 4 ❡In quarto verſu. Nos ferte in cæleſtibus. Recta linguæ Latinæ locutio exigeret potius hunc contextum orationis, nos ferte in cæleſtia, quoniam præpoſitio, in, adiuncta

iunĉta verbo ſignificanti motũ ad locũ(quale eſt verbũ ferte) accuſatiuo debet coniungi & non ablatiuo. Author autem huius hymni vt conſonantiam in exitu ſyllabarum ſeruaret huius carminis cum proxime præcedente: non curauit exaĉtam ipſius Latinæ locutionis rationem obſeruare. Debuerat tamen illa ſimilis deſinentia: congruentiæ & aptitudini ſermonis cedere.

6 ¶ In ſexto verſu. Gentem auferte perfidam. Propria perfidi ſignificatio eſt: qua is dicitur qui datam fidem violat, & perfidia diffinitur eſſe fidei datæ violatio. Generali tamen nuncupatione etiam ille perfidus nominatur: qui fidem non profitetur quam deberet ampleĉti. Cum igitur Agareni & Turcæ aſpernantur ludibrioque habeant fidẽ Chriſtianam ad quam tamen capeſſendam aſtringuntur (nam qui non crediderit: condemnabitur, & qui non credit: iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij dei) ideo omnis illorum caterua: gens perfida hic dicitur. Quam vt deus auferat de finibus credentium: vel maxime deum orare debemus quoniam hac præſertim tempeſtate: nimis in nos graſſatur & inualeſcit. *Marc. 16.*

¶ DE OMNIBVS SANCTIS:
alius hymnus.

1 *IEſu ſaluator ſeculi:*
Redemptis ope ſubueni.
Et pia dei genitrix
Salutem poſce miſeris.

2 *Cœtus omnes angelici:*
Patriarcharum cunci.
Et prophetarum merita,
Nobis precentur ueniam.

3 *Baptiſta Chriſti præuiꝰ*
Et clauiger æthereus
Cum cæteris apoſtolis,
Nos ſoluant nexu criminis.

4 *Chorus ſacratus martyrum*
Confeſsio ſacerdotum,
Et uirginalis caſtitas
Nos à peccatis abluant.

5 *Monachorum ſuffragia,*
Omnesq; ciues cælici,
Annuant uotis ſupplicum,
Et uitæ poſcant præmium.

6 *Laus, honor, uirtus, gloria*
Deo patri & filio,
Vna cum ſancto ſpiritu,
In ſempiterna ſecula.
Amen.

¶ Hic hymnus omnino ſimilis eſt formæ cum præcedente, & idem de utroque ferendum iudicium. Amborũ itidẽ eadem eſt ſententia, eadémque materia: ſuplicatio ſcilicet ad omnes ſanctorum gradus, vt orent pro nobis.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecũdo verſu. Patriarcharum cunei. Patriarcha ex Græco deductum nomen, princeps patrum dicitur, eúmque ſignat qui inter patres præcipuum ſortitur locum dignitatémque & authoritatem. Et quoniam in veteri teſtamento Abrahã, Iſaac, & Iacob: populi Iſraelitici fuerunt primores præcipuique progenitores, & deinde duodecim filij Iacob ex quibus denominatæ ſunt duodecim tribus illius populi: inter cæteros, primates fuerunt & primum merito ſtirpis gradum vendicarunt, optimo iure, nomine patriarcharum ſignantur, & cũ cuneo multitudinéque prophetarum, peculiarem ac ſpecialem ſanctorum ordinem, ſortémque conſtituunt.

3 ¶ In tertio verſu. Baptiſta Chriſti præuius. Sanctus Ioannes Baptiſta hic præuius dicitur Chriſti: quoniam præcurſor eius fuit naſcendo, baptiſando, prædicando, moriẽdo: & ad inferos deſcendendo, quemadmodum angelus dixerat de eo Zachariæ patri. Et ipſe prçcedet eum in ſpiritu & virtute Heliæ. Et Zacharias de eodem prophetauerat. Et tu puer propheta altiſsimi vocaberis: prçhibis enim ante faciem domini parare vias eius. Clauiger verò æthereus intelligitur ſanctus Petrus quòd ei dictum ſit à domino. Et tibi dabo claues regni cælorum. & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. 4 ¶ In quarto verſu. Confeſsio ſacerdotum & virginalis caſtitas. Cum aliquod ſpeciale rerum genus nominant authores: cætera eiuſdem ſortis in generali quadam ratione conuentia, per illud etiam volunt intelligi: vt hoc loco per confeſsionem ſacerdotum etiam cæteros ſanctos confeſſores qui ſacedotio non ſunt functi accipere debemus Et per virginalem caſtitatem eam quoque continentia quæ in coniugali aut viduali pudicitia gratum deo exhibet obſequium. Itaque per confeſsionem ſacerdotum: ſacrum confeſſorum ordinem hic inſinuari putandum eſt & per virginalem caſtitatem, candidum ipſarum virginũ & omnium continentium chorum.

Lucæ 1

Matt. 16

De

DE SANCTO EMERICO
duce Hungariæ.

1 PLaude parens Panonia
De tam fœlici filio:
Cuius uirtute uaria
Cælum repletur gaudio.
2 In te regũ de germine
Dux emericus oritur.
Ortus ſalutis ſemine
Deo cultore ſeritur.
3 Ab ipſa pueritia
Deum timere didicit:
Subtus pedum ueſtigia
Cuncta terrena ſubiicit.
4 Conſeruans pudicitiam
Vitæ deuitat maculam:
Domans cordis laſciuiam.
Spernit conſortis copulã.
5 Trino deo & ſimplici
Sit ſempiterna gloria.
Qui præmio multiplici
Sanctos donat in patria.
Amen.

Hic hymnus duobus præcedentibus eſt perſimilis, numerum habens ſyllabarum vt carmẽ iambicum dimetrũ: non tamen rectè aptos pedes. Inſuper conſonantiam in exitu ſyllabarum obſeruant cuiuſque verſus primum & tertium carmen adinuicem: ſimiliter ſecundum & quartũ inter ſe. In eo prædicantur laudes ſancti Emerici ducis Hungariæ: cuius vita (quo dilucidiora ſint ea quæ continet præſens hymnus) breuibus ita eſt conſtringenda. Sanctus Emericus beati Stephani primi regis Chriſtiani Hũgariæ (cuius paulò antè facta eſt mentio) filius: modico contentus ſomno per ſingulas ferè noctes, cunctis dormientibus in pſalmis deo decantandis ad multam noctem vigilare ſolitus fuit. Idem quoque ob ſingularem vitæ puritatem, à deo gratiam obtinuit cognoſcendi qualitates operum & dignitatem meritorum, aliorum hominum ad deum. Miſſus enim à patre ad excipiendos cum beniuolẽtia & veneratiõe religioſos in eccleſia ſancti Martini ſub regula ſancti Benedicti ab ipſo rege Stephano inſtitutos, qui ad ſalutandum regiam maieſtatẽ erant venturi: à ſpiritu ſancto interius edoctus, ſingulis eorum ſecundũ qualitatem & ſtatum animorum ipſorum ad eum oſcula exhibuit vni quidem plura, alteri verò pauciora. Id admirante patri reſpondit: pro diuerſitate meritorum & ſortis ipſo-

rum

rum in ſpirituali vitæ profectu ſe oſcula ipſis diſtribuiſſe. Eorum enim (inquit) aliqui diutius deo incontinentiæ ſerenitate ſeruierant, & illos pluribus honorauit oſculis. Alij verò minori tempore & feruore deo militauerant, & illis pauciora libauerat oſcula. Cúmque idem intellexiſſet ſuperna reuelatione ſibi in oratione facta, gratiſsimũ diuinæ maieſtati in ſyncæritate mundiciáque corporis & animi præparari & preſtari habitaculum, licet fœdere cõiugali eſſet aligatus vxori: illius tamen conſenſu in virginali integritate permanſit, corpus ſuum ieiuniis & abſtinetiis affligens, ſpirituique ſeruire cogẽs. Demùm ſuperſtite adhuc patre, antequam regni diadema aſſequeretur: plenus operibus bonis & in florente adhuc ætate fœliciter migrauit ad dominum, regnaturus cum eo in æternum. Feſtũ eius quotannis celebratur quinta die nouembris. Plura de eodem, ſicut & de ſancto Stephano & beato Laſdiſlao Hungariæ regibus, ex ipſorum vita & hiſtoria ſunt requirenda. Hic enim pauca admodum perfunctorie & in tranſcurſu ſunt adducta: vt vel modicum habeant lectores quod de ipſis dinoſcant, quorum virtutes & opera non ſunt paſsim ominibus vulgata.

2 ¶ ANOTATIONES. In ſecundo verſu. Ortus ſalutis ſemine. Hic ortus non intelligatur eſſe nomen ſecundæ declinationis per aſpirationem ſcribendum, aut quartę declinationis verbale: quoniam neutrùm illorum nominum ſenſui rectè accommodatur. ſed participium eſt præteritum de orior, eris: & ad Emericus ſuum ſubſtãtiuũ refertur. vt ſenſus ſit, ꝙ ipſe ort' ſiue exortùs in mũdũ ſecundum carnem, ſeritur ſemine ſalutis, verbo ſcilicet fidei & præceptorum dei, proferente in eo fructum copioſum iuſtitiæ. & id quidem cultore, impartiente ſcilicet illi gratiam & bene viuendi & rectè operandi. Quòd ſi quis legeret hortus eo loco, vt ſecundæ ſit inflexionis nomen ſubſtantiuum, non omnino ineptus erit ſenſus, propter ſignificatum huius nominis ſatis conueniens methaphoræ, quæ ibidem prætenditur. Verum non ita gradatim & cohærenter annectetur ſecunda illius verſus ſententia primæ, ſicut ſi legatur participium, ſed quodam modo abrupta & omnino aliena videbitur illa ſecunda ab ipſi*

ipſius primæ habitudine. Cæterùm in fine ſuperadicti verſus nequaquam legendum eſt: ſubiicitur, tum quòd verbum illud ſententiæ nequaquam congruat: vt aperte liquet omnibus tum etiam quòd non conueniat carmini: ſed ob ſyllabã ſuperfluam reddat illud ſubſultans ac prolixius æquo. Si verò ſeritur (vt debet ibidem) legatur: & apta erit ſententia, & debitus carmini numerus ſyllabarum. 5 ¶ In quinto verſu. Trino deo & ſimplici. Aliqui libri hunc poſtremum verſum ita habent cõſtitutum. Trino deo & ſimplici, eiúſque ſoli filio, cum ſpiritu paraclito: & nunc & in perpetuum. Sed omnino ineptè & incongruenter verſus ille ita legitur: ex ignorantia (neſcio quorum) ſic ex pluribus conflatus & male cohærens. Nempe ſecunda & tertia ſummæ trinitatis perſonæ ibidem exprimuntur ſine nominatione primæ: quod in poſtremis hymnorum verſibus nunquã fieri ſolet. Non enim illud, trino deo & ſimplici, propriè ad patrem accommodari poteſt: ſed ad totam ſpectat trinitatẽ, communiter & complexiue intellectam. Inſuper nullum ibi ponitur verbum aut nominatiuus, quemadmodum gloria, laus, honor aut quippiam ſimile: quod explicet illud quod ipſi deo & ſuper diuinis perſonis adeſſe petim⁹, cum tamen huiuſmodi nominatiuus cum verbo, in nullis fere poſtremis hymnorum verſibus deſit. Denique non ſeruatur in illo vltimo verſu, ita diſpoſito, conſonantia exitus ſyllabarum primi carminis ad tertium, neque ſecundi ad quartum: quod in omnibus præcedentibus verſibus eſt ſtudioſè obſeruatum. In hymnis autem rythmicam ſeruantibus conſonantiam, ſi in pluribus illorũ verſibus illa obſeruetur: in omnibus vtique, vt melior ſit & aptior eorum adinuicem coaleſcentia, debet obſeruari. Quocirca prætermiſſo illo verſu minus cõueniente huic loco: alterum loco eius poſuimus, in litera poſtremo orordine collocatum, vbi cum apta ſummæ trinitatis ſignificatione ſine particulari perſonarum nominatione: & verbum ponitur & nominatiuus ad complementum ſententiæ, & & conſimilis ſyllabarum deſinentia in alternis carminibus etiã ſeruatur

DE

1 DE SANCTO MARTINO.

Martine confeſſor dei,
Valẽs uigore ſpiritus:
Carnis fatiſcens artubus,
Mortis futuræ præſcius.[1]
2 *Qui pace Chriſti affluens*
In unitate ſpiritus:
Diuiſa membra eccleſiæ
Paci reformas unicæ.
3 *Quem uita fert probabilem:*
Quem mors cruenta non lædit.
Qui callidi uerſutiis
In mortis hora derogas.
4 *Hæc plebs fide promptiſsima*
Tuæ diei gaudia
Votis colit fidelibus:
Adeſto mitis omnibus.
5 *Per te quies ſit temporum:*
Vitæ detur ſolatium.
Pacis redundet commodũ:
Sedetur omne ſcandalum.
6 *Vt charitatis ſpiritu*
Sic affluamus inuicem:
Quo corde cum ſuſpiriis
Chriſtũ ſequamur intimis.
7 *Qui læteris cum angelis:*
Exultas cum archangelis.
Triumphas cum apoſtolis
In ſeculorum ſeculis.
8 *Sit trinitati gloria:*
Martinus quam confeſſus eſt.
Cuius fidem per omnia
In nobis Chriſte robora.
Amen.

Hic hymnus propemodum carminis iambici dimetri lege conſtringuntur: præter id quòd nonnullis in locis ſpondeum in ſecunda ſede pro iambo admittit, & vocalem in fronte dictionis alteri vocali aut literæ m finienti dictionem ſine colliſione habet ſubiunctam. Commendãtur in eo præclaræ virtutes & inſignia opera ſanctiſsimi Martini: luculẽter & copioſè à Sulpitio ſeuero illius diſcipulo tribus libris explicata. Cuius opus quoniam omnium in manibus verſatur non eſt cur illis enarrandis hic amplius immoremur.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Carnis fatiſcens artubus. Fatiſcens participium à fatiſcor, eris, verbo deponente: defatigatum ſignificat, & ob nimium labo-

rem,

rem,defectum viribus. Inde feſſus participium : ſicut ab eius compoſito defatiſcor venit defeſſus, ſignificãs cũ auxeſi quod ſuum ſimplex. Hoc autem carmen illi reſpondet ſententiæ:quam de ſancto Martino canit eccleſia. Artus febre fatiſcentes:ſpiritui ſeruire coegit, ſicut & quartum huius verſus carmẽ,mortis futuræ præſcius,id explicat metro:quod in oratione ſoluta de eodẽ legitur. Martinus obitum ſuum longe antè prçſciuit: qui & diſcipulos in vnum congregauit atque ſui diſſolutionem imminere prædixit. 2 ℂ In ſecundo verſu. Diuiſa membra eccleſiæ.Per hæreſim ſcilicet Arrhianã: quæ circa ſancti Martini & beati Hilarij Pictauenſis epiſcopi,illi contemporanei atque familiaris,tempora:miſerè dilacerauit eccleſia Chriſti. Ipſe tamen Martinus vt fortis athleta ac pugil, & verbo & opere confutauit illam execrandam,impietatem:& ad vnitatẽ confeſsionis verę fidei omnes reduxit. 3 ℂIn tertio verſu.Quem mors cruenta non lædit.Eadẽ ſententia in vita eius ita exprimitur.O virum ineffabilem nec labore victum nec morte vincendũ: qui nec mori timuit,nec viuere recuſauit.Et certe neque prima mors eũ leſit: ſed ad immortalem vitam hinc traduxit. Nec mors ſecunda: quia culpa letifera in eo locum non habuit,quę ſola ſecundam inferre poteſt mortem. In eodem quoque verſu cum dicitur,qui callidi verſutiis : per callidum intelligitur dæmon fallax & aſtutus,de quo ſcriptura. Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ: quæ fecerat dominus deus.Et de quo Paulus.Non enim ignoramus aſtutias eius. Nempeſancto dei viro iamiam morituro apparuit ſathanas : exploraturus ſiquid ſuum in eo inueniret. Quem increpitans Martinus ait. Quid hic agis cruenta beſtia? nihil funeſtum in me inuenies: ſed ſinus Abrahæ me ſuſcipiet. Tum ille confuſus: vt fumus euanuit. 5 ℂ In quinto verſu. Sedetur omne ſcandalum. Scandalum Latinè offendiculum,ruinam vel impactionem ſignat : cum pes inter ambulandum impactus lapidi aut obuio cuiuis ſolido corpori, ruinam ea offenſione ambulanti infert. Per traſlationem autem ſcandalum dicitur occaſio ruinæ in peccatum: dicto vel facto alicui præſtita, vt in euangelio.Neceſſe eſt vt veniant ſcãdala: veruntamen væ homini per quem ſcãdalum venit. Et

*Gene.*3
2.*Cor.* 2
*Matth.*18

tas tua. Et rurſum. Domine iam ſatis eſt quod hucúſque certaui: ſed quoad ipſe iuſſeris militabo. At ſi parcis ætati: bonum eſt mihi, hos quibus timeo, ipſe cuſtodias.

2 ¶ In ſecundo verſu. Fac nunc quod olim geſſeras. Sicut (inquit) cum hic vitam ageres: eccleſiæ antiſtites & verbo & opere illuſtraſti, & mirum Chriſtianæ eccleſię adiecisti tuis virtutibus ſplendorem ac ornamentum : ita & nunc idem præſtare digneris, gratiámque à deo impetrare qua præſules eccleſiaſtici tuæ fiant virtutis imitatores: & eccleſia ipſa tuæ ſanctitatis ſplendore & per dignā imitationē refulgeat. Eſt & id obiter hic annotādū, quòd in quarto verſus huius carmine author huius hymni : ſecutus vulgatam multitudinis ſententiam primam ſyllabā huius dictionis ſathanæ poſuit longam & ſecundam breuem, cum probati authores Latini prorſus, oppidò modo primam eiuſdem dictionis ſyllabam corripiant, & ſecundam producant. Formatur enim id nomen ſathanas, æ: à nomine tertiæ inflexionis ſathan, anis, quod in obliquis a ante n per crementum habet longam : ſicut titan: anis, pæan, anis, quare & nomen ab illis obliquis deriuatum primæ declinationis : eandem vocalem ante n debet habere longam. Mantuanus in bucolicis. Miſit in ambages: ſed non deus, immo ſathanum Peſsimus, vbi ſathanum, genitiuus eſt pluralis: à nominatiuo ſathan, anis.

3 ¶ In tertio verſu. Qui ter chaos euiceras. Per chaos, infernas ſedes hic accipere debemus: quòd ibi omnimoda ſit confuſio & obſcuritas, neque vllus ordo, ſed ſempiternus horror illic inhabitat. Id autem chaos ter euicit beatus Martinus : quia tres mortuos ad vitam reuocauit, ſicut in eius præconium canit eccleſia. Hic eſt Martinus electus dei pontifex, cui dominus poſt apoſtolos tantam gratiam conferre dignatus eſt: vt in virtute trinitatis deificæ mereretur fieri trium mortuorum ſuſcitator magnificus. At verò quomodo adhuc catechuminus & nondum ſacris ablutus vndis, chlamidem pauperi diuiſerit, vt nudum veſtiret, quemadmodum innuit tertium huius verſus carmen: nullos fere latet qui vel vitam eius euoluerint aut pictam eius imaginem attenderint. *Iob.10*

4 ¶ In quarto verſu. Quondam recorderis tuæ. Vt denuo (inquit) exhibeas etiam nūc ſpiritualem illam gratiā: quam hic

hic vitam agens palam oſtendiſti, cum & ante epiſcopatũ & poſt illius conſecutionem, monaſticæ auſteritatis diſciplinam rigidæ in te & tuis diſcipulis obſeruare ſtuduiſti: ſuccurre quæſumus monaſteriali ſtatui ac ordini, iã propemodum in omnem diſſolutionem licentiámque vitæ prolapſo, vt reuocatus à deuio, tua ſequatur ſtudioſè veſtigia.

DE SANCTO MARTINO: hymnus.

1 *FRatres unanimes fœdere nexili*
Mecum participes luminis annui:
Quo ſolis hodie fulminat orbita
Martini reuehens feſta celebria.
2 *Cantemus pariter carmen amabile:*
Martini meritis oppido nobilis.
Clerus cum populo conſonet organo
Grandi, nam uolupe eſt pſallere gaudio.
3 *Martinus quoniam uota fidelium*
Attendit: tribuens cuncta ſalubria.
Confert hic famulis rite canentibus
Stellis aureola ſerta micantibus.
4 *Cunctis candelabrum luminis extitit:*
A multis tenebras mortis & expulit.
Virtutum ſtatuit creſcere germina:
In quorum fuerant pectore crimina.
5 *His nos ſubſidiis undique præditi:*
Pangamus proprio cantica præſuli.
Laudemus parili uoce quod approbat:
Damnemus uigili mente quod improbat.
6 *Martinum precibus gens modo gallica*
Dignis ſolicitet: noſtráque patria.
Martinus faciat tempora proſpera
Mundi: Chriſte ſalus ò tibi gloria. Amen.

Præſens carmen vniforme eſt, vniuſq; generis: quod aſclepiadæum nominatur, omnino conſimile illi hymno.

Inuentor

Inuentor rutili dux bonę luminis. Verũtamẽ hic in ſecũda ſede pro choriãbo interdum ponitur pæon quartus: vt in tertio carmine primi verſus, aliquando eodem loco collocatur pæon primus: vt in quarto carmine tertij verſus, cõtra legem & regulam huius carminis. Incitantur in eo fideles ad celebrandas beati Martini laudes, ac præconia: ob egregias virtutes quibus inſigniter effulſit, promittitúrque id facientibus ingens præmium, vita ſcilicet æterna: quam ſuis cultoribus Martinus impetrat.

1 ℂ ANNOTATIONES. In primo verſu. Fratres vnanimes fœdere nexili. Nexile dicitur: quod alteri connectitur ac adiungitur. Adiectiua ſiquidem in ilis deſinẽtia & ab vltimo deducta ſupino: paſsiuam habent ſignificationem, vt ſutile quod eſt ſutum. Virgilius. Gemuit ſub pondere cymba ſutilis. Tortile, quod eſt tortum. Fictile quod fictũ, ſculptile quod ſculptum, & ita de cæteris. Fœdus ergo nexile eſt: quod ſimul ictum eſt ac compoſitum. In eodem quoque verſu: fulminare pro rutilare ſumitur, non autem hic ſignat fulmẽ emittere. Orbita enim & ſphæra ſolis emicat claro lumine: non autem fulmen cõtorquet in aera. 2 ℂ In ſecundo verſu. Martini meritis oppidò nobilis. Oppidò hoc in loco nequaquam eſt nomen cum habeat vltimam ſyllabam breuem, contra naturam nominis, ſed aduerbium: ſignificans valde ſiue multum, vt oppidò laſſus ſum. Interdum ei poſtponitur dictio quàm. Gellius Oppidò quàm libens feci. Cæſar. Quibus rebus oppidò quàm pauci ſub pellibus acquieſcebant. In eodem verſu, volupe nomen inflexionem non habens: ſignificat delectabile. Plautus. Nam qnia vos tranquillos video: gaudeo, & volupe eſt mihi. Aliquando pro voluptate ponitur: vt apud eundem. Facite animo veſtro volupe. 3 ℂ In tertio verſu. Stellis aureola ſerta micantibus. Aureola, hoc in loco adiectiuum eſt diminutiuum, ab aureus deductum, & idem ſignans, vt aureola ſerta dicantur: quæ ex auro ſunt contexta. Interdum idem nomen ſubſtãtiuum eſt primæ inflexionis, ſignificátque regni cæleſtis coronam virginibus, martyribus & doctoribus à deo tradi ſolitam: ob arduum virtutis opus atque difficile. 4 ℂ In quarto verſu.. Cunctis candelabrum luminis extitit. Apud Matthæum dicit dominus, quòd ne- *Matth.5*

4 *Coniuncta cœli ciui-*
bus:
Vitæ potatur flumine.
Diuinis uacans laudibus:
Lumen uidet in lumine.
Læta ſtupet Thuringia
Fractis naturæ regulis:
Dũ per ſancta ſuffragia
Miranda fiunt ſeculis.

6 *Vita defunctis red-*
ditus:
AEgris confertur ſanitas
Claudus directè graditur:
Cæcos illuſtrat claritas.

Hic hymnus maiorem cum proſa quàm hymnica modulatione gerit ſimilitudinem: quod cuiuſque verſus carmina primum & tertium inter ſe, ſecundum itidẽ & quartum habent ſimilem in exitu ſyllabarum conſonantiam. Pedes autem ad carmen iambicum dimetrum neceſſarios nequaquam obſeruat: cuius tamen præfert in numero ſyllabarum ſpeciem. Habet enim plærumque ſecundo in loco ſpondeum pro iambo: & in tribus primis locis ſæpius trochæum in ſpondeo vel iambo.

Prædicantur pro eo laudes ac præconia ſanctiſsimæ Elizabeth: quæ filia fuit regis Hungariæ, & coniunctas fœdere matrimonij duci Thuringiæ. Triplicem autem cũ ſancta illa. Anna, cuius meminit Lucas in euangelio, Luca. 2 ſortita vitę gradũ per diuerſa temporũ curricula, virginalẽ, cõiugalẽ & vidualẽ, triplicique inſignita corona: in omnibus ſe humilitatis, patientiæ, paupertatis & contemptus mundi memorabile præbuit exemplum, & inſignib⁹ claruit miraculis, quemadmodum hiſtoria vitæ eius omnibus ad manum promptum: dilucide monſtrat.

2¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Elizabeth ſanctiſsima. Nonnulli hunc hymnum perperam adaptare ſtuduerunt ſanctę Helenæ matri Conſtantini imperatoris Romanorum, quæ Hieroſolymam profecta, dominicam inuenit crucem. Quod vt commodius facerent: mutauerunt nomen elizabeth in Helenam. & hunc verſum ita legendum diſpoſuerunt. Helena ſanctiſsima: de te naſcendo prodiit, nõ attendentes ſe & carmẽ vitiare, ob minorẽ æquo ſyllabarum numerum: & falſum itidem aut ſaltem ambiguum tanquam certum aſtruere, quòd ſcilicet ſancta Helena ex Hungaria fuerit oriunda, quod nulli

fragiũ proprie voces illas ſignificat quæ dabantur in comitiis,& tabellis deſcribebantur: quibus vnuſquiſque ſuã declarauit voluntatem de aliquo in magiſtratum eligendo. Iuuenalis. Libera ſi dentur populo ſuffragia: quis tam Perditus, vt dubitet Senecam proferre Neroni? Inde trãſfertur ad ſignificandũ auxilium : quod precibus aut quouis alio modo cuiquam præſtatur. Et ideo ſanctorum orationes pro nobis: ſæpiſsime ſuffragia nuncupantur. Venit autem id nomen à verbo ſuffragor: quod adiuuare & fauorem præſtare ſignificat. Virgilius. Copia me perdit: tu ſuffragare rogatus.

DE SANCTA ELIZABETH: alius hymnus.

1 *Nouum ſydus emicuit:*
Error uetus conticuit.
Nouo ſplendore rutilans
Plebs: nouas laudes iubilat.

2 *In cuius nunc præconia*
Linguam ſoluat eccleſia.
Nouæ præconis gloriam
Promat ſperando ueniam.

3 *Dies ſolennis agitur:*
Dies ſalutis colitur.
In qua, ſpes quæ promittitur:
Hac atteſtante redditur.

4 *Ergo dei tu famula*
Elizabeth per ſecula
Chriſto conregnans: ueniam
Nobis poſcas & gratiã.
Amen.

Carminis iambici dimetri regulã non integrè ſeruat hic hymnus: quòd ſpondeum in ſecundo, trochæum autẽ & pyrrhichiũ in quouis loco admittat, quinpotius ad terminalem quandam ſyllabarum conſonantiam deuergit: quod in eodem verſu primum carmen & ſecundum inter ſe, tertium itidem & quartum in huiuſmodi ſimilitudine deſinẽtiæ mutuum plærumque habent reſponſum.

Inuitatur in illo eccleſia catholica totáque fidelium concio ad perſoluendas deo nouas laudes: ob præclaras ſanctiſsimæ Elizabeth virtutes. Cuius vt oratio nobis ſuffragetur apud dominũ: humilis ſupplicatio ad ipſam demùm dirigitur.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nouũ ſy-

Dum ſubis tormentum:
Cæſa, lacte fluis
Sina ſepeliris·
5 *Monſtra vitæ viam.*
Vt philoſophiam
Mundi tranſeamus:
Veram requiramus.
6 *Ora & inclina*
Nobis verum Sina:
Vt intremus chorum
Tecum angelorum.
7 *Sit laus deo patri,*
Summo Chriſto decus:
Spiritui ſancto.
Trinus honor vnus.
Amen.

¶ Hic hymuus, carminis trochaici trimetri gerit ſpeciem in vnoquoq; verſu quatuor cōplectēs carmina, quorū ſingulū tribus conſtat pedibus diſyllabis. Verūtamē loco trochęi nunc ſpondeū. nunc iambū, nunc pyrrhichiū recipit vt maiore ſtudio & cura ſimilis ſyllabarum deſinentia ſeruata ſit in duobus primis eiuſdem verſus carminibus, itidem & duobus poſtremis adinuicē: quā metrica ratio aut legitima pedum diſpoſitio. In vltimo verò verſu non eſt huiuſmodi conformitas exitus ſyllabarum in ſono vocalium, quoniam non eſt huic hymno proprius, ſed omnibus hymnis huius formæ communis. Vnde & idem: poſtremus eſt verſus hymni prius explicati. Aue maris ſtella, dei mater alma, cui iſte quantum ad contextum & genus metri: admodum aſsimilatur. Laudatur in hoc hymno ſacratiſsima virgo Catharina, quòd ſpretis mundi illecebris & pompa: Chriſtum ſponſum ſibi delegit, & illi ſyncæro adhæſit amore. pro quo demùm grauia tormenta & mortem conſtantiſsime ſuſtinuit: & angelico miniſterio in monte Sina ſepulta eſt.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Aue Catharina. Id nomen vulgo proferunt per e vocalem in ſecunda ſyllaba. Baptiſta tamen Mantuanus noſtra tempeſtate in componendo carmine celeberrimus author, nec minus in oratione ſoluta diſertus: in prologo ſecundæ parthenices (in qua tribus libris elegantiſsime vitam & agonem huius ſacræ virginis ꝓſecutus eſt) aſsignat Grecam originem huius nominis Catharina. ex qua haud dubie colligitur: quòd per à vocalem in ſecunda ſyllaba potius ſcribi debeat. Dicit enim ibidem, quòd vel a καθαρός

qnód eſt purus, vel a καθαρίζω, purifico, vel a καταῤῥέω, defluo, vel a κατὰ & ῥύαξ quod eſt riuus: vox illa deflecti tur, legimus enim (inquit) apud Pliniũ, Hopponẽ Aphricæ oppidum (cuius epiſcopatum tenuit ſanctus Auguſtinus) à Græcis catharitum appellari: quòd riuis & aquis eſſet irrigua. Quoduis horũ (ait) dixeris: rectè dixeris. Atqui in vnoquoque horum vocabulorum iam nominatorum: vnde nomen Catharina deduci poteſt: à vocalis: ſecundam tenet ſyllabam. Quare & in hac voce Catharina ab illis efformata: debet à: ſecundæ ſyllabæ & ſcribendo & proferendo inſeri. Cæterùm & id in præſentia adiiciendum: quòd non debet eadem vox Catharina per K Latinum in fronte ſcribi, vt faciunt orthographiæ imperiti, in eum (vt coniectatu facilè eſt) inducti errrorem, quòd K Græcum, cuius loco Latini habent literam c, formam gerit & figuram K Latini. Et hoc ſimilitudine decepti plęrique: putarunt K Latinum, in capite dictionis illius ponendum loco K Græci: inchoantis illius dictionis ſcripturam, cum deberent illud in c apud Latinos commutare. Nulla ſiquidem dictio Latina inchoatur altera K: neque Carolus, neque calẽdæ neque Catharina, apud orthographos rectóſque ſcriptores.

2 ❡ In ſecundo verſu. Chriſtum induſti. Spirituali quidem induendi genere, quo quis per dignam imitationem atque inſitionem ſibi myſticæ Chriſtum circum ponit: eiúſque ſimilitudinem per virtutum opera & ornatum in

Roma.13 ſe nititur exprimere perinde atque ferrum ignitum diceretur induere ignem. Quod induendi genus commendat

Gala.3 apoſtolus: cum ait ad Romanos. Induimini dominum Ieſum Chriſtum. Et ad Galatas. Quicunque in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis.

5 ❡ In quinto verſu. Vt philoſophiam mundi tranſeamus.

Iaco.3 Quidnam diſcriminis ſit inter philoſophiam mundi & philoſophiam veram ſiue diuinam: ſub nomine ſapientiæ beatus Iacobus ſatis explicat in ſua epiſtola. De philoſophia enim mundi loquens, qua mendaces ſunt homines aduerſus veritatẽ: ait. Non eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens à patre luminum: ſed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primũ quidem

Rom.8 pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis

ſine

ſine ſimulatione. Cui conſonat apoſtolus ad romanos dicens. Prudentia carnis, mors eſt. prudentia autem ſpiritus vita & pax, quoniam ſapientia carnis inimica eſt deo. legi enim dei non eſt ſubiecta, nec eſſe poteſt. 6 ¶ In ſexto verſu. Nobis verũ Sina. Verus Sina Chriſt⁹ eſt. quoniam mons eſt dei myſticus: ob dignitatis ſuæ & excellentiæ ſublimitatem. Qui enim de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. *Ioann.3*
Etiam ob legiſlationem in eo monte factam, quoniam ipſe eſt legifer noſter. Deniq; ob diuinæ gloriæ manifeſtationem eodem in monte factam, quoniã deus erat in Chriſto: mundum reconcilians ſibi. *2. Cor.5* Et vidimus gloriam eius: gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. *Ioann.1* Vnde mons ille, vt ſymbolum & typus Chriſti, in diuinis eloquiis ſacer habetur. vt in pſalmo. Etenim cæli diſtillauerunt à facie dei Sinai, à facie dei Iſrael. Et paulo poſt eodem in loco. Dominus in eis in Sinai, in ſancto. *Pſal. 67* Hunc autem verum Sina, ſancta virgo Catharina in Sina materiali tumulta nobis inclinat. quãdo ſuis orationibus Chriſtum nobis reddit placabilem, facilémque præcibus noſtris & exorabilem.

¶ DE SANCTA CATHARINA: alius hymnus.

Catharinæ collaudemus.
Virtutum inſignia.
Cordis ei præſentemus
Et oris obſequia:
Vt ſpe certa reſpiremus
Per eius ſufragia.

2 *Fulta fide Catharina:*
Iudicem Maxentium
Non formidat. lex diuina
Sic firmat eloquium:
Quòd cõfutat ex doctrina
Doctores gentilium.

3 *Victi Chriſtum cõfitẽtur*
Relictis erroribus.
Iudex iubet vt crementur.
Nec pilis nec veſtibus
Noce ignis: ſed torrentur
Iniuſtis corporibus.

4 *Velut aurũ, cõprobauit*
Fornacis aduſtio.
Nã quos Chiſt⁹ cõſeruauit
Foris ab incendio:
Coxit intus & purgauit
Fides & confeſſio.

5 *Poſt hæc blandis rex molitur*
Virginem ſeducere.
Nec promiſſis emollitũr,
Nec terretur verbere.

Con-

bores. Inde deducitur inſigne, is, ſubſtantiuum: quod ſignificat ſignum atque indicium excellentiæ ob nobilitatem, magiſtratum, victoriam, virtutem, aut aliud quiduis in veſte, armis, alióve exteriore habitu ad diſcretionem oſtenſum. Virgilius. Mutemus clypeos: Danaumque inſignia nobis Aptemus. Itaque inſignia virtutum, ea ſunt ornamẽta: quæ quis ob virtutem eſt adeptus. Cicero ad Appium. Inſignia enim virtutis: multi etiã ſinevirtute aſſecuti ſunt. Et hoc loco inſignia virtutum ſanctæ Catharines: ſunt excellentia, ſplendor & gloria ſuarum virtutum.

2 ¶In ſecundo verſu. Fulta fide Catharina. Fulta: ſtabilita, munita, corroborata, à fulcior, iris, cuius actiuum fulcio, is, ire, ſignificat ſuſtentare, munire, & cõſolidare quippiam ne decidat. Cæterùm Maxentius ille cuius meminit præſens verſus: filius fuit Maximiani (qui & Herculeus dictus eſt) conſortis quidem imperij Romani cum Diocletiano: & illi crudelitate quàm ſimillimi. Poſtquam autem ambo, ſanctorum martyrum ſanguine (quem ſtygio furore debacchantes in toto terrarum orbe effuderant) ſatis inebriati: imperij inſignia depoſuiſſent, vt priuati in ocio reliquam tranſigerent ætatem, Maxentius hic patri ſuccedens in imperio: tyrannum potius quàm imperatorẽ geſſit, ſcelerumque immanitate longè patrem ſuperauit: in omnem profuſus libidinem ac magicis præſtigijs addictiſſimus, vt diffuſe proſequitur hiſtoria eccleſiaſtica libro octauo. Tandem more tyrannorum miſere periit, cum contra Conſtantinum pro imperio occupando bella gerens: ſuis ipſius inſidijs interceptus eſt, & iuxta pontem Miluuiũ incidit in foueam quam fecit. Sub hoc igitur immaniſſimo perſecutore cum in finibus Aegyptiis verſaretur: beata Catharina ſuum expleuit agonem.

3 ¶In tertio verſu. Sed torrentur inuſtis corporibus: Torrentur inquam: non ſenſibili ignis læſione aut conſumptione, nam illos omnino non tetigit ignis: nec ipſis quicquam moleſtiæ intulit (quemadmodum de tribus pueris in fornacem babylonicam miſſis: dicit Daniel) ſed ſola applicatione iniectionéque in ignem: cui iuſſu tyranni fuerunt immiſſi vt exurerentur. Itaque verbum illud, non cremationis actum nobis hic inſinuat: ſed modum ac habitũ, Dan. 3.

ſecundũ

ſecundum quem reuera abſumpti fuiſſent: niſi diuina virt⁹ eos ſeruaſſet incolumes. Poteſt & id ad exitium vitæ eorũ inſinuandum: intelligi dictum. Nam flammis circundati, omnes placida morte peruenerunt: reddentes animas deo quem fuerant confeſſi, non tamen ignis violentia adacti ad mortem: ſed diuino beneplacito imponente finem eorum martyrio. Quare torreri hic dicuntur, quia rebus humanis ſunt exempti: eorum more qui in flammas coniecti animam exhalant, citra tamen omnem cruciatum aut afflictionem corporum.

6 ❡In quarto verſu. Velut aurum comprobauit. Intelligendus eſt ad complementum ſententiæ hoc loco accuſatiuus eos: qui referat rhetores ſiue doctores gentilium, vt hic habeatur ſenſus. Aduſtio fornacis comprobauit eos philoſophos Chriſtum confeſſos: velut aurum. Debet enim hic integra & perfecta eſſe ſententia, non dependens ex ſequentibus: quod vix bene præſtari poterit ſine huiuſmodi accuſatiuo ſubaudito. Sumptus autem eſt hic locus ex libro Sapientiæ: ita de iuſtis qui coram hominibus tormenta paſſi ſunt dicente. In paucis vexati: in multis bene diſponentur: quoniam deus tentauit eos: & inuenit illos dignos ſe, tanquã aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos: & in tempore erit reſpectus illorum.

6 ❡In ſexto verſu. Nec intra ſe capitur. Id eſt rex ipſe Maxentius non eſt ſuæ mentis compos, ſed furore actus & ſæuo percitus œſtro: extra ſe rapitur more immanis beluæ, non continens ſe intra metas rationis, ſed humanę moderationis fines & limites egrediens. Qui enim iracundia exagitatus effuſis habenis indulget animo: iam ampli⁹ ſe intra ſeipſum non continet, ſed rabie concitus exit hominem. In eodem quoque verſu: ſoli Catharinæ turba multa creuiſſe tunc dicitur. Nam cum ſola eſſet Chriſti partes defendens contra tyranni ſæuitiam, multa illi deinde turba acceſſit conſortio fidei: per ipſam ad Chriſtum conuerſa, vt ſequens declarat verſus.

7 ❡In ſeptimo verſu. Clauſæ lumen ne claudatur. Ne lumen (inquit) cœlitus immiſſum carceri, aut fidei Chriſtianæ claritas, ipſius virginis Catharinæ clauſæ tetro carcere: claudatur & occultetur alijs, nulliſque fiat manifeſtum:

ſtum: illud lumen illucet Porphyrio. Nam & per cæleſte lumen conſpectum in carcere inductus eſt Porphyrius primum ad fidem amplectendam & ſpirituale lumen agnitioque fidei per ſacram virginem ei illuxit, quandoquidẽ ipſius ſuaſu, exhortatione & prædicatione: ad Chriſtum conuerſus eſt.

8 ¶ In octauo verſu. Huius ergo concionis. Quæ ſcilicet imitata eſt fidẽ Porphyrij & reginę: vt modo dictũ eſt, noſipſi cõcordes conformeſq; & ſimiles cõſtãtia atq; ſtabilitate in bono, hoc eſt, noſipſi conformantes nos & ſimiles facti conſtantiæ huius ſacræ concionis per imitationem morum: conſimili patientia vincamus incurſus & moleſtias perſecutionum huius mundi, efficiamurque veri aſſectatores patientiæ ipſorum. Porrò in nonnullis libris eccleſiaſticis comperiuntur & alij duo hymni omnino eiuſdem generis & formæ cum iſto: proſequentes reliquam martyrij huius ſacræ virginis enarrationem vſque ad fœlicem ei⁹ mortem & ſepulturam. Qui quoniam apprimè digni ſunt & præclari, immò videntur partes eſſe reliquæ alicuius totius hymni, ex quo hic qui nunc explicatus eſt deſumptus cenſetur: ambo hic ſine ampliori expoſitione (nã ſatis plani ſunt) ſubnectuntur.

¶ DE SANCTA CATHARINA: alius hymnus.

1 Pange lingua glorioſæ
virginis præconium.
gemmæ iubar precioſæ
deſcendat in medium:
vt illuſtret tenebroſæ
mentis domicilium.

2 Virgo pœnis iam attrita
rotarum patibulo
præſentatur præmunita
fidei ſignaculo.
genu flectit, orat ita
circunſtante populo.

3 Vt confirmes ſpem tuorũ
& honorem nominis,
& elidas ſuperborum
vim, virtute numinis:
ſtruem de⁹ hãc lignorũ
ictu frange fulminis.

4 Vox cõpletur: mox iũctura
rotarũ diſſoluitur.
aſtans molis ex preſſura
populi pars teritur:
pars baptiſmũ ſuſceptura
virgini coniungitur.

5 Fide fidens occultata
regis vxor emicat:
deos regis deteſtata
Chriſtum regem prædicat.
totis mammis cruciata:
ſpe conſtanti dimicat.

Decol

Votis precamur cordium
Audite preces ſupplicum.
3 *Qui cælum uerbo clauditis*
Seras & eius ſoluitis:
Nos à peccatis omnibus
Soluite iuſſu quæſumus.
4 *Quorum præcepto ſubitur*
Salus & languor omnium:
Sanate ægros moribus
Nos reddentes uirtutibus.
5 *Et cum iudex aduenerit*
Chriſtus in fine ſeculi:
Nos ſempiterni gaudij
Faciat eſſe compotes.
Amen.

¶Hymnus iſte, carminis iambici dimetri ſolum retinet numerum ſyllabarum in vnoquoque carmine ſine debita pedum collatione. Nam in ſecundo loco ſpondeum ſæpi⁹ habet pro iambo: & in anterioribus ſedibus pyrrhichium pro ſpondeo aut iambo, occurrit & in eo vocalis ſequens alterius dictionis vocalem ſine colliſione. Incitatur in eo tota fidelium eccleſia: ad celebrandam ſolennitatem in apoſtolorum honorem, ad quos deinde ſermo dirigitur, eorum explicans dignitatem & ſublimitatem: poſtulánſque vt nunc peccatorum nobis impetrent medelam, & in die aduentus domini ad iudicium: gloriam ſempiternam.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Exultet cælum laudibus. Nomine cæli: angelica ſubſtantia quæ in cęlis verſatur, & nomine terræ: humana intelligitur natura, quæ terram habitat. Nam vtrique earum & nulli aliarum creaturarum conuenit exultare & iubilare diuinis laudibus in ſanctorum ſolennitate: quòd ſolæ rationales ſint & intellectu præditæ. Quinimmò ſæpius in ſcriptura cælum & terra hoc modo accipiuntur, & adinuicem coniunguntur, vt in Eſaia. Audite cæli: & auribus percipe terra. Et in cantico Moyſi circa finem Deuteronomij. Audite cęli quę loquor: audiat terra, verba oris mei. Denique in pſalmo. Lætentur

Eſa.1. *Deut.32.* *Pſal.95.*

Lætentur cæli & exultet terra: moueatur mare & plenitũdo eius. Illa autem ambo, cælum inquam & terra: hic coniunguntur ad verbum canunt: tanquam nominatiui ad ſuũ verbum, vt ſacra ſolẽnia, eiuſdem verbi ſit accuſatiuus: & gloria, ablatiuus ab eodem rectus.

2 ¶ In ſecundo verſu. Vos ſecli iuſti iudices. Id ex Matthęo habetur: vbi dominus diſcipulis dixiſſe legitur. Amẽ dico vobis quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ: ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Quòd verò apoſtoli ſint mundi lumina: ex eodem conſtat euangeliſta, in eo ſermone quem fecit eis domin⁹ in monte. Vos eſtis (inquit) lux mundi. Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio: ſed ſuper candelabrũm: vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus: vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.

Matth. 19.

Matt. 5

3 ¶ In tertio verſu. Qui cælum verbo clauditis. Nempe ipſis omnibus dictum eſt à domino apud Matthæum. Amẽ dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram: erunt ligata & in cælo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram: erunt ſoluta & in cælo. Idem quoque expreſſus ipſis apud Ioannem indultum eſt: cum ait. Accipite ſpiritum ſanctũ, quorum remiſeritis peccata: remittuntur eis, & quorum retinueritis: retenta ſunt.

Matt. 18

Ioan. 20.

4 ¶ In quarto verſu. Quorum præcepto ſubditur. Hoc ex Luca manifeſtum euadit: vbi dicit quòd conuocatis Ieſus duodecim apoſtolis, dedit eis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent: & miſit illos prædicare regnum dei & ſanare infirmos. Egreſſi autem circuibant per caſtella: euangelizantes & curantes vbique. Similiter & ex Marco: vbi dominus ad cælos rediturus, ait diſcipulis ſuis. Signa autẽ eos qui crediderint: hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint: non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent: & bene habebunt.

Luc. 9.

Marci 16

5 ¶ In quinto verſu. Chriſtus in fine ſeculi. Hic per ablatiuum in fine ſeculi, legendum eſt: non per accuſatiuum in finem, quia nomen temporis præpoſitioni in, adiunctum,

in ablatiuo debet conſtitui. Vt Chriſtus veniet mundum iudicaturus in nouiſſimo die: non in nouiſſimum diem, & in fine mundi venturus eſt: non in finem. Ita in tertio huius hymni verſu potius dicendum: feras & eius ſoluitis, quàm feráſque eius ſoluitis, ad fugiendum nimium hiatum: propter vocalis ſubiunctionem ad alterius dictionis vocalem ſine colliſione. Et ſi qua talia occurrunt caſtiganda: ſine præiudicio poſſunt emendari, vbi id ratio locutionis latinæ aut carminis aut ſententiæ efflagitat.

DE APOSTOLIS:
alius hymnus.

1 *Æterna Chriſti munera*
Apoſtolorum gloria
Laudes canentes debitas:
Lætis canamus mentibus.

2 *Eccleſiarum principes:*
Belli triumphales duces.
Cæleſtis aulæ milites:
Et uera mundi lumina.

3 *Terrore uicto ſeculi*
Spretisq; pœnis corporis:
Mortis ſacræ compendio
Vitam beatam poßident.

4 *Traduntur igni martyres:*
Et beſtiarum dentibus.
Armata ſæuit ungulis
Tortoris inſani manus.

5 *Nudata pendent uiſcera.*
Sanguis ſacratus funditur:
Sed permanent immobiles:
Vitæ perennis gratia.

6 *Deuota ſanctorum fides:*
Inuicta ſpes credentium,
Perfecta Chriſti charitas
Mundi triumphat principem.

7 *In his paterna gloria:*
In his uoluntas filij,
Exultat in his ſpiritus.
Cælum repletur gaudiis.

8 *Te nunc redēptor quæſumus:*
Vt ipſorum conſortio
Iungas precantes ſeruulos
In ſempiterna ſecula.
Amen.

¶ Hymnus iſte, carminis iambici dimetri legibus rectè ac integrè coercetur: hoc ſolo excepto quòd in ſeptimi verſus tertio carmine pyrrhichius pro iambo conſtituitur in ſecundo loco. Verùm pulchro & eleganti corpori non magnam infert deformitatem neuulus. In eo ſanctorum apoſtolorum glorioſi tituli laudéſque depromuntur: necnon & inuicta animi conſtantia in perferendis pro confeſſione veræ fidei tormentis. Nempe apoſtoli dei omnes, martyrium glorioſum pro Chriſto perpeſſi ſunt: & calicem domini biberunt. Quare à multis præſens hymnus decantari plærunque ſolet etiam de pluribus martyribus non apoſtolis: commutato duntaxat ſecundo carmine primi verſus, ſcilicet apoſtolorum gloria, in hoc carmen: & martyrum victorias. Nam tota hymni (qui oppidò quàm ſuauis eſt & elegans) ſententia: vtriſque aptè congruit.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Laudes canẽtes debitas. Hoc in verſu & participium canentes ponitur, & verbum canimus: neutrum tamen ſuperflue. Vtrunque enim: ſuum habet accuſatiuum cui adiungatur. Participiũ quidem: accuſatiuo laudes debitas aſciſcitur, verbum autem: accuſatiuo æterna munera, præter quem: & ablatiuũ habet, gloria, id eſt in gloriam vel propter gloriam apoſtolorum. Quòd ſi quis malit ablatiuum illum cum participio ordinare: non illi refragamur, nam ob id non mutatur ſententia ſed ferè eadem eſt.

2 ¶ In ſecundo verſu. Eccleſiarum principes. De ipſis enim dictum eſt in pſalmo. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Et rurſum in alio loco pſalmi. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. Fuerunt & triumphales duces belli contra ſcribas & Phariſæos: volentes nomen Ieſu Chriſti benedictum in ſecula: eradere de terra & penitus abolere. Etiam contra reges terræ & principes: qui conuenerunt in vnum aduerſ dominum, & aduerſus Chriſtũ eius. Et quòd longè valentius eſt: contra horrendos dæmones, quos ſuis phanis & idolis expulerunt, ac reclamante toto mundo inuitiſque tenebrarum poteſtatibus: cultum nominis Chriſti induxerunt, multo ſanè inſigniore laude digni, quàm Romani duces & cæſares omnes: ac honoratiore triumpho ad immar

Pſal. 44.
Pſal. 138.

ceſſibilem

ceſſibilem gloriam cælis inuecti, ornatíque caput ſacrum victrice corona.

3 ¶ In tertio verſu. Mortis ſacræ compendio. Compendium, via breuior dicitur, quaſi ad latus conſtituta citiusq; ad terminum ducens quàm ea quæ publica & protrita eſt. Vt in ſecundo libro Regum dicitur Achimaas cucurriſſe per viam compendij & tranſiſſe Chuſi: qui tamen prior ad curſum ſe accinxerat. 2.Reg.18. Quoniam autem mors corporalis quam pertulerunt apoſtoli & martyres, admodum breuis eſt in collatione ad vitam ſempiternam, quam per mortẽ illam ſunt aſſecuti: rectè dicuntur hic poſſidere vitam beatam per ſacræ mortis compendium, quaſi mors illa fuerit via quædam compendiaria ad aſſequendum illum terminum & metam: ſcilicet vitam incorruptibilem.

4 ¶ In quarto verſu. Traduntur igni martyres. Hæc immania tormenta quæ ſuſtinuerunt martyres Chriſti: beatus Paulus ad Hebræos ſcribens ita complectitur. Heb.11. Alij autem diſtenti ſunt: non accipientes redemptionem vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti: inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis: egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus.

In eodem verſu. Armata ſæuit vngulis. Vngula ab vnguis deriuatum eſt, non tamen diminutiuum: quia non imminuit ſui primitiui ſignificatum, ſed denominatiuum. Et dicitur de ijs animalibus quæ digitos non habent: ſicut vnguis eorum propriè eſt animalium quæ digitis ſunt prædita. Ouidius. Vnguláque in qui nos delapſa abſumitur vngues. Interdum verò idem nomen pro inſtrumento ſumitur ferreo, vt pectine aut alio quouis: quo dilacerantur aut diſcerpuntur corpora hominum in equuleo extentorum. Prudentius in hymno de ſancto Romano. Amor coronæ pœnæ præuenit trucem: lictoris artem ſponte nudas offerens, coſtas biſulcis execandas vngulis, vbi tria ſunt carmina iambica trimetra, quo genere metri: totus ille hymnus (qui copioſiſſimus eſt & elegãtiſſimus) cõponitur. Idem in hymno de ſancto Vincentio: Per te, per illum carcerem: honoris augmentum tui, per vincla, flammas,

vngulas,per carceralem ſtipitem. Vbi quatuor ſunt carmina iambica dimetra,nam & tota illa ode (de qua paulo pòſt fiet mentio)hoc genere metri conficitur,Et in hac acceptione ſumitur hic:ſicut & in illo loco hymni plurium martyrum inferius explicati, His ceſſit lacerans fortiter vngula.

6 ¶ In ſexto verſu.Mundi triumphat principem.Triumphare verbum etſi ſuaptè natura neutrale ſit, & ſignificet obtinere triumphum eoq́ue potiri, interdum tamen vim habet actiui verbi,& ſuperare ſignificat ſiue vincere,accuſatiuumq́ue petit,vt hoc in loco·Prudentius in hymno de ſancto Laurentio.Antiqua phanorum parens, iam Roma Chriſto dedita,Laurentio victrix duce, ritum triumphas barbarum.Quatuor ſunt ibi carmina iambica dimetra, ſicut & totus ille hymnus(qui cultiſſimus eſt & diffuſiſſim⁹) hoc genere metri conſtituitur. Inde participium triumphatus,victum ſignificat ſiue ſuperatum, & de quo actus eſt triumphus. Mantuanus in principio ſecundæ parthenices.Atque triumphato victricia bella tyranno.

7 ¶ In ſeptimo verſu.In his paterna gloria. Pronomen illud his,tertio hic repetitum, demonſtrat fidem,ſpem,& charitatem ſanctorum(quæ Chriſti charitas hic dicitur, quia in Chriſtum habetur)nominatas in præcedenti verſu.Aut ſi malis,monſtrat apoſtolos & martyres, hoc hymno celebratos.Tres verò illi nominatiui , paterna gloria, voluntas filij,& ſpiritus,inſinuantes nobis tres ſummæ diuinitatis perſonas,ordinantur ad idem verbũ exultat,quo vnitas ſignificetur deitatis.

DE APOSTOLIS:
1 alius hymnus.

ANnuc Chriſte ſeculorum domine:
Nobis per huius tibi chara merita,
Vt quæ te coram grauiter deliquimus:
Huius ſoluantur glorioſus precibus
2 *Salua redemptor plaſma tuum nobile:*
Signatum ſancto uultus tui lumine

Ne

Ne lacerari ſinas fraude dæmonum:
Propter quos mortis exoluiſti precium.
3 *Dole captiuos eſſe tuos ſeruulos*
Abſolue reos, compeditos erige.
Et quos cruore redemiſti proprio,
Rex bone tecum fac gaudere perpetim.
4 *Sit tibi Ieſu benedicte domine,*
Gloria, uirtus, honor, & imperium,
Vna cum patre ſanctoq; paraclito.
Cum quibus regnas, deus ante ſecula. Amen.

¶ Præſens hymnus carminis iambici ſenarij præ ſe fert imaginem & formam: quod in locis imparibus primo tertio & quinto: ſpondeum aut iambum in paribus verò ſecundo, quarto, & ſexto: iambum ſolum continere debet, aut poſtremo loco pyrrhichium. Verùm huiuſmodi lex non exactè obſeruatur in hoc hymno. Nam pro ſpondeo, itidem & iambo nunc trochæus ponitur: nunc verò in anterioribus ſedibus pyrrhichius, vt ſolum ſyllabarum numerum: cum eo carmine habeat communem. Et conſimilis omnino eſt ſtructuræ: cum illo hymno prius expoſito. Aurea luce & decore roſeo. In eo dirigitur oratio ad Chriſtum (nam totus eſt deprecatorius) vt precibus apoſtoli in cuius honorem decantatur, placatus: veniam peccatorum nobis tribuat, à fraude diaboli nos eripiat, & ſuo redemptos ſanguine participes efficiat æternæ beatitudinis.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Seculorum domine. Chriſtus hic dicitur ſeculorum dominus: quoniam deus eſt, omnium temporum, ætatum, ſucceſſionum & decurſuum durationis rerum: rector, ordinator, & diſpoſitor. Et id ex beato Paulo depromptum videtur: ita ad Timotheum ſcribente. Regi autem ſeculorum, immortali, inuiſibi, ſoli deo: honor & gloria in ſecula ſeculorum. *1. Tim. 1.* Amen. Et regnum eius à propheta in pſalmo regnum omnium ſeculorum dicitur: quoniam omnia ſecula, temporũque ſucceſſiones complectitur, & quæ præterierũt, & quæ nunc aſſunt, & quæ futuræ ſunt. Dominatio enim eius: *Pſal. 144.*

qnód eſt purus, vel a καθαρίζω, purifico, vel a καταῤῥέω, defluo, vel a κατὰ & ῥύαξ quod eſt riuus: vox illa deflectitur, legimus enim (inquit) apud Pliniũ, Hopponé Aphricæ oppidum (cuius epiſcopatum tenuit ſanctus Auguſtinus) à Græcis catharitum appellari: quòd riuis & aquis eſſet irrigua. Quoduis horũ (ait) dixeris: rectè dixeris. Atqui in vnoquoque horum vocabulorum iam nominatorum: vnde nomen Catharina deduci poteſt: à vocalis: ſecundam tenet ſyllabam. Quare & in hac voce Catharina ab illis efformata: debet à: ſecundæ ſyllabæ & ſcribendo & proferendo inſeri. Cæterùm & id in præſentia adiiciendum: quòd non debet eadem vox Catharina per K Latinum in fronte ſcribi, vt faciunt orthographiæ imperiti, in eum (vt coniectatu facilè eſt) inducti errorem, quòd K Græcum, cuius loco Latini habent literam c, formam gerit & figuram K Latini. Et hoc ſimilitudine decepti plerique: putarunt K Latinum, in capite dictionis illius ponendum loco K Græci: inchoantis illius dictionis ſcripturam, cum deberent illud in c apud Latinos commutare. Nulla ſiquidem dictio Latina inchoatur altera K: neque Carolus, neque calẽdæ neque Catharina, apud orthographos rectóſque ſcriptores.

2 ¶ In ſecundo verſu. Chriſtum induſti. Spirituali quidem induendi genere, quo quis per dignam imitationem atque inſitionem ſibi myſticæ Chriſtum circum ponit: eiúſque ſimilitudinem per virtutum opera & ornatum in ſe nititur exprimere perinde atque ferrum ignitum diceretur induere ignem. Quod induendi genus commendat apoſtolus: cum ait ad Romanos. Induimini dominum Ieſum Chriſtum. Et ad Galatas. Quicunque in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis.

Roma.13
Gala.3

5 ¶ In quinto verſu. Vt philoſophiam mundi tranſeamus. Quidnam diſcriminis ſit inter philoſophiam mundi & philoſophiam veram ſiue diuinam: ſub nomine ſapientiæ beatus Iacobus ſatis explicat in ſua epiſtola. De philoſophia enim mundi loquens, qua mendaces ſunt homines aduerſus veritatẽ: ait. Non eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens à patre luminum: ſed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primũ quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis ſine

Iaco.3
Rom.8

ſine ſimulatione. Cui conſonat apoſtolus ad romanos dicens. Prudentia carnis, mors eſt. prudentia autem ſpiritus vita & pax, quoniam ſapientia carnis inimica eſt deo. legi enim dei non eſt ſubiecta, nec eſſe poteſt. 6 ¶ In ſexto verſu. Nobis verũ Sina. Verus Sina Chriſtꝰ eſt. quoniam mons eſt dei myſticus: ob dignitatis ſuæ & excellentiæ ſublimitatem. Qui enim de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. *Ioann.3*
Etiam ob legiſlationem in eo monte factam, quoniam ipſe eſt legifer noſter. Deniq; ob diuinæ gloriæ manifeſtationem eodem in monte factam, quoniã deus erat in Chri *2:Cor.5*
ſto: mundum reconcilians ſibi. Et vidimus gloriam eius: gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Vnde mons ille, vt ſymbolum & typus Chriſti, in diui- *Ioann.1*
nis eloquiis ſacer habetur. vt in pſalmo. Etenim cæli diſtillauerunt à facie dei Sinai, à facie dei Iſrael. Et paulo poſt eodem in loco. Dominus in eis in Sinai, in ſancto. Hunc *Pſal. 67*
autem verum Sina, ſancta virgo Catharina in Sina materiali tumulta nobis inclinat. quãdo ſuis orationibus Chriſtum nobis reddit placabilem, facilémque præcibus noſtris & exorabilem.

¶ DE SANCTA CATHARINA: alius hymnus.

Catharinæ collaudemus.
Virtutum inſignia.
Cordis ei præſentemus
Et oris obſequia:
Vt ſpe certa reſpiremus
Per eius ſufragia.
2 *Fulta fide Catharina:*
Iudicem Maxentium
Non formidat. lex diuina
Sic firmat eloquium:
Quòd cõfutat ex doctrina
Doctores gentilium.
3 *Victi Chriſtum cõfitẽtur*
Relictis erroribus.
Iudex iubet vt crementur.
Nec pilis nec veſtibus
Nocc ignis: ſed torrentur
Iniuſtis corporibus.
4 *Velut aurũ, cõprobauit*
Fornacis aduſtio.
Nã quos Chiſtꝰ cõſeruauit
Foris ab incendio:
Coxit intus & purgauit
Fides & confeſſio.
5 *Poſt hæc blandis rex molitur*
Virginem ſeducere.
Nec promiſſis emollitur,
Nec terretur verbere.

Con-

bores.Inde deducitur inſigne,is,ſubſtantiuum :quod ſigni
ficat ſignum atque indicium excellentiæ ob nobilitatem,
magiſtratum,victoriam,virtutem,aut aliud quiduis in ve-
ſte,armis,alióve exteriore habitu ad diſcretionem oſten-
ſum.Virgilius.Mutemus clypeos: Danaumque inſignia
nobis Aptemus.Itaque inſignia virtutum,ea ſunt ornamē
ta:quæ quis ob virtutem eſt adeptus . Cicero ad Appium.
Inſignia enim virtutis:multi etiā ſine virtute aſſecuti ſunt.
Et hoc loco inſignia virtutum ſanctæ Catharines:ſunt ex-
cellentia,ſplendor & gloria ſuarum virtutum.

2 ¶In ſecundo verſu.Fulta fide Catharina.Fulta:ſtabili-
ta,munita,corroborata,à fulcior, iris, cuius actiuum ful-
cio,is,ire,ſignificat ſuſtentare,munire,& cōſolidare quip
piam ne decidat.Cæterùm Maxentius ille cuius meminit
præſens verſus:filius fuit Maximiani(qui & Herculeus di
ctus eſt)conſortis quidem imperij Romani cum Diocle-
tiano:& illi crudelitate quàm ſimillimi. Poſtquam autem
ambo,ſanctorum martyrum ſanguine(quem ſtygio furo-
re debacchantes in toto terrarum orbe effuderant) ſatis
inebriati:imperij inſignia depoſuiſſent , vt priuati in ocio
reliquam tranſigerent ætatem,Maxentius hic patri ſucce-
dens in imperio:tyrannum potius quàm imperatorē geſ-
ſit,ſcelerumque immanitate longè patrem ſuperauit:in o-
mnem profuſus libidinem ac magicis præſtigijs addictiſſi
mꝰ,vt diffuſe proſequitur hiſtoria eccleſiaſtica libro octa
uo.Tandem more tyrannorum miſere periit , cum contra
Conſtantinum pro imperio occupando bella gerens:ſuis
ipſius inſidijs interceptus eſt,& iuxta pontem Miluuiū in-
cidit in foueam quam fecit. Sub hoc igitur immaniſſimo
perſecutore cum in finibus Aegyptiis verſaretur:beata Ca
tharina ſuum expleuit agonem.

3 ¶In tertio verſu.Sed torrentur inuſtis corporibus:
Torrentur inquam:non ſenſibili ignis læſione aut conſum
ptione,nam illos omnino non tetigit ignis:nec ipſis quic-
quam moleſtiæ intulit (quemadmodum de tribus pueris
in fornacem babylonicam miſſis:dicit Daniel)ſed ſola ap-
plicatione iniectionéque in ignem:cui iuſſu tyranni fue-
runt immiſſi vt exurerentur.Itaque verbum illud,non cre
mationis actum nobis hic inſinuat:ſed modum ac habitū, Dan.3.
ſecundū

ſecundum quem reuera abſumpti fuiſſent: niſi diuina virt^9 eos ſeruaſſet incolumes. Poteſt & id ad exitium vitæ eorũ inſinuandum: intelligi dictum. Nam flammis circundati, omnes placida morte quieuerunt: reddentes animas deo que n fuerant confeſſi, non tamen ignis violentia adacti ad mortem: ſed diuino beneplacito imponente finem eorum martyrio. Quare torreri hic dicuntur, quia rebus humanis ſunt exempti: eorum more qui in flammas coniecti animam exhalant, citra tamen omnem cruciatum aut afflictionem corporum.

6 ❡ In quarto verſu. Velut aurum comprobauit. Intelligendus eſt ad complementum ſententiæ hoc loco accuſatiuus eos: qui referat rhetores ſiue doctores gentilium, vt hic habeatur ſenſus. Aduſtio fornacis comprobauit eos philoſophos Chriſtum confeſſos: velut aurum. Debet enim hic integra & perfecta eſſe ſententia, non dependens ex ſequentibus: quod vix bene præſtari poterit ſine huiuſmodi accuſatiuo ſubaudito. Sumptus autem eſt hic locus ex libro Sapientiæ: ita de iuſtis qui coram hominibus tormenta paſſi ſunt dicente. In paucis vexati: in multis bene diſponentur: quoniam deus tentauit eos: & inuenit illos dignos ſe, tanquã aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos: & in tempore erit reſpectus illorum.

6 ❡ In ſexto verſu. Nec intra ſe capitur. Id eſt rex ipſe Maxentius non eſt ſuæ mentis compos, ſed furore actus & ſæuo percitus œſtro: extra ſe rapitur more immanis beluæ, non continens ſe intra metas rationis, ſed humanæ moderationis fines & limites egrediens. Qui enim iracundia exagitatus effuſis habenis indulget animo: iam ampli^9 ſe intra ſeipſum non continet, ſed rabie concitus exit hominem. In eodem quoque verſu: ſoli Catharinæ turba multa creuiſſe tunc dicitur. Nam cum ſola eſſet Chriſti partes defendens contra tyranni ſæuitiam, multa illi deinde turba acceſſit conſortio fidei: per ipſam ad Chriſtum conuerſa, vt ſequens declarat verſus.

7 ❡ In ſeptimo verſu. Clauſæ lumen ne claudatur. Ne lumen (inquit) cœlitus immiſſum carceri, aut fidei Chriſtianæ claritas, ipſius virginis Catharinæ clauſæ tetro carcere: claudatur & occultetur alijs, nulliſque fiat manifeſtum:

ſtum: illud lumen illucet Porphyrio. Nam & per cæleſte lumen conſpectum in carcere inductus eſt Porphyrius primum ad fidem amplectendam: & ſpirituale lumen agnitioque fidei per ſacram virginem ei illuxit, quandoquidē ipſius ſuaſu, exhortatione & prædicatione: ad Chriſtum conuerſus eſt.

8 ¶ In octauo verſu. Huius ergo concionis. Quæ ſcilicet imitata eſt fidē Porphyrij & reginę: vt modo dictū eſt, noſipſi cōcordes conformeſq; & ſimiles cōſtātiā atq; ſtabilitate in bono, hoc eſt, noſipſi conformantes nos & ſimiles facti conſtantiæ huius ſacræ concionis per imitationem morum: conſimili patientia vincamus incurſus & moleſtias perſecutionum huius mundi, efficiamurque veri affectatores patientiæ ipſorum. Porrò in nonnullis libris eccleſiaſticis comperiuntur & alij duo hymni omnino eiuſdem generis & formæ cum iſto: proſequentes reliquam martyrij huius ſacræ virginis enarrationem vſque ad fœlicem eius mortem & ſepulturam. Qui quoniam apprimè digni ſunt & præclari, immò videntur partes eſſe reliquæ alicuius totius hymni, ex quo hic qui nunc explicatus eſt deſumptus cenſetur: ambo hic ſine ampliori expoſitione (nā ſatis plani ſunt) ſubnectuntur.

¶ DE SANCTA CATHARINA: alius hymnus.

1 Pange lingua glorioſæ
virginis præconium.
gemmæ iubar precioſæ
deſcendat in medium:
vt illuſtret tenebroſæ
mentis domicilium.

2 Virgo pœnis iam attrita:
rotarum patibulo
præſentatur præmunita
fidei ſignaculo.
genu flectit, orat ita
circunſtante populo.

3 Vt confirmes ſpem tuorū
& honorem nominis,
& elidas ſuperborum
vim, virtute numinis:
ſtruem deus hāc lignorū
ictu frange fulminis.

4 Vox cōpletur: mox iūctura
rotarū diſſoluitur.
aſtans molis ex preſſura
populi pars teritur:
pars baptiſmū ſuſceptura
virgini coniungitur.

5 Fide fidens occultata
regis vxor emicat:
deos regis deteſtata
Chriſtum regem prædicat.
totis mammis cruciata:
ſpe conſtanti dimicat.

Decol

Votis precamur cordium
Audite preces ſupplicum.
3 *Qui cælum uerbo clauditis*
Seras & eius ſoluitis:
Nos à peccatis omnibus
Soluite iuſſu quæſumus.
4 *Quorum præcepto ſubitur*
Salus & languor omnium:
Sanate ægros moribus
Nos reddentes uirtutibus.
5 *Et cum iudex aduenerit*
Chriſtus in fine ſeculi:
Nos ſempiterni gaudij
Faciat eſſe compotes.
Amen.

¶Hymnus iſte, carminis iambici dimetri ſolum retinet numerum ſyllabarum in vnoquoque carmine ſine debita pedum collatione. Nam in ſecundo loco ſpondeum ſæpi⁹ habet pro iambo: & in anterioribus ſedibus pyrrhichium pro ſpondeo aut iambo, occurrit & in eo vocalis ſequens alterius dictionis vocalem ſine colliſione. Incitatur in eo tota fidelium eccleſia: ad celebrandam ſolennitatem in apoſtolorum honorem, ad quos deinde ſermo dirigitur, eorum explicans dignitatem & ſublimitatem: poſtulánſque vt nunc peccatorum nobis impetrent medelam, & in die aduentus domini ad iudicium: gloriam ſempiternam.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Exultet cælum laudibus. Nomine cæli: angelica ſubſtantia quæ in cęlis verſatur, & nomine terræ: humana intelligitur natura, quæ terram habitat. Nam vtrique earum & nulli aliarum creaturarum conuenit exultare & iubilare diuinis laudibus in ſanctorum ſolennitate: quòd ſolæ rationales ſint & intellectu præditæ. Quinimmò ſæpius in ſcriptura cælum & terra hoc modo accipiuntur, & adinuicem coniunguntur, vt in Eſaia. Audite cæli: & auribus percipe terra. Et in *Eſa.1.*
cantico Moyſi circa finem Deuteronomij. Audite cęli quę *Deut.32.*
loquor: audiat terra, verba oris mei. Denique in pſalmo. *Pſal.95.*

Lætentur

in ablatiuo debet conſtitui. Vt Chriſtus veniet mundum iudicaturus in nouiſſimo die: non in nouiſſimum diem, & in fine mundi venturus eſt: non in finem. Ita in tertio huius hymni verſu potius dicendum: feras & eius ſoluitis, quàm feráſque eius ſoluitis, ad fugiendum nimium hiatum: propter vocalis ſubiunctionem ad alterius dictionis vocalem ſine colliſione. Et ſi qua talia occurrunt caſtiganda: ſine præiudicio poſſunt emendari, vbi id ratio locutionis latinæ aut carminis aut ſententiæ efflagitat.

DE APOSTOLIS: alius hymnus.

1 *Æterna Chriſti munera*
Apoſtolorum gloria
Laudes canentes debitas:
Lætis canamus mentibus.

2 *Eccleſiarum principes:*
Belli triumphales duces.
Cæleſtis aulæ milites:
Et uera mundi lumina.

3 *Terrore uicto ſeculi*
Spretiſq; pœnis corporis:
Mortis ſacræ compendio
Vitam beatam poßident.

4 *Traduntur igni martyres:*
Et beſtiarum dentibus.
Armata ſæuit ungulis
Tortoris inſani manus.

5 *Nudata pendent uiſcera.*
Sanguis ſacratus funditur.
Sed permanent immobiles:
Vitæ perennis gratia.

6 *Deuota ſanctorum fides:*
Inuicta ſpes credentium,
Perfecta Chriſti charitas
Mundi triumphat principem.

7 *In his paterna gloria:*
In his uoluntas filij,
Exultat in his ſpiritus.
Cælum repletur gaudiis.

8 *Te nunc redẽptor quæſumus:*
Vt ipſorum conſortio
Iungas precantes ſeruulos
In ſempiterna ſecula.
Amen.

❡Hymnus iſte,carminis iambici dimetri legibus rectè ac integrè coercetur:hoc ſolo excepto quòd in ſeptimi verſus tertio carmine pyrrhichius pro iambo conſtituitur in ſecundo loco. Verùm pulchro & eleganti corpori non magnam infert deformitatem neuulus. In eo ſanctorum apoſtolorum glorioſi tituli laudéſque depromuntur: necnon & inuicta animi conſtantia in perferendis pro confeſſione veræ fidei tormentis. Nempe apoſtoli dei omnes, martyrium glorioſum pro Chriſto perpeſſi ſunt:& calicem domini biberunt. Quare à multis præſens hymnus decantari plærunque ſolet etiam de pluribus martyribus non apoſtolis: commutato duntaxat ſecundo carmine primi verſus, ſcilicet apoſtolorum gloria, in hoc carmen, & martyrum victorias. Nam tota hymni(qui oppidò quàm ſuauis eſt & elegans)ſententia: vtriſque aptè congruit.

1 ❡ANNOTATIONES. In primo verſu. Laudes canẽtes debitas. Hoc in verſu & participium canentes ponitur, & verbum canimus: neutrum tamen ſuperflue. Vtrunque enim: ſuum habet accuſatiuum cui adiungatur. Participiũ quidem: accuſatiuo laudes debitas aſciſcitur, verbum autem: accuſatiuo æterna munera, præter quem: & ablatiuũ habet, gloria, id eſt in gloriam vel propter gloriam apoſtolorum. Quòd ſi quis malit ablatiuum illum cum participio ordinare: non illi refragamur, nam ob id non mutatur ſententia ſed ferè eadem eſt.

2 ❡In ſecundo verſu. Eccleſiarum principes. De ipſis enim dictum eſt in pſalmo. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Et rurſum in alio loco pſalmi. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. Fuerunt & triumphales duces belli contra ſcribas & Phariſæos: volentes nomen Ieſu Chriſti benedictum in ſecula: eradere de terra & penitus abolere. Etiam contra reges terræ & principes: qui conuenerunt in vnum aduerſ⁹ dominum, & aduerſus Chriſtũ eius. Et quòd longè valentius eſt: contra horrendos dæmones, quos ſuis phanis & idolis expulerunt, ac reclamante toto mundo inuitiſque tenebrarum poteſtatibus: cultum nominis Chriſti induxerunt, multo ſanè inſigniore laude digni, quàm Romani duces & cæſares omnes: ac honoratiore triumpho ad immar

Pſal. 44.
Pſal. 138.

ceſſibilem gloriam cælis inuecti, ornatique caput ſacrum victrice corona.

3 ¶ In tertio verſu. Mortis ſacræ compendio. Compendium, via breuior dicitur, quaſi ad latus conſtituta citiusq; ad terminum ducens quàm ea quæ publica & protrita eſt. Vt in ſecundo libro Regum dicitur Achimaas cucurriſſe per viam compendij & tranſiſſe Chuſi: qui tamen prior ad curſum ſe accinxerat. Quoniam autem mors corporalis quam pertulerunt apoſtoli & martyres, admodum breuis eſt in collatione ad vitam ſempiternam, quam per mortẽ illam ſunt aſſecuti: rectè dicuntur hic poſſidere vitam beatam per ſacræ mortis compendium, quaſi mors illa fuerit via quædam compendiaria ad aſſequendum illum terminum & metam: ſcilicet vitam incorruptibilem. 2. Reg. 18.

4 ¶ In quarto verſu. Traduntur igni martyres. Hæc immania tormenta quæ ſuſtinuerunt martyres Chriſti: beatus Paulus ad Hebræos ſcribens ita complectitur.

Alij autem diſtenti ſunt: non accipientes redemptionem vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti: inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis: egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus. Heb. 11.

In eodem verſu. Armata ſæuit vngulis. Vngula ab vnguis deriuatum eſt, non tamen diminutiuum: quia non imminuit ſui primitiui ſignificatum, ſed denominatiuum. Et dicitur de ijs animalibus quæ digitos non habent: ſicut vnguis eorum propriè eſt animalium quæ digitis ſunt prædita. Ouidius. Vnguláque in qui nos delapſa abſumitur vngues. Interdum verò idem nomen pro inſtrumento ſumitur ferreo, vt pectine aut alio quouis: quo dilacerantur aut diſcerpuntur corpora hominum in equuleo extentorum. Prudentius in hymno de ſancto Romano. Amor coronæ pœnæ præuenit trucem: lictoris artem ſponte nudas offerens, coſtas biſulcis execandas vngulis, vbi tria ſunt carmina iambica trimetra, quo genere metri: totus ille hymnus (qui copioſiſſimus eſt & elegãtiſſimus) cõponitur. Idem in hymno de ſancto Vincentio: Per te, per illum carcerem: honoris augmentum tui, per vincla, flammas,

vngulas,per carceralem ſtipitem. Vbi quatuor ſunt carmina iambica dimetra,nam & tota illa ode (de qua paulo pòſt fiet mentio)hoc genere metri conficitur,Et in hac acceptione ſumitur hic:ſicut & in illo loco hymni plurium martyrum inferius explicati, His ceſſit lacerans fortiter vngula.

6 ¶ In ſexto verſu. Mundi triumphat principem. Triumphare verbum etſi ſuaptè natura neutrale ſit, & ſignificet obtinere triumphum eoq́ue potiri, interdum tamen vim habet actiui verbi,& ſuperare ſignificat ſiue vincere,accuſatiuumq́ue petit, vt hoc in loco·Prudentius in hymno de ſancto Laurentio. Antiqua phanorum parens, iam Roma Chriſto dedita,Laurentio victrix duce, ritum triumphas barbarum.Quatuor ſunt ibi carmina iambica dimetra, ſicut & totus ille hymnus(qui cultiſſimus eſt & diffuſiſſim*) hoc genere metri conſtituitur. Inde participium triumphatus,victum ſignificat ſiue ſuperatum, & de quo actus eſt triumphus. Mantuanus in principio ſecundæ parthenices. Atque triumphato victricia bella tyranno.

7 ¶ In ſeptimo verſu. In his paterna gloria. Pronomen illud his,tertio hic repetitum, demonſtrat fidem, ſpem, & charitatem ſanctorum(quæ Chriſti charitas hic dicitur, quia in Chriſtum habetur)nominatas in præcedenti verſu. Aut ſi malis,monſtrat apoſtolos & martyres, hoc hymno celebratos. Tres verò illi nominatiui , paterna gloria, voluntas filij,& ſpiritus,inſinuantes nobis tres ſummæ diuinitatis perſonas,ordinantur ad idem verbū exultat,quo vnitas ſignificetur deitatis.

DE APOSTOLIS: alius hymnus.

1

ANnue Chriſte ſeculorum domine:
Nobis per huius tibi chara merita,
Vt quæ te coram grauiter deliquimus:
Huius ſoluantur glorioſus precibus
2 *Salua redemptor plaſma tuum nobile:*
Signatum ſancto uultus tui lumine

Ne

Ne lacerari ſinas fraude dæmonum:
Propter quos mortis exoluiſti precium.
3 *Dole captiuos eſſe tuos ſeruulos*
Abſolue reos, compeditos erige.
Et quos cruore redemiſti proprio,
Rex bone tecum fac gaudere perpetim.
4 *Sit tibi Ieſu benedicte domine,*
Gloria, uirtus, honor, & imperium,
Vna cum patre ſanctoq; paraclito.
Cum quibus regnas, deus ante ſecula. Amen.

¶ Præſens hymnus carminis iambici ſenarij præ ſe fert imaginem & formam: quod in locis imparibus primo tertio & quinto: ſpondeum aut iambum in paribus verò ſecundo, quarto, & ſexto: iambum ſolum continere debet, aut poſtremo loco pyrrhichium. Verùm huiuſmodi lex non exactè obſeruatur in hoc hymno. Nam pro ſpondeo, itidem & iambo nunc trochæus ponitur: nunc verò in anterioribus ſedibus pyrrhichius, vt ſolum ſyllabarum numerum: cum eo carmine habeat communem.
Et conſimilis omnino eſt ſtructuræ: cum illo hymno prius expoſito. Aurea luce & decore roſeo. In eo dirigitur oratio ad Chriſtum (nam totus eſt deprecatorius) vt precibus apoſtoli in cuius honorem decantatur, placatus: veniam peccatorum nobis tribuat, à fraude diaboli nos eripiat, & ſuo redemptos ſanguine participes efficiat æternæ beatitudinis.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Seculorum domine. Chriſtus hic dicitur ſeculorum dominus: quoniam deus eſt, omnium temporum, ætatum, ſucceſſionum & decurſuum durationis rerum: rector, ordinator, & diſpoſitor. Et id ex beato Paulo depromptum videtur: ita ad Timotheum ſcribente. Regi autem ſeculorum, immortali, inuiſibi, ſoli deo: honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Et regnum eius à propheta in pſalmo regnum omnium ſeculorum dicitur. quoniam omnia ſecula, temporũque ſucceſſiones complectitur, & quæ præterierũt, & quæ nunc aſſunt, & quæ futuræ ſunt. Dominatio enim eius: *1. Tim. 1.* *Pſal. 144.*

eſt à generatione in generationem. De hoc diuinus pater Dionyſius in libro de diuinis nominibus capite decimo ita perhibet teſtimonium. Enimuerò deum & vt ſeculum & vt tempus laudare conuenit: quippe qui temporis toti⁹ ac ſeculi author ſit, & vt antiquum dierum: vt qui ante tẽpus & ſupra tempus ſit, & momenta immutet & tempora, & ante item ſecula ſubſiſtat: quia & ante ſeculum, & ſupra ſeculum eſt, eiusque regnum: regnum omnium ſeculorũ. Hæc Dionyſius.

2 ¶ In ſecundo verſu. Salua redemptor: plaſma tuum nobile. Plaſma dei nobile hic vocatur homo: inter creaturas ſenſibiles dignitatis primatum tenens, & omnibus præſtans perfectione, naturæque nobilitate, vt cuius dominio omnia animalia ſubiecta ſint, & ad cuius vſum miniſterium & obſequium: tota hæc cæli & terræ ſenſibilis machina, eſt condita atque diſpoſita. *Gene.1.* Idem quoque dicitur ſignatus ſancto diuini vult⁹ lumine: quoniam ad imaginem & ſimilitudinem dei factus eſt, animæ ſuæ impreſſam habens ſuperdiuinæ trinitatis notam, in tribus iſtis viribus & potentiis ſpiritualibus memoria intellectu & voluntate: quæ tamen ab ipſa vnica animæ ſubſtantia re ipſa non diſcrepant. Sumptumque eſt illud quod hic dicitur, de ſignatione diuini cultus: ex pſalmo, dicente. *Pſal.4.* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine: dediſti lætitiam in corde meo.

3 ¶ In tertio verſu. Dole captiuos eſſe tuos ſeruulos. Captiui ſumus: quando in carcerem tenebroſum peccati ſumus coniecti: & per iniquitatem perpetratam captiuitate ipſius dæmonis detenti. A qua ſane miſera captiuitatis cõditione eripi non poſſumus (licet ſponte noſtra eandem ex nobis ſubire ac incurrere valeamus) niſi benignitate & gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſolus hanc peccati captiuitatem ac ſeruitutem diſſoluere poteſt: noſq; libertati reſtituere. *Ioan.8.* Vt ipſe Chriſtus apud Ioannem teſtatur dicens. Si filius vos liberauit: verè liberi eritis. Tunc autem rei abſoluimur: quando peccatorum reatu conſtricti: à domino veniam illorum conſequimur & remiſſionem. *Prouer.5* Compediti verò ſumus: quando laqueis, vinculis, & compedibus peccatorum implicati: tot vincimur catenis, quot grauamur peccatis. *Pſal.118.* Funibus enim peccatorum ſuorum conſtringitur

ſtringitur peccator: vt ait Sapiens, & propheta in pſalmo conqueritur. Funes peccatorum circumplexi ſunt me. At ſoluimur duris iſtis compedibus: quando diuina benignitate diruptis vinculis peccatorum noſtrorum, à laqueis diaboli quibus eramus irretiti eripimur, & cum propheta decantare poſſumus. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt: & de laqueo venantium, laqueus contritus eſt: & nos liberati ſumus. Et ad id liberationis beneficium nobis pręſtandum: admodum propenſa eſt diuina miſeratio, quoniam vt ait propheta in pſalmo. Dominus ſoluit compeditos dominus illuminat cæcos, dominus erigit eliſos.

DE VNO MARTYRE.

1 *Deus tuorum militum*
Sors & corona præmium:
Laudes canentes martyris
Abſolue nexu criminis.

2 *Hic nempe mundi gaudia*
Et blandimenta noxia,
Caduca rite deputans:
Peruenit ad cæleſtia.

4 *Pœnas cucurrit fortiter:*
Et ſuſtulit uiriliter.
Pro te effundens ſanguinem:
Aeterna dona poßidet.

4 *Ob hoc precatu ſupplici*
Te poſcimus piißime.
In hoc triumpho martyris
Dimitte noxam ſeruulis.

5 *Laus & perennis gloria*
Deo patri cum filio
Sancto ſimul paraclito
In ſempiterna ſecula.
Amen.

¶ Carminis iambici formam & regulam vbique ſeruat hic hymnus: præter id quòd bis in ſecundo loco (in ſecundo ſcilicet carmine ſecundi verſus: & in tertio tertij) ſpondeum habet pro iambo & vocalis poſitionem ante vocalem ſine colliſione. Explicatur in eo laus cuiuſuis martyris: quòd contempta mundi pompa & gloria elegerit Chriſtum ſequi in tribulationibus & perſecutionibus tolerandis atque tormentis, quibus pertranſitis: nunc pro temporalibus æterna, pro caducis perpetua, & pro terrenis cæleſtia obtinet. Cuius precibus petimus & nos apud deum commendari.

1 ¶ ANOTATIONES In primo verſu. Sors & corona præmium. deus dicitur eſſe ſanctorũ martyrũ (qui inuicti ſunt milites Chriſti, & in ſtadio huius vitæ magnũ certauerunt certamen. in quo mortem paſsi, viuentiũ euaſerunt uictores) ſors ſiue portio, & pars cedens illis in præmiũ, quia ſe totũ illis cõmunicat perfruendũ in mercedẽ Vt quiſque eorũ rectè dixerit illud pſalmi. Pars mea de' in eternum. Item & illud. Dixi, tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium. Corona itidem eorum eſt, quoniã ipſorũ decus eſt & inſigne ornamentum, quo in æterna uita venuſtantur. Super omnẽ enim pulchritudinẽ & decorẽ quem obtinent ſancti in gloria, eminet ille ornatus quo à deo habitante in eis & immanente quinimmo & circumambiente eos & circumplectente (ſicut corona caput) adornantur. In hoc autem ſecundo carmine, coniunctio & geminanda potius eſſet. quoniam nunquã ſecundo poteſt loco poni ſi tria ſunt quæ copulantur: quinetiam ad tertiũ ponatur ſecundum protritũ probatorũ authorũ vſum. 3

Pſal. 72
Pſal. 141

¶ In tertio verſu. Et blandimenta noxia. Blanditur enim hic mundus vt fallat, arridet vt decipiat, vultúque aplaudit amico vt percipitet interitũ. Proinde dicit Iocobus ꝙ amicitia huius mũdi inimica eſt deo, & quicũq; vult amic' eſſe huius mundi, inimicus dei conſtituitur. Et B. Ioãnes in prima ſua epiſtola catholica. Si quis diligit mundũ, nõ eſt charitas dei in illo. Et mundus tranſit & concupiſcentia eius: Ex quo, liquido cognoſcũtur eius gaudia eſſe caduca. & ex eo itidẽ ꝙ dicit B. Iacob', quòd eius gloria ſicut flos fœni tranſibit. Exortus eſt enim ſol cũ ardore & areſecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit. Et vt idem deinde perhibet. Vita noſtra vapor eſt ad modicum parens, & deinde exterminabitur.

Iaco. 4
1. Ioan. 2
Iaco. 1 & 4.

DE VNO MARTYRE: ALIVS HYMN.

Martyr dei qui vnicum
Patris ſequendo filium.
Victis triumphas hoſtibus
Victor fruens cæleſtibus.
2 *Tui precatus munere*
Noſtrum reatum dilue:
Arcens mali contagium,
Vitæ remouens tædium.
3 *Soluta ſunt iã vincula*
Tu ſacrati corporis:
Nos ſolue vinclis ſeculi.
Amore filij dei. Amen.

¶ Car-

Carmen iambicum dimetrum in hoc hymno exactè ſeruatur & integrè: prçter id quòd in primi verſus primo carmine vocalis ſubiungitur vocali ſine colliſione, & in ſecundi verſus quarto carmine pyrrhichius pro iãbo ponitur in ſecundo loco. Quòd ſi repellens, dixiſſet author: ſeruaſſet tenorem carminis & rectam legem. In eo dirigitur ſupplex oratio ad quemuis martyrem Chriſti, commendans illius conſtantiam in paſsione: qua hoſtes omnes fidei moriendo ſuperauit, & petens eius præcibus nos ad bonum adiuuari.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Qui vnicũ patris ſequendo filium. Chriſtum ſcilicet: qui ſecundum diuinitatem vnigenitus eſt dei patris. Hunc autem ſecutus eſtglorioſus martyr: imitatione operum, vt quemadmodum Chriſtus pro veritate & iuſtitia acerbiſsimam paſſus eſt mortem: ita & is pro cõfeſsione veritatis fidei grauiſsima ſuſtinuit tormenta, & denique mortem ipſam. *1. Pet. 2* *1. Ioan. 3* Quemadmodum faciundum eſſe admonuit beatus Petrus dicens. Chriſtus paſſus eſt pro nobis: vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Et beatus Ioannes idem nobis proponit exemplum, dicens. In hoc cognouimus charitatem dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. In tertio autem verſus iſtius carmine, triumphas legendũ eſt: non triumphans, vt aliquod in toto illo verſu habeatur verbum: quod ſententiam compleat, neque enim gerundium neque participia ſola: poſſent eam perfectam reddere.

2 ¶ In ſecundo verſu. Vitæ remouens tædium. Vitæ tædium eſt moleſtia & anxietas animi: conſurgens ex incommodis, ærumnis, & calamitatibus huius vitæ: vt paupertate, nuditate, orbitate, & ſimilibus afflictionibus. Quæ ſi non æquo ferantur animo: inferunt noxiam ſæpe triſtitiam, & tantam animæ amaritudinem: vt aliquem interdum præſentis vitæ tædeat. Propterea dicit Eccleſiaſticus. Triſtitiã longe expelle à te: multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa. *Eccl. 30* Animus enim gaudens ætatem facit floridam: & ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. *Prouer. 17* Huiuſmodi ergo tçdium repelli à nobis petimus, aut per ſublationem occaſionis & materiæ illius afflictationis & cruciatus

ciatus animi, aut per patientiam, qua præſentis vitæ ſortē acerbam ſi eueniat leuiter feramus. 3 ¶ In tertio verſu. Soluta ſunt iam vincula. per mortem ſcilicet temporalem illi inflictam, quæ connexionem illam naturalem compagéſque membrorum, & iuncturas vitæ neceſſarias diſoluit. Vnde etiam conſequenter & anima ſacra eius, domicilio corporis ſoluta tanquam carcere quodam & ergaſtulo, nunc liberiore vitæ cæleſtis aura perfruitur. Ita petim⁹ ipſius ſancti martyris præcibus, tantum nobis dei amorem inſpirari, vt ſoluamur à pedicis & laqueis concupiſcētiarum huius mundi, quibus tanquam vinculis alligamur & implicamur, ne liberi feramur in deum.

¶DE VNO MARTYRE: alius hymnus.

BEatæ martyr: ꝓpera
Diem triumphalem tuum.
Quo ſanguinis merces tibi
Corona vincenti datur.
2 *Hic te ex tenebris ſeculi*
(Tortore victo & iudice)
Euexit ad cælum dies:
Chriſtóque ouantē reddidit
3 *Nūc angelorū particeps*
Colluces inſigni ſtola:
Quam teſtis indomabilis
Riuis cruoris laueras.
4 *Adeſto nūc, & percipe*
Voces precātum ſupplices:
Noſtri reatus efficax
Orator ad thronum patris
5 *Miſerere noſtrarum precum.*
Placatus vt Chriſtus ſuis
Inclinent aurem proſperam,
Noxas nec omnes imputet.
Amen.

¶ Carminis iambici dimetri menſuram ac legem omnimode ſeruat hic hymnus, præter id ſolum quòd in tertij verſus ſecundo carmine ſpondeum habet pro iambo in ſecunda ſede. Quòd ſi ſententia pateretur verbum colluces in tertia poni perſona: eſſet quidem apte diſpoſitum carmen. Verum non debet verbi perſona mutari: quòd in toto hymno ad ipſum martyrem, in cuius honorem canitur, dirigitur ſermo. Author eius: Aurelius prudentius. Apud quem præſens hymnus, multo copioſior eſt

& diffuſior:peculiariter in laudem ſancti Vincentij compoſitus, & glorioſum eius pro Chriſto agonem latius explicans:necnon & precioſam eius mortem, & ſacri corporis eius poſt obitum & in terra & in mari (ne abſumeretur)conſeruationem:dei virtute factam. Veruntamen ex toto illo hymno ſumpti ſunt à poſteris, quinque tantum verſus: tres ſcilicet primi & in ipſa fronte conſtituti, & duo circa finem eius, & ex illis conflatus hic hymnus:cuiuis martyri communis, qui ad vſum inſignis eccleſiæ Pariſienſis & nonnullarum aliarum decantatur in præconiũ cuiuſuis martyris: conſtantiam eius in tormentis cum pateretur, & nunc gloriam eius in cælis concelebrans.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Beate martyr proſpera. Hæc dictio, proſpera, non hic nomen eſt: ſed verbum imperatiuũ actiuæ vocis, à proſpero, as, are, tantum valens ſicut proſperum redde, lætúmque ac fœlicem:tuum diem. In eodem etiam verſu & quarto eius carmine, vincẽti hic datiuus eſt ſingularis, à nominatiuo participij vincens, tis, & ordinatur cum ſubſtantiuo tibi, in eodẽ caſu: vt indifferenter cuilibet martyri poſsit aptè accommodari. Apud prudentium verò, primum hymni authorem:id nomen Vincenti, vocatiuus eſt ſingularis, huius nominatiui Vincentius: quòd hunc hymnum illi ſoli adaptauerit. 2 ¶ In ſecundo verſu. Chriſtóque ouãtem reddidit. Non eſt hic prætermittenda coniunctio illa copulatiua: quemadmodum à nonnullis perperam omittitur:tum vt ſententiã præcedentem ſequẽti annectat, quæ duæ ſublata illa coniunctione: nullam haberent adinuicẽ cohærentiã, tum etiam vt ipſius vocalis proxime vocalem præcedentis fiat colliſio : quã in ſuis hymnis Prudentius hymnographorum clariſsimus aut nunquã aut raro omittit ac præterit. 3 ¶ In tertio verſu. Riuis cruoris laueras. Non hic legẽdũ(vt faciunt nõnulli)cruoris lauerat. Nã per totũ hymnum:ad ipſum ſacrum martyrem per ſecundam perſonam dirigitur ſermo. Quare vt præcedens verbum eiuſdem verſus ſcilicet colluces, in ſecũda ponitur perſona:& ita ſequẽs, laueras, poni debet & ablatiuo riuis, pro ſua natura cõiũgi. 4 ¶ In quarto verſu. Efficax orator ad thronum patris. Qui pro eo cauſam agit apud humana prætoria, ſi perſuadeat iudici illũ abſoluendum

eſſe

eſſe nec aliqua mulctãdum pœna: orator eſt efficax, quò & id aſſecutus eſt quo ſua tendebat oratio. Ita coram ſummi iudicis throno ſi quiſpiam ſanctorum impetret nobis peccatorum noſtrorum veniam, orator itidem eſt efficax, quòd ſuis precibus nobis obtinuit quod ab eo expetebamus. Et tota illa duobus poſtremis huius verſus carminibus comprehenſa oratio: appoſitorie iungitur ad verbum percipe. 5 ¶ In quinto verſu. Placatus vt Chriſtus ſuis. Datiuus ille ſuis, cũ participio placatus iungi poteſt: aut cũ verbo inclinet. Dicimus enim rectè, deus eſt mihi placatus: & deus inclinauit aurem ſuam mihi. Aptior tamen eſt orationis ſtructura: ſi cum verbo inclinet iungi intelligatur, completiórque ſentẽtia. Et quoniam ſupradictus datiuus nõ habet expreſſum ſubſtantiuum: ſubaudiri debet ſeruis vel famulis. Demùm aurem proſperam vocat hic author aurem facilem, benignam, & fauentem precibus ſupplicantium, eáſque humaniter & beniuole ſuſcipientem.

1 DE PLVRIBVS MARTYRIBVS.

Sanctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus ſocij: geſtáque fortia.
Nam gliſcit animus promere cantibus:
Victorum genus optimum.

2 *Hi ſunt: quos retinens mundus inhorruit*
Ipſum nam ſterili flore peraridum
Spreuere penitus, teq́; ſecuti ſunt
Rex Chriſte bone cælitus.

3 *Hi pro te furias, atque ferocia*
Calcarunt hominum ſæuaq́; uerbera.
Ceßit his lacerans fortiter ungula:
Ne carpſit penetralia.

4 *Cæduntur gladiis more bidentium.*
Non murmur reſonat: nec querimonia
Sed corde tacito mens bene conſcia:
Conſeruat patientiam.

5 *Quæ uox, quæ poterit lingua retexere*

Quæ

Quæ tu martyribus munera præparat?
Rubri nam fluido ſanguine, laureis
Ditantur bene fulgidis.
6 *Te ſumma deitas, unaque poſcimus,*
Vt culpas abluas, noxia ſubtrahas.
Des pacem famulis, nos quoque gloriam
Per cuncta tibi ſecula. Amen.

Hymnus iſte, choriambicus eſt: à pede dominatum in eo obtinẽte, & dicolos ſiue biformis: quòd duobus metrorum generibus coaleſcat, eſt & tetraſtrophos: quoniã poſt quatuor carmina renouato verſu ſemper ad primum genus fit recurſus. Siquidem quiſque verſuum eius tria prima habet carmina aſclepiadæa: quartum verò glyconicum. De vtroque autẽ horum carminum genere & eorum compoſitione, ſuperius habita eſt mentio. Veruntamen non tam exacta vt par fuit, obſeruata eſt hic legitimorum pedum collocatio. Nam loco choriambi, ſæpius pæon quartus & conſpiſcitur admiſſus: qui tribus primis ſyllabis breuibus quartam ſubiungit longam, vt metuerent. In ſexti quoque verſus ſecundo carmine, pro choriambo ponitur in ſecunda ſede epitritus tertius: qui primam, ſecundam, & quartam habet longas & tertiam breuem, vt deſcriberẽt. Inſuper loco pyrrhichij aut iambici: occurrit interdum in quarta ſede poſitus ſpondeus. Verùm hæc carminum errata potius mendoſis libris & à prima ſynceritate metrorum vitio ſcriptorum prolapſis imputarim: quàm ipſi (quiſquis is fuerit) authori. Nam totus hic hymnus magnam præ ſe fert elegantiam & grauitatem. Celebrantur in eo egregia ſanctorum martyrũ præconia, quòd contempto mundi faſtu & flore: Chriſtũ in tribulationibus ſecuti ſunt, & ſuperatis grauiſsimis tormentis, vitam adepti perpetuam: in qua coronati & ampliſsimis ſunt præmiis honorati.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nã gliſcit animus. Gliſcere verbum neutrum: nunc creſcere ſignificat. Liuius. Gliſcente indies ſeditione. Nunc pigueſcerere, vt fimo per agros ſparſo dicimus terram hoc pabulo gliſcere. Nũc verò cupere ſignat, & ardente affectu expoſcere,

expoſcere, vt hoc in loco.: & ſic infinitiuo verbo in eadẽ oratione coniungi poſtulat. In omnibus autem ſuis ſignificatis: præterito pariter & ſupino caret. Eodem quoque in verſu, vectorũ genitiuus, nõ à victus nominatiuo participij præteriti temporis: ſed à nomine verbali victor, oris, deſcendit. Victores nempe omnium optimi & præſtãtiſsimi ſunt martyres: qui patiendo vicerunt, non reſiſtendo aut manum cum hoſtibus conſerendo, moriendo itidẽ vicerunt: non victis ſuperuiuendo, animo denique vicerunt: nõ corporis viribus, quo nullum victoriæ genus eſt præſtantius. 2 ¶ In ſecundo verſu. Quos retinens mundus inhorruit. Inhorrere eſt cum horrore fugere quippiam tanquam vile & abiectũ: & accuſatiuo venuſte iungitur: ſicut exhorrere, abhorrere, perhorrere: cognatæ ſignificationis pariter & originis verba. Sanctos quidem martyres ſecundum corporis incolatum mundus in ſe cõtinuit: eos tamen quantum ad mores & vitę inſtitutũ refugit ac odio habuit, quoniam non magnifaciebant ea quæ mundi ſunt, ſed Chriſti affectatores illum præ ſe ferẽtem ſpeciem quandam pulchri & boni, vanum tamen omnino & emarcidum aſpernati ſunt, quemadmodũ dixerat Chriſtus diſcipulis: & omnibus ſuæ vitæ imitatoribus. Si mundus vos odit: ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Et rurſum ad eoſdem. Si de mundo fuiſſetis: mundus vtique quod ſuum erat diligeret. Quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mũdo: propterea odit vos mundus. Hic autem mundus pro concupiſcentia rerum mundanarum: ſiue pro multitudine hominum ſecularia deſideria ſectantium ſumitur, ſicut & ſæpiſsime in ſacris literis: Porrò in tertio verſus huius carmine, ſpreuerunt potius quàm ſpreuere legendum eſſet: vt ſecundo loco ponatur choriambus. In quarto carmine, aduerbium cælitus cum verbo ſecuti ſunt debet ordinari: quoniam nõ ab hominibus ſed à deo id eis indultũ eſt, quòd fuerint dei imitatores. Nemo (inquit dominus) poteſt venire ad me: niſi pater meus qui miſit me, traxerit eum. 3 ¶ In tertio verſu. Nec carpſit penetralia. Non quidem corporis. Nam interiora etiam beatorum martyrum viſcera potuerũt ſæuis vngulis dilacerari: & nonnunquam diſſecta legũtur. Sed non carpſit vngula: penetralia animi: nõ enim potuit virtutem

Ioan. 15

Ioan. 6

virtutem animi in penitiſsimo eius ſinu cōditam abditiſſimisque mentis receſsibus, euellere aut diſcerpere: neque corda eorum à conſtantiæ & fortitudinis ſuæ ſede dimouere. Cæterùm hic potius, hic ceſsit lacerans, legendũ eſſet: quàm ceſsit his lacerans: vt primo loco ſpōdeus ponatur, quemadmodum poni debet: & non trochæus.

4 ¶ In quarto verſu. More bidentium. Bidentes dicuntur oues quę per ætatem duos dentes altiores habent. Nam vt author eſt Higynius: quæ bidens eſt hoſtia, dentes octo habeat oportet: ſed ex his duos cæteris altiores, per quos appareat eam ex minore ætate in maiorem trāſcendiſſe. Virgilius. Mactant lectas de more bidentes. Et hæc comparatio occiſionis ſanctorum martyrũ ad mactationem ouium: ex pſalmo deſumpta videtur, hanc ipſorũ vocem ad dominum exprimente. Quoniam propter te mortificamur tota die: facti ſumus velut oues occiſionis. Et in hac, ſine murmuratione & querela, admirabili patiētia: Chriſti propemodum ſimiles facti ſunt, de quo ait Eſaias. Sicut ouis ad occiſionem ducetur: & quaſi agnus coram tondēte ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum, quod ex ſacra paſsionis eius hiſtoria omnino completum in ipſo fuiſſe manifeſtum eſt. *Pſal.43* *Eſa.53*

5 ¶ In quinto verſu. Quæ poterit lĩgua retexere. Interdũ retexere eſt opus quod prius textum erat diſſoluere: vt præpoſitio re, oppoſitum ſimplicis ſignificatum inſinuet: quemadmodum etiam in his verbis: reuelare, retegere, recludere. Ouidius.

Rurſus amor patriæ, ratione valentior omni.
Quod tua fecerunt ſcripta, retexit opus.

Interdum verò eſt exprimere, explicare ſiue eloqui: quo quidem modo hic ſumitur. Porrò martyres ipſos laureis in cælo ditari atque exornari, hic conuenienter dictum eſt: quòd laurus apud antiquos victoriæ erat inſigne, & qui victores euaſerāt: lauro coronabantur. Sed quinam dabuntur victores: his fortiſsimis athletis præcellentiores? Sicut & in Apocalypſi legũtur ſancti martyres ſtolis albis amicti: coronis inſigniti, & palmas manibus geſtantes. *Apoc.7*

6 ¶ In ſexto verſu. Nos quoque gloriam. Subaudiēdum hic eſt verbũ demus: ex præcedente ſentētia ſumēdum, quod cũ datiuo tibi & accuſatiuò gloriā iunctũ: perfectā reddat & completam

completam ſententiam. Neque legendum eſt in vltimo carmine, per cuncta pie ſecula, vt habent aliqui libri mendoſi, tum quòd ſine expreſſo datiuo: poſtrema ſententia non erit integra & abſoluta, tum quòd aduerbium pie vltimam habeat longam: & nequaquam conueniat illi loco carminis.

DE PLVRIBVS MARTYRIBVS: alius hymnus.

1 *REx glorioſe martyrum:*
Corona confitentiū
Qui reſpuentes terrena:
Perducis ad cæleſtia:

2 *Aurem benignam protinus*
Appone noſtris uocibus
Trophæa ſacra pangimus:
Ignoſce quod deliquimus.

3 *Tu uincis in martyribus:*
Parcendo confeſſoribus.
Tu uince noſtra crimina:
Donando indulgentiam.
Amen.

Carminis iambici dimetri legem ac normam adamuſsim ſeruat hic hymnus: præter id quòd in tertio carmine primi verſus trochæum habet pro pyrrhichio in poſtremo loco, cū dictio, terrena: mediam ſyllabam habeat longam. Quòd ſi terrea vel infima dixiſſet author: concinnum fuiſſet & aptum carmen. Inſuper in tertij verſus quarto carmine: vocalis ſequitur alterius dictionis vocalem ſine colliſione. In eo ad Chriſtū fit oratio, vt ob merita & præclaras martyrum virtutes, noſtras preces benignus audiat, peccatorum concedat veniam, & demùm æternæ vitæ præmia:

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Rex glorioſæ martyrum. Chriſtus rex martyrū dicitur, quòd omnium martyrum ſupremus eſt & eminentiſsimus: cæteros omnes longe magis antecedens quàm rex ſubiectū ſibi populum. Ipſe enim deus eſt & homo: alij, homines tantum. Ipſe peccatum non fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius: alii omnes dicunt. Si dixerimus quia peccatū non habemus: nos ipſos ſeducimus & veritas in nobis nō eſt. Ipſe autem morti non fuit obnoxius: & indebitā mortem ſponte ſuſcepit. Alij omnes, mortis fuerūt debitores: &

Eſa.53
1.Ioan.1

& aliquando debitam mortem, ſpontanee deo obtulerũt. Denique ipſe pro totius mundi ſalute oblatus eſt deo patri: in hoſtiam & odorem ſuauitatis. Alij verò pro fratrib⁹ quidem animas poſuerunt : ſed particularibus tantum, & qui aut intuitu mortis eorum aut auditu, conuerſionis ſuę frugem inde accipere potuerunt. Corona itidem confitentium, id eſt confeſſorum, dicitur Chriſtus: eorum ſcilicet qui vitæ ſanctimonia claruerunt, non tamen ſuũ pro Chriſto ſanguinem fuderũt: ſed placida morte pie defuncti ſunt.

3 ¶ In tertio verſu. Tu vincis in martyribus. Si miles contra tyrannum regni occupatorem pugnat pro rege, & victoriam aſſequatur profligato tyranno tunc certe rex vincit in milite, quoniam miles non ſibi ſed regi certauit, à quo certandi munus ac poteſtatem accepit. Martyres autem omnes, animoſi ſunt Chriſti milites, & contra aduerſas poteſtates totum fere genus humanum occupantes, prælia domini certarunt: vt eas antiquis ſedibus ſuis fraude & dolo occupatis eiicerent. Et vicerunt quidem ipſi: vt miniſtri ac ſatellites, verius autem Chriſtus in eis vicit: quia pugnandi & vincendi vires illis ſuffecit, vtq; inchoarent pugnam, proſequerentur ac conficerent: animum illis virtutémque miniſtrauit, & martyres ipſi non ad propriam & ſuam ipſorũ gloriam, ſed ſoli Chriſto certarunt, vt ſuo regi ac domino.

DE VNO CONFESSORE.

1

Iſte confeſſor domini ſacratus
(Feſta plebs, cuius celebrat per orbem)
Hodie lætus meruit ſecreta
Scandere cæli.

2 *Qui pius, prudens, humilis, pudicus*
Sobrius, caſtus, fuit & quietus.
Vita dum præſens uegetauit eius
Corporis artus.

3 *Ad ſacrum cuius tumulum, frequenter*

Membra languentum modo ſanitati,
Quolibet morbo fuerint grauata:
Reſtituuntur.
4 *Vnde nunc noſter chorus, in honore*
Ipſius: hymnum canit hunc libenter.
Vt piis eius meritis iuuemur
Omne per æuum.
5 *Sic ſalus illi, decus, atque uirtus,*
Qui ſupra cæli reſidens cacumen:
Totius mundi machinam gubernat
Trinus & unus.

Carmine ſapphico & adonico hymnus iſte contexitur: in vnoquoque verſu more aliorum hymnorum conſimilium tria cõplectens carmina ſapphica, & quartũ adonicum. Non tamen illius leges obſeruat ad vnguẽ: in ſuorum pedum collocatione. Nã in primi verſus tertio carmine, pyrrhichius pro trochæo in prima ſede cõſtituitur: & ſpondeus pro trochæo in quarta, quandoquidẽ aduerbium hodiè primam habet breuem. Ouidius. Qui nõ eſt hodiè: cras minus aptus erit: & nomen ſecreta, ratione cõpoſitionis primam habet longam. Quòd ſi ita conſtitutũ fuiſſet illud carmen. Hoc die lætus meruit ſuperna: apta vtique fuiſſet eius contextio. In quarti quoque verſus primo carmine, pyrrhichius pro trochæo in quarto loco diſponitur: contra carminis ſapphici formam. Inſuper in quinti verſus tertio carmine, pro dactylo ponitur antibacchius ex primis duabus longis conſtans & vltima breui, cum prima ſyllaba dictionis machina ſit lõga. Virgilius. Scandit fatalis machina muros. Seruatum autem fuiſſet rectum carmen: ſi ita dixiſſet author, totius mundi fabricam gubernat. Commemorantur in eo virtutes cuiuſuis ſancti confeſſoris cuius confeſtum celebratur, non modo ad vitæ attinentes ſanctitatem: ſed & ad miraculorum oſtenſionem, quæ diuinæ bonitatis indultu ad eius ſepulchrum fiunt. Propter quod, præſens fidelium in Chriſto congregatio illi ſedulo laudem impendit debitam: vt ipſius

ſius patrocinio adiuuetur. 2 ℂ ANNOTATIONES.
In ſecundo verſu. Vegetauit eius corporis artus. Vegetare eſt viuificare & in vita conſeruare, ſiue fouere in ſanitate & incolumitate. Actiuum eſt verbum, & accuſatiuum poſtulat, vt in Geneſi legitur dixiſſe dominus. Recordabor fœderis mei vobiſcum: & cum omni anima viuente quæ carnem vegetat. Inde vegetus, a, um: quod ſanum eſt & incolume. Et modo ad corpus pertinet, vt de Cæſare ſcribit Suetonius: quòd nigris erat & vegetis oculis, valetudine proſpera. Modo ad animum, vt vegeto corde aut mente dicitur is eſſe: qui erecto eſt & alacri animo, vigoriſque pleno. *Gene. 9*

3 ℂ In tertio verſu. Quolibet morbo fuerint grauata: Quilibet, non vniuerſalis eſt dictio ſicut omnis quanuis eam plærunque ita accipiant dialectici præter vſum probatorum authorum, ſed particularis: aliquem ex tota multitudine ſignificans indeterminate ac indifferenter: vt quilibet morbus: dicitur morbus aliquis, quicunque ſit ille.

4 ℂ In quarto verſu. Vnde nunc noſter chorus in honore. Potius dicendum eſſet, in honorem, quoniam præpoſitio, in, ſumpta pro ad, ob, ſiue propter: accuſatiuū poſtulat, non ablatiuum, vt quæcūque facimus: in laudem, gloriam, & honorem dei facere debemus, non in laude & gloria.

DE VNO CONFESSORE: alius hymnus.

1
IEſu redemptor omniū,
Perpes corona præſulum:
In hac die clementius
Noſtris faueto uocibus.

2 *Tui ſacri qua nominis*
Confeſſor almus claruit:
Cuius celebrat annua
Deuota plebs ſolennia.

3 *Qui rite mundi gaudia*
Huius caducas reſpuens:
Cum angelis Cæleſtibus
Lætus potitur præmiis.

4 *Huius benignus annue*
Nobis, ſequi ueſtigia.
Huius precatu, ſeruulis

Dimitte noxam criminis.
5 *Sit Chriſte rex piiſſime*
Tibi patriq; gloria:
Cum ſpiritu paraclito
In ſempiterna ſecula.
Amen.

Carminis iambici dimetri legibus hic hymnus omnino coercetur & exactè conſtringitur: hoc ſolo excepto quòd in primi verſus quarto carmine trochæũ habet pro ſpondeo aut iambo in tertio loco. Seruatum autem fuiſſet rectum carmen, ſi ita dixiſſet author, noſtris faue precatibus. Inſuper in tertij verſus tertio carmine, vocalem habet literæ m terminali ſine colliſione ſubiunctam ſublatum autem foret id vitium: ſi dixiſſet, cum ciuibus cæleſtibus. In eo fit ad Chriſtum oratio, vt ſancti confeſſoris (cuius dies feſtus agitur) placatus precibus: nobis & peccatorum veniam tribuat, & gratiam imitandi præclaram vitæ eius ſanctitatem.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Cuius celebrat annua. Annum dicitur interdum: quod toto vnius anni ſpacio durat. Ouidius. Et nox erat annua nobis, & morbus annuus eſt: qui vnius anni circulo extenditur. Interdum verò annuum dicitur, quod quotannis & ſingulo quoque anno fit: licet tantum ſemel, & vno ſolo die, vt feſtum annuum, & hic annua dicuntur ſolennia.

4 ¶ In quarto verſu. Huius benignus annue. Annuere nunc fauere ſignificat: & datiuo iungitur. Virgilius. Da facilem curſum: atque audacibus annue cœptis. Nũc verò cõcedere ſiue præſtare: & accuſatiuum poſtulat aut infinitiuũ, vt hoc in loco. Virgilius. Nos tua progenies cæli quibus annuis arcem.

DE PLVRIBVS CONFESſoribus.

1 *DEus plaſmator cunctorum,*
Thronos gubernans polorum:
Arce qui de ſupernorum,
Chaos uides infernorum.
2 *Vt dulcores per tuorum*

Septifor-

Septiformium donorum:
Ad amorem æternorum
Cor inflammes terrenorũ.
3 *Huius boni largitate*
Quæ procedit deus à te:
Confeſſorum roboratæ
Mentes ſunt, & illuſtratæ.
4 *Hi caſtigant nocitura:*
Et fatigant carnis iura.
Mundi bella calcant dura:
Pro ſalutis ſpe futura:
5 *Pij uiuunt & quieti:*
Hi prudentes & manſueti.
Sanctitatis norma freti:
In aduerſis gaudent læti.
6 *Mundi luxus inimici:*
Caſti ſpernunt & pudici.
Ac pro curſu tam fœlici:
Dei facti ſunt amici.
7 *Horum flatus cum decorus*
Dulci melo ſit canorus:
Ipſis hymnus hunc ſonorus
Noſter lætus pſallat chorus.
8 *Patri decus increato:*
Vnigenitoq; nato.
Ab utroque propagato
Laus ſit pneumati ſacrato.
Amen.

Solum numerum ſyllabarum in vnoquoque carmine hic hymnus habet cum carmine iambico dimetro cõmunem. Debet enim quodque carmen octo continere ſyllabas, vt ſi plures aut pauciores habeat: liber iudicandus ſit mendoſus, & quæ ſuperfluũt vltra eum numerum, tollendæ ſint, ſique verò citra eum deficiunt: veniant adiiciendæ. Nullam tamen pedum metricorum habet vt iambicum exigit metrum: collocationem, ſed illorum loco omnia eiuſdem verſus carmina ſimilem inter ſe ſeruant deſinentiam ſyllabarum: & in poſtremis illis penultima & vltima conſonantiam, ſemperque penultimam longam.
Commendatur in eo magna dei bonitas, qui larga gratiarum munera contulit ſanctis confeſſoribus: per quæ, ſanctitate vitæ conſpicui euaſerunt & copioſo bonorum operum fructu locupletiſsimi. Quas in ipſorum laudem merito hunc hymnum concinit læta fidelium concio: vt ipſi nos ſuis precibus apud deum commendent.
2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Vt dulcores per tuorum. Hoc loco dulcores, nequaquam eſt verbum optatiuum, deſcendens à dulcoro, as, are quoniã

præpoſitio per, tunc nullum haberet accuſatiuum cũ quo ordinaretur, & genitiui illi, tuorum ſeptiformium donorum: à nullo nomine regerentur, ſed accuſatiuus eſt pluralis à nomine dulcor, oris, & præpoſitioni per, adiungitur, & genitiuos ſupradictos ſibi comites aſciſcit. Eſt autẽ dulcor, oris dulcedo & ſuauitas. 4 ℂ In quarto verſu. Et fatigant carnis iura. Dicuntur hic iura carnis: oblectamenta mollia & illecebroſa quæ caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: vt ſenſuum blandiméta & irritamenta gulæ: quòd ſuaptè natura caro ad illa procliuis eſt & propenſa. Illa autem fatigant ſancti confeſſores: quoniã has inclinationes & pronitatem ad carnalia deſideria reprimunt in ſe, vigore ac lege ſpiritus quemadmodum beatus Paulus ſeipſum omnibus exemplum proponens ait. Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. 6 ℂ In ſexto verſu. Mundi luxus inimici. Et in loco, inimici genitiuus eſt ſingularis & adiectiuus: cum nomine ſubſtãtiuo mundi ordinatus, vt ſenſus ſit, quòd ſancti confeſſores ſpernunt luxus mundi: qui ipſis eſt inimicus. Et ſæpius apud authores hoc modo & adiectiue ſumitur id nomen. Virgilius. Gẽs inimica mihi Tyrrhenũ nauigat æquor.

DE PLVRIBVS CONFESSORIbus: alius hymnus.

1 *CHriſte lucis ſplendor ueræ*
Nos benignus intuere.
Nobis parcens miſerere:
Confeſſorum precibus.

2 *Hi talenta ſibi data*
Solerter elaborata:
Tibi reddunt duplicata
Cum laborum fructibus:

3 *Chriſtũ regẽ conuiuãtẽ*
Fidos ſeruos præmiantem:
Præſtolantur remeantem
Lucernis ardentibus.

4 *In paucis examinati.*
Fide pollent roborati.
Ad maiorum ſunt uocati
Gaudiorum præmia.

5 *Quorum precibus iuuemur.*
Et exemplis informemur:
Chriſte tecum ut lætemur
In cæleſti patria.
Amen.

Hymnus

¶Hymnus iſte potius proſæ quàm hymnicæ modulationi aſsimilatur, quòd conſonantiæ rythmicæ quàm menſuræ metricæ ſit obſeruantior. Cuiuſque enim verſus tres primæ clauſulæ, in exitu ſyllabarum conformitatem habent & ſimilitudinem adinuicem earum vnaquæq; octo ſyllabas continet, & penultimam ipſarum longam. Quarta verò clauſula vnius verſus, ſeruat reſponſum in ſimili cadentia ad quartam clauſulam verſus proximè ſequentis ſeptémque ſyllabas complectitur, & penultimam earũ breuem. Laudantur in eo confeſſores inclyti quòd talenta ſibi commiſſa à domino multiplicarint in huius vitæ curriculo, & duplicata illi obtulerintquòd item dominum ſuum reuertentem à nuptiis expectauerint, & cum pulſauit inuenti ſunt vigilantes. Deinde fit ſupplicatio, vt eorum præcibus ſubleuemur apud dominum.

2 ¶ANOTATIONEs In ſecundo verſu. Solerter elaborata. Solers eſt: qui induſtrius eſt, diligens & ſedulus & ſolertia, ſagacitas, induſtriámque animi in rebus agendis Mantuanus. Miſeriſque venit ſolertia rebus. Itaque talenta ſibi data ſtuduerunt ſolerter elaborare ſancti confeſſores, quoniam cum labore & ſtudio illa accomodarũt ad opus & vſum bonum, ſuperlucratiq; ſunt in illis totidem talenta quot acceperant. Et innititur totus iſte verſus illi parabolæ euangelicæ de homine peregre proficiſcẽte, qui vocauit ſeruos ſuos & dedit eis talenta, vni quinque, alij autem duo, alij verò vnũ, vt in eis operarentur donec rediret. Qui autem quinque acceperat talenta, itidem & is qui duo, operati in eis, duplum aſſecuti ſunt lucrum, & reuerſo domino illud obtulerunt. Vnde & ab eo cõmendati ſunt mirifice, & vt intrarent in gaudium domini ſui, dulciter inuitati. 3 ¶In tertio verſu. Chriſtum regem conuiuantem. Hic locus reſpondet verbis illis euangelicis domini noſtri ad dicipulos ſuos. Sint lũbi veſtri præcincti & lucernæ ardentes in manibus veſtris. & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando reuertatur à nuptiis: vt cum venerit & pulſauerit ianuam, confeſtim aperiant illi. Beati ſunt ſerui illi, quos cum venerit domin⁹, inuenerit vigilãtes. Amẽ dico vobis quòd præcinget ſe & faciet illos diſcũbere, & trãſiens miniſtrauit illis.

Matt. 25 *Luca 12*

4 ¶ In quarto verſu. In paucis examinati. Spectare

 vide-

videtur per quandam affinitatem hæc ſententia, ad illud dictū in libro Sapientiæ de iuſtis: quòd in paucis vexati, Sapien. 3 in multis bene diſponentur: quoniam deus tentauit illos, & inuenit eos dignos ſe. Et vt ex contrapoſitione oppoſitorum accommodatior fiat comparatio: aptè ſubiungitur, quod ad maiorum ſunt vocati gaudiorum præmia, Rom. 8 quoniam vt ad Romanos ſcribit beatus Paulus: non ſunt condignę paſsiones huius ſeculi ad futuram gloriam, quę 2. Cor. 4 reuelabitur in nobis. Et in ſecunda ad Corinthios epiſtola idem confirmat dicens. Id quod in præſenti eſt momētaneum & leue tribulationis noſtræ: ſupra modū in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

DE VNA VIRGINE.

1
VIrginis proles, opifexq́; matris:
Virgo quem geſsit, peperitq́; uirgo.
Virginis feſtum canimus: trophæum
Accipe uotum.

2 *Hæc tua uirgo duplici beata*
Sorte: dum geſtit fragilem domare
Corporis ſexum, domuit cruentum
Corpore ſeclum.

3 *Vnde nec mortem nec amica mortis.*
Sæua pœnarum genera paueſcens:
Sanguine fuſo meruit ſecretum
Scandere cælum.

4 *Huius obtentu deus alme noſtris*
Parce iam culpis: uitia remittens.
Quo tibi puro reſonemus almum
Pectoris hymnum.

5 *Gloria patri, genitæq́; proli:*
Et tibi compar utriuſque ſemper
Spiritus alme: deus unus omni
Tempore ſecli. Amen.

Carminis

¶ Carminis ſapphici & adonici lege præſens hymnus cõponitur:illius tamen legitimos pedes nõ vbique rectè collocatos continet. Nam loco ſpondei in ſecunda ſede carminis ſapphici iambum quater admittit, ſcilicet in primo carmine ſecundi verſus. in tertio tertij, & in primo ac tertio carmine quinti verſus. Rurſum loco trochæi in quarta ſede bis recipit pyrrhichiũ, ſcilicet in ſecundo carmine tertij verſus & in ſecundo quarti. Habet & ſemel loco trochæi in eadem ſede ſpondeum, ſcilicet in tertio carmine tertij verſus. ſed mallem ibi ſupernum quam ſecretum dicere, & propter ſenſum & propter carmen. Denique in quinto verſu loco dactyli in tertia ſede bis habet tribracũ contra carminis ſapphici iura: vt pote in ſecundo carmine illius verſus, & in tertio eiuſdem. Laudatur in eo Chriſtus de virgine matre natus quod eius dono ſancta virgo in cuius præconium hymnus iſte concinitur, & carnem vicerit per virginitatis puritatem, & mundum per glorioſum quod pertulit martyrium. Ad eundem denique ſupplicatio dirigitur, quod huius ſacræ virginis oratione nobis peccatorum remiſsionem clementer elargitur.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Virginis proles, opifẽxque matris. Proles virginis matris eſt Chriſtus ſecundum naturam humanam: nam carnis ſubſtãtiam verè ab ea accepit Idem quoque opifex & factor eſt virginis matris ſecundum diuinam naturam, ſecundum quã cuncta creauit, fecit, & condidit. Adde quòd diuina ſua virtute effecit Chriſtus quod ipſa & mater fieret, & virgo integra permaneret, ſecundum quam rationem, opifex etiam virginis matris dici haud immeritò poſſet. In eodẽ verſu. Trophæũ accipe votũ. Hoc votũ intelligi debet eſſe adiectiuũ & participiũ: ideo ſignificans quòd voto permiſſum atque deſtinatum, & cum ſubſtatiuo trophæum ordinari. Significat autem trophæum, id quod in teſtimoniũ victoriæ publico in loco ſtatuitur. vt ſtatua equeſtris, aut equus armatus, aut quippiam ſimile. Quare publica laus & ſolẽnitas quæ ab eccleſia alicui ſanctæ virgini celebratur in ſuæ victoriæ teſtificationẽ hic non abſurde trophæum dicitur. Sumitur etiam trophæum pro ipſa victoria: qua in fugã cõuerſi ſunt hoſtes à qua quidẽ cõuerſione: id no-

nomen in græco deductum eſt, ſeu pro virtute egregia: qua comparata eſt victoria, vt in hymno paulo antè expli cato de pluribus martyribus trophæa ſacra pangimus.

2 ¶ In ſecundo verſu. Duplici beata ſorte. Scilicet ſeruata virginitatis integritate & martyrio: quo mortem pro Chriſto pertulit. Vnde & duplicem deuicit hoſtem eadem ſacrata virgo: vtpote carnem per pudicitiam intactam, & mundum per paſſionem & tolerantiam mortis, quare & du plici corona ſiue aureola eſt exornata: ſcilicet virginali & martyrij. Canitur enim hic hymnus ſolum (vt ipſa ſatis oſtendit ſententia) de virgine martyre: vt ſanctis Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia & ſimilibus. Neque illud prætermittendum putarim, quòd in hoc verſu non legendum eſt geſſit: vt habent libri incaſtigati, ſed geſtit. Nam gerere, nullum habet ſignificatum huic loco conueniens: & in quo poſſit ordinari cum verbo infinitiuo. Geſtire autem interdum eſt cupere ſiue affectare: & aptè coniungitur ver bo infinitiuo, vt infans geſtit loqui aut ambulare, quę qui dem acceptio hic accommoda eſt & congrua. Et vbi ferè omnes libri habent domuit cruentum corpore ſeclum: po tior videretur ſententia, domuit cruento corpore ſeclum. Nam cruentum: non eſt conueniens epithetum ad ſeclum (licet aliqui pro nomine ſeclum, legant ibi cetum: & per illum, intelligant dæmonem, qui rectè cruentus dicitur & crudelis) ſed ad corpus aptius accommodatur, vt cruento corpore, id eſt cruore perfuſo & ſanguinolento: domuiſſe mundum dicatur per martyrij agonem, ſicut fragilem do muit corporis ſexum: per continentiam & virginalem pudorem.

3 ¶ In tertio verſu. Nec amica mortis ſæua pœnarum genera paueſcens. Suppliciorum diuerſa genera à tyrannis illata teneris uirginibus, dicuntur amica mortis, quoniam nata ſunt mortem infligere, & propemodum diſponunt ad mortem, habentque cum ea quandam affinitatem. Quibus enim non inferret exitium & interitum iniectio in ignem, aut bullientem aquam, membrorúmve in equuleo diſtentio: niſi diuina virtus adeſſet protectrix? Porrò amicus ſubſtantiuum, cum ſolo ponitur genitiuo, adiectiuum autem: modo cum genitiuo, modo datiuo collocatur.

locatur. Hic autem, & adiectiuum eſt nomen, & genitiuo adiunctum.

6 ¶ In quinto verſu. Et tibi compar vtriuſque ſemper. Pronomen tibi, non ordinandum eſt hic cum nomine cōpar, quamuis datiuum ſuapte natura non recuſet, ſed cum verbo ſit, ſubaudito, vt iſte habeatur ſenſus. O alme ſpiritus vtriuſque, patris ſcilicet & filij, quoniam ab vtroque ineffabiliter procedis, compar & æqualis gloria ſit etiam tibi, ſicut patri & filio. Et ita compar adiectiuum, non ad ſubſtantiuum ſpiritus ſed ad gloria coniungendum eſt: vt recta colligatur huius loci ſententia.

¶ DE PLVRIBVS virginibus.

1 *IEſu corona uirginum,*
Quem mater illa concipit
Quæ ſola uirgo partŭrit:
Hæc uota clemens accipe.

2 *Qui paſcis inter lilia:*
Septus choreis uirginum.
Sponſas decorans gloria,
Sponſiſq; reddens præmia.

3 *Quocunque pergis uirgines*
Sequuntur, atque laudibus
Poſt te canentes curſitant:
Hymnoſq; dulces perſonant.

4 *Te deprecamur largi⁹*
Noſtris adauge ſenſibus,
Neſcire prorſus omnia
Corruptionis uulnera.
Amen.

¶ Carminis iambici dimetri menſura & norma: in hoc hymno integrè ſeruatur in quo laudatur Chriſtus puriſſimus virginum ſponſus, quòd ſacratiſſimas virgines ſponſas ſuas ex hoc mundi ergaſtulo euexerit ad cæleſtem thalamum, vbi eas gloria & honore coronauit, & ipſas cantilcum nouum cantantes ſemper habet quocūque ierit ſuorum greſſuum comites.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Quē mater illa concipit. Non hoc loco concepit legendum eſt: vt ſub præteriti temporis verbo exprimatur quod iampridem eſt

eſt tranſactum. Nam tunc trochæus in quarto poneretur loco carminis iambici pro pyrrhichio, quod non admittit huiuſce metri regula. Sed concipit in præſenti indicatiuo dicendū: ſicut verbum ſequens parturit præſentis eſt temporis. Sæpius enim in carminibus hymnicis præſens tempus pro præterito eleganter ponitur: & quamuis vox præſens fuerit intelligentia tamen fertur in præteritum.

2 ¶ In ſecundo verſu. Qui paſcis inter lilia. Id ſumptum eſt ex canticis canticorum: vbi ſpiritualis ſponſa de dilecto ſponſo ſuo dicit. Dilectus meus mihi & ego illi: qui paſcitur inter lilia. Liliorum autem nomine (nam virginitatis inſignia ſunt) candidiſſimum ſacrarum virginum cœtū
Cant. 2. rectè accipimus, inter quas paſcitur dominus atque diuerſatur: ſpirituali earum tripudio & dulciſſimæ ſocietatis ambitu circunſeptus, tanquam in ipſarum medio conſiſtens. *Apo. 7.* Agnus enim qui in medio throni eſt, regit eas: & deducit ipſas ad vitæ fontes aquarum.

3 ¶ In tertio verſu. Quocunque pergis: virgines. Hoc ex Apocalypſi deſumptum eſt: vbi ſe vidiſſe ſcribit Ioannes
Apoc. 14. agnum ſtantem ſupra montem Sion, & cum eo centū quadraginta quatuor milia: habentes nomen eius & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis: Et cantabant quaſi canticum nouum ante ſedem & ante quatuor animalia, & ſeniores, & nemo poterat dicere canticum: niſi illa centū quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum quocunque ierit. Cum enim hic deſcribantur præmia illis indulta ob virginalem mundiciam: planum eſt ſimilia cæleſtis gloriæ munera ipſis aſſignari ſacratiſſimis virginibus, quæ illis centum quadraginta quatuor milibus aſcripta ſunt, vt quibus eadem ſunt virtutum inſignia ac merita, merces quoque eadem deputetur. Quinimmò perivenerandum illum ſtantium cū agno ſupra montem Sion chorum: non ineptè quis dixerit inſinuari candidiſſimum ſacrarum virginum ordinem in cælo, ob cognationem affinitatémque virtutum inter has & illos, & cæleſtia præmia inibi expreſſa: virginalem cœtum quàm maxime decentia.

4 ¶ In quarto verſu. Noſtris adauge ſenſibus. Alij legūt

hos

hoc pacto id carmen:largire noſtris ſenſibus, & vtrunque quidem rectè. Nam & hoc & illo modo ſtat carmen, & permanet in ſua integritate:& ſententia itidem eſt apta. Hic enim largiri noſtris ſenſibus id muneris petimus:quòd puritatis corruptrices peccatorum plagas non ſuſtineant. Illic verò :hoc bonum tanquam iam adeptum adaugeri in mentibus noſtris expoſcimus. Et ſanè vtrunque nobis eſt neceſſarium, vt ſcilicet indulgeatur nobis primum hoc cæleſte donum:deinde vt indultum adaugeatur. Non enim poſſumus eſſe continentes niſi de⁹ det :neque perſtare aut proficere incœpta continentia, niſi eodem largiente, valemus.

DE VNA VIDVA.

1 *Ratuletur eccleſia.*
G *Nam ſummi regis*
filia:
Poſt huius uitæ triſtia
Scandit ad cæli gaudia.

2 *Hæc uera Chriſti famula*
Inuenta ſine macula:
Deum amauit ſedula
Cum quo regnat per ſecula.

3 *Nobili ſtirpe genita,*
Sed uirtutibus prædita:
Mundi contempſit gloriam,
Adepta Chriſti gratiam.

4 *Igne flagrabat fidei,*
Amore ſuccenſa dei:
Signis effulgens uarijs,
Cæli potitur præmiis.

5 *Hæc de ualle miſeriæ*
In patriam lætitiæ:
Ad ſummum regem gloriæ.
Læta peruenit hodie.

6 *Laus uni deo & trino.*
Qui nos beatæ precibus
Peracto uitæ termino
Coniungat cæli ciuibus.
Amen.

¶ Hymnus iſte ſpeciem & formam carminis iambici dimetri pręſe fert, illius tamen neque lege coercetur neque pedibus menſuratur:quòd promiſcuè in anterioribus locis trochæum recipiat & pyrrhichium,& in ſecunda ſede ſæpius

pius ſpondeum, contra huius carminis iura. Numerum tamen ſyllabarum illi metro debitum retinet: in vnoquoq; ſcilicet carmine octonarium, inſuper & rythmicam ſeruat conſonantiam primi carminis ad ſecundum & tertij ad quartum eiuſdem verſus: in exitu ſyllabarum. Incitatur in eo eccleſia fidelium ad ſpirituale gaudium in domino: ob ſolennitatem ſanctiſſimæ cuiuſuis viduæ, cuius dies feſtus celebratur cum hunc modulatur hymnum. Commendatur & illa ob mundi contemptum, virtutis ſtudium, dei famulatum, cultumque Chriſtianæ fidei: quem hic vitam agens ſtudioſè exercuit. Ob quæ, & miraculis coruſcãtem illam reddidit deus, & glorioſam in cæleſtes euexit ſedes.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nam ſummi regis filia. Non de terreno rege hic fit ſermo, nullus enim in terris eſt omnino ſummus rex: ſed omne ſub regno grauiore regnum eſt, vt ait Seneca & cunctis dominatur regibus ipſe rex regum & dominus dominantium. Neque de carnali conſanguinitate aut cognatione hic itidem habetur mentio: ſed de ſpirituali & myſtica: qua ſancta illa vidua quæ hoc celebratur hymno: ſummi regis dei filia eſt tum per creationem: qua ipſe omnium pater eſt, tum per regenerationem factam in baptiſmo: per quam ipſa ex deo nata eſt, & ex aqua & ſpiritu regenita, tum per ſacram imitationem & aſſimilationem: in diuinis denominationibus. De qua poſtrema cognatione: ait dominus in euangelio. Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt: ipſe meus frater, ſoror & mater eſt, & eadem omnino ratione: filius eius & filia, quandoquidem hæc omnia ſpiritualiter coincidunt, ſolam rationum diſcrepãtiam abinuicem habentia. Si enim ex patre diabolo ſunt per imitationem, qui deſideria eius volunt complere, vt teſtatur euangelium: cur non magis ex deo ſunt patre, qui illius præcepta ſtudioſe laborant obſeruare? Et deus ipſe pro ſua dignatione hoc honoratiſſimo filiæ nomine vnamquãque fidelem animam in pſalmo compellat: dicens. Audi filia & vide & inclina aurem tuam: & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt dominus deus tuus.

2 ¶ In ſecundo verſu. Hæc vera Chriſti famula. Melius hoc

hoc pacto aptatur carmen quàm eo modo. O Chriſti vera famula: vt nonnulli habent libri. Nam cum in omnibus alijs verſibus, de ſancta illa vidua cui hic hymnus concinitur, fiat in tertia perſona ſermo: par eſt & decens etiam in hoc verſu conſimilem tenere loquendi formam, & nequaquam ad ſecundam tranſire perſonam, cum pręſertim in tertio huius verſus carmine verbum tertiæ perſonæ amauit ponatur: cui nominatiuus ille famula adiungi debeat. Quòd ſi quis dicat O, ibidem non vocantis eſſe particulam ſed admirantis interiectionem: quæ nominatiuo tertiæ perſonæ poteſt adiungi. Eſto id, verum non ſolent authores interiectionem annectere caſui qui cum alia dictione nexum habeat & habitudinem: ſed illi dũtaxat, qui ſoli adhæreat interiectioni. Hic autem nominatiuus famula cum verbo amauit ordinatur: quare concinnam non habet cum interiectione connexionem.

5 ¶ In quinto verſu. Ad ſummum regem gloriæ. Melius hoc modo legitur iſtud carmen: quàm vt alij habent libri ad regem nimis gloriæ. Nam aduerbium nimis, cum adiectiuo læta in ſequente carmine poſito ordinandum, omnino ineptè ſecundum orationis latinę rationem ſeiungitur ab eo: per interiectum hunc genitiuum gloriæ, & aut proximè ante adiectiuum illud ponendum erat: aut penitus ſuſtollendum. Atqui non poteſt continuò præponi illud aduerbium ſupradicto adiectiuo, quoniam tunc non ſeruaretur ſimilis ſyllabarum deſinentia in hoc carmine & ſequente: quæ tamen omnibus in locis de induſtria conſpicitur ſeruata. Satius eſt igitur illud aduerbium tollerè: & illius loco ad complendum carmen aliud nomen ponere, ꝙ aptè coniungatur alicui dictioni eiuſdem carminis, quod quidem fit pro concinitate: ſi quis dixerit, ad ſummum regem gloriæ, vel ad regem veræ gloriæ.

6 ¶ In ſexto verſu: Qui nos beatæ precibus. Loco dictionis beatæ, in alijs libris ponitur litera N deſignans ibidem nominandam ſacram illam viduam, in cuius honorem cantatur hic hymnus. Veruntamen illud proprium nomen fortaſſe non quadrabit carmini. Nam ſi diſyllabum fuerit: reddet ipſum breuius æquo, & ſi tetraſyllabum: efficiet idem quàm par eſt prolixius. Quare ſatius fuerit, quocunque

vocetur

vocetur proprio nomine ſancta illa vidua :illud ſupprimere, & illius loco ſemper ponere genitiuum beatæ vel ſacratæ:qui ſit adiectiuum nominis ſubſtantiui viduæ, ſubauditi in eo,quoniam hoc pacto & carmen & ſenſus erit conueniens :qui ex toto verſu colligetur huiuſmodi. Laus ſit deo:vni in ſubſtantia,& trino in perſonis qui nos poſt terminum vitæ peractum conſortes efficiat ſupernorum ciuium,per preces ſacratæ deo vel beatæ viduæ :cuius hodie celebratur ſolennitas. Cui quidem deo vnitrino,pro cõpletis iſtis in hymnos eccleſiaſticos annotationibus:ſit benedictio,laus,& gratiarum actio in ſecula ſeculorum. Amen.

PRIMI LIBRI ELVcidatorij Eccleſiaſtici: Finis,

ELVCIDATORII ECCLESIASTICI LIBER SECVNDVS: NONNVLLA

Cantica, Antiphonas, Reſponſoria, & Benedictiones Eccleſiaſticas exponens.

CANTICVM SANCTORVM AVGVſtini & Ambroſij.

1 TE Deum laudamus: te dominum confitemur.

2 *Te æternum patrem omnis terra ueneratur.*

3 *Tibi omnes angeli, tibi cæli & uniuerſæ poteſtates:*

4 *Tibi Cherubim & Seraphim, inceſſabili uoce procla m ınt.*

5 *Sanctus, ſanctus, ſanctus: dominus deus ſabaoth.*

6 *Pleni ſunt cæli & terra, maieſtatis gloriæ tuæ.*

7 *Te glorioſus apoſtolorum chorus.*

8 *Te prophetarum laudabilis numerus.*

9 *Te martyrum candidatus laudat exercitus.*

10 *Te per orbem terrarum ſancta confitetur eccleſia.*

11 *Patrem imm enſæ maieſtatis.*

12 *Venerandum tuum uerum & unicum filium.*

13 *Sanctum quoque paraclitum ſpiritum.*

14 *Tu rex gloriæ Chriſte.*

15 *Tu patris ſempiternus es filius.*

16 *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem: non horruiſti uirginis uterum.*

17 *Tu deuicto mortis aculeo: aperuiſti credentibus regna cælorum.*

18 *Tu ad dexteram dei ſedes: in gloria patris.*

19 *Iudex crederis eſſe uenturus.*

20 *Te ergo quæſumus famulis tuis ſubueni : quos pre-cioſo ſanguine redemiſti.*

21 *Aeterna fac cum ſanctis tuis in gloria numerari.*

22 *Saluum fac populum tuum domine: & benedic hæreditati tuæ.*

23 *Et rege eos, & extolle illos uſque in æternum.*

24 *Per ſingulos dies benedicimus te.*

25 *Et laudamus nomen tuum in ſeculum : & in ſeculũ ſeculi.*

26 *Dignare domine die iſto: ſine pctõ nos cuſtodire.*

27 *Miſerere noſtri domine: miſerere noſtri.*

28 *Fiat miſericordia tua domine ſuper nos quemadmodum ſperauimus in te.*

29 *In te domine ſperaui : non confundar in æternum.*

¶ Hoc canticum à celeberrimis ſanctę eccleſiæ doctorib⁹ Auguſtino & Ambroſio dicitur eſſe cõpoſitũ: cũ hic illũ ſacris baptiſmi abluiſſet vndis, & poſt diuturnas errorum tenebras ad veræ fidei lumen reduxiſſet. Tunc enim ambo in gratiarũ actionẽ de ſuſcepto diuino munere dicuntur erupiſſe: per hoc diuinæ maieſtatis præconium: & alternando vices, Ambroſio quidẽ inchoante & Auguſtino ſubſequente, ipſum à principio ad finẽ vſque deduxiſſe. Vnde ferè ab oĩbus inſcribitur canticũ ſanctorũ Auguſtini & Ambroſij. Quòd ſanè ab vniuerſali eccleſia receptum eſt cum tanta authoritate: vt in matutino officio ante laudes ipſum decantari debere ſolenniter ſit inſtitutũ. Et quoties nouum aliquod & inſigne beneficiũ reſpublica ciuilis aut eccleſiaſtica à deo conſecuta eſt: vt pacem, victoriam, nouam paſtoris deſignationem, aut quoduis aliud conſimile: hoc celebratiſſimo cantico tota illius congregationis ſocietas in templum conueniens deo ſolenniter agere gratias & publice ſolet. Neque immerito quidem. Nam continet iſtud cãticum, primum laudem diuinæ bonitatis: prædicatione eorum quæ ad vnitatem diuinæ ſubſtantiæ attinent, vt quòd deus ſit, quòd dominus, quòd æternus pater, hæc enim tria toti diuinitati & cuique diuinæ perſonæ ſunt cõ

munia

munia, deinde verò denominatione eorum quæ ad explicationem & diſtinctionem diuinarum perſonarum attinēt vt cum patrem immenſæ maieſtatis nominat, cum venerandum eius filium, & etiam ſpiritum ſanctum exprimit. Deinde verò ſpecialis conuertitur ad ſecundam ſummæ trinitatis perſonam oratio: cuius & diuina explicatur natura cum rex gloriæ nominatur & ſempiternus patris filius, & natura itidem humana: cum noſtræ carnis ſubſtantiam ſuſcepturus dicitur non exhorruiſſe neque dedignatus fuiſſe ſacratiſſimæ virginis vterum. Noſtræ quoque redemptionis myſteria per paſſionem eius, reſurrectionem & aſcenſionem in cælum conſummata: in ſignum gratitudinis deinde commemorantur. Denique ad ipſum dei filium dirigitur ſupplex oratio ad finem vſque cantici: vt totam fidelium eccleſiam in ſuo nomine congregatam hic á malo cōſeruare, & demùm ad cæleſtem & immortalem gloriā perducere dignetur.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Te æternū patrem: omnis terra veneratur. Pater hic commune nomē eſt dei: & cuique diuinarum perſonarum indifferens, ſignat enim habitudinem dei ad creaturas ab eo conditas: ſicut frequenter in ſacris literis accipitur, & præſertim in exordio orationis dominicæ: Pater noſter qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum. Neque diſcrete hic ſumitur, vt exprimat primam ſummæ trinitatis perſonam, & habitudinem ſignet ad filium: ſed ita in vndecimo huius cantici verſu ſumi intelligatur. In hoc quoque verſu: terra pro hominibus (quòd ex terra formati ſunt & eam habitat) accipitur: ſicut etiam ſæpenumero in ſcriptura, vt in pſalmo. *Matth. 6.* Omnis terra adoret te deus & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo. Omnis igitur terræ nomine: omnis hominum *Pſal. 65.* multitudo vbicunque terrarum habitet inſinuatur.

3 ¶ In tertio verſu. Tibi omnes angeli. Angelorum nomen non hic commune eſt ad omnes cuiuſuis ordinis cæleſtes ſpiritus: ſed ad eos duntaxat qui infimum in poſtrema hierarchia complent ordinem. Nam cæli: hoc loco potius omnes cæleſtes ſubſtantias & ſpiritus angelicos (quancunque conſtituant hierarchiam aut ſacrum ordinem) ſignificant. Vt enìm terræ nomine, genus humanum ita cælorum nomine tota natura angelica rectè ſignatur,

quòd cæleſtis manſionis ſint incolæ & ſupercæleſtes ſortiantur proprietates Deinde cæleſtium agminum cómuniter nomine cælorum nobis hic inſinuatorum, tres innuuntur hierarchiæ: vnaqueque per vnum ſuorum ordinũ hic expreſſum, per quem cæteri non nominati intelligantur. Poſtrema ſiquidem & in imò conſtituta cæleſtium ſpirituum hierarchia: nomine angelorum, qui vltimum eius conficiunt ordinẽ, inſinuatur. Media verò: nomine poteſtatum quæ nouiſſimum etiam illius ordinem conſtituunt, indicatur. Demùm ſuprema hierarchia denotatur hoc loco nomine cherubim & ſeraphim: duorum ſuperiorum eius ordinum. Verum angelicorum ſpirituũ diſtinctio in tres hierarchias, & cuiuſque adhuc hierarchiæ diſtributio in tres

Eſa. 5. ordines: ex ſacratiſſimo patre Dionyſio in libro de cæleſti hierarchia exactius eſt requirenda.

4 ¶ In quarto verſu. Inceſſabili voce proclamant. Sumptum eſt illud ex Eſaia propheta: dicente. Vidi dominũ ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum: & plena erat domus à maieſtate eius, & ea quæ ſub ipſo erant: replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: & clamabant alter ad alterum & dicebant. Sanctus, ſanctus, ſanctus: dominus deus exercituum. Plena eſt omnis terra: gloria eius. Sabaoth autem nomen hebræum hic expreſſum: idẽ valet quod exercituum in Latino. Eſtque id vnum ex decem nominibus dei: à beato Hieronymo in epiſtola ad Marcellã quarto loco poſitum. Cæterùm deus dicitur dominus ſabaoth quia exercituum cæleſtium totiusque militiæ angelicæ dominus eſt, quæ à deo copioſa eſt & numeroſa: vt

Dan. 7. de ea dicat Daniel. Milia milium miniſtrabant ei: & decies centena milia aſſiſtebant ei.

9 ¶ In nono verſu. Te martyrum candidatus. Nõ ſolum ab angelicis ſubſtantijs laudari hic dicitur deus: ſed & ab hominibus in cæleſtis ciuitatis ſortem iam aſcitis, & etiam ab ijs qui præſentis vitæ ſtadium adhuc decurrunt. At verò receptorum in æterna cæli tabernacula tres hic nominantur ordines & gradus: ſcilicet apoſtolorum, prophetarum & martyrum, ſub quibus reliqui ordines ſanctorum vt confeſſorum, & virginum comprehendantur, qui non minus quàm cæteri deum aſſidue laudent: ſecundum illud

Pſal. 83. verbum pſalmi octogeſimi tertij. Beati qui habitant in domo

mo tua domine:in ſecula ſeculorum laudabunt te. Dicitur autem hoc loco exercitus martyrum candidatus:id eſt candidis veſtibus amictus & ornatus:quia in diuina Apocalypſi leguntur eo habitu & cultu beato Ioanni in ſpiritu oſtenſi:cum ait de ſeipſo. Et reſpondit vnus de ſenioribus & dixit mihi. Hi qui amicti ſunt ſtolis albis:qui ſunt & vnde venerunt? Et dixi illi. Domine mi:tu ſcis. Et dixit mihi. Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna. & lauerunt ſtolas ſuas & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Ideò ſunt ante thronum dei:& ſeruiunt ei die ac nocte in templo ei⁹, & qui ſedet in throno habitabit ſuper illos: & abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. *Apo.7.*

14 ¶ In decimoquarto verſu. Tu rex gloriæ Chriſte. Ab hoc verſu ad finem vſque totius cantici ad ſolum dei filiũ dirigitur ſermo, eiusque & diuinæ explicantur proprietates pariter & humanæ:quoniam vtraſque in ſe perfectè & integrè habet ſine confuſione, ſicut & vtranque naturam in vna perſona ſine commixtione vnitam. Porrò dicitur ſanctus Thomas Aquinas pietate in deum & religione inſignis:in eleuatione ſacratiſſimi corporis Chriſti in ſacrificio altaris ſolitus fuiſſe hunc verſum cum cæteris ſequentibus ad calcem vſque deuote legere, & ipſum quem omnis adorat creatura hac inuocatione adorata. Neque ſanè ab re. Nam paucis conſtringit hæc oratio: quæ ad Chriſti diuinitatem pertinent & humanitatẽ, noſtræque redẽptionis ſacramenta ſalutaria complectitur, & denique piam ꝑ toto populo Chriſtiano ſupplicationem. Quare ſentio hũc ſanctum dei virum: vt in cæteris virtutum operibus, ita & in hoc orandi genere nobis eſſe imitandum. Cæterũ quòd rex gloriæ dicatur Chriſtus:ex pſalmo 23. ſumptum eſt, dicente. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales:& introibit rex gloriæ, & cætera quæ ſequuntur:ad literam de ſolo Chriſto intelligenda. Idem quoque cõprobat beatus Paulus:ita ſcribens ad Corinth. Si enim cognouiſſent:nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. *Pſal.23.* *1.Cor. 2.*

16 ¶ In decimoſexto verſu. Tu ad liberandum ſuſceptur⁹ hominẽ. Id nomen accuſatiui caſus hominem, non hic perſonam aliquã particularem hominis exprimit:ſed naturã, & pro ſuo nomine abſtracto ſumi debet: vt tãtundẽ valeat ſicut humanitatẽ ſiue naturam humanam. Non enim in al-

tiſſimo incarnationis myſterio dei filius humanam ſuſcepit perſonam: quaſi prius fuerit homo perfectus, & deinde à filio dei aſſumptus. Id enim non modo falſum eſt: verum etiam impium & blaſphemum. Sed humanam accepit naturam: diuinæ ſubſtantiæ in vnitate perſonę ineffabiliter coniunctam. Et quoties apud ſacros authores hoc loquendi genus occurrit: intelligatur in eo nomen perſonæ pro nomine naturæ poſitum, & ſimili modo exponatur.

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. Tu deuicto mortis aculeo. Acule⁹ eſt quod pungit & penetrat, vt apes omnes aculeo dicuntur armatæ: dempto rege, diciturque ab acu vel acumine. Inde aculeatum dicitur quod habet aculeum. At verò per tranſlationem quandam aculeus mortis appellatur ipſa vis atque violentia mortis: quæ vitam adimit & enecat viuentia. Hunc autem aculeum mortis deuicit Chriſt⁹: quando mortem paſſus tertia die reſurrexit à mortuis, & peſſundata morte ad vitam rediit immortalem. Neque in ſeipſo ſolum, ſed & in nobis aculeum mortis deuicit: quia mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgēdo reparauit. Tunc etiam credentibus regna cęlorum aperuit quia paradiſi portam à tempore lapſus primorum parentum ad horam vſque ſuæ paſſionis occluſam, virtute precioſi ſui ſanguinis nobis reſerauit, & in glorioſa aſcenſione ſua eam primus omnium ingreſſus: nobis quoque eandem ingrediendi, viam patefecit.

21 ¶ In viceſimoprimo verſu. Aeterna fac cum ſanctis tuis. Intelligatur ex præcedenti verſu accuſatiuus hoc loco, ſcilicet famulos tuos: vt completior ſit & perfectior ſententia, hoc modo. Fac famulos tuos numerari cum ſanctis tuis in gloria æterna. Et conſimilia grammaticā expoſcentia operam: alijs in locis ſuppleantur, vt in decimoſexto verſu iam expoſito id aduertatur: quòd accuſatiuus hominem, bis ſumendus eſt ad ſententiæ completionem, ſemel quidem cum participio ſuſcepturus: & iterum cum gerundio liberandum, hoc pacto, tu ſuſcepturus hominem: ad liberandum ipſum hominem. Non enim poteſt accuſatiuus ille ſemel ſumptus: cum vtraque dictione, participio ſcilicet & gerundio ordinari, neque perfecta fuerit ſentētia: ſi gerundium illud actiuum ſine accuſatiuo ponatur. Sed hæc amplius diſcutere: grammaticorum eſt.

¶ In

22 In viceſimoſecundo verſu. Saluum fac populum tu um domine. Hic verſus cum proxime ſequente, ex viceſimo ſeptimo pſalmo deprōptus eſt: qui his duobus verſibus clauditur. Hæreditatem autem domini vocat propheta genus humanum precioſo Chriſti ſanguine redemptum, & magno illo emptum precio. De qua pater ait ad filium. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã: & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Et de qua itidem filius ad patrem in pſalmo. Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. At verò relatiuum eos & illos in ſequente verſu, non ad vocem antecedentis antè poſitam referuntur: ſcilicet populum & hæreditatem, ſed ad rem ſignificatam & multitudinis numero expreſſã, ſcilicet homines aut famulos, qui ſunt de populo tuo & hæreditate tua. Pſal. 2. Pſal. 15.

24 In vigeſimoquarto verſu. Per ſingulos dies benedicimus te. Hic verſus cum proxime ſequente, ſumptus eſt ex pſalmo centeſimo quadrageſimoquarto: cuius ſecundus verſus ita ſe habet. Per ſingulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in ſeculum & in ſeculum ſeculi. Verſus autem huius cantici deinde ſequens, vtpote, Dignare domine die iſto: quodãmodo ſumptus videri poſſit ex hoc verſu pſalmi centeſimi viceſimi. Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam dominus, aut alio quouis: conſimils ſententiæ. At verò viceſimus ſeptimus præſentis cantici verſus, ex pſalmo centeſimo viceſimo ſecundo manifeſte deſumptus eſt: vbi eodem verborũ ſchemate idem verſus ponitur. Viceſimus octauus autem huius cantici verſus ex pſalmo triceſimo ſecundo depromptus eſt: nam eum claudit & terminat. Demùm vltimus huius diuinæ laudis verſus: pſalmi triceſimi eſt initium. Pſal. 144. Pſal. 120.

CANTICVM TRIVM puerorum.

1 *Benedicite omnia opera domini domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.*

2 *Benedicite angeli domini domino: benedicite cæli domino.*

3 *Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt domino: benedicite omnes uirtutes domini domino.*

4 Benedicite ſol & luna domino : benedicite ſtellæ cæli domino.

5 Benedicite imber & ros domino : benedicite omnis ſpiritus dei domino.

6 Benedicite ignis & æſtus domino : benedicite frigus & eſtas domino.

7 Benedicite rores & pruina domino : benedicite gelu & frigus domino.

8 Benedicite glacies & niues domino:benedicite noctes & dies domino.

9 Benedicite lux & tenebræ domino : benedicite fulgura & nubes domino.

10 Benedicat terra dominum : laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.

11 Benedicite montes & colles domino : benedicite vniuerſa germinantia in terra,domino.

12 Benedicite fontes domino : benedicite maria & flumina domino.

13 Benedicite cete & omnia quæ mouentur in aquis domino:benedicite omnes volucres cæli domino.

14 Benedicite omnes beſtiæ & pecora domino: benedicite filij hominum domino.

15 Benedicat Iſrael dominum : laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.

16 Benedicite ſacerdotes domini domino:benedicite ſerui domini domino.

17 Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum domino : benedicite ſancti & humiles corde,domino.

18 Benedicite Anania,Azaria.Miſael domino:laudate & ſuper exaltate eum in ſecula:

19 Benedicamus patrem & filium cum ſancto ſpiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſecula.

20 Benedictus es domine in firmamento cæli: & laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſecula.

Hoc canticum eſt trium puerorum Hebræorum: qui nolentes adorare ſtatuam auream quam erexerat Nabugodonoſor rex Babylonis, ab eò miſsi ſunt ĩ fornacẽ ignis ardentis. Verùm non ſolum ab igne non ſunt læſi, neque veſtimenta eorum aut crines ambuſti, ſed etiam libera vocé in diuinam proruperunt laudem, & hũc hymnum ſuauiſsimum deo cecinerunt, quemadmodum Daniel tertio cap. ſcribit. Vbi totum hoc canticum vna cum cæteris laudibus quas in gratiarum actionem deo exoluerũt: inſeritur, & certo digeritur (quo hic) ordine. Quare ex eo loco, eius expoſitio accuratior eſt efflagitanda: quanuis non multa indigeat explanatione, quòd magnam præ ſe ferat facilitatem. Inuitantur autem in eo omnia creaturarum genera, tam cæleſtia quàm terreſtria, tam animata quàm inanimata, tã rationalia quàm irrationalia: ad decãtandam deo laudem. Non quidem quòd pecora, arbuſta, elemẽta, & orbes cęleſtes poſſunt diuinas depromere laudes: cum intellectus & rationis ſint expertia, & ſoli homines ac ſpiritus cæleſtes facti ſint: vt hoc modo deũ quem cognoſcunt debita veneratione celebrationéque proſequãtur. Sed irrationalia & inanimata corpora deo dicuntur benedicere ipſum laudare & ſuperexaltare: quia materiam & argumentum deo benedicendi ipſúmque laudandi & ſuperexaltãdi ſuggerunt ac præſtãt rationalib⁹ creaturis. Sicut enim in imagine egregie depicta aut ſculpta: vnaquæque particula corporis ita effigiati aut exſculpti præbet materiam laudandi artificem ipſum, vt Appellem aut Phidiam, cognoſcendíque eius induſtriam & excellétiam artis, ita & in hoc diuino opoficio & tota mundi fabrica, vnaquæque creatura vt pars quædam vniuerſi, prędicandam oſtendit ipſius dei opificis potentiam, ſapientiam, bonitatem, prouidẽtiam atque perfectionem. Et ex omnium cõſideratione aſſurgit rationalis creatura in dei cognitionem, laudem & commendationem.

1 ℭ ANNOTATIONES. In primo verſu. Benedicite omnia opera domini: domino. Certus quidam ordo in nominatione creaturarum hic expreſſarum ſeruatus conſpicitur: qui à generalibus ad ſpecialia & à propinquioribus deo ad diſtantiora procedit. Primum enim generatim omnia dei opera proponuntur: deinde ſpecia-

tim

tim ad hæc & illa fit progreſsio. Similiter inter creaturarum genera primum angeli,cæleſtéſque ſpiritus nominatur:& cæli,orbéſq; cæleſtes ac ſydera.Deinde ad hæc ſublunaria & inferiora decumbitur,& elementa, quæque ex elementis gignuntur ſuo deinde loco diſponuntur:ſeruato propemodum ordine productionis rerum, in illo ſex primorum dierum ſpacio à deo factæ.Prius ſiquidem mixta in perfecta ex elementis ortum ducentia, deinde quæ è terra pullulant hic nominatim afferuntur. Poſtea ex aquis ꝓgenita:&poſtremo quę ex terra ſumpſerũt exordiũ.Inter quæ poſtremo loco nominatur homo,ſicut & ipſe nouiſsimus inter cætera conditus eſt. Non tamen ad vnguem & omniquaque is ordo hic ſemper obſeruatus deprehendetur. 3 ¶In tertio verſu. Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt domino. Aquæ illæ ſunt,de quibus dicit liber Geneſeos in principio,quòd fecit deus firmamentum in medio aquarum, & diuiſit aquas quæ ſub firmamento ſunt,ab aquis quæ ſunt ſuper firmamentum. Et de quibus dicit pſalmus centeſimus quadrageſimus octauus)qui ferè eodem ordine cum hoc hymno creaturas omnes incitat ad deum laudandum)& aquę quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen domini. Et alio in loco propheta ad deum. Qui regis aquis ſuperiora eius. Verum an aquæ illæ corporales ſint & eiuſdem cum aquis elementaribus naturæ,an potius ſpirituales: doctiloqui certant & adhuc ſub iudice lis eſt. Per virtutes verò domini, in hoc verſu non ſunt intelligendi ſpiritus angelici medij ordinis ſecundæ hierarchiæ,qui nomine virtutum cenſentur. Nam illi angelorum nomine prius ſunt comprehenſi,quod appellatione communi omnes ſpiritus angelicos cuiuſuis hierarchie & ordinis cõplectitur. Sed eo nomine virtutũ hic ſignãtur.pluriformes & multimodæ diuinę ꝓuidẽtiæ vires,quibus totũ hũc mundũ moderatur. 5 ¶In quinto verſu. Benedicite omnis ſpirit⁹ dei domino. Spirit⁹ hic nõ pro creatura ſpirituali,aut anima humana ſiue brutorum ſumitur. Nam ſpiritualis creatura,angelorum nomine ſignata eſt. Animæ verò hominũ & brutorum, ſub totis ſuis poſtea nominatis continentur. Sed id nomen pro vẽto hic ſumitur, quoniam inter cæteras impreſsiones & mixta imꝑfecta quæ ex elemẽtis gignũtur,hic collocatur &

Gene. 1

Pſal. 148

Pſal. 103

& nullum aliud hic nomen occurrit: quo commodius ſignificari ventus poſsit. Neque illud abſonum eſt aut præter ſcripturæ conſuetudinem: in qua plærunque ſpiritus pro vento ſumitur, vt in pſalmo, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius. *Pſal.* 148

14 ℂ In decimoquarto verſu. Benedicite filij hominũ domino. Sicut prius in generibus rerũ, ab vniuerſalioribus ad particularia deductus eſt ordo: ita & nũc in genere hominũ. Prius enim generali nuncupatione omnes homines ſignificantur per hanc verſus particulã: poſtea verò particulares hominũ ſortes & gradus adducuntur, ſcilicet Iſrael, id eſt populus Iſraeliticus: deo particularis & ad eius cultum ſelectus, deinde ſacerdotes: miniſterio altaris peculiariter mancipati, poſtea ſpiritus animæ iuſtorum ſanctiq; & humiles corde: nã ipſi ſingulare ſunt dei templum in quo gratum ſibi deus delegit habitaculũ. Poſtremum ipſi tres pueri, ob acceptũ liberationis ab incendio fornacis beneficium: etiã à ſeipſis prouocantur ad diuini nominis laudẽ. 19 ℂ In decimonono verſu. Benedicamus patrẽ & filiũ cũ ſancto ſpiritu. Iſte verſus: in tertio cap. Danielis, vnde hoc ſumitur canticũ, nõ habetur, immo neq; in toto veteri teſtamẽto habentur hiſce propriis nominibus expreſſæ diuinæ perſonæ in vno orationis ſchemate ſicut in nouo, quoniã clarior tanti myſterij reſeratio ipſius nouæ legis luci cõgruebat & ſeruabatur. Sed ab eccleſia catholica hic verſus (qui omniũ eſt diuiniſsimus & ſacratiſsimus) adiectus eſt: vt in ſimili forma & modo locutionis cũ cæteris verſibus huius cãtici: etiam ſuperſancta trinitas laudaretur quemadmodũ in cęterorũ pſalmorũ modulatione: ex cõſtitutione Damaſi ſummi põtificis, adhortãte ipſum ad hoc ſacerrimo Hieronymo adiicitur hæc ſummæ trinitatis laus in fine, gloria patri & filio, & ſpiritui ſãcto. In ſupradicto autẽ verſu qui nũc exponendus ſuſcipitur: ipſarum diuinarum perſonarũ trinitas inſinuatur, per propria & conſueta ipſarum nomina, in priore verſus particula expreſſa. Vnitas verò diuinæ ſubſtantiæ innuitur per relatiuũ ſingularis numeri: in poſteriore eiuſdem verſus parte ſubiunctum, quod diuinas quidem perſonas: ſed vt vnum ſubſtantia ſunt, referre dinoſcitur. Porrò ſicut hoc canticum: quarto loco inter pſalmos

pius ſpondeum, contra huius carminis iura. Numerum tamen ſyllabarum illi metro debitum retinet: in vnoquoq; ſcilicet carmine octonarium, inſuper & rythmicam ſeruat conſonantiam primi carminis ad ſecundum & tertij ad quartum eiuſdem verſus: in exitu ſyllabarum. Incitatur in eo eccleſia fidelium ad ſpirituale gaudium in domino: ob ſolennitatem ſanctiſſimæ cuiuſuis viduæ, cuius dies feſtus celebratur cum hunc modulatur hymnum. Commendatur & illa ob mundi contemptum, virtutis ſtudium, dei famulatum, cultumque Chriſtianæ fidei: quem hic vitam agens ſtudioſè exercuit. Ob quæ, & miraculis coruſcãtem illam reddidit deus, & glorioſam in cæleſtes euexit ſedes.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nam ſummi regis filia. Non de terreno rege hic ſit ſermo, nullus enim in terris eſt omnino ſummus rex: ſed omne ſub regno grauiore regnum eſt, vt ait Seneca & cunctis dominatur regibus ipſe rex regum & dominus dominantium. Neque de carnali conſanguinitate aut cognatione hic itidem habetur mentio: ſed de ſpirituali & myſtica: qua ſancta illa vidua quæ hoc celebratur hymno: ſummi regis dei filia eſt tum per creationem: qua ipſe omnium pater eſt, tum per regenerationem factam in baptiſmo: per quam ipſa ex deo nata eſt, & ex aqua & ſpiritu regenita, tum per ſacram imitationem & aſſimilationem: in diuinis denominationibus. De qua poſtrema cognatione: ait dominus in euangelio. Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt: ipſe meus frater, ſoror & mater eſt, & eadem omnino ratione: filius eius & filia, quandoquidem hæc omnia ſpiritualiter coincidunt, ſolam rationum diſcrepãtiam abinuicem habentia. Si enim ex patre diabolo ſunt per imitationem, qui deſideria eius volunt complere, vt teſtatur euangelium: cur non magis ex deo ſunt patre, qui illius præcepta ſtudioſe laborant obſeruare? Et deus ipſe pro ſua dignatione hoc honoratiſſimo filiæ nomine vnamquãque fidelem animam in pſalmo compellat: dicens. Audi filia & vide & inclina aurem tuam: & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt dominus deus tuus.

2 ¶ In ſecundo verſu. Hæc vera Chriſti famula. Melius hoc

hoc pacto aptatur carmen quàm eo modo. O Chriſti vera famula: vt nonnulli habent libri. Nam cum in omnibus alijs verſibus, de ſancta illa vidua cui hic hymnus concinitur, fiat in tertia perſona ſermo: par eſt & decens etiam in hoc verſu conſimilem tenere loquendi formam, & nequaquam ad ſecundam tranſire perſonam, cum prçſertim in tertio huius verſus carmine verbum tertiæ perſonæ amauit ponatur: cui nominatiuus ille famula adiungi debeat. Quòd ſi quis dicat O, ibidem non vocantis eſſe particulam ſed admirantis interiectionem: quæ nominatiuo tertiæ perſonæ poteſt adiungi. Eſto id, verum non ſolent authores interiectionem annectere caſui qui cum alia dictione nexum habeat & habitudinem: ſed illi dũtaxat, qui ſoli adhæreat interiectioni. Hic autem nominatiuus famula cum verbo amauit ordinatur: quare concinnam non habet cum interiectione connexionem.

5 ¶ In quinto verſu. Ad ſummum regem gloriæ. Melius hoc modo legitur iſtud carmen: quàm vt alij habent libri ad regem nimis gloriæ. Nam aduerbium nimis, cum adiectiuo læta in ſequente carmine poſito ordinandum, omnino ineptè ſecundum orationis latinę rationem ſeiungitur ab eo: per interiectum hunc genitiuum gloriæ, & aut proximè ante adiectiuum illud ponendum erat: aut penitus ſuſtollendum. Atqui non poteſt continuò præponi illud aduerbium ſupradicto adiectiuo, quoniam tunc non ſeruaretur ſimilis ſyllabarum deſinentia in hoc carmine & ſequente: quæ tamen omnibus in locis de induſtria conſpicitur ſeruata. Satius eſt igitur illud aduerbium tollerê: & illius loco ad complendum carmen aliud nomen ponere, ꝙ aptè coniungatur alicui dictioni eiuſdem carminis, quod quidem fit pro concinitate: ſi quis dixerit, ad ſummum regem gloriæ, vel ad regem veræ gloriæ.

6 ¶ In ſexto verſu: Qui nos beatæ precibus. Loco dictionis beatæ, in alijs libris ponitur litera N deſignans ibidem nominandam ſacram illam viduam, in cuius honorem cantatur hic hymnus. Veruntamen illud proprium nomen fortaſſe non quadrabit carmini. Nam ſi diſyllabum fuerit: reddet ipſum breuius æquo, & ſi tetraſyllabum: efficiet idem quàm par eſt prolixius. Quare ſatius fuerit, quocunque vocetur

vocetur proprio nomine ſancta illa vidua :illud ſupprime re,& illius loco ſemper ponere genitiuum beatæ vel ſacratæ:qui ſit adiectiuum nominis ſubſtantiui viduæ, ſubauditi in eo,quoniam hoc pacto & carmen & ſenſus erit conueniens :qui ex toto verſu colligetur huiuſmodi. Laus ſit deo:vni in ſubſtantia,& trino in perſonis qui nos poſt terminum vitæ peractum conſortes efficiat ſupernorum ciuium,per preces ſacratæ deo vel beatæ viduæ :cuius hodie celebratur ſolennitas. Cui quidem deo vnitrino,pro cópletis iſtis in hymnos ecclesiaſticos annotationibus:ſit benedictio,laus,& gratiarum actio in ſecula ſeculorum. Amen.

PRIMI LIBRI ELVcidatorij Eccleſiaſtici: Finis,

ELVCIDATORII EC-
CLESIASTICI LIBER SE-
CVNDVS: NONNVLLA
Cantica, Antiphonas, Reſponſoria, & Benedictiones Eccleſiaſticas exponens.

¶ CANTICVM SANCTORVM AVGVſtini & Ambroſij.

1 TE Deum laudamus: te dominum confi-
temur.
2 Te æternum patrem omnis terra ue
neratur.
3 Tibi omnes angeli, tibi cæli & uni-
uerſæ poteſtates:
4 Tibi Cherubim & Seraphim, inceſſabili uoce procla
mant.
5 Sanctus, ſanctus, ſanctus: dominus deus ſabaoth.
6 Pleni ſunt cæli & terra, maieſtatis gloriæ tuæ.
7 Te glorioſus apoſtolorum chorus.
8 Te prophetarum laudabilis numerus.
9 Te martyrum candidatus laudat exercitus.
10 Te per orbem terrarum ſancta confitetur eccleſia.
11 Patrem immenſæ maieſtatis.
12 Venerandum tuum uerum & unicum filium.
13 Sanctum quoque paraclitum ſpiritum.
14 Tu rex gloriæ Chriſte.
15 Tu patris ſempiternus es filius.
16 Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem: non horrui
ſti uirginis uterum.
17 Tu deuicto mortis aculeo: aperuiſti credentibus re-
gna cælorum.
18 Tu ad dexteram dei ſedes: in gloria patris.

19 *Iudex crederis eſſe uenturus.*

20 *Te ergo quæſumus famulis tuis ſubueni : quos pre-cioſo ſanguine redemiſti.*

21 *Aeterna fac cum ſanctis tuis in gloria numerari.*

22 *Saluum fac populum tuum domine: & benedic hæreditati tuæ.*

23 *Et rege eos, & extolle illos uſque in æternum.*

24 *Per ſingulos dies benedicimus te.*

25 *Et laudamus nomen tuum in ſeculum : & in ſeculũ ſeculi.*

26 *Dignare domine die iſto: ſine pctõ nos cuſtodire.*

27 *Miſerere noſtri domine: miſerere noſtri.*

28 *Fiat miſericordia tua domine ſuper nos quemadmodum ſperauimus in te.*

29 *In te domine ſperaui : non confundar in æternum.*

¶ Hoc canticum à celeberrimis ſanctę eccleſiæ doctorib⁹ Auguſtino & Ambroſio dicitur eſſe cõpoſitũ: cũ hic illũ ſacris baptiſmi abluiſſet vndis, & poſt diuturnas errorum tenebras ad veræ fidei lumen reduxiſſet. Tunc enim ambo in gratiarũ actionẽ de ſuſcepto diuino munere dicuntur erupiſſe: per hoc diuinæ maieſtatis præconium: & alternando vices, Ambroſio quidẽ inchoante & Auguſtino ſubſequente, ipſum à principio ad finẽ vſque deduxiſſe. Vnde ferè ab oĩbus inſcribitur canticũ ſanctorũ Auguſtini & Ambroſij. Quòd ſanè ab vniuerſali eccleſia receptum eſt cum tanta authoritate: vt in matutino officio ante laudes ipſum decantari debere ſolenniter ſit inſtitutũ. Et quoties nouum aliquod & inſigne beneficiũ reſpublica ciuilis aut eccleſiaſtica à deo conſecuta eſt: vt pacem, victoriam, nouam paſtoris deſignationem, aut quoduis aliud conſimile: hoc celebratiſſimo cantico tota illius congregationis ſocietas in templum conueniens deo ſolenniter agere gratias & publice ſolet. Neque immerito quidem. Nam continet iſtud cãticum, primum laudem diuinæ bonitatis: prædicatione eorum quæ ad vnitatem diuinæ ſubſtantiæ attinent, vt quòd deus ſit, quòd dominus, quòd æternus pater, hæc enim tria toti diuinitati & cuique diuinæ perſonæ ſunt cõ-

munia

munia, deinde verò denominatione eorum quæ ad explicationem & diſtinctionem diuinarum perſonarum attinẽt vt cum patrem immenſæ maieſtatis nominat, cum venerandum eius filium, & etiam ſpiritum ſanctum exprimit. Deinde verò ſpecialis conuertitur ad ſecundam ſummæ trinitatis perſonam oratio: cuius & diuina explicatur natura cum rex glorræ nominatur & ſempiternus patris filius, & natura itidem humana: cum noſtræ carnis ſubſtantiam ſuſcepturus dicitur non exhorruiſſe neque dedignatus fuiſſe ſacratiſſimæ virginis vterum. Noſtræ quoque redemptionis myſteria per paſſionem eius, reſurrectionem & aſcenſionem in cælum conſummata: in ſignum gratitudinis deinde commemorantur, Denique ad ipſum dei filium dirigitur ſupplex oratio ad finem vſque cantici: vt totam fidelium eccleſiam in ſuo nomine congregatam hic à malo cõſeruare, & demùm ad cæleſtem & immortalem gloriã perducere dignetur.

2 ❡ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Te æternũ patrem: omnis terra veneratur. Pater hic commune nomẽ eſt dei: & cuique diuinarum perſonarum indifferens, ſignat enim habitudinem dei ad creaturas ab eo conditas: ſicut frequenter in ſacris literis accipitur, & præſertim in exordio orationis dominicæ: Pater noſter qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum. Neque diſcrete hic ſumitur, vt exprimat primam ſummæ trinitatis perſonam, & habitudinem ſignet ad filium: ſed ita in vndecimo huius cantici verſu ſumi intelligatur. In hoc quoque verſu: terra pro hominibus (quòd ex terra formati ſunt & eam habitat) accipitur: ſicut etiam ſæpenumero in ſcriptura, vt in pſalmo. Omnis terra adoret te deus & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo. Omnis igitur terræ nomine: omnis hominum multitudo vbicunque terrarum habitet inſinuatur.

Matth. 6.

Pſal. 65.

3 ❡In tertio verſu. Tibi omnes angeli. Angelorum nomen non hic commune eſt ad omnes cuiuſuis ordinis cæleſtes ſpiritus: ſed ad eos duntaxat qui infimum in poſtrema hierarchia complent ordinem. Nam cæli: hoc loco potius omnes cæleſtes ſubſtantias & ſpiritus angelicos (quancunque conſtituant hierarchiam aut ſacrum ordinem) ſignificant. Vt enim terræ nomine, genus humanum ita cælorum nomine tota natura angelica rectè ſignatur,

quòd cæleſtis manſionis ſint incolæ & ſupercæleſtes ſortiantur proprietates Deinde cæleſtium agminum cómuniter nomine cælorum nobis hic inſinuatorum, tres innuuntur hierarchiæ: vnaqueque per vnum ſuorum ordinũ hic expreſſum, per quem cæteri non nominati intelligantur. Poſtrema ſiquidem & in imò conſtituta cæleſtium ſpirituum hierarchia: nomine angelorum, qui vltimum eius conficiunt ordinẽ, inſinuatur. Media verò: nomine poteſtatum quæ nouiſſimum etiam illius ordinem conſtituunt, indicatur. Demùm ſuprema hierarchia denotatur hoc loco nomine cherubim & ſeraphim: duorum ſuperiorum eius ordinum. Verum angelicorum ſpirituũ diſtinctio in tres hierarchias, & cuiuſque adhuc hierarchiæ diſtributio in tres
Eſa. 5. ordines: ex ſacratiſſimo patre Dionyſio in libro de cæleſti hierarchia exactius eſt requirenda.

4 ❡ In quarto verſu. Inceſſabili voce proclamant. Sumptum eſt illud ex Eſaia propheta: dicente. Vidi dominũ ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum: & plena erat domus à maieſtate eius, & ea quæ ſub ipſo erant: replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: & clamabant alter ad alterum & dicebant. Sanctus, ſanctus, ſanctus: dominus deus exercituum. Plena eſt omnis terra: gloria eius. Sabaoth autem nomen hebræum hic expreſſum: idẽ valet quod exercituum in Latino. Eſtque id vnum ex decem nominibus dei: à beato Hieronymo in epiſtola ad Marcellã quarto loco poſitum. Cæterùm deus dicitur dominus ſabaoth quia exercituum cæleſtium totiuſque militiæ angelicæ dominus eſt, quæ à deo copioſa eſt & numeroſa: vt
Dan. 7. de ea dicat Daniel. Milia milium miniſtrabant ei: & decies centena milia aſſiſtebant ei.

9 ❡ In nono verſu. Te martyrum candidatus. Nõ ſolum ab angelicis ſubſtantijs laudari hic dicitur deus: ſed & ab hominibus in cæleſtis ciuitatis ſortem iam aſcitis, & etiam ab ijs qui præſentis vitæ ſtadium adhuc decurrunt. At verò receptorum in æterna cæli tabernacula tres hic nominantur ordines & gradus: ſcilicet apoſtolorum, prophetarum & martyrum, ſub quibus reliqui ordines ſanctorum vt confeſſorum, & virginum comprehendantur, qui non minus quàm cæteri deum aſſidue laudent: ſecundum illud
Pſal. 83. verbum pſalmi octogeſimi tertij. Beati qui habitant in do

mo tua domine:in ſecula ſeculorum laudabunt te. Dicitur autem hoc loco exercitus martyrum candidatus:id eſt candidis veſtibus amictus & ornatus:quia in diuina Apocalypſi leguntur eo habitu & cultu beato Ioanni in ſpiritu oſtenſi:cum ait de ſeipſo. Et reſpondit vnus de ſenioribus & dixit mihi. Hi qui amicti ſunt ſtolis albis:qui ſunt & vnde venerunt? Et dixi illi. Domine mi:tu ſcis. Et dixit mihi. Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna. & lauerunt ſtolas ſuas & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Ideò ſunt ante thronum dei:& ſeruiunt ei die ac nocte in templo ei⁹, & qui ſedet in throno habitabit ſuper illos: & abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. *Apo.7.*

14 ¶ In decimoquarto verſu. Tu rex gloriæ Chriſte. Ab hoc verſu ad finem vſque totius cantici ad ſolum dei filiũ dirigitur ſermo, eiuſque & diuinæ explicantur proprietates pariter & humanæ:quoniam vtraſque in ſe perfectè & integrè habet ſine confuſione, ſicut & vtranque naturam in vna perſona ſine commixtione vnitam. Porrò dicitur ſanctus Thomas Aquinas pietate in deum & religione inſignis:in eleuatione ſacratiſſimi corporis Chriſti in ſacrificio altaris ſolitus fuiſſe hunc verſum cum cæteris ſequentibus ad calcem vſque deuote legere, & ipſum quem omnis adorat creatura hac inuocatione adorata. Neque ſanè ab re. Nam paucis conſtringit hæc oratio: quæ ad Chriſti diuinitatem pertinent & humanitatẽ, noſtræque redẽptionis ſacramenta ſalutaria complectitur, & denique piam ꝑ toto populo Chriſtiano ſupplicationem. Quare ſentio hũc ſanctum dei virum: vt in cæteris virtutum operibus, ita & in hoc orandi genere nobis eſſe imitandum. Cæterũ quòd rex gloriæ dicatur Chriſtus:ex pſalmo 23. ſumptum eſt, dicente. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ, & cætera quæ ſequuntur:ad literam de ſolo Chriſto intelligenda. Idem quoque cõprobat beatus Paulus:ita ſcribens ad Corinth. Si enim cognouiſſent:nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. *Pſal.23.* *1.Cor. 2.*

16 ¶ In decimoſexto verſu. Tu ad liberandum ſuſceptur⁹ hominẽ. Id nomen accuſatiui caſus hominem, non hic perſonam aliquã particularem hominis exprimit:ſed naturã, & pro ſuo nomine abſtracto ſumi debet: vt tãtundẽ valeat ſicut humanitatẽ ſiue naturam humanam. Non enim in al-

 tiſſimo

21 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Saluum fac populum tu um domine. Hic verſus cum proxime ſequente, ex viceſimo ſeptimo pſalmo depromptus eſt: qui his duobus verſibus clauditur. Hæreditatem autem domini vocat propheta genus humanum precioſo Chriſti ſanguine redemptum, *Pſal. 2.* & magno illo emptum precio. De qua pater ait ad filium. *Pſal. 15.* Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã: & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Et de qua itidem filius ad patrem in pſalmo. Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. At verò relatiuum eos & illos in ſequente verſu, non ad vocem antecedentis antè poſitam referuntur: ſcilicet populum & hæreditatem, ſed ad rem ſignificatam & multitudinis numero expreſſã, ſcilicet homines aut famulos, qui ſunt de populo tuo & hæreditate tua.

24 ¶ In vigeſimoquarto verſu. Per ſingulos dies benedicimus te. Hic verſus cum proxime ſequente, ſumptus eſt ex pſalmo centeſimo quadrageſimoquarto: cuius ſecund⁹ verſus ita ſe habet. Per ſingulos dies benedicam tibi: & *Pſal. 144.* laudabo nomen tuum in ſeculum & in ſeculum ſeculi. Verſus autem huius cantici deinde ſequens, vtpote, Dignare domine die iſto: quodãmodo ſumptus videri poſſit ex hoc verſu pſalmi centeſimi viceſimi. Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam dominus, aut alio quouis: conſimils ſententiæ. *Pſal. 120.* At verò viceſimus ſeptimus præſentis cantici verſus, ex pſalmo centeſimo viceſimo ſecundo manifeſte deſumptus eſt: vbi eodem verborũ ſchemate idem verſus ponitur. Viceſimus octauus autem huius cantici verſus ex pſalmo triceſimo ſecundo depromptus eſt: nam eum claudit & terminat. Demùm vltimus huius diuinæ laudis verſus: pſalmi triceſimi eſt initium.

¶ CANTICVM TRIVM puerorum.

1 *Benedicite omnia opera domini domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.*

2 *Benedicite angeli domini domino: benedicite cæli domino.*

3 *Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt domino: benedicite omnes uirtutes domini domino.*

Hoc canticum eſt trium puerorum Hebræorum: qui nolentes adorare ſtatuam auream quam erexerat Nabugodonoſor rex Babylonis, ab eò miſsi ſunt ĩ fornacẽ ignis ardentis. Verùm non ſolum ab igne non ſunt læſi, neque veſtimenta eorum aut crines ambuſti, ſed etiam libera vocé in diuinam proruperunt laudem, & hũc hymnum ſuauiſsimum deo cecinerunt, quemadmodum Daniel tertio cap. ſcribit. Vbi totum hoc canticum vna cum cæteris laudibus quas in gratiarum actionem deo exoluerũt: inſeritur, & certo digeritur (quo hic) ordine. Quare ex eo loco, eius expoſitio accuratior eſt efflagitanda: quanuis non multa indigeat explanatione, quòd magnam præ ſe ferat facilitatem. Inuitantur autem in eo omnia creaturarum genera, tam cæleſtia quàm terreſtria, tam animata quàm inanimata, tã rationalia quàm irrationalia: ad decãtandam deo laudem. Non quidem quòd pecora, arbuſta, elemẽta, & orbes cęleſtes poſſunt diuinas depromere laudes: cum intellectus & rationis ſint expertia, & ſoli homines ac ſpiritus cæleſtes facti ſint: vt hoc modo deũ quem cognoſcunt debita veneratione celebrationéque proſequãtur. Sed irrationalia & inanimata corpora deo dicuntur benedicere ipſum laudare & ſuperexaltare: quia materiam & argumentum deo benedicendi ipſúmque laudandi & ſuperexaltãdi ſuggerunt ac præſtãt rationalib⁹ creaturis. Sicut enim in imagine egregie depicta aut ſculpta: vnaquæque particula corporis ita effigiati aut exſculpti præbet materiam laudandi artificem ipſum, vt Appellem aut Phidiam, cognoſcendique eius induſtriam & excellẽtiam artis, ita & in hoc diuino opoficio & tota mundi fabrica, vnaquæque creatura vt pars quædam vniuerſi, prędicandam oſtendit ipſius dei opificis potentiam, ſapientiam, bonitatem, prouidẽtiam atque perfectionem. Et ex omnium cõſideratione aſſurgit rationalis creatura in dei cognitionem, laudem & commendationem.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Benedicite omnia opera domini: domino. Certus quidam ordo in nominatione creaturarum hic expreſſarum ſeruatus conſpicitur: qui à generalibus ad ſpecialia & à propinquioribus deo ad diſtantiora procedit. Primum enim generatim omnia dei opera proponuntur: deinde ſpecia-

tim

& nullum aliud hic nomen occurrit: quo commodius ſi-
gnificari ventus poſsit. Neque illud abſonum eſt aut præ
ter ſcripturæ conſuetudinem: in qua plærunque ſpiritus Pſal. 148
pro vento ſumitur, vt in pſalmo, ignis, grando, nix, gla-
cies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.
14 ¶ In decimoquarto verſu. Benedicite filij hominũ
domino. Sicut prius in generibus rerũ, ab vniuerſaliori-
bus ad particularia deductus eſt ordo: ita & nũc in gene-
re hominũ. Prius enim generali nuncupatione omnes ho
mines ſignificantur per hanc verſus particulã: poſtea ve-
rò particulares hominũ ſortes & gradus adducuntur, ſci-
licet Iſrael, id eſt populus Iſraeliticus: deo particularis &
ad eius cultum ſelectus, deinde ſacerdotes: miniſterio al-
taris peculiariter mancipati, poſtea ſpiritus animæ iuſto-
rum ſanctiq; & humiles corde: nã ipſi ſingulare ſunt dei
templum in quo gratum ſibi deus delegit habitaculũ. Po-
ſtremum ipſi tres pueri, ob acceptũ liberationis ab incen-
dio fornacis beneficium: etiã à ſeipſis prouocantur ad di-
uini nominis laudẽ. 19 ¶ In decimonono verſu. Bene-
dicamus patrẽ & filiũ cũ ſancto ſpiritu. Iſte verſus: in ter-
tio cap. Danielis, vnde hoc ſumitur canticũ, nõ habetur,
immo neq; in toto veteri teſtamẽto habentur hiſce pro-
priis nominibus expreſſæ diuinæ perſonæ in vno oratio-
nis ſchemate ſicut in nouo, quoniã clarior tanti myſterij
reſeratio ipſius nouæ legis luci cõgruebat & ſeruabatur.
Sed ab eccleſia catholica hic verſus (qui omniũ eſt diui-
niſsimus & ſacratiſsimus) adiectus eſt: vt in ſimili forma
& modo locutionis cũ cæteris verſibus huius cãtici: etiam
ſuperſancta trinitas laudaretur quemadmodũ in cęterorũ
pſalmorũ modulatione: ex cõſtitutione Damaſi ſummi põ
tificis, adhortãte ipſum ad hoc ſacerrimo Hieronymo ad-
iicitur hæc ſummæ trinitatis laus in fine gloria patri & fi-
lio, & ſpiritui ſãcto. In ſupradicto autẽ verſu qui nũc ex-
ponendus ſuſcipitur: ipſarum diuinarum perſonarũ trini-
tas inſinuatur, per propria & conſueta ipſarum nomina,
in priore verſus particula expreſſa. Vnitas verò diuinæ
ſubſtantiæ innuitur per relatiuũ ſingularis numeri: in po-
ſteriore eiuſdem verſus parte ſubiunctum, quod diuinas
quidem perſonas: ſed vt vnum ſubſtantia ſunt, referre di-
noſcitur. Porrò ſicut hoc canticum: quarto loco inter
pſalmos

pſalmos laudum matutinarum conſtitutum,& diei domi-
Daniel. 3 minicæ potiſsimũ addictum,ex certo ſacræ ſcripturæ paſſu deſumitur:ita & omnium feriarum totius hebdomadę cantica, quæ in officio matutino dicuntur eo ordine & quarto in laudibus matutinis loco: ex aliqua etiam ſacræ ſcripturæ depromuntur parte,vt canticum feriæ ſecũdæ, cõfitebor tibi domine quoniam iratus es mihi,ex duodecimo Eſaiæ cap. Canticum feriæ tertiæ, ego dixi in dimidio dierum meorum,ex triceſimo octauo Eſaię cap. Cãticum feriæ quartæ:exultauit cor meum in domino,ex primi libri regum capite ſecundo. Canticum feriæ quintæ,cantemus domino,glorioſe enim magnificatus eſt, ex decimoquinto Exodi capite. Canticum feriæ ſextæ,domine audiui auditionem tuam & timui,ex tertio capite Abachuc. Denique canticum ſabbati,audite cæli quæ loquor, ex triceſimoſecundo capite Deuteronómij acceptum eſt. Quare ſupradicta cantica non efflagitant hic particularẽ expoſitionem ſed cuiuſque illorum explanatio,ſuo ex loco iam nominatim expreſſo eſt perquirenda. Quinimo neque pſalmus ipſe qui in exordio matutinarum canitur ad inuitatorium ſcilicet venite exultemus domino,particularem hic exigit declarationem: quoniam prorſus idẽ eſt cũ nonageſimo quarto pſalmo, hoc ſolo ab eo diſcrepãs: quòd nonageſimus quartus pſalmus quem in noſtro habemus pſalterio eo cõſtitutum loco ac ordine: legitur ſecundum gallicam pſalmodiam. Ille verò qui canitur ad inuitatorium : ordinatur ſecundum pſalmodiam Romanam,vt diligenter annotauit præceptor meus ſingularis, Iacobus Stapulenſis:in explanatione quintuplicis pſalterij à ſe ſuperioribus annis elaborata. Idcirco ad habendum ipſius pſalmi inuitatorij ſenſum ac intelligentiam:legatur nonageſimi quarti pſalmi (qui cum eo concidit) expoſitio eadem enim prorſus vtriuſque eſt ſententia.

Verùm cum ſecunda huius operis pareretur æditio, viſum eſt commodius quodque cãticum reliquarum feriarum cum ſua explanatione hic ſubnectere, quàm legentibus laborem ingerere ſingula cantica perquirendi ſuis locis,& illorum expoſitionem indagandi. Magis enim hoc modo habebuntur in promptu & ad manum : tam ipſa, quàm ipſorum ſententia.

CAN-

CANTICVM ESAIAE propheta.

1 *COnfitebor tibi domine, quoniam iratus es mihi: cõuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.*
2 *Ecce deus ſaluator meus: fiducialiter agam, & non timebo.*
3 *Quia fortitudo mea & laus mea dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.*
4 *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris: & dicetis in die illa.*
5 *Confitemini domino & inuocate nomen eius.*
6 *Notas facite in populis adinuentiones eius: mementote quoniam excelſum eſt nomen eius.*
7 *Cantate domino, quoniam magnifice fecit: annunciate hoc in uniuerſa terra.*
8 *Exulta & lauda habitatio Syõ: quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.*

Hoc canticum in feriæ ſecundæ laudibus matutinis pro more eccleſiaſtico decantatur: quod duodecimo capite Eſaiæ deſcriptum, ipſius quidem Eſaiæ eſt vt depromentis ipſum & deſcribentis, totius verò eccleſiæ catholicæ iam ſuſcepto euangelio ex fidelibus collectæ, ipſiusq; fidelis populi in lege gratiæ degentis: idem canticũ eſt vt concinentis ipſum, & gratias deo agentis de maximis & plurimis beneficiis per incarnationem Chriſti, mortẽ, reſurrectionem, aſcenſionem in cælum, euangelij prædicationem ſuſceptis. Enimuero Eſaias ſeptimo capite, nono & vndecimo, reuelationem habuerat & texuerat oraculũ de aduentu Chriſti in carnem: cum ait. Ecce virgo concipiet & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emanuel. Et iterũ. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt: & reliqua quæ cõtinue ſequuntur. Rurſum. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini. Vbi etiã deinde nõ tam vt propheta quàm euangeliſta: Chriſti prædicationẽ, mortẽ, ſepulturã & reliqua eius inſignia opera depromit, ac potiſsimum

Eſaia. 7
Eſa. 9
Eſa. 1

tiſsimũ diffuſionẽ euangelicæ doctrinæ: miniſterio ac voce apoſtolorũ per vniuerſum orbẽ celeriter factã. Quorũ
Eſa.12 omnium cõſideratione: ipſe propheta ad populũ fidelem verba faciẽs in principio duodecimi capitis inquit. Et dices in die illa. O popule (inquit) fidelis poſtquã tot & tanta ſuſceperis beneficia, per diſpenſationẽ carnis ſuſceptã à Chriſto, quæ mihi in ſpiritu ſunt reuelata: ora tua reſolues in hoc canticũ: quo gratias ages deo de magnitudine ſuæ largitatis & beneficẽtiæ. Et id quidẽ facies illa die, tẽpore ſcilicet nouę legis & gratiæ Chriſti reuelatæ: quod
Rom.13 ſanè tẽpus in ſcriptura plærumque dies appellatur, vt cũ ſcribit Paulus ad Romanos, Nox præceſsit: dies autẽ appropinquauit.

1 ℂ ANNOTATIONES. In primo verſu. Confitebor tibi domine. Laudabo (inquit populus fidelis) te domine deus meus: quoniam iratus eſt mihi per præuarica-
Luc.10 tionem primorum parentum, totius humani generis damnatricem, quod incidit ea culpa in latrones: & expoliatũ eſt duobus gratuitis, & diris vulneribus grauiter affectũ. Hic tamen furor tuus poſt multa annorum curricula conuerſus eſt in benignitatem & miſericordiam: quando filiũ dei in terrã miſiſti ad humanæ redemptionis opus cõſummandum, vt ſalutarem medicum meorum vulnerũ, & reconciliatorem meum. Et hac conuerſione iræ tuæ in manſuetudinẽ, conſolatus es me: prius vehementer deſolatũ. Huic autem ſententiæ propheticæ: reſpondet illud verbũ pſalmi Benedixiſti domine terrã tuam: auertiſti captiui-
Pſal.84 tatem Iacob. Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: aperuiſti omnia peccata eorum. Mitigaſti omnem iram tuam: auertiſti ab ira indignationis tuæ. 2 ℂ In ſecundo verſu. Ecce deus ſaluator meus. Decurrente veteris legis tempore: multis prophetarum oraculis fuerat promiſſus ſaluator mundi, quòd tandem veniret ad omnium ſalutẽ. Nũc autem & tempore legis euangelicæ, ecce adeſt viſibiliter in carne apparens deus ſaluator meus: non amplius expectandus vt veniat. Et ſaluator rectè dicitur: nomine con-
Luc.19 gruente ſuo operi. Nam venit filius hominis quærere, & ſaluum facere: quod perierat. Et reſpondet id nomen illi
Matth. 1 quod in euãgelio impoſitum ipſi deſcribitur. Vocabis (in-
Eſa.62 quit angelus ad Ioſeph) nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum

ſaluum faciet populũ ſuum:à peccatis eorum. Quare nũc completũ cernitur:quod dixerat Eſaias. Dicite filiæ Syõ: ecce ſaluator tuus venit ecce merces eius cũ eo, & opus eius coram illo. Et alio in loco eiuſdem prophetæ:ait ipſe dei filius. Quia ego ipſe qui loquebar:ecce aſſum. Prius enim fuerat per prophetas locutus:quòd tandẽ veniret. Nunc autẽ adeſt nobis per ſuſceptam carnẽ:ſuúmque promiſſum compleuit. Propter quam ſaluatoris mei præſentiam, fiducialiter agam (ait fidelis populus) & cum firma ſpe perficiam opera legis euangelicæ:quæ lex eſt libertatis & gratiæ, & non timebo hoſtes meos inuiſibiles: & aduerſarios animæ. Tot enim & tanta ſunt præſidia atque auxilia in lege euangelica ad bene operandum & reſiſtendum hoſtibus:per ſacramenta eccleſiaſtica, & abundatiorem gratiam, quod nullus timori habendo amplius relinquitur locus. 3 ¶ In tertio verſu. Quia fortitudo mea & laus mea dominus. Fiducialiter (inquit) agã & non timebo, quia dominus eſt virtus mea contra hoſtiles impetus: quos non meis viribus ſed poteſtate à domino mihi cõceſſa ſuperaui. Ipſe etiam eſt laudatio mea, & cui omnem boni operis laudem debeo aſcribere : non mihi ipſi. Non enim nobis domine nõ nobis:ſed nomini tuo da gloriam. Et factus eſt ipſe dominus mihi in ſalutem: quoniã à tẽporali huius vitæ periculo & peccati ruina ſæpius me liberauit, & æternam ſalutem mihi per ſuam miſericordiam præparauit. Et hic verſus omnino concidit cum ſimili verſu pſalmi centeſimi decimiſeptimi : vt intelligamus ipſum Eſaiam & pſalmographum, eodem diuino ſpiritu licet diuerſis temporibus fuiſſe locutos.

Eſa.52 *Pſal.113*

4 ¶ In quarto verſu. Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris. Nomine aquarum hic recte intelliguntur dona ſpiritus ſancti: quæ de fontibus ſaluatoris, ipſis ſcilicet eccleſiaſticis ſacramentis à Chriſto ſaluatore noſtro inſtitutis abũde hauriũtur. Nã ipſa cõferũt gratiã ſalutarẽ & largã : quod non præſtabant ſacramenta veteris legis. Gratia enim & veritas:per Ieſum Chriſtũ facta eſt. Vnde dominus in euãgelio loquẽs de ſpiritu ſancto, quẽ accepturi erãt credentes in eum:dixit. Siquis ſitit: veniat ad me & bibat. Qui credit ĩ me, ſicut dicit, ſcriptura:flumina de vẽtre ei⁹ fluẽt aquæ viuæ. Vbi per aquã viuã, ſpirt⁹ ſancti

Ioan. 1 *Ioan.7*

ſancti gratia ſignificatur. A quarũ etiã nomine, hic intelli gi poſſunt fluenta doctrinæ euangelicæ: quę populi fideles largiter hauſerũt tẽpore nouæ legis ex apoſtolis & viris apoſtolicis, cũ gaudio & exultatione cordis. Siquidem per aquã, interdũ ſignatur doctrina in ſacris literis: vt cũ
Eccl.15 dicit Eccleſiaſticus. Cibabit illũ dominus pane vitæ & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illũ. Per fontes verò accipiuntur nõnunquã apoſtoli, prædicatores, & doctores eccleſiaſtici: ſcatentes aquis ſalutaribus diuinæ doctrinæ, & aridas hominũ mẽtes illis irrigantes: vt in il-
Pſal.67 lo loco pſalmi. Benedicite domino de fontibus Iſrael: ſapientia eius & virtus eius in nubibus. Saluatorem autem hic nominat propheta dominũ noſtrũ: quẽ angelus ad virginem miſſus in euangelio vocandũ dicit Ieſum, quod in-
Luca. 1 terpretatur ſaluator: vt prophetia cũ euangelio conueniat. Hoc enim canticũ non ſolum propheticũ eſt, ſed & euangelicum, & euangelicæ gratiæ myſteria reſerans. Idcirco ſubiungitur in fine huius verſus. O vos fideles populi: in illa die noui teſtamenti dicetis ad proximos veſtros, inuitantes ipſos ad dei laudem: dicetis inquã quod habet ſequens verſus, ſcilicet. Confitemini domino Ieſu Chriſto: & inuocate nomen eius admirabile ac glorioſum.

6 ¶ In ſexto verſu. Notas facite in populis adinuentiones ei⁹. Exhortatio eſt prophetæ ad apoſtolos & prædicatores euangelicos: quòd in omnibus gentibus per prædicationẽ euangelicæ veritatis declarant adinuentiones domini, id eſt modos admirabiles humanæ ſalutis: quos adinuenit diuina ſapientia in filij dei incarnatione, prædicatione, paſsione, reſurrectione, & aſcenſione: ſecundũ altitudinem & profunditatẽ ſui conſilij. Adinuentionũ enim nomen, quãuis ſæpius praua agẽdi excogitationes & ma-
Pſal.80 chinamenta ſignificet: potiſsimũ cum hominibus attribui-
Pſal.105 tur, vt in pſalmo de filiis Iſrael dicit dominus. Et dimiſi eos ſecũdum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuẽtionibus ſuis: Et rurſũ in alio pſalmi loco. Et irritauerũt eũ in adinuẽtionib⁹ ſuis: & multiplicata eſt ĩ eis ruina. Interdũ tamẽ in bonã ſumitur partẽ: pſertim cũ deo aſcribitur,
Pſal.76 ſignificátq; vias & modos diuinarũ operationũ, quos immenſa eius ſapientia conſtituit ac ordinauit, vt in hoc loco prophetæ: & etiam in pſalmo. Et meditabor in omnib⁹ ope-

operibus tuis & in adinuẽtionibus tuis exercebor, Excelſum auté eſt nomen domini Ieſu: quoniã vt ſcribit apoſtolus ad Philippéſes: Exaltauit illum deus: & dedit ei nomé quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu, omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtriũ, & infernorũ, & omnis lingua cõfiteatur, quia dominus noſter Ieſus Chriſtus, in gloria eſt dei patris. *Philip.2*

7 ¶ In ſeptimo verſu. Cantare domino, quoniam magnificè fecit: Dominus noſter magnificè fecit, omnia opera noſtræ redemptionis, carné pro nobis ſuſcepit ſuæ deitati vnitam, morte ſua noſtram morté vicit, reſurrectione ſua vitã nobis reſtituit, carnémq; ſuã gloriosam in cælum vexit. Magnificè itidem fecit domin⁹ miracula, ſuæ diuinitatis atteſtatoria vt mortuos ſuſcitauit, infirmos ſolo attactu aut verbo ſanauit, imperauit vétis & mari, dæmones corporibus obſeſsis expulit, idola omnia contriuit, principem huius mundi foras eiecit. Et hæc eius magnalia, operáq; magnifica: ab apoſtolis in vniuerſa terra annũciata ſunt. In omnem enim terrã exiuit ſonus eorũ: & in fines orbis terræ verba eorũ. *Ioan.12*

8 ¶ In octauo verſu. Exulta & lauda habitatio Syõ, Hoc in loco habitatio Syõ, dicitur primũ ciuitas Hieruſalé & mõs Syõ materialisquę excitatur hic ad laudãdũ Chriſtũ eoꝙ in ipſa verſatus ſit ſecũdum carnis præſentiã, & in ea perfecit opera noſtræ redemptionis. Fuit enim ibidem in templo præſẽtatus, prædicauit, miracula fecit, fuit mortuus ſepultus, reſurrexit. In monte etiam Syon euchariſtiæ ſacramẽtum inſtituit, & ſuper apoſtolos ſpiritum ſanctum miſit, & exinde tota eccleſia in vniuerſum orbem eſt diffuſa, quéadmodum vaticinatus eſt Eſaias dicens. De Syon exibit lex, & verbum domini de Hieruſalem. Itaque ſanctus Iſrael & dominus noſter ſanctificans omnes fideles, in medio illius Syon conſtitit, & ſecundum carnem cõuerſatus eſt. Secundo loco per Syon intelligitur hic eccleſia catholica toto orbe diffuſa, & cœtus fidelium ſyncæra fide deũ ſpeculantium. In cuius medio etiam eſt Chriſtus inuiſibiliter per gratiam, operatúrque noſtram ſalutem per eccleſiaſtica ſacramenta. Vbicunque (inquit) fuerint duo vel tres congregati in nomine meo: illic in medio eorũ ſum. Et rurſum. Ecce ego vobiſcum ſum in omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi. *Pſal.4* *Eſa.2* *Matth.18* *Matth.28*

CANTICVM EZECHIAE regis Iuda.

1 EGo dixi in dimidio dierum meorum: uadam ad portas inferi.
2 Quæſiui reſiduum annorum meorum: dixi: nõ uidebo dominum deum in terra uiuentium.
3 Non aſpiciam hominem ultra: & habitatorẽ quietis.
4 Generatio mea ablata eſt, & cõuoluta eſt à me: quaſi tabernaculum paſtorum.
5 Præciſa eſt uelut à texente uita mea: dum adhuc ordirer ſuccidit me, de mane uſque ad ueſperam finies me.
6 Sperabam uſque ad mane quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea:
7 De mane uſque ad ueſperam finies me, ſicut pullus hirundinis ſic clamabo: meditabor ut columba.
8 Attenuati ſunt oculi mei: ſuſcipientes in excelſo
9 Domine uim patior, reſponde pro me: quid dicam aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerit?
10 Recogitabo tibi omnes annos meos: in amaritudine animæ meæ.
11 Domine ſi ſic uiuitur: & in talibus uita ſpiritus mei.
12 Corripies me & uiuificabis me: ecce in pace amarituro mea amariſsima.
13 Tu autem eruiſti animam meam ut non periret: proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.
14 Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui deſcendunt in lacum, ueritatem tuam.
15 Viuens, uiuens ipſe confitebitur tibi: ſicut & ego hodie, pater filiis notam faciet ueritatem tuam.
16 Domine ſaluum me fac, & pſalmos noſtros cantabimus, cunctis diebus uitæ noſtræ, in domo domini.

Hoc

Hoc Ezechiæ canticum (quod feria tertia canitur in laudibus matutinis)deſcribitur Eſaiæ triceſimo octauo capite, & primum deplorat in eo Ezechias vitæ ſuæ breuitatem ac anguſtiam,deinde de ſuſcepti beneficiis deo gratias agit. Enimuero cum deus Ezechiæ regi Iuda ſine labore victoriam dediſſet contra Sennacherib regem Aſſyriorum, nec ille condignas ei gratias de tam claro munere egiſſet:in illius ingratitudinis punitionem (vt ſentiunt hebręi)graui infirmitate correptus eſt,illique per Eſaiam prophetam futura breui mors eſt denunciata. Ad lachrymas autem & preces conuerſus,obtinuit à deo ſanitatem: & quindecim annorum ad vitæ ſuæ ſpacium adiectioné. Itaque poſtquam cõualuit:& laudes domino de ſuſceptis muneribus perſoluit,& quæ in anguſtia morbi cõſtitutus cogitauarat:nunc edicit ac in apertum profert.

4.Reg.19.

4.Reg.20

1 ¶ ANNOTATIONES.In primo verſu.Ego dixi in dimidio dierum meorum.Cum hoc canticum depromeret Ezechias: agebat nouum & triceſimũ vitæ ſuæ annũ, vt ex hiſtoria ſacra colligitur.Nempe quarti libri regum cap. decimumoctauũ refert ipſum Ezechiam quinque & viginti annos eſſe natum cum regnare inciperet, quódq; nouem & viginti annis regnauerit,qui ſimul iuncti conficiunt quinquaginta quatuor annos.A quibus ſi ſubducãtur quindecim anni quibus regnauit poſt infirmitatem illam à qua diuina ope conualuit: reſidui ſunt triginta nouem anni vitæ ipſius Ezechiæ vſque ad tempus illius infirmitatis.Qui ſunt ferme mediũ curriculum vitæ humanæ quæ ad octoginta annos aut circiter in plæriſque extéditur.Portas autem inferi vocat hic ezechias receptaculũ illuc ſanctarum animarum & antiquorum patrum:in quo degebant vſque ad horam mortis ac paſsionis Chriſti,nã locus ille in ſacris literis interdum inferni nomine deſignatur,vt cum Iacob ad filios ſuos ait. Deſcendam ad filium meum lugens:in infernum. 2 ¶ In ſecundo verſu.Dixi,non videbo dominum deum in terra viuentium. Cum audiuiſſet Ezechias ab Eſaia propheta hanc domini denunciationé.Diſpone domui tuæ:quia morieris & non viues,apud ſe cogitauit quòd immatura morte raptus nó videret amplius in hac viuorum regione dominũ deũ in templo hieroſolymitano ; per arcam ; & propitiatorium

4.Reg.18

Gene.37

atque cherubin repreſentatum, quòd etiam amplius non conſpiceret hominum ſocietatem mutuúmque côuictum: nec populum ſuum in quieta pacis tranquillitate viuentē quemadmodum pollicitus ei fuerat per prophetam dominus. 4 ℭ In quarto verſu. Generatio mea ablata eſt. His verbis conqueritur Ezechias ſibi filium deeſſe: per quem eius generatio extēderetur continua ſerie in poſteros. Autumant enim hebræi, ipſi Ezechiæ (cum graui illo morbo decumberet ægrotus) necdum fuiſſe natũ filium. Proinde conuolutam dicit eſſe ſuam generationē: in ſeipſo tanquam extremo ſuæ ſtirpis deficientem: quaſi tabernaculum paſtorum, quod quando locum mutant quærentes alia paſcua: conuoluunt & complicāt, vtitur deinde & alia ſimilitudine, texentis ſcilicet: qui interdum telam imperfectam ſuccidit, nec permittit eã ad perfectionē perduci. Ita vitam ſuam dicit in medio curſu atque progreſſu à deo eſſe præciſam: vt non ueniat ad completum annnorũ numerũ. 5 ℭ In quinto verſu. De mane vſque ad veſperam finies me. Sperabat Ezechias ſe diutius victurum, & multorum adhuc futurorum dierum mane ſe viſurum. Sed cum ſe ſtatim moriturũ intellexit per verba prophetæ: id vnum grauiter conqueritur, quòd inter matutinum tempus & verſpertinum illius diei vita eius ſit finiēda, vt non excedat eiuſdem diei veſperam. Et facilè coniecta iã in ianuis adeſſe mortem: quoniã infirmitas illa contriuit omnia eius oſſa ac robur corporis, ſicut leo cóminuit oſſa animaliũ quibus paſcitur. Quare nihil ei reliquuũ eſt, niſi clamor & gemitus ad deum: quemadmodũ pullus hirundinis clamitat in nido pro paſtu habendo, & columba continuum edit gemitum.

8 ℭ In octauo verſu. Attenuati ſunt oculi mei. Ex diutina attentione oculorum ad aliquid ipſi obiectum: debilitatur vis viſiua, hebetatúrq; & obtũditur: Ita defeſſos hic dicit Ezechias ſuos oculos & extenuatos: ex continua attentione in cælum, ad implorandum dei auxilium. Conteſtatúrque ſe vim pati, id eſt violentiã infirmitatis vltra vires corporis: quæ ſuccumbũt morbo, ideo petit quòd pro eo deus reſpondeat, ferátque illi auxilium de cælo contra morbum, quēadmodum patronus reſpondēs pro reo non habente quid reſpódeat ſuo patrocinio illi fert præſidiũ.

Fatetur

Fatetur enim ipſe rex ſe nihil habere quid dicat deo: ſicut nec lutum quicquã habet quod obiiciat figulo,& creatura ſuo creatori. Neque etiam dignum eſſe & iuſtũ. quòd deus ei aliquid obiicienti reſpondeat: ſicut nec figulus debet reſpondere luto expoſtulãti cum eo, nam ipſe deus fecit & plaſmauit Ezechiam: quemadmodum cæteros homines. Vnde ſi iſto in loco verbum fecerit legitur, vt habẽt plæriq; libri: referri debet ad nominatiuum deus, vt hæc habeatur ſententia: quòd deus pſalmauerit Ezechiam, & ergo poteſt pro ſuo nutu eundem diſſoluere per mortem. Si verò fecerim verbum legatur in prima perſona, vt nõnulli habent codices: referendum eſt ad Ezechiam confitentem ſe feciſſe & commiſiſſe, id crimen, ob quod merito ei illatus eſt grauis ille morbus.

11 ¶ In vndecimo verſu. Domine ſi ſic viuitur. Cũ (inquit) fragilis & caduca ſit vita humana: miſeriisque plena (homo enim natus de muliere, breui viuens tempore: repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra: & nunquam in eodem ſtatu permanet (& vita ſpiritus mei, in ærũnis & calamitatibus ſit conſtituta: corripies me o domine tua ſeueritate ob culpã meam, & viuificabis me tua miſericordia, vitam & ſalutẽ mihi impartiendo. Quod niſi præſtiterit deus: tunc in pace tranquilla totius populi Iuda poſt percuſſum regẽ Aſſyriorum: erit amaritudo Ezechiæ amariſsima, quoniam morte ſuſtoletur ab hac vita: & non poterit perfrui illa pacis tranquillitate & dulcedine, quam promiſit deus populo futurã. 13 ¶ In decimotertio verſu. Tu autẽ eruiſti animam meam: vt non periret. Hoc in loco gratias agit Ezechias domino de vita corporis, nomine animæ hic ſignata: ſibi reddita per adauctionem & extẽſionem ſpacij vitæ eius in quindecim annos. Et de vita animæ ſuæ per remiſsionem peccatorum ſuorum: quæ poſt tergum domini dicit proiecta, id eſt obliuioni tradita: Cauſa autẽ gratiarum actionis ſubnectitur: quoniam mortui qui in locis infernis perpetuæ dãnationi ſunt addicti, non confitebuntur vnquam domino confeſsione fidei aut laudis aut peccatorum, quia ibidem non eſt locus pœnitentiæ. Sed viuens vita naturæ, & viuens etiam vita animę: confitebitur domino grata confeſsione. Ante mortem (inquit Eccleſiaſticus) Iob.14

ſiaſticus) confitere. A mortuo quaſi nihil perit confeſsio.
Confiteberis viuens: viuus & ſanus, confiteberis. Et idem
Eccl.17 alio in loco. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: quo-
niam nó eſt à domino miſſus. Conſimilem huic propoſi-
tæ in præſenti cantico ſententiam habet propheta in pſal
mo, dicens. Non mortui laudabunt te domine: neque
Eccl.15 omnes qui deſcendunt in infernum. Sed nos qui viui-
mus benedicimus domino: ex hoc nunc & vſque in ſecu-
lum. Et iterum in alio loco. Nunquid mortuis facies mi-
rabilia: aut medici ſuſcitabunt & confitebuntur tibi? Nun
Pſal.113 quid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam:
Pſal.87 & veritatem tuam in perditionem? Nunquid cognoſcen
tur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra ob-
liuionis.

CANTICVM ANNAE, MATRIS Samuelis.

1 *EXultauit cor meum in domino: & exaltatum eſt cornu meum in deo meo.*

2 *Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos: quia lætata ſum in ſalutari tuo.*

3 *Non eſt ſanctus ut eſt dominus: neque enim eſt alius extra te, & non eſt fortis ſicut deus noſter.*

4 *Nolite multiplicare loqui ſublimia: gloriantes.*

5 *Recedant uetera de ore ueſtro: quia deus ſcientiarum dominus eſt: & ipſi præparantur cogitationes.*

6 *Arcus fortiũ ſuperatus eſt: & inferni accincti ſunt robore.*

7 *Saturati prius, pro panibus ſe locauerunt: & in fa-melici ſaturati ſunt.*

8 *Donec ſterilis peperit plurimos: & quæ multos ha-bebat filios, infirmata eſt.*

9 *Dominus mortificat & uiuificat: deducit ad infer-nos & reducit.*

10 *Dominus pauperẽ facit et ditat humiliat & ſubleuat.*

11 *Suſcitat de puluere egenum: & de ſtercore eleuat pau-perem.*

12 *Vt ſedeat cum principibus: & ſolium gloriæ teneat.*

13 *Domini enim ſunt cardines terræ: & poſuit ſuper eos orbem.*

14 *Pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit, & impij in tenebris conticeſcent: quia non in fortitudine ſua roborabitur vir.*

15 *Dominum formidabunt aduerſarij eius: & ſuper ipſos in cælis tonabit.*

16 *Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperiũ regi ſuo: & ſublimabit cornu Chriſti ſui.*

¶ Hoc canticum matutinis laudibus feriæ quartæ accõmodatum, primi libri regum ſecundo capite deſcribitur. In quo Anna mater Samuelis gratias agit deo de ſucepta prole poſt lõgam ſterilitatem, cum ipſum ablactatum reddidit domino ad obſequiũ tabernaculi ſicut ipſa vouerat. Verũ Anna quę interpretatur gratia, eccleſiã ſanctã ex gẽtibus collectã myſticè ſignat tempore legis euãgelicæ admodum fœcundam ſpirituali ſobole, cũ prius fuiſſet ſterilis. Fenenna verò, Annæ æmula & contumelioſa. ſynagogã ſignat Iudæorũ, prius multiplici prole fertilem, ſed deinde reprobatã à deo. Quare ad literam rectè intelligitur iſtud canticũ eſſe gratulatio eccleſiæ catholicæ atque laus gratias agens deo de ſuſceptis beneficiis, & illa multifariam commemorans. quemadmodum exponit Beatus Auguſtinus totum hoc canticum à vertice ad calcem vſque, in quarto capi. decimi ſeptimi libri de ciuitate dei cuius etiam ſententiam hic pro viribus ſequamur. Vnde cõtra negantes iſtud canticum prophetiam continere ibidem ita author idẽ diſſerit. Quiſquã forte dicturus eſt nihil iſtã prophetaſſe mulierem: ſed deum tantummodo propter filium quẽ præcata impetrauit, exultanti prædicatione laudaſſe. Quid ergo ſibi vult quod ait, Et ſterilis ſeptẽ: & multa in filiis infirmata eſt. Nunquid ſeptem ipſa pepererat: quamuis ſterilis fuerit? Vnicũ habebat quãdo iſta dicebat. Sed nec poſtea ſeptẽ peperit, ſiue ſex, quibus ſeptimus eſſet ipſe Samuel: ſed tres mares & duas fœminas. Deinde in illo populo cum ad huc nemo regnaret, quod in extremo poſui. Dat virtutem regibus noſtris: & exltauit cornu

1. Reg. 2

Chriſti ſui, vnde dicebat, ſi non prophetabat: Et reliqua quæ ſequuntur. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Exultauit cor meũ in domino. Hæc verba & ſequẽtia, intelligatur dicere eccleſia Chriſti, gratia plena, prole fœcũda, quæ de ſe multo antè ꝓpheta cognoſcit. In quorum principio perhibet cor ſuum exultaſſe in domino, nõ in ſeipſa, aut propriis virtutibus, & cornu ſuum eſſe exaltatum in deo ſuo, nõ etiã in ſe. Nam exultatio in domino, laudem meretur. In ſeipſo verò, vituperiũ & damnationem. Qui gloriatur (inquit Paulus) in domino glorietur. Cornu autem eccleſiæ, eſt eius regnum & robur: quia aduerſa mũdi & deſideria carnis tranſcendit, ſicut cornu carnẽ excedit. Vnde Zacharias in ſuo cantico. Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui. 2 ¶ In ſecundo verſu. Dilatum eſt os meum: ſuper inimicos meos. Super Iudæos & gentes hoſtes eccleſiæ, eámque perſequentes: dilatatũ eſt os eccleſiæ, quia & in anguſtiis preſſurarum ſermo dei non eſt alligatus, nec in præconibus alliligatis, vt inquit Auguſtinus. Salutare verò dei in quo lętata eſt eccleſia, eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus ſaluator mũdi & à deo miſſus ad omniũ hominum ſalutem, de quo iuſtus Symeon. Quia viderũt oculi mei ſalutare tuũ, quod paraſti ante faciem omnium populorum. 3 ¶ In tertio verſu. Nõ eſt ſanctus, vt eſt dominus. Quanuis hęc verba, etiam de deo patre & ſpiritu ſancto habeant veritatem. tamen aptius accommodãtur ad filium dei, eccleſiæ ſponſum, authorem, & ſanctificatorem: Nõ eſt (inquit eccleſia) ſanctus quiſpiam vt eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui fons eſt ſanctitatis, & omnia ſanctificans. Neque eſt alius, extra te O Chriſte, immutabiliter ſubſiſtẽs vt tu. Nã creaturę ipſę ad te deũ cõparatæ, potius nõ eſſe q̃ eſſe dicendæ ſunt, ſicut vmbra ad comparationẽ corporis, non eſt, vel fumus ad cõparationẽ ignis. Poteſt & hoc ita accipi. Non eſt alius ſãctus extra te, O domine Ieſu Chriſte, ſiue præter te, quoniam tu ſolus ſanctus. Et nõ eſt aliquis fortis, ſicut deus noſter Ieſus Chriſtus, de quo propheta in pſalmo. Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio.

2.Cor.10 · *Luc.2* · *Luc.2* · *Pſal.23*

4 ¶ In quarto verſu. Nolite multiplicare loqui ſublimia. Hęc ad ſcribas & Phariſeos, gloriãtes de lege Moſaica

&

& eius carminis cæremoniis, dicit eccleſia quibus eos admonet. ne magnifica & alta verba multiplicent de ritu veteris legis, oblationib⁹ & ſacricificis: immo vetera carnalis obſeruantiæ verba amplius in ore eorum non ſonent ſed nouæ legis inſtituta ac ſacramenta proferentur ab ipſis quia deus Chriſtus, ſciẽtiarum ad æternam ſaluté pertinẽtium dominus eſt, quas in ſacris euangeliis latius expreſsit, Et ipſi domino noſtro præparantur cogitationes: id eſt, inoteſcunt & manifeſtantur, quoniam dominus nouit cogitationes hominum & ſecreta cordis,
6 ¶ In ſexto verſu. Arcus fortium ſuperatus eſt. Arcus fortium hic dicitur intentio Iudæorum, volentium conſtituere ſuam iuſtitiam, & iuſtitiæ dei nequaqam ſeſe ſubucientium. vel diſciplina philoſophorum & ſapientium huius ſeculi, qui de ſe præſumebant, & fidei ſimplicitatem deridebant. Hic autem arcus ſuperatus eſt per prædicationem euangelij exterminantem ritus Iudaicos & ſapientiam huius mondi, extollentem ſe contra ſynceritatem fidei. Infirmi auté dicuntur, qui nihil de ſuis viribus præſumẽtes, ſuæ imbellicitatis ſunt conſcij, & hi diuina virtute firmãtur, fiuúntque robuſti contra hoſtes. Infirmus quidem erat gentilis populus, quando à teſtamento dei fuit alienus, nunc auté præcinctus robore: cum indutus ſcuto fidei & galea ſalutis & gladio ſpiritus, poterit ignea tela diaboli extinguere *Epha. 6*
7 ¶ In ſeptimo verſu. Repleti prius, pro panibus ſe locauerunt Iudæi prius erant repleti cibo ſpirituali: ſcientia ſcilicet legis & prophetarum, ac diuinis eloquiis. Nunc autem iuſto dei iudicio excecati propter ſuam malitiam ſe locant pro panibus acquirendis. quoniam magnũ impendunt laborem ad aſſequendam ſcripturarum intelligé tiam, illámq; emendicant, ſed fruſtra, quoniam ipſam nó poſſunt conſequi. quemadmodum de illis dicit propheta in pſalmo. Ipſi diſpergentur ad manducandum, ſi verò non fuerint ſaturati, murmurabunt. Famelici verò hic intelliguntur gentiles, prius vacui alimonia ſpiritus, neque ſcientiam legis & ſcripturarum conſecuti. Poſtquam verò ſe iugo fidei ſubmiſerunt & Chriſto adhæſerunt, ſaturati ſunt bonis ſpiritualibus, & ſacris eloquiis abunde nutriti ac paſti. quemadmodum ſacratiſsima virgo cecinit in ſuo cãtico. Eſuriẽtes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes *Pſal. 58*

¶ In

Luca.1. 8 ¶ In octauo verſu..Donec ſterilis peperit plurimos. Tandiu(inquit)famelici gentiles paſti ſunt ſcientia dei: donec & quandiu ſterilis peperit plurimos. Sterilis primũ erat gentilitas:quoniam nullos deo filios genuit tempore veteris legis. Poſtea verò ſuſcepto fidei ſignaculo:peperit plurimos Chriſto filios per lauacrum regenerationis & baptiſmi,natos ex deo,renatoſque ex aqua & ſpiritu ſancto· Et ſynagoga quæ multos habebat filios atque fideles, patriarchas,prophetas:& ſanctos veteris teſtamẽti patres: derelicta à deo propter ſuam incredulitatem,nunc infirmata eſt & ſterilis effecta,nullos enim nunc deo filios gignit:ſed tantum carni. Nam carnali generatione progeniti eius filij:regenerationem ſpiritus per baptiſmum non ſuſcipiunt: Et hoc etiam innuit Eſaias propheta dicens. Lauda ſterilis quæ non paris : erumpe & clama quæ non parturis,quia multi filij deſertæ : magis quàm eius quæ habet virum. Nonnulli autem interpretes hunc locum ita tranſtulerunt,donec ſterilis peperit ſeptem, in quo numero,ſeptenario inquam(vt ait Auguſtinus) vniuerſa eccleſiæ eſt ſignificata perfectio. Propter quod & Ioãnes apoſtolus ad ſeptem ſcribit eccleſias:eo modo ſe oſtendens ad vnius plenitudinem ſcribere. Et in prouerbijs Salomonis hoc antea perfigurans ſapientia inquit. Aedificauit ſibi domum:& ſuffulſit columnas ſeptem.

Pſal.54.

Apo.1.

9 ¶ In nono verſu. Dominus mortificat & viuificat. Synagogam cum filijs ſuis dominus mortificat : æternáque damnat morte ob ſuam infidelitatem. Populum verò gentilem cum ſua prole credentem euangelio viuificat hic per gratiam,& demùm per gloriam . Similiter Iudæorum gentem incredulam deducit dominus ad inferos:per ęternam damnationem. Gentium verò populum prius per cultum idolorum inferorum locis aſcriptum :reducit per gratiam & fidelem ad vitam animæ & regnum dei ab inferis. Ita dominus ſynagogam pauperem facit per ſubtractionẽ gratię,& diuitiarũ ſpiritualium:eccleſiam verò ex gentibus ditat,& locupletat diuinis chariſmatibus. Idem etiam ſynagogam Iudæorum ſuperbia ſua reſiſtentem deo:humiliat traductione in captiuitatem & diſperſionem, gentilitatem verò ſubleuat in dignitatem filiationis & adoptionis. Quòd ſi quis velit hos duos verſus referre ad quempiam

Prouer.9

virum

virum particularem, vt Chriſtum aut alium quemuis iuſtũ cui etiam ea quæ oppoſita ſunt & nectuntur adiunuicem ſubinde conueniant: non erit inepta expoſitio, neque à pietate aut veritate aliena. 11 ¶ In vndecimo verſu. Suſcitat de puluere egenum. Quamuis de populo gentili hic verſus & ſequens poſſet conuenienter exponi: aptius tamen ſecundum Auguſtini ſententiam exponitur de Chriſto, quem deus de puluere mortis ſuſcitauit tam cito vt caro eius non viderit corruptionem, quando tertia die reuocauit ipſum è ſepulchro ad vitam immortalem. Eundẽque Chriſtum pauperem, dicentemque de ſeipſo. Ego autem egenus ſum & pauper: deus adiuua me, deus eleuauit in ſublimitatem gloriæ: de ſtercore, fæculenta ſcilicet & abiectiſſima immò infima ſorte & conditione: quam hominũ opinio illi attribuit. Qui enim malefactor & peſtilens ſeductor populi prius habebatur à vulgo: poſtea verus deus creditus eſt, deique filius. Illum autem pauperem ita deus eleuat: vt ſedeat in regno cæleſti cum principibus: apoſtolis ſcilicet qui à deo conſtituti ſunt principes ſuper omnẽ terram. Sedeat inquã ad iudicandũ orbẽ terrarũ: cui & apoſtoli aſſidebunt, ſecundũ promiſſionẽ eis factã à Chriſto. Et ſolium gloriæ teneat, obtineatque thronũ æternæ beatitudinis: cõſidens ad dexteram dei patris in cæleſtibus. Porrò huius verſus & multorum pręcedentium ſententia, cõtinetur ferè eiſdem verbis in pſal. 112. vbi ait propheta. Quis ſicut dominus deus noſter, qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cælo & in terra? Suſcitans à terra inopem & de ſtercore erigens pauperem. Vt collocet eum cũ principibus: cũ principibus populi ſui. Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem. Vnde non parua ſumitur coniectura totum hoc canticum eſſe propheticũ: & eodem ſpiritu atque ſenſu, quo prædictus pſalmus, eſſe prolatum. 13 ¶ In decimotertio verſu. Domini enim ſunt cardines terræ. Hic cardines terræ dicuntur quatuor plagæ mundi: oriens, occidẽs, meridies, ſeptẽtrio, ſuper quos orbis poſitus eſt: quoniam ſuper eos mundus hic ſenſibilis conſtitutus eſt, vt ianua ſuper cardines in quibus voluitur aut potius orbẽ: id eſt eccleſiã ſuã orbiculari dignitate perfectam, atque in totum orbem diffuſam: deus poſuit ſuper eos cardines prædictos. Nam ipſam eccleſiã deus dilatauit

Pſal. 69.

Pſal. 44.

Matt. 19

vſque

vſque in eoā occiduamque plagam: etiam in auſtralem & boream cæli partem, vt à ſolis ortu vſque ad occaſum: lau
Pſal. 112. dent nomen domini. Iſti autem cardines terræ: ſunt ipſius domini Ieſu Chriſti, nam & ipſos primum condidit: & confeſſioni ſui nominis ac fidei ſubiectos tenet, vt completum ſit illud quod propheta dicit in pſalmo de Chriſto. Et dominabitur à mari vſque ad mare: & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Myſticè autem, cardines terræ dicūtur prædicatores & paſtores: ſuper quos orbis, id eſt eccleſia eorum fide ſtabilita, reponitur ac conſiſtit.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit. Pedes ſanctorum Chriſti: ſunt opera apoſtolorū, prædicatorum, paſtorum & rectorum eccleſiæ ſanctæ: at-
Pſal. 91. que affectus eorum. Et huiuſmodi pedes ſanctorum ſuorū ſeruabit Chriſtus in rectitudine: vt ritè ſeipſos dirigant, & eccleſiam ſibi creditam in ſcientia & moribus. Impij autē, Iudæi ſcilicet & tyranni perſecutores eccleſiæ, in tenebris ignorantiæ ac infidelitatis conticeſcent: confuſi ac victi per ſapientiam & conſtantiam ſanctorum, & demùm in tenebris exterioribus inferorum vbi erit fletus ac ſtridor dētium etiam conticeſcent: ceſſabuntque ab inſolentia & oblocutione in eccleſiam Chriſti. Quòd autem obmuteſcant impij & ceſſent ab oblatratione in ſanctos: non proprijs ſanctorum viribus eſt aſcribendum ſed dei virtuti, qui pugnat & vincit in ſanctis ſuis, quia non in virtute propria robuſti ſunt viri: certantes contra impios: ſed in diuina fortitudine, ſuggerente illis vires.

15 ¶ In decimoquinto verſu. Dominum formidabunt aduerſarij eius. Aduerſarij Chriſti: ſunt Iudæi, reges, principes, tyranni, qui prædicatione apoſtolorum & præconum Chriſti ſæpius inducti ſunt in timorem dei: ob minas ignis æterni, damnationiſque perpetuæ illis prædicatas: vnde & multi eorum ſæpe conuerſi ſunt. Et ſuper ipſos impios in cælis id eſt apoſtolis detonuit dominus: quia ſonus & to-
Pſal. 96. nitruum legis euangelicæ intonuit ſuper omnes populos mundi, per prædicationem apoſtolorum: quare etiam ſuper Chriſti aduerſarios, vnde propheta in pſalmo. Vox tonitrui tui in rota. Alluxeruut coruſcationes tuæ orbi terræ: commota eſt & contremuit terra. Nomine autem cælorum, apoſtolos accipi: in ſcripturis & præſertim pſalmis frequen-

frequentiſſimum eſt. 16 ¶ In decimoſexto verſu: Domi
nus iudicabit fines terræ. Nō ſolum mediterraneas regio- *Matth. 25.*
nes, ſed & extremas terræ plagas iudicabit dominus in ex-
tremo iudicio: quando congregabuntur ad ipſum omnes
gentes à quatuor plagis terræ. Vel fines terræ intelligun-
tur extrema hominis opera, vt ait Auguſtinus, quia non
iudicabuntur quæ in melius vel deterius medio vitæ tem-
pore commutantur: ſed tantum extrema eius facta in qui-
bus fuerit inuentus. Et dominus dabit imperium ac domi-
nium cæleſtium, terreſtrium ac infernorum, regi ſuo Chri-
ſto, manifeſte in ipſo die iudicij, quia tunc regnū & princi
patus Chriſti omnibus erit manifeſtus & patens: quando
in nubibus cæli veniet ad iudicium cum poteſtate magna
& maieſtate. Tunc etiam dominus ſublimabit cornu Chri-
ſti ſui: quoniam Chriſti regnum (quod nomine cornu ſi-
gnatur, ob eius fortitudinem & ſoliditatem, ſtabit enim,
vt ait Daniel propheta: in æternum) ſublime monſtrabitur
in conſummatione ſeculi: quod nunc ab infidelibus de-
ſpicitur, quandoquidem tunc Chriſtus, cognoſcetur habe-
re regnum in cælo, in terra ac inferno: excelſum & glo-
rioſum.

¶ CANTICUM MOYSI ET FI-
liorum Iſrael.

1 *Cantemus domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare.*

2 *Fortitudo mea & laus mea dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.*

3 *Ille deus meus & glorificabo eum: deus patris mei & exaltabo eum.*

4 *Dominus quaſi uir pugnator: omnipotens nomen ei⁹ currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare.*

5 *Electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro: abyſſi operuerunt eos deſcenderunt in profundum quaſi lapis.*

6 *Dextera tua domine magnificata eſt in fortitudine,*

dextera

22 *Dominus regnabit in æternum: & ultra.*
23 *Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare: & reduxit ſuper eos dominus aquas maris.*
24 *Filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum: in medio eius.*

¶Hoc canticum in laudibus matutinis feriæ quintæ cantari ſolitum: deſcribitur Exodi decimoquinto capite continetque actionem gratiarum populi Iſraelitici de ſua liberatione à manibus Aegyptiorum: & de ipſorum hoſtium Pharaonis ſcilicet & equitum eius ſubmerſione. Complectitur etiam deinceps futuras victorias quas ille populus erat habiturus poſteà de Philiſteis & Moabitis & Chananeis, in ingreſſu terræ promiſſionis: prædicitque poſſeſſionem illius terrę & ædificationem templi futuram in ea terra. Et hic ſenſus ad literam: clarus eſt & lucid'. Verũ quia per liberationem Iſrael de Aegypto: ſignificata eſt myſticè liberatio generis humani à tyrãnide dæmonis: per Chriſtum poſtea exhibenda: Et per rubri maris aquas: virtus baptiſmi purgantis animam & abſtergentis peccata, immò demergntis totam dæmonum cohortem, vt populus fidelis per baptiſmum liberatus ſit: & deductus de captiuitate diaboli in libertatem gratiæ, quemadmodum populus Iſraeliticus per tranſitum maris rubri: ereptus eſt de ſeruitute Pharaonis. Ingreſſus autem terræ promiſſionis, & ſubiectio eiuſdem, & victoria habita de Chananeis & Philiſteis: præſignabat quòd apoſtoli erant ingreſſuri regiones gentium, populumque gentilẽ ſuperaturi gladio verbi dei: traducturique à cultu idolorum ad veram vni' dei religionem, eundémque ſubiecturi iugo fidei Chriſti. Aedificatio verò templi in terra promiſſionis, quę hic etiam pręnunciatur: ſignificabat eccleſiàm ſanctam demùm ædificandam & multiplicandam in populo gentili. Idcirco hunc ſenſum myſticum & ſpiritualem potiſſimum attendit ipſa eccleſia catholica: in huius cantici decantatione, in noua lege facta, & ipſum etiam pręſertim proſequemur in hac noſtra explanatione: quod nouæ legis myſteriis ſit admodum accommodus.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Glorioſe enim magnificatus eſt. Dominus noſter Ieſus Chriſtus magnificentiam ſuæ gloriæ & poteſtatis oſtendit: quando infernum ſpoliauit, & patres veteris teſtamenti inde eduxit, quod per ſpoliationem Aegypti & exitum Iſrael de Aegypto: ſignatum eſt. Tunc etiam declarauit ſuæ gloriæ magnitudinem: quando ſubmerſit dæmonem cum tota vitiorum caterua aquis baptiſmi, & populum etiam infidelem cui inſidebat & dominabatur princeps huius mundi, quod per Pharaonem & equos eius demerſos figurabatur. Infidelem autem populum demerſit Chriſtus: non aquis ſuffocando, ſed infidelitatem ab eis tollendo, quemadmodum Chriſtus ſpiritu labiorum ſuorum interfecturus impium dicitur: quoniam ab impietate illum conuertet ad pietaté, virtute & gratia ſuorum verborum. Vnde ſicut viri boni dicuntur equi manſueti: & aſcenſor eorum eſt Chriſtus, dirigens eos freno ſuæ diſciplinæ in viam ſalutis. Ita praui homines ſunt equi feroces: & aſcenſor eorum eſt diabolus præcipitans eos ſuæ malitiæ inſtimulatione in varia ſcelera, Itaque in aduentu ſuo Chriſtus omnem ſuperſtitionem gentilitatis in cultu idolorum, omnemque Iudaicam æmulationem in pertinaci ſuarum cæremoniarum obſeruatione ſubuertit: & cum principe eorum dæmone demerſit in profundum lacus inferni. Idcirco populus fidelis per Chriſtum liberatus fatetur quòd ipſe dominus eſt eius fortitudo contra hoſtiles impetus, & eius laudatio pro ſuſceptis beneficijs, denique eiuſdem ſalus atque ſaluatio: ad conſequendam vitam æternam. Et hic ſecundus verſus omnino idem eſt cum tertio verſu cantici feriæ ſecundæ: ſupra explicati.

Eſa.11.

3 ¶ In tertio verſu. Deus patris mei: & exaltabo eum, populus fidelis: hic fatetur dominum Ieſum Chriſtum eſſe deum patris ſui: id eſt patrum ſuorum Abraham Iſaac & Iacob, quorum per fidem & imitationem ipſe Chriſtianus populus eſt filius. Dicitur quaſi vir pugnator: quoniã in carne viſibilis apparuit dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. Neque id mirum, quòd ſit propugnator noſter, hoſtes viſibiles & inuiſibiles expugnans pro nobis, nã omnipotentis appellatio eſt illi iure congruens: eoque nomine, omnipotẽtis ſcilicet, rectè inſigniturи, eſt enim verè deus:

Pſal.23. *Apo.4.*

deus:cuius potentiæ nemo reſiſtere poteſt, cuius poteſtas nulla tenetur menſura. Vnde myſtica illa quatuor animalia:aſſidua laude deo concinunt. Sanctus,ſanctus,ſanctus: dominus deus omnipotẽs. Porrò currus Pharaonis hic dicuntur infideles & praui:in quibus fertur & equitat diabolus,& præcipites illos agit in vitia:quemadmodum ediuerſo boni ſimul ad virtutum opera mutuo conſenſu nexi ſunt currus dei,de quibus dicit propheta. Quadrigæ tuæ ſaluatio.Exercitus verò Pharaonis:ſunt prauorum hominum turba & cohors:ad fidelium perſecutionem deſęuiẽs. Et quoniam aduentu ſuo dominus omnem ſuperſtitionem idolorum ritusque nefandos,omnem etiam obſtinationẽ Iudæorum & tyrannorum violentiam deiecit in mare ignis inferni,& proſtrauit per apoſtolorum prædicationem: aptè hic dicitur currus Pharaonis & exercitum eius in mare proieciſſe. A*bach*.3

5 ¶In quinto verſu. Electi principes eius. Electi principes Pharaonis,ſunt principes ſacerdotum qui Chriſtũ crucifixerunt,& apoſtolos ſunt perſecuti,reges item & principes gentium:qui in ſanctos martyres ſunt debacchati,& quicunque alij tyranni eccleſiæ perſecutores. Qui omnes ſubmerſi ſunt in mari rubro & igneo inferni : abyſſiq; inferni operuerunt eos & deſcenderunt quaſi lapis in profundum lacus infernalis:eò depreſſi,graui pondere ſuorũ peccatorum. Quoniam enim cor habuerunt malitia obduratum inſtar ſilicis,& iniquitates eorum ſicut onus graue ſuper eos grauatæ fuerunt:aptè quaſi lapis in profundum deſcendiſſe dicuntur.

6 ¶In ſexto verſu. Dextera tua domine. Dextera dei patris eſt filius eius,dominus noſter Ieſus Chriſtus quia per ipſum facta ſunt omnia, ſicut & dextera manus hominis ad operandum valida eſt & efficax. Vnde propheta in pſalmo. Dextera domini fecit virtutem dextera domini exaltauit me:dextera domini fecit virtutem. Illa autem magnificata eſt in fortitudine:quia ſuam oſtendit fortitudinem in ſpoliationẽ inferni, proſtratione diaboli noſtri inimici, & in deiectione dæmonum aduerſariorum noſtrorum:per Pharaonem & Aegyptios ſignificatorum. Et quemadmodum in liberatione populi Iſrael,ira dei vindex malorum quæ perpetrauerunt Aegyptij : illos abſumpſit ſicut ignis P*ſal*.117.

ſtipulam. & in vehementia indignationis diuinæ contra malos: aquæ ſunt congregatæ ad vnam partem extremam & alteram, vt relinqueretur iter mediū filijs Iſrael ad tranſitum: & aqua ſuapte natura liquida, hinc atque hinc immota conſiſteret. Ita etiam deus miſit iram ſuam peccatorum punitoriam ſuper Iudæos & gentiles in malo obduratos: quæ deuorauit eos. Siquidem Titus cum Romanis militibus: Iudæos exterminauit, bella verò, peſtes ac ſubitæ mortes: ſuſtulerunt gētiles, eccleſiæ Chriſti perſecutores.

9 ¶ In nono verſu. Dixit inimicus, perſequar & comprehendam. Domeſtica ſibi temeritate & ſuperbia diabolus apud ſe cogitauit atque conſtituit: quòd totum genus humanum perſequeretur ac inuaderet, ſpolia toti⁹ mundi diuideret: in ſingulis eius partibus regnando per cultum idolorum, & ita ſuam expleret voluntatem. Et certè hoc modo: totius ferè mundi plagas ſibi occupauerat. Nam in Aegypto colebatur Serapis, in Libya: Ammon, in Græcia Pallas, in Italia Saturnus, & Romæ Mars. Sed ſpiritus prædicationis Chriſti, euangelicæque doctrinæ ventus apoſtolorum miniſterio emiſſus: flauit ſuper mare huius mundi, ſubmerſitque vniuerſa idola atque comminuit. Spiritus etiam diuinæ indignationis flauit ſuper Iudæos & gentiles impios: qui tanquam plumbum ob grauedinem & pondus peccatorum, ſubmerſi ſunt aquis infernalibus. Et ita manum ſuam extendit dominus: ad inferendam punitionem malorum, à qua cum ceſſat: videtur eius manus eſſe contracta. Haud aliter quàm ferire quempiam volens: extendit manum ſuam ad ictum incutiendum, at vbi percuſſionem non vult cuiquam inferre: manū habet cum brachio complicatam. Demùm cum dicitur terra deuoraſſe Aegyptios: nomine terræ intelligitur aqua, terræ in naturalibus affectionibus cognata, illi proxima, & vndique terra contenta. Cum verò impios dæmones & eorum ſectatores dicitur ipſa terta deuoraſſe: terræ nomine locus infernus intelligitur, in terræ meditullio (vt multorum eſt ſententia) collocatus.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Dux fuiſti in miſericordia tua. Per beneficia populo Iſraelitico poſt tranſitum maris rubri collata, quæ hic commemorantur: accipienda ſunt ſpiritualia munera quæ Chriſtus impendit populo fideli

poſt

poſt ſuam incarnationem & paſſionem. Tunc enim dux illi fuit per ſolã ſuã miſericordiam: vt educeretur à morte ad vitam perpetuam, ſicut & antiquos patres eduxit infernis locis, & introduxit in gloriam cæleſtem. Quod autem illis tunc præſtitit: hoc & toti (quantum ad gratiæ ſufficientiam) contulit humano generi: quod precioſo ſuo ſanguine redemit. Nam vinculis peccati & mortis exemptũ: trãſtulit in ipſum eccleſiæ ſanctæ gremium, & demùm in terram viuentium gloriámque cæleſtem. Vtrunque autem, & eccleſia ſancta & myſtica promiſſionis terra: ſanctum eſt domini habitaculum.

16 ¶ In decimoſexto verſu. Aſcenderunt populi & irati ſunt. Amalechitarum populi aſcenderunt contra Iſrael in deſerto ad prælium, & victi ſunt, vt decimum ſeptimum Exodi caput oſtendit. Philiſtei etiam ex ingreſſu filiorum Iſrael in terram promiſſionis: conterriti ſunt, ingentique dolore affecti. Tunc etiam conturbati ſunt principes Edó ſiue Idumeorum dum tranſiret populus Iſrael per terminos eorum vt viceſimum Numeri caput refert. Robuſti *Num. 20.* quoque Moabitarum vſque adeò tremore ſunt concuſſi cum viderent tentoria Iſraelitarum: vt vocauerint Balaam ariolum ad maledicendum illi populo. Demùm omnes ha *Num. 21.* bitatores Chanaan occupantes terram promiſſionis audito aduentu populi Iſrael in eam regionem: magno ſtupore ſunt correpti, vt liber Ioſue latius enarrat. Per omnes *Ioſu. 5.* autem iſtos populos aduerſarios filijs Iſrael: intelliguntur nationes gentium, & omnes reges terræ prius idolorum cultui dediti, qui audientes prædicationem apoſtolorum, videnteſque ſigna & miracula quæ faciebant: magno primùm timore fuerunt attoniti, & demùm iugo Chriſti ſubiecti per ſuſceptionem fidei.

18 ¶ In decimo octauo verſu. Irruat ſuper eos formido. Sicut ſuper populos prius enumeratos cecidit formido: cũ audirẽt magnitudinẽ diuinę virtutis pro filijs Iſrael pugnantis, fueruntq; immobiles quaſi lapis ſua duritie obrigeſcẽs, neq; natiuã habẽs mobilitatẽ, donec populus Iſrael trãſmiſſo Iordane tranſiuerit in terrã promiſſionis: quẽ ſanè populum ſibi peculiarem delegerat deus. Ita ſuper reges gentium, & principes terræ irruit grauiſſimus timor: audita apoſtolorum prædicatione viſiſque miraculis ni-

mioque metu perculſi obriguerunt inſtar lapidis: cum populus gentilis tranſiret de infidelitate ad fidem, & cultu idolorum ad veram Chriſti religionem. Hunc autem populum ex gentilitate conuerſum poſſedit Chriſtus: quia precioſo ſuo ſanguine redemptum ſibi vt proprium vendicauit.

20 ¶ In vigeſimo verſu. Introduces eos & plantabis. Populum Iſrael introduxit dominus in terram promiſſionis tanquam ſibi hæreditariam: quæ ſanè terra, excelſa eſt & montuoſa: cæteriſque regionibus finitimis eleuatior ac æditior: vbi conſtructum eſt in monte Syon templum: diuino opificio, & Salomonis miniſterio. Et illud fuit ſanctuarium domini, extructum ſpecialiter ad eius cultum: illiuſque manibus & virtute firmatum. Ita populum fidelem introduxit Chriſtus & ſtabiliuit in monte hæreditatis ſuæ: vtpote in hac eccleſia catholica per gratiam quę mons dei ſanctus dicitur in pſalmo, & infirmiſſimo habitaculo ſuo, ſcilicet templo huius eccleſiæ: fundato ſuper fundamentũ apoſtolorum & prophetarum. De quo canit eccleſiaſticum officium. Hæc eſt domus domini firmiter ædificata: bene fundata eſt ſupra firmam petram, ſcilicet Chriſtum. Et hoc ſpirituale habitaculum operatus eſt dominus: per ſuum in carnem aduentum, inſtitutionem ſacramentorum, & prædicationem apoſtolorum. Item etiam ſanctuarium eccleſię ſanctæ firmauerunt manus eius: hic per gratiam, & in futuro ſeculo per gloriam, quoniam eccleſia militans ad finem vſque mundi durabit: & triumphans nullo vnquam fine claudetur. Nempe de ea dicit propheta in pſalmo: quòd deus fundauit eam in æternum. Sunt etiam nonnulli graues authores, qui hoc in loco per ſanctuarium domini intelligunt ſacratiſſimam eius humanitatem: in qua vt templo ſancto ĩhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et illud ſanctuarium firmauerunt diuinæ manus non hominis: quia non humano opere formata eſt Chriſti humanitas, ſed ſpiritus ſancti virtute.

Pſal.47. *Eph.2.* *Pſal.47.* *Col.2.*

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Dominus regnabit in æternum: & vltra. Aeternum hic dicitur: totum tempus mundanæ durationis. Quippe id nomen interdum pro diuturno ſumitur durationis ſpacio: quamuis principum habeat aut finem, ſicut perpetuum, ſempiternum, & ſimilia id genus

nus vocabula in ſacris literis ſumũtur, & potiſſimũ in pẽtateuco: vbi ritus & cærimoniæ legales dicuntur eſſe legitimũ, æternũ, ſiue ſempiternũ ipſis, hoc eſt tandiu duraturũ, quãdiu ſtat⁹ illius legis perſtabit ac͞p durabit. Vltra æternũ verò hoc modo acceptum: eſt curriculum durationis cuius nullus habetur finis. Itaque dominus Chriſtus regnabit in æternum: quia per totum mundani procurſus ſpacium habebit regnum in cælo, & hic in ſancta eccleſia. Regnabit etiam vltra æternum: quoniam poſt ſeculi conſummationem regnum eius erit in cælo perpetuum vt enim (inquit) angelus ad ſacratiſſimam virginem: regni eius non erit finis. Demùm vt circulari quadam concinitate finis huius carminis iungatur principio, quantum ad ſententiæ conformitatem: duo poſtremi verſus eundem continent ſenſum & replicant, quem continebant verſus circa principium cantici huius poſiti, quare noua expoſitione non indigent. Exo.12. Gene.17. Luc.1.

¶CANTICVM ABACHVC prophetæ.

1 *Domine audiui auditionem tuam: & timui.*
2 *Domine opus tuum: in medio annorum uiuifica illud:*
3 *In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.*
4 *Deus ab auſtro ueniet: & ſanctus de monte Pharam.*
5 *Operuit cælos gloria eius: & laudis eius plena eſt terra.*
6 *Splendor eius ut lux erit: cornua in manibus eius.*
7 *Ibi abſcondita eſt fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors.*
8 *Egredietur diabolus ante pedes eius: ſtetit & menſus eſt terram:*
9 *Aſpexit & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi.*

10 *Incuruati ſunt colles mundi: ab itineribus æternitatis eius.*

11 *Pro iniquitate uidi tentoria Aethiopiæ: turbabuntur pelles terræ Madiã.*

12 *Nunquid in fluminibus iratus es domine: aut in fluminibus furor tuus, uel in mari indignatio tua?*

13 Qui aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſaluatio.

14 *Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum: iuramenta tribubus quæ locutus es.*

15 *Fluuios ſcindes terræ, uiderunt te & doluerunt montes: gurges aquarum tranſijt.*

16 *Dedit abyſſus uocem ſuam, altitudo manus ſuas leuauit.*

17 *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum ibunt: in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.*

18 *In fremitu conculcabis terram: & in furore obſtupefacies gentes.*

19 *Egreſſus eſt in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.*

20 Percuſsiſti caput de domo impij, denudaſti fundamẽtum eius uſque ad collum.

21 *Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius, uenientibus ut turbo ad diſpergendum me.*

22 Exultatio eorum, ſicut qui deuorat pauperem in abſcondito.

23 *Viam feciſti in mari equis tuis: in luto aquarum multarum.*

24 *Audiui & conturbatus eſt uenter meus: à uoce contremuerunt labia mea.*

25 *Ingrediatur putredo in oſsibus meis: & ſubter me ſcateat.*

Vt

26 *Vt requieſcam in die tribulationis: ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum.*
27 *Ficus enim non florebit: & nõ erit germẽ in uineis.*
28 *Mentietur opus oliuæ: & arua non afferent cibum.*
29 *Abſcidetur de ouili pecus: & non erit armentum in præſepibus.*
30 *Ego autem in domino gaudebo: & exultabo in deo Ieſu meo.*
31 *Deus dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quaſi ceruorum.*
32 *Et ſuper excelſa mea deducet me uictor: in pſalmis canentem.*

¶ Hoc canticum in laudibus matutinis feriæ ſextæ canitur, & in tertio prophetæ Abachuc capite deſcribitur: præ cæteris canticis intellectu difficile, ob varias metaphoras quibus reſpergitur, & ſublimia myſteria quæ complectitur. Sanè dicunt hebræi quatuor eſſe partes ſcripturæ ſacræ: reliquis ad intelligẽdum difficiliores, quarum lectionem aggredi non debent niſi prouecti ætate viri: & eruditione inſignes. Prima eſt: primum, ſecundum, & tertium caput libri geneſeos. Secunda: liber canticorum Salomonis. Tertia: liber Ezechielis prophetæ in primo capite: & à quadrageſimo capite vſque in finem illi⁹ libri. Quarta eſt illud cãticum Abachuc prophetæ: myſterijs noui teſtamenti arcaniſque ſacramentis refertiſſimum, quæ & ſi nõ pro rei dignitate: tamen pro noſtra tenuitate exilitatéque virium reſerare tentabimus, expoſcentes lectorem: rudi & planè expoſitione in re tam ardua & ſublimi velle abire contentum. In eo fidelis populus expetit ſaluatorem mundi in carnem mitti: qui omnium redemptionem ſuo aduentu compleat. Illius quæ facturus ſit opera admiranda prædicit: victoriam contra mortem & dæmonẽ per ſuã paſſionem, & euangelicæ prædicationis officio mundi totius ad deum conuerſionem, ac reliqua in procurſu expoſitionis particulatim explicanda. Vnde beatus Auguſtinus in decimioctaui libri de ciuitate dei capite triceſimo ſecundo: totum hoc cãticũ exponit de myſterijs humanę redẽptionis, *Auguſtinus*

per Chriſtũ cõpletis & exhibitis, à cui' intelligẽtia & mẽte, quàm minimũ poterim', in hac explanatiõe diſcedem'.
1 ❡ ANOTATIONES In primo verſu. Audiui auditionẽ tuam. Hic auditionẽ domini vocat propheta reſpõſionem illam ſiue locutionem internam, quam ſuperi' in ſecundo huius prophetæ capite reddidit illi dominus de aduentu ſaluatoris mundi in carnem, cum ait. Et aparebit in finem, & non mentietur. ſi moram fecerit expecta illum quia veniens veniet & non tardabit. Itaque dicit hic propheta, quòd audiuit ac intellexit reuelationem ſibi factã à domino, quod redemptor humani generis ſit tandem vẽturus in mundum. Et quoniam illud, altum eſt & ſublime myſterium quòd deus fiat homo mortalique corpore circundetur idcirco ſe timuiſſe dicit & tremore correptum, ob admirandam ſacramenti illius altitudinem & profunditatem. Hoc autem arcanum & ineffabile commertium ſuſceptionis carnis à filio dei, opus eſt domini ſingulare & præcipuum, quia eo ſolo authore: & nõ humana virtute, completum eſt. Quod ſane opus, in medio annorum, id eſt plenitudine temporis petit ipſe propheta viuificari & exhiberi ſecundum rei veritatem, vt viuum appareat humanis conſpectibus, ac obuium. At verò medium annorũ hic dicitur temporis aliquod ſpacium ac curriculũ, quod principio ac fini totius temporis eſt interſtes. ſecundum eam medij rationem, qua dicitur id medium, quod extremis intercipitur. Et quoniam Chrſtus venit in hunc mundum non in principio mundanæ durationis neque in eius fine, ſed intermedio tẽporis interuallo, vt pote poſt quinque milia annorum & ferè ducẽntos, & nunc poſt eius aduentum fluxerunt anni mille quingenti & viginti, conſtat vtique id verè completum eſſe quod mox ſubiungit propheta, ſcilicet quòd in medio annorum dominus opus ſuum dominicæ incarnationis notum faceret. Et poſquam iratus fuerit humano generi propter præuaricationem primorum parẽtum, demũm miſericordiæ recordaretur mittendo redemptorem, qui illius peccati tolleret opprobrium ac reatum. Porrò traductio ſeptuaginta interpretum, hunc locum ſic habet. Domine audiui auditum tuum & timui, conſideraui opera tua & expaui: inmedio duorum animalium cognoſceris. Et

Abach.2

ita canitur hic verſus, ſublata eius vltima dictione: in officio eccleſiaſtico natiuitatis dominicæ. Quam literam & textum Auguſtinus ita interpretatur. Domine audiui auditionem tuā & timui, conſideraui opera tua & expaui. Quid enim hoc eſt: niſi præcognitæ nouæ ac repētinæ ſalutis hominum ineffabilis admiratio? In medio duorū animalium cognoſceris, quid eſt, niſi aut in medio duorū teſtamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moyſi & Heliæ cum eo in monte ſermocinantiū? hæc Auguſtinus. At verò eiuſdem literę ſecundo loco adductę poſtrema ſententia, à nonnullis in hunc ſenſum exponitur, quòd Chriſtus eſſet cognoſcendus à Iudæis & gentibus hinc inde eum cingentibus, eiúſque fidem amplectentibus, vel inter duo teſtamenta nouum & vetus: vitalé ſenſum ſpirantia, & myſtica animalia, vel demū noſcēdus in Betthleem in medio duorum animalium, ſcilicet bouis & aſini: cum iaceret reclinatus in præſepio, quod aliqui ex primo cap. Eſaiæ aſtruere nituntur: vbi ait. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum: & aſinus præſepe domini ſui. Iſrael autem me non cognouit: & populus meus nō intellexit. Verùm illius dicti prophetici alia potius videtur eſſe intelligentia, illic exactius diſquirenda. *Auguſt.* *Eſa.1*

4 ℭ In quarto verſu. Deus ab auſtro veniet. Duplicē Chriſti natiuitatem ſecundum geminam eius intelligentiam hic verſus innuit. Diuinam quidem: cum ait. Deus & dominus noſter Ieſus Chriſtus, deus verus, & verus homo: ſecūdum diuinitatem & æternā generationem veniet ab auſtro & à meridie, id eſt ab æternitate patris, quæ tota ſemper eſt ſimul in meridie non habens mane nec veſpere, nec principium nec finem, ſed ſemper in meridiana diuinæ lucis ſtatione. Humanā verò natiuitatem inſinuat hic locus: cum ſubnectit quòd idem Chriſtus qui eſt ſanctus ſanctorum ac ſine macula, ſecundum humanam & tēporalem natiuitatem veniet de monte Pharam (quod interpretatur vmbroſum & cōdenſum, cuius rei id argumēto eſt. Nam in officio aduentus dominici hic verſus ita in vſum aſſumitur. Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de mōte vmbroſo & condenſo) id eſt de humana propagine ipſius Adam & cæterorum patrum, vmbroſa per peccati caliginem, & condēſa per malorum congeriem, ſine tamen

vmbra

vmbra & denſitate peccati. nam omniſanctus eſt & ſem-
per ſanctus, vt ait angelus ad ſacratiſsimam virginem.
Lucæ 1 Quod enim ex te naſcetur ſanctum: vocabitur filius dei.
Cæterùm beatus Auguſtinus vtranque præſentis verſus
particulam exponit (& multum congruenter) de cōditione natiuitatis Chriſti ſecundum carnem quòd vtrobique
futuri temporis verbum ponatur. Per id (inquit) quod ab
auſtro dicitur vel africo: ſignificatur meridies, id eſt feruor charitatis & ſplendor veritatis. Mōtem verò vmbroſum atque condenſum, quanuis multis modis poſsit intelligi: libentius acceperim ſcripturarum altitudinem diuinarum. quibus prophetatus eſt Chriſtus. Multa ibi quippe
vmbroſa atque condenſa ſunt: quæ mentem querentis exerceant. Inde autem venit; cum ibi eum qui intelligit inuenit. Hæc Auguſtinus in ſupradicto loco ſui libri de ciuitate dei: vbi hoc canticum ſtrictim & breuiter interpretatur. 5 ¶ In quinto verſu. Operuit cælos gloria eius. In
aduentu Chriſti: omnia repleta ſunt gloria. vnde angeli in
eius natiuitate dulcem hunc hymnum concinuerunt. Glo
Lucæ 2 ria in excelſis deo & in terra pax hominib⁹ bonæ voluntatis. Apparuit etiam in cælo noua ſtella, quæ magos per-
Matth. 2 duxit ad incunabula Chriſti. & è cælo deſcendit angelus
ætherea claritate refulgens, natiuitatis ipſius ad paſtores nuncius. Et deinceps in toto vitæ Chriſti decurſu,
multa in cælis glorioſa ſigna facta ſunt. Et ideo laudis
eius plena eſt terra. quoniam per euangelicæ legis
prædicationem ab apoſtolis factam, admirabile redditum
eſt nomen domini Ieſu in vniuerſa terra, & à ſolis ortu vſque ad occaſum, laudatum eſt eius nomen, vt nulla fuerit
natio quæ laudem domino non perſonuerit, noménque
eius non coluerit. Splendor etiam eius qui ſol eſt iuſtitię,
ſcilicet virtus ac fulgor miraculorũm ac doctrina euāgelica, fuit vt lux, monſtrans omnibus iter vitæ, & dēſas pec-
Pſal. 112 catorum effugās tenebras. Et cornua triumphi, inſigniſq; trophis in manibus eius. quoniam ipſe conclauat⁹ & affixus cornibus crucis, expugnauit ac proſtrauit diabolum:
præclarámque de eo tulit victoriam effuſione ſui ſanguinis & morte glorioſa quā in cruce pertulit, infernūq́ ſpoliauit, vt in manibus ei⁹ cruci cōfixis, liquido cōſpiciantur
cornua

cornua victoriæ, ſingularisque palmæ. 7 ¶ In ſeptimo
verſu. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius. In cornibus cru-
cis, & ipſa paſsionis hora, abſcondita fuit fortitudo domi- *Matth.27*
ni, quoniã ſuæ diuinitatis poteſtatem non exercuit in Iu-
dæos, quos ſolo nutu potuiſſet ſubuertere, cum pateretur
in cruce, ſed ſolã humanæ naturæ fragilitatem foris tunc
pdidit, mortis extrema perferens. Et ergo Iudæis occulta
ta fuit tũc virtus diuinitatis eius, inſultãtib' illi lingua vi
perea. Si filius dei eſt: deſcẽdat nũc de cruce, & credemus
in eũ. Eius tamen fortitudo: in abdito & ſecreto nõ deſiit
operari, ſuãque vim exercere in mortem & diabolũ, nam
tunc ante faciem eius mors victa fugit: quòd mortem no- *Oſeæ.13*
ſtram moriendo deſtruxit, quemadmodum per Oſeę pro- *Ioan.12*
phetã prædixerat. Ero mors tua ò mors: morſus tuus ero *Luc.11*
inferne. Egreſſus itẽ eſt diabolus & fugit ante pedes eius:
virtute paſsionis dominicæ proſtratus & conterritus. Nã
princeps mundi huius eiectus eſt foras: & fortem armatũ *Pſal.8*
cuſtodientem atrium ſuum fortior ſuperueniens deturba-
uit antiquo domicilio. Ipſe autẽ Chriſtus dominus quan-
do cum hominibus conuerſatus eſt: conſtitit in Iudæa, &
totam illam terram ſimul & Galilęam emenſus eſt ac per-
luſtrauit, prædicando euangelium regni & miracula ope-
rando. Deinde per apoſtolos ſuos miſſos ad opus prædica
tionis, etiam inuiſibili virtute conſtitit in mundo: & totam
terram permenſus eſt. Nam in omnem terram exiuit ſo-
nus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.

9 ¶ In nono verſu. Aſpexit & diſſoluit gẽtes. Chriſtus do- *Pſal.65*
minus oculo miſericordiæ ſuæ aſpexit gẽtes: vocãs eas &
ducẽs ad ſui agnitionẽ per apoſtolorũ prædicationẽ quẽ-
admodũ in pſalmo prędixerat propheta. Oculi eius ſuper
gẽtes reſpiciunt. Diſſoluit etiã gentes à vinculo diaboli &
idolatriæ, quo fuerãt arctius cõſtrictæ: conuertitq; eas in
libertatem euangelicæ gratiæ. Tunc montes ſeculi, reges,
principes, & imperatores in faſtigio ac ſublimitate domi-
natus cõſtituti: ſunt contriti, nã aut per martyrum cõſtan-
tiam indomabilem victi ſunt: aut ſidei iugo ſubmiſerunt
colla & ſubiecti ſunt. Colles item mundi ſcilicet philoſo-
phi & ſapiẽtes huius ſeculi: incuruati ſũt & humiliati ad
catholicæ fidei ſuſceptionẽ: ab itinerib' æternitatis Chri
ſti, ab ingreſſu eius q ętern' eſt ĩ corda eorũ & populorũ:
qui

qui miniſterio apoſtolorum conuerſi ſunt ad fidem:& aperuerunt iter Chriſto, vt ſpiritualiter introiret penetralia cordis eorum. Siquidem Conſtantinus imperator &
Act.1 multi alij principes: ſacræ fidei ſignacula ſuſceperũt. Bea-
Eſa. 40 tus etiam Dionyſius Areopagita philoſophus inſignis, & aliis præſtantes eruditione viri: Chriſtianam fidem ſunt amplexi, vt completum in eis videatur quod prædixerat Eſaias omnis mons & collis humiliabitur.

11 ¶ In vndecimo verſu. Præ iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ. Dæmones vitiis tetri: dicuntur Aethiopes & homines vitiis dediti potiſsimum ſuperſtitionibus gentilitiis, ſunt Aethiopiæ tentoria, iidem etiam ſunt pelles ſiue tabernacula Madianitarum, quoniam habitacula dæmoniorum. Huiuſmodi autem tentoria expauerũt & turbata ſunt: quoniam gentes in quibus habitabat Sathanas per nefandos idololatriæ ritus: audito præconio euãgelij Chriſti repente ſunt perterritæ, abiectóque prioris vitæ ſtatu additæ ſunt Chriſtiano populo & fidem Chriſti confeſſæ. In ſequente autem verſu nomine fluminum intelli-
Apoc.17 guntur diuerſarum nationum populi, ſecundum illud dictum in Apocalypſi, aquæ multæ, populi multi. Nomine verò maris accipiendus eſt vniuerſus totius mundi popu-
Ioan. 3 lus, quòd maris appellatione totus hic mundus frequenter inſinuatur. In fluminibus igitur nõ eſt iratus dominus, nec in mari eſt indignatio eius, quoniam nõ venit in ſuo primo aduentu Chriſtus vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.

13 ¶ In decimotertio verſu. Qui aſcẽdes ſuper equos tuos. Equi Chriſti ſunt Apoſtoli. in quibus ſedens totum obequitauit orbem. Quadrigæ verò ipſius ſunt euangeliſtæ: per quos vehitur in vniuerſum mundum. Itaque aſcẽdit Chriſtus ſuper equos ſuos, quia per apoſtolos in omnem locũ eſt delatus. Et quadrigæ eius ſaluatio ſunt, quia euangelium Chriſti ſalus eſt iis qui credunt illi. In ſequẽte verò verſu per arcum domini intelliguntur verba & eloquia ſacræ ſcripturæ: quæ percutiunt corda audientiũ, & infidelitatem in eis occidunt. Hunc arcũ ſuſcitauit Chriſtus, quando prædicationem euangelij in totum orbẽ trãſmiſit, ſecundum illud verbum pſalmi. Sagittæ tuæ acutæ
Pſal. 44 (populi ſub te cadent) in corda inimicorum regis. Suſcitauit

tauit etiam Chriſtus iuramenta tribubus quæ locutus eſt, quia compleuit iuramenta antiquis patribus promiſſa de mittendo redemptore totius mundi, quod & ſacratiſsima dei mater in ſuo cantico, & Zacharias identidem in ſuo: plane conteſtatur. *Luc.1*

15 ¶ In decimoquinto verſu. Fluuios ſcindes terræ. Fluuij terræ, reges & tyranni, fluctus perſecutionum excitantes contra eccleſiam Chriſti de quibus propheta in pſalmo Eleuauerũt flumina fluctus ſuos, à vocibus aquarum, mirabiles elatiões maris. Hos diſcidit dominus, quia perſecutorum rabiem repreſsit vimque retudit, diuidens atque diſpergens eos. Mõtes verò hic dicuntur potentes ſeculi, faſtu elati, qui viſo per apoſtolorũ prædicationẽ & ſigna Chriſto, doluerunt nomen & fidem eius vbique dilatari. Et gurges aquarum tranſiit: quoniam impetus & perſecutio illorum montium & fluuiorum demùm ceſſauit. Præterea abyſſus hic dicitur profunditas inferni, quæ dedit vocem ſuam, quoniam conteſtata eſt licet inuita virtutem & poteſtatem Chriſti: quam duriter ſenſit. Altitudo etiam ſanctorum angelorũ: leuauit manus ſuas in laudem ſui conditoris, quoniam & ab inferis & à cæleſtibus ipſe Chriſtus agnitus eſt eſſe triplicis machinæ princeps ac dominus. *Pſal.92*

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo. Sol, Chriſtus eſt, à propheta dictus ſol iuſtitię, luna, eccleſia, in nocte huius mundi viatores dirigẽs & à Chriſto lumen ac directionem ſuſcipiens. Ambo autẽ in ſuo habitaculo firmiter ſteterunt quia nec dimoueri ſuo loco potuerunt, nec peſſundari à perſecutoribus annitentibus in vtriuſque exitium, immò nec portæ inferi præualere potuerunt aduerſus eccleſiam. Apoſtoli verò & martyres iuerũt ſine offendiculo in luce ſagittarũ Chriſti verborúmque euangelicorum: quæ docuerunt & operæ compleuerunt. Iuerunt etiam primi illi eccleſiæ milites in ſplendore haſtæ Christi & fortitudinis euangelicę: fulgurantis & effundentis radios euangelicos in totũ orbẽ, quibus apoſtoli ipſi ſunt illuſtrati, gentiles verò & infideles conterriti, cum perſtringerentur eorum oculi claritate ſignorum & miraculorum. Cæterùm primam huius verſus particulam: ſeptuaginta interpretes ita tradu- *Malac.4* *Matth.16*

xerunt.

vt turbo ad diſpergendum quemque hominem: quoniam vehementi impetu adoriuntur eos, quos concuſsione tentationum nituntur ſubuertere. Illorum verò bellatorũ & dæmonum exultatio cum præualent alicui quem impugnant: eſt ſicut illorum latronum qui pauperis viri ſubſtantiam in abſcondito prædantur, & deinde vitam illi adimunt. Nam quemadmodum ſicarij illi gaudent capta prędą: cum ſpolia pauperis inter ſe diuidunt, ita dæmones ſiquis in eorum manus inciderit: gaudent de illius ruina & præcipitio, vel quando contra eccleſiam Chriſti poſſunt aliquem tribulationis motum excitare. Atqui ad ſtrenuè debellandũ hos improbos hoſtes, Chriſtus equis ſuis vtpote apoſtolis & prædicatoribus (quorũ miniſterio quaſi vehiculo per totum orbem eſt deuectus) fecit viam in mari huius mundi & in aquis lutoſis, quoniam id illis præſtitit: quòd per terram via pedeſtri, & per aquas transfretando maria & tranſmittendo flumina, ipſi totum mundũ libero tranſitu peragrauerint: vt omnibus gentibus annunciarent regnum dei. Quemadmodum in actis apoſtolicis de beato Paulo legimus, quòd maria & terras, inſulas & regiones varias: nunc terreſtri itinere nunc nauigio perrauerit. 24 ¶ In viceſimoquarto verſu. Audiui: & cõturbatus eſt vẽter meus. Loquẽte ad internas prophetę aures domino, intellexit ipſe imminẽtes eccleſiæ tribulationes, & quãta paſſuri erant equi ſpirituales ipſius Chriſti. Quorũ auditione, cõturbata eſt mẽs ac intima prophetæ præcordia: vẽtris appellatione ſignata, & huiuſmodi turbatione redundante in corpus ob vehementiũ affectus: labia ipſius etiã tremore ſunt affecta, vt ipſe mentis pauor, ore quoq; ſit ſignatus. Deinde à domino cõfortatus propheta, optat fieri particeps paſsionũ, & tribulationũ imminentium ſectatoribus Chriſti: vt tandem eorum annumeretur conſortio ac cœtui. Nõ ſolum (inquit) in carne ſed & in medullis oſſium meorum ingrediatur putredo, ac iacens in ſterquilinio vermibus ſcateam cum beato Iob: vt ſubter me ſternatur vermis, quo in die tribulationis ac dãnationis malorum (qui in conſummatione ſeculi imminebit terribilis ac calamitoſus iniuſtis) requieſcã cũ electis, ac iuſtis: aſcribárque ſocietati & numerum iuſtorum fideliſque populi, aſcendámque raptus obuiam Chriſto in

Act.16
Act.18
Iob.2

in aera ad populum noſtrum (qui & domini eſt populus: & ab eo ad beatitudinem electus) accinctum ac præparatum ad ambulandum in lege euãgelica, accinctum etiam ad pugnam contra diabolum & inimicos fidei. Ac ſi plane dicat. Paratus ſum omnia perferre tormenta ac ſupplicia pro veritate ac iuſtitia, dummodo tandem aſcendã ad ſortem ac ſtatum beatorum.

27 ¶ In viceſimoſeptimo verſu. Ficus enim non florebit. Per ficũ hic intelligitur gens Iudæorum, figurata per ficulneam in quã dominus noſter quæſiuit fructum & inuenit folia tantum, & ergo maledixit illi & ſtatim arefacta eſt. Quo ſignificatum eſt, ipſum dominum quæſiuiſſe fructum iuſtitię in populo Iudæorum, & quoniam nõ inuenit, maledicto illum perculiſſe & ſtatim exareſcentia eſſe percuſſum. Idcirco dicit hic propheta, quòd ficus illa myſtica non florebit. Idem etiam populus dicitur apud prophetas vinea vt in Eſaia. Vinea domini exercituũ domus Iſrael eſt, & viri Iuda germẽ eius delectabile. Et expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Et in Hieremia. Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verũ. Quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum, vinea aliena? Et quoniam in populo Iudæorum poſtquam reprobarunt Chriſtum, nullum fuit germẽ bonorum operũ, prædicit hic propheta quòd non erit germen in vineis. Dicitur tertio idem populus oliua in ſacris literis vt apud Hieremiam. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam: vocauit dominus nomen tuum. Et dominus exercituum qui plantauit te: locutus eſt ſuper te malum. Illius autem oliuæ fracti ſunt rami per ĩfidelitatem: & ex oleaſtro gentilitatis deſumpti rami noui, inſerti ſunt oliuæ: & participes facti pinguedinis illius, vt ſcribit apoſtolus ad Romanos. Quare opus oliuæ mentitum eſt domino, quoniam non protulit vberem fructum iuſtitiæ, ſed ſtirileſcẽs exaruit. Sic corda populi Iudæorum, ſpiritualia ſunt arua: aſsiduo excolenda exercitio, vt bonam afferant frugem. Sed poſtquam negauerunt Chriſtum: non attulerũt amplius fructum virtutis & bonitatis. Denique populus Iudęorum, pecus eſt & ouis vocata à bono paſtore ad ſuũ ouile. Verùm quia renuit audire vocem paſtoris ipſumq; ſequi abſciſum eſt & reſecatum illud pecus de ouili Chriſti,

Matth. 21

Eſa. 5

Hiere. 2

Hiere. 11

Rom. 11

ſti, quemadmodum dixit eis aperte. Sed vos non creditis: quia non eſtis ex ouibus meis. Poſtremum idem populus: armentum eſt & de grege domini : ſi primam eius conditionem & dei ordinationem ſpectas. Ioan.10 Sed quoniam pabulum doctrinę euangelicę & verborum domini ſumere recuſauit: non habuit amplius locum in præſepibus nouę legis & gratiæ, neque ex illis pabulum doctrinæ aut ſacramentorum ferculum ſuſcepit: ſed fame contabuit. Vnde trium iam dictorum verſuum ſententiam explicans Auguſtinus ſermone compendiario: in loco iam adducto ait. Vidit propheta eam gentem quæ Chriſtum fuerat occiſura, vbertatem copiarũ ſpiritualium perdituram: quas per terrenam fœcunditatem more prophetico figurauit. Ioan.12

30 ¶ In trigeſimo verſu. Ego autem in domino gaudebo. Hæc verba ſunt fidelis populi, qui poſt intellectam Iudæorum reprobationẽ & abſciſionẽ ab ouili Chriſti propter ſuam incredulitatem: ita exultabundus domino canit. Ego autem admiſſus ad ouile Chriſti & gratia eius ad hoc vocatus : gaudebo in domino, non in iis quæ huius ſunt mundi, & exultabo toto ſpiritu & animo in deo Ieſu meo: id eſt ſaluatore ac ſalutis authore. Quoniam dominus deus eſt fortitudo & virtus mea contra hoſtiles incurſus, & conſtitues pedes meos expeditos & agiles quaſi ceruorum ad currendum ſine offendiculo in lege euangelica, & ad aſcendendum in ſupernam Hieruſalem. Et ipſe dominus deus victor (quoniam primus in agone vicit: dixitque diſcipulis ſuis. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, quia ego vici mundum) deducet me gratia ſua: ſuper excelſa mea, faſtigia ſcilicet & tabercula cæleſtia mihi promiſſa: me inquam in pſalmis canentem : prædicantémque triumphum eius & victoriam in pſalmis æternæ gloriæ. Porrò nonnulli libri in triceſimo verſu ita habẽt. & exultabo in deo ſalutari meo: ſed minus aptè quàm noſtri codices: nomen Ieſu apertè exprimentes. Quod his verbis confirmat Auguſtinus in fine prædicti capitis. Melius autem mihi videntur quidam codices habere. Gaudebo in deo Ieſu meo, quàm ij, qui volentes id latinè ponere: nomen ipſum non poſuerunt, quod eſt nobis amicitius & dulcius nominare.

ee CAN-

1 CANTICVM MOYSI.

AVdite cæli quæ loquor audiat terra, uerba oris mei.
2 Concreſcat in pluuiam doctrina mea: fluat ut ros eloquium meum.
3 Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina: quia nomen domini inuocabo.
Date magnificentiam deo noſtro: dei pfecta ſunt opera, & omnes uiæ eius iudicia.
5 Deus fidelis & abſque ulla iniquitate: iuſtus & rectus.
6 Peccauerunt ei: & non filij eius: in ſordibus.
7 Generatio praua atque peruerſa: hæccine reddis domino, popule ſtulte & inſipiens?
8 Nunquid nō ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te: & fecit & creauit te?
9 Memēto dierū ātiquorū: cogita generatiōes ſingulas.
10 Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.
11 Quando diuidebat altiſsimus gentes: quando ſeparabat filios Adam.
12 Conſtituit terminos populorum: iuxta numerum filiorum Iſrael.
13 Pars autem domini: populus eius, Iacob: funiculus hæreditatis eius.
14 Inuenit eum in terra deſerta: in loco horroris & uaſtæ ſolitudinis.
15 Circunduxit eum & docuit: & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui.
16 Sicut aquila prouocans ad uolandum pullos ſuos, & ſuper eos uolitans, expandit alas ſuas & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.
17 Domin' ſol', dux ei' fuit, et nō erat cū eo de' alien'.
18 Conſtituit eum ſuper excelſam terram, ut comederet fructus agrorum.

19 *Vt ſuggeret mel de petra, oleūq; de ſaxo duriſsimo.*
20 *Butyrum de armēto, & lac de ouibus, cum adipe agnorum & arietum filiorum Baſan.*
21 *Et hircos cum medulla tritici, & ſanguinem uuæ biberent meraciſſimum.*
22 *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus.*
23 *Dereliquit deum factorem ſuum: & receſſit à deo ſalutari ſuo.*
24 *Prouocauerunt eum in diis alienis: & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.*
25 *Imolauerūt dæmoniis et nō deo: diis quos ignorabāt.*
26 *Noui recētesq; uenerūt: quos nō coluerūt patres eorū*
27 *Deum qui te genuit dereliquiſti: & oblitus es domini creatoris tui.*
28 *Vidit dominus & iracundiam concitatus eſt: quia prouocauerunt eum filij ſui & filiæ.*
29 *Et ait abſcondam faciem meam ab eis: & conſiderabo nouiſſima eorum.*
30 *Generatio enim peruerſa eſt: & infideles filij.*
31 *Ipſi me prouocauerunt in eo qui non erat deus: & irritauerunt in uanitatibus ſuis.*
32 *Et ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos.*
33 *Ignis ſuccēſus eſt in furore meo: & ardebit uſque ad inferni nouiſsima.*
34 *Deuorabitq; terram cum germine ſuo, & montiū fundamenta comburet.*
35 *Cōgregabo ſuper eos mala, et ſagittas meas cōplebo (in eis.*
36 *Conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo:*
37 *Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram atque ſerpentium.*

38 *Foris uaſtabit eos gladius & intus pauor, iuuenem*
ſimul ac uirginem, lactantem cum homine ſene.
39 *Et dixi, ubinam ſunt? ceſſare faciam ex hominibus*
memoriam eorum.
40 *Sed propter iram inimicorum diſtuli: ne forte ſu-*
perbirent hoſtes eorum, & dicerent.
41 *Manus noſtra excelſa, & nō domin⁹: fecit hæc oīa.*
42 *Gens abſque conſilio & ſine prudentia: utinam ſa-*
perent & intelligerent ac nouiſsima prouiderēt.
43 *Quomodo perſequebatur unus mille: & duo fuga-*
rent decem millia?
44 *Nonne ideo, quia deus ſuus uendidit eos: & domi-*
nus conclusit illos?
45 *Non enim eſt deus noſter ut dij eorum, & inimici*
noſtri ſunt iudices.
46 *De uinea Sodomorum, uinea eorum, & de ſubúr-*
banis Gomorræ.
47 *Vua eorum uua fellis, & botrus amariſsimus.*
48 *Fel draconum, uinum eorum, & uenenum aſpidum*
inſanabile.
49 *Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in the*
ſauris meis?
50 *Mea eſt ultio, & ego tribuam in tēpore, ut labatur*
pes eorum.
51 *Iuxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtināt tēpora.*
52 *Iudicabit dominus populum ſuum: & in ſeruis ſuis*
miſerebitur.
53 *Videbit quòd infirmata ſit manus, & clauſi quoque*
defecerunt: reſiduiq; conſumpti ſunt.
54 *Et dicēt, ubi ſunt dij eorū: in quib⁹ habebāt fiduciā?*
55 *De quorum uictimis comedebant adipes: & bibebāt*
uinum libaminum.
56 *Surgant & opitulentur uobis, & in neceſsitate uos*
protegant. *Videte*

57 *Videte quòd ego ſum ſolus: & nõ ſit alius deus præter me.*

58 *Ego occidam & ego uiuere faciã,percutiã & ego ſanabo: & non eſt qui de manu mea poßit eruere.*

59 *Leuabo ad cælum manum meam,& dicam: uiuo ego in æternum.*

60 *Si acuero ut fulgur gladium meum: & arripuerit iudicium manus mea.*

61 *Reddam ultionem hoſtibus meis: & iis qui oderunt me retribuam.*

62 *Inebriabo ſagittas meas ſanguine: & gladius meus deuorabit carnes.*

63 De *cruore occiſorum: & de captiuitate nudati inimicorum capitis.*

64 *Laudate gentes populum eius: quia ſanguinem ſeruorum ſuorum ulciſcetur.*

65 *Et uindictam retribuet in hoſtes eorum: & propitius erit terræ populi ſui.*

Hoc canticũ laudibus matutinis diei ſabbati aſsignatũ: Deuteronomij triceſimo ſecundo cap. deſcribitur. Et à Moyſe compoſitũ eſt, præcepto domini in præcedente capite expreſſo: vbi ait. Nunc itaque ſcribite vobis canticũ iſtud, & docete filios Iſrael: vt memoriter teneant & ore decantent, & ſit mihi carmẽ iſtud pro teſtimonio inter filios Iſrael. Et paulò pòſt. Poſtquã autem inuenerint eum mala multa & afflictiones: reſpondebit ei canticum iſtud pro teſtimonio, quod nulla delebit obliuio ex ore ſeminis tui. Deinde ſubiungit eodẽ loco. Scripſit ergo Moyſes cãticum: & docuit filios Iſrael. In eo commemorantur plurima & maxima beneficia populo Iſraelitico collata à domino: in ſpeciali illius electione, per deſertum, & introductione in terram promiſsionis vberem & fructiferã. Deinceps ingratitudo eiuſdẽ populi declaratur & grauiter increpatur: quòd derelicto ſuo authore deo pariter & gubernatore, ad idolorum cultum declinauerint: & illis hoſtias immolauerint: poſtquã terrã ſibi repromiſſam poſſederunt. *Deut.31*

derunt. Demùm grauis punitio pro illis ſceleribus prænunciatur inferenda: per manus hoſtiles Chaldæorum & Romanorum. Neque omnino comminatorius eſt hic ſermo, ſed vere propheticus: denuncians ea ventura, quæ lõgo tempore poſt mortem Moyſi contigerunt, ſpiritu ſancto illuſtrante eius animũ notione earum rerum: quæ in proſpectu nó erãt, ſed longo poſt tẽpore fuerãt euenturæ.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Auditæ cæli quæ loquor. In præcedente capite dixerat Moyſes.

Deut.31 Cõgregatæ ad me omnes maiores natu per trib⁹ veſtras, atque doctores: & loquar audientibus eis ſermones iſtos, & inuocabo cõtra eos cælum & terram. Ab hac igitur inuocatione ſiue teſtificatione, exorditur Moyſes ſuum canticum, obteſtãs cœlum & terram, atque in teſtimoniũ vocans. Per cælos autem: angelicæ ſubſtantiæ quæ in cælis ſunt, accipiuntur, & per terram: homines terræ habitatores, vt angelica pariter & humana creatura (cum ſit vtraque, & ſola inter res cõditas, rationalis) citetur hic & accerſatur in teſtimoniũ. Simili modo & Eſaias ſuum incœpit propheticum ſermonem, dicens. Audite cæli, & aurib⁹ percipe terra: quoniam dominus locutus eſt. In ſequente autem verſu: pluuiæ & rori conferuntur eloquia Moyſi, quia ſicut illa terram aridam fœcundant: & herbis dant incrementum. ita ſalutaria prophetæ monita exareſcentes hominum mentes irrigant rore doctrinæ: & ad proferendum bonorum operum fructum reddunt aptiores, ac ad producenda virtutum germina magis idoneas.

Eſaie.1

4 In quarto verſu. Date magnificentiã deo noſtro. Deũ magnificat: qui corde ore & opere maieſtatem eius prædicat. Perfecta ſunt dei opera: quoniam ipſe perfectus eſt, à quo nihil niſi in ſuo genere perfectum prodire poteſt. Omnes viæ eius, iudicia: quoniam omnia mandata domini iuſta ſunt, vt ait propheta in pſalmo. Iudicia domini vera: iuſtificata in ſemetipſa. Et alio in loco. Vniuerſæ viæ domini: miſericordia & veritas. Fidelis eſt deus: quia promiſſa fideliter implet, ſiue bona ea fuerint: ſiue minæ malorũ. Abſq; vlla iniquitate etiã eſt deus: quoniã ſumma eſt æquitas. Rectus (inquit ꝓpheta) dominus deus noſter: & non eſt iniquitas in eo. Demùm iuſtus & rectus eſt dominus: quoniã reddit vnicuiq; iuxta opera ſua, boniſq; bona

Pſal.18

Pſal.91

retri-

retribuit & malis mala.& vt quiſque meritus eſt:illi mercedem cōſtituit. Semel(ait diuinus pſaltes)locutus eſt de⁹ duo hæc audiui:quia poteſtas dei eſt,& tibi domine miſericordia,quia tu reddis vnicuique iuxta opera ſua. 6 *Pſal.61*

¶ In ſexto verſu.peccauerūt ei,& non filij eius, in ſordibus.Id poſtremum dati verſus,referendum eſt ad verbum in principio eiuſdē poſitum. Filij enim Iſrael deo peccauerunt in ſordibus,id eſt idolis quę ſordes & abominationes in ſcriptura dicuntur.aut in ſordibus,in peccatis.nihil etenim ſordidum ſuapte natura niſi peccatum,nam cętera naturaliter bona ſunt & pulchra . Qui autem peccauerūt deo,non ſunt filij eius per gratiam & adoptionem, quia à deo patre ſuo degenerauerunt & malignum ſecuti ſunt *Ioann.8* ꝓpter quod ipſis à domino dicitur. Vos ex patre diabolo eſtis,& deſideria patris veſtri vultis implere. Sanè omnes *Ioann.1* homines,filij ſunt dei per creationē &originem,nō tamen per imitationem & aſsimilationem , ſed illi tantum de quibus dicit euāgeliſta. Dedit eis poteſtatem filios dei fieri:iis qui credunt in nomine eius. 8 ¶ In octauo verſu. Qui poſſedit te: & fecit,& creauit te . Præpoſterus ordo hic nominando ſeruatur . Prius enim fecit & creauit deus populum Iſrael : formando cuiuſque corpus animámque inſpirando ad imaginem & ſimilitudinem ſuam . Deinde eundem poſſedit , quoniam per fidem expulſis erroribus vendicauit ſibi & populum peculiarem delegit . Idcirco illius populi deus eſt pater,tam creatione quàm gubernatione atque adminiſtratione . Vt autem poſterior illa paternitatis ratio habeatur exploratior, admonet propheta in memoriam reuocandos eſſe dies antiquos, quibus elegit deus patres hebræorum in populum ſibi hæreditariū & proprium . Cogitandas etiam eſſe ſingulas generationes vetuſtorum patrum,Abraham, Iſaac,& Iacob, cæterorúmque patriarcharum , ex quibus ipſe populus eſt ꝓgenitus.Monet item interogandos eſſe patres illius populi,id eſt preceptores,magiſtros,& legis doctores, qui facile annuntiabunt opera dei quæ pro gente Iudæorum fecit.Demùm & à maioribus ætate ſiue anteceſſorib⁹ hortatur perquirēdam huiuſce rei veritatem: quoniam in antiquis eſt ſapientia & in multo tempore prudentia. 11 *Iob 12*

¶ In vndecimo verſu.Quando diuidebat altiſsim⁹ gētes.

A tribus filij Noe poſt diluuium exorti populi:per Eſaiã, Aphricam,& Europã diuiſi ſunt in ſeptuaginta nationes. Et cum ante ædificationem turris Babel omnes regiones
Gene.10 eſſent vnius linguæ & idiomatis:poſt confuſioné lingua-
Gene.11 rum à domino inductã,diuiſi ſunt in ſeptuaginta linguas. At Geneſeos quadrageſimũ ſextum caput meminit quòd omnes animæ liberorum Iacob quæ ingreſſæ ſunt Aegyptum cum patre ſuo : fuerunt ſeptuaginta Conſtat itaque
Gene.46 quòd in diuiſione filiorum Noe & confuſione linguarũ, dominus tot conſtituit ſingulas gentes: quot ſingulæ perſonæ populi Iſrael ingreſſæ ſunt Aegyptum. Alia autem æditio hoc loco habet. Statuit terminos gentium : iuxta numerum angelorũ dei. Vbi inſinuat ſcriptura: ſuper ſingulas gentes, cuſtodiam & miniſteria angelorum à deo eſſe ordinata,& quemadmodum angeli prouinciarum prę-ſides,certo ſũt numero vt ſeptuagenario determinati : ita & gentes terræ ac regiones,eodem ſunt numero à deo cõſtitutæ. Præter hanc tamen angelorum præſidentiam ac præſulatũ,populus Iſraeliticus à deo peculiariter eſt electus,tanquam poſſeſsio hæreditatis eius ac ſors : quẽ ſua cognitione ſignis & miraculis præcipuè glorificabit.

14 ℂ In decimoquarto verſu. Inuenit eum in via deſerta. Populum Iſrael inuenit primum dominus in terra Aegypti deſerta à vero dei cultu : & in loco horroris ob ſuperſtitiones diuerſóſq; ritus idolatriæ, deinde eundem inuenit in deſerto Arabiæ poſt tranſitum maris rubri: qui locus erat vaſtæ ſolitudinis, ſine domibus & agrorum fructibus: quemadmodum dominus per Hieremiam increpitans ingratitudinem Iudæorum: ait. Et non dixerunt:vbi eſt dominus qui aſcendere nos fecit de terra Aegypti: qui traduxit nos per deſertum,per terrã inhabitabilem &
Hiere.2 inuiam, per terram ſitis & imaginem mortis, per terram in qua non ambulauit vir neque habitauit homo. Illic tamen in monte Sina dominus pactum cum illo populo iniit: dans illi legem ac præcepta, manna de cælo contulit, aquam de petra produxit, conturnices miniſtrauit, &
Exod.20 in eadem eremo per quadraginta annos eundem circun-
Num.1 ducẽdo,cærimonias & mãdata ſua edocuit. 16 ℂ In decimoſexto verſu. Sicut aquila prouocãs ad volãdũ. Aquila plumeſcẽtes ſuos pullos alis verberat: vt ad volãdum eos prouocet,

prouocet, quinimmò & ſup volitat eos vt ſuo ſtudio excitet ad volatum, & laſſos alis ſuſtentat. Ita ad terram Chanaam poſsidendam dominus populum Iſraeliticum prouocauit frequenti monitione, & adiuuit multorum beneficiorum collatione ſuſtentauitque protectionis ſuæ virtute. Neque ad id præſtandum, aut dij Aegyptiorum aut idola gentium, illi fuerunt cooperatores aut adiutores. Demùm induxit illum populum dominus in terrã repromiſsionis pertranſito Iordane, quam vocat hic propheta excelſam: quoniam montuoſa erat ac æditior. terra verò Aegypti ac deſerti Arabiæ, plana fuit ac depreſsior. 19

¶ In decimonono verſu. Vt ſugeret mel de petra. In terra Chananeorum, apes reponunt mel atque conficiunt in cauernis petrarum ac rupium. Oliuæ etiam ibi conſitæ dicũtur in locis ſaxoſis ac lapidoſis. Ibidem larga eſt armẽtorum & pecorũ copia, ex quibus lacticinia parantur. Vnde Baſã regio (cuius Og tenebat principatũ) multũ erat pecoribus abūdãs propter paſcua. Idcirco Rubẽtis & Gaditis ac dimidiæ tribui Manaſſe tradita fuiſſe legitur à Moyſe in poſſeſsionem, quia pecora multa habebant. In eadem quoque terra Chanaam, magna erat abundantia frumenti & vini. quod cum purum fuerit & merum ſine aquę permixtione, meraciſsimum vocare ſolemus. His autem omnibus tam dictis deſcriptionibus, fertilitatem illius terræ explicat propheta omniúmque rerum in ea affluentiã vt rectè fuerit ſæpius nominata terra lacte & melle manans. Cui reſpondet & illud pſalmi verbum. Et cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra, melle ſaturauit eos. *Num. 32*

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit. In præcedente Deuteronomij capite legitur dominus dixiſſe Moyſi. Introducam populum hunc in terram pro qua iuraui patribus eius: lacte & melle manãtem. Cúmque comederint, & ſaturati craſsique fuerint, cõuertentur ad deos alienos & ſeruient eis, detrahéntque mihi & irritum facient pactum meum. Id Moyſes futurũ præuidens, hic enunciat vt præteritum, ob certitudinem rei venturæ. Sanè in terra illa opulenta conſiſtens popul⁹ Iſraeliticus: propter largam rerum omnium exuberantiã incraſſatus eſt delitiis, impinguatus diuitiis, dilatatus honorib⁹, & recalcitrauit contra dominum rebellans. Nam dere- *Eſaia 8* *Deut. 31* *Pſal. 95*

derelicto eius cultu declinauerunt ad idola adoranda, libaruntque ſacra dæmoniis (nam omnes dij gentium: dæmonia) & non deo. Thura etiam incenderunt diis: quos ignorabant qui & quales eſſent. Quippe putantes illos habere aliquid diuini numinis: ignorabant ipſos eſſe peſſima dæmonia. Inſuper noui & recentes dij venerunt, ac introducti ſunt à populo Iſrael: vt colerentur ab eo, quos patres eorum antiqui Abraham, Iſaac, & Iacob, Moyſes, & Ioſue non coluerunt: immò prohibuerunt eorum cultum. Hanc autem nouorum deorum introductionem & multi-

Hiere.2. plicationem: innuit Hieremias dicens. Secundum nume-

Hiere.11. rum quippe ciuitatum tuarum: erant dij tui Iuda, & ſecundum numerum viarum tuarum, Hieruſalem, poſuiſti aras confuſionis: aras ad libandum Baalim.

21 ¶ In viceſimo octauo verſu. Vidit dominus & ad iracundiam. Quos in filios & filias elegerat dominus, & in populum peculiarem ac primogenitum: ſæpius idolorum ſpurcitiis ipſum ad iracundiam concitarunt. Nempe tem-

Iudicum 4. pore iudicum Iſraeliticorum ſæpe traditus fuit ille popu-

Iudicum 6. lus domini in manus regum alienigenarũ finitimorúmve

3. *Reg.* 12. populorum, à quibus grauiter opprimebatur: potiſſimum

4. *Reg.* 17. ob nefarium idolorum cultum quibus ſacra faciebant.

4. *Reg.* 25. Propter idem ſcelus à Salomone perpetratum: regnum filij eius diſciſſum eſt in duas partes. Cumque in regno Iſrael reges omnes & populus perſeuerarent in cultu vitulorum aureorum Hieroboam: à Salmanaſar rege Aſſyriorum traducti ſunt in terram alienam: nec vnquam redierunt in natale ſolum. Regnum quoque Iuda ob idem crimen demùm exciſum eſt à Caldæis: & populus in Babylona adductus. Ideò per prophetam hic denunciat dominus ſe propoſuiſſe atque conſtituiſſe, quòd abſcondet faciem ſuam ab ipſis filijs Iſrael: ſubtrahendo ipſis auxilium & adiutorium, quodque nouiſſima eorũ opera, obſtinationem ſcilicet in ſordibus idolorum & impœnitentiam, in quibus vitam ſuam finient: conſiderabit, vt puniat eos ob ſuam peruerſitatem & infidelitatem.

31 ¶ In triceſimoprimo verſu. Ipſi me prouocauerunt. Secundum diuinæ iuſtitiæ rectitudinem: modo delicti reſpõdere ſolet modus ſupplicij & pœnę. Quia igitur filij Iſrael contempſerunt deum in idolis ſuis & diis alienis, quorum

rum nullus vere eſt deus:ideò prædicit hic quòd ipſos Puniet per eam gentem quæ verè non eſt populus dei,ſed omnino à deo alienus,vtpote gentem Babylonicam. Aut ſimpliciter id intelligi poteſt,quòd affliget ipſos dominus per eam nationem quę non eſt populus:quoniam nihil habet humanitatis & commiſerationis in afflictos,ſed crudeliter in eos deſęuiens:ferinos potius aut beluinos pręfert mores ac ritus. Et hunc ſenſum confirmare videtur quod proxime ſequitur,ſcilicet quòd in gente ſtulta,inhumana ac immani irritabit eos:permittendo quòd debacchentur ſine vllo modo ac ratione in ipſos. Quòd & completum eſt:cum euaſtata ciuitate Hieruſalem, templum quoque exuſtum eſt.

33 ¶ In triceſimotertio verſu. Ignis accenſus eſt in furore meo. Per ignem: ira & indignatio domini ſuccenſa ad inferendam vltionem pro peccatis populi Iuda rectè intelligitur, quę in pręſenti quidem vita inchoata eſt:& vſque in ęternū puniendo durabit apud inferos, in iis qui nō egerunt pœnitentiam in temporali ſua afflictione. Et ignis ille, reprobos Iudęos terrena amantes cum ſuis operibus deuorabit,& vanam ſuperborum Iudęorum fiduciam ac ſpem ęternis flammis abſumet. Poteſt etiam hic verſus intelligi de igne materiali:qui deo permittente immiſſus eſt à Caldęis ciuitati Hieruſalem,& foſſas inferiores templi ac domorum in quibus iacta ſunt fundamenta abſumpſit, deuorauitque totam terram Iudęę cum arboribus, vineis & ſegetibus:prędiáque & poſſeſſiones quę erant in radicibus montium tanquam eorum fundamenta, conſumpſit in obſidione Hieruſalem ac deſtructione. Deinde prædicit etiam dominus:quòd ſuper ipſos Iudæos congeret in vindictam ſcelerum ipſorum multa mala vt prælia, ſeditiones, famem, peſtem, & cætera, id genus flagella:& iram indignationis ac vltionis acutæ (vt etiam animam penetret & vitam auferat) complebit in eis, per varia tormenta. Per ſagittas ſiquidem domini:graues plagæ quas hominibus immittit, hic rectè accipiuntur, quoniam vt tela ex improuiſo feriunt & enecant hominem: ſic flagella à deo inflicta ſternunt percuſſos.

36 ¶ In triceſimoſexto verſu. Et deuorabūt eos aues morſu amariſſimo. Hęc ad literā de auib⁹ & beſtiis irrationalib⁹

intelligi

intelligi poſſunt:quas ſe immiſſurum prædicit dominus in exterminium gentis Iudæorum, ſicut in deſerto immiſit ignitos ſerpentes:quorum morſibus multi extincti ſunt & alij grauiter ſauciati. Aut nomine illorum animalium intelliguntur Caldæi :veloces admodũ auium, irrationales tanquam beſtiæ, crudeles ac immanes more ſerpentum ac draconum, vtriuſque ſuæ nequitiæ ac ſeuitiæ effundentes in Iudæos. Qui ſanè Caldæi occulto dei iudicio excitati ſunt in euerſionem Iudeæ:& interitum tam vrbis quàm populi ſine vlla commiſeratione. Et cum obſidione cincta fuit ciuitas Hieruſalem à Nabugodonoſor rege Babyloniorum:populum Iuda intra miſeræ vrbis mœnia concluſum ab exteriori parte vaſtauit hoſtilis gladius, machinæ ac tormenta bellica:in vrbe verò & pręcordijs intimis:pauor continuus & timor expugnationis & excidij immò extremi exitij omnes perculit, nulla aut ſexus aut ętatis habita ratione aut diſcrimine. Quæ omnia, in prima deſtructione Hieroſolymitana per Caldæos facta:ex quarto libro Regum & ſecundo Paralipomenon leguntur eſſe cópleta.

39 ¶ In triceſimonono verſu. Et dixi, vbi nam ſunt? Propter apoſtaſiam à deo per cultum idolorum: meriti fuerãt Iudæi omnino exterminari nullo ſuperſtite, vt nulla ipſorum amplius apud homines ſupereſſet memoria. Ideo ſe propoſuiſſe hic deus conteſtatur, quòd ſecundum merita & qualitatem iniquitatis ipſorum Iudæorum, penitus extirparentur & euellerentur è mundo: vt nemo eorum reſiduus eſſet inter homines. Diſtulit tamen deus hanc omnimodam illius populi exterminationem : ne exinde hoſtes eorum Caldæi erigerentur in ſuperbiã, & ſuæ virtuti aſcriberent victoriam de populo Iudæorum eiusque excisionẽ iactitantes & populum illum & illorum deum ab ipſis eſſe victum: templum exuſtum, vaſa templi aſportata, cum hęc omnia ab hoſtibus facta ſunt authore deo:& tali vaſtatione puniente per Caldæos peccata ſui populi. Siquidem deus Caldæis vt ſuo flagello & inſtrumẽto vſus eſt :ad populi Iuda punitionem.

42 ¶ In quadrageſimoſecundo verſu. Ac nouiſſima prouiderent. Viri prudentis eſt, animo futura metiri:& attentè proſpicere quem exitum res (de qua agenda conſultat) ſit habitura. Hanc autem prudentiæ rationem & cautionẽ

impreca-

imprecatur illis propheta:optare ſe dicens quòd Iudæi no uiſſima aut tormenta aut præmia prouiderent, quæ pro ſuis operibus ſunt recepturi: Nempe illa nouiſſimorum cõſideratio abſterreret ipſos ſæpius à malo perpetrando, quemadmodum dicit Eccleſiaſticus. Memorare nouiſſima tua:& in æternum non peccabis. Deinde oſtendit propheta, populi Iudaici deſtructionem non ex hoſtium virtute profectam eſſe: ſed dei nutu ac voluntate, qui ſuum populum deſeruit & deſtituit præſidio ſuo in punitionem peccati ipſius. Quòd vnus (inquit) hoſtium perſequebatur mille Iudæos, & duo Caldæi fugauerint decem milia Iudęorum: ea tantũ cauſa factum eſt, quia dominus deus dereliquit eos ac tradidit Iudæos in manus hoſtium, eoſdémque conclusit in manibus inimicorum propter ſcelera populi ſui. Eccl.7.

45 ¶ In quadrageſimoquinto verſu. Non enim eſt deus noſter vt dij eorum. Dij gentium: vani ſunt, falſi, & mendaces. Deus autem noſter: iuſtus, rectus, & verax. Pręterea dij gentium vltionem exercere non poſſunt in ſuos contẽptores: niſi quantum deus noſter permittit, & ergo victi plærunque leguntur ac impotentes. Vnde eſt id poetæ.
Ilium in Italiam portans victoſque penates. Deus autem noſter omnipotens, quando vult exercet vindictam in malos: etiam per malos homines tanquam ſuæ iuſtitiæ executores, neque à quopiam prohiberi poteſt. Et quoniam ab hoſte ſumptum, firmum eſſe ſolet teſtimonium: ipſi inimici noſtri ſunt iudices ac teſtes potentiæ ac virtutis dei noſtri. Vt Pharao dicens. Fugiamus Iſraelem: dominus enim pugnat pro eis. Et Nabugodonoſor conteſtans: quòd non Exod.14
eſt alius deus ſuper terram niſi deus Hebræorum. Demùm Dan.3.
Cyrus relaxans captiuitatem Babylonicam: ingenuè etiam 1.Eſdra.1.
profitetur dei noſtri inuictam virtutem ac immenſam maieſtatem. Et multi alij hoſtes diuinæ legis: idem confeſſi ſunt.

46 ¶ In quadrageſimoſexto verſu. De vinea Sodomorũ vinea eorum. Iudæorum vinea tempore aduentus Chriſti in carnem: proferre debuit opera fidei & iuſtitiæ, ſed produxit labruſcas, odium ſcilicet & inuidiam in Chriſtum ipſis miſſum, ideò fuiſſe dicitur de vinea Sodomorum & Gomorræ. Vua itidem ipſorum debuit continere ſuauitatem obedientiæ & venerationis in Chriſtum: ſed illius loco cõ-

tinuit

tinuit in ſe ac emiſit fel mendacij, falſi teſtimonij, & blaſphemiæ contra ipſum, idcirco hic dicitur vua fellis & botrus amariſſimus. Demùm vinum eorũ habere debuit dulcedinem bonorum operum: ac receptionis nouæ legis per Chriſtum inductæ. Verùm illius loco habuit venenum homicidij & crucifixionis Chriſti, perſecutionem nominis eius ac obſtinationem in malo etiam ad hæc vſque tempora. Rectè igitur vinum eorum, fel eſt draconum, & venenum aſpidum inſanabile. Virus autem aſpidis, inſanabile hic dicit propheta: alludens ad rei ipſius proprietatem. Aſpis enim ſerpens eſt exiguus mole corporis, nocendi tamen virtute magnus, exitialis & pernicioſus: quandoquidem veneno ſuo viuentia quęque repente occidit, & quecunque percutit protinus enecat, niſi præſens remediũ adhibeatur. Author autem eſt Plinius: venenum aſpidis aceto epoto repelli, & aſpide percuſſum ſi acetum concite biberit: nihil ſenſurum nocuméti tabiferique veneni. Quoniam igitur ſuapte natura curari non poteſt ictus aſpidis, aut vix vnquam curatur rectè venenum eius hic inſanabile dicitur.

49 ❡ In quadrageſimonono verſu. Nonne hæc condita ſunt apud me. Pręudicitur hic punitio ſupradicti peccati Iudæorum, ſcilicet negationis Chriſti: quæ facta eſt per Titum in deſtructione ſecundi templi. Dicit itaque dominus hic per prophetam: quòd hæc ſcelera apud ipſum alta mente iacent repoſita & condita in theſauro diuinæ memoriæ, vt ſuo tempore acerbè puniantur. Ad ipſum enim pertinet vltio tantorum ſcelerum: quam retribuet eis tandem, differet tamé aliquantulum illationem illius punitionis: expectans eos ad pœnitentiam, & ex illa prorogatione labetur pes eorum in grauiora ſcelera, ac demùm completa malitiæ eorum menſura infligetur vltio. Siquidé quadraginta duos annos expectauit dominus conuerſionem Iudæorum: poſt ſuam paſſionem, ſed quoniam ſemper in deteriꝰ ſunt prolapſi: tandem per Romanos locum illum & genté ſuſtulit. Et quia modicum erat id temporis ſpacium, quo differebatur punitio Iudæorum: dicit hic dominus per prophetam quòd iuxtà eſt dies perditionis Iudæorum per Romanos: & adeſſe feſtinant tempora. Quicquid enim finitur: breuiſſimum eſt & exiguũ, ſi æternitati comparatur.

❡ In

52 ¶In quinquageſimoſecundo verſu. Iudicabit dominus populum ſuum. Qui de populo dei erant & ſceleribus inquinati ipſum offenderant: duro iudicio ſunt ab eo percuſſi. Serui verò dei & immunes ſcelerum: miſericordiam eius ſenſerunt & benignitatem. Nam in vtroque ciuitatis excidio præſeruati ſunt diuina gratia: vt non occiderentur, & hoſtiles manus euaderent. De malis verò & peruerſis Iudæis id compertum eſt in vtraque obſidione: quòd infirmata fuit manus ſuorum militum & bellatorum: quòd ipſi obſidione clauſi defecerunt fame, peſte, & gladio, quodque reſidui qui mortem euaſerunt: in captiuitatem & diuerſas nationes ſunt diſperſi. Tunc hoſtes exciſam videntes ciuitatem, & Iudæorum populum eis ſuccubuiſſe: cum acerba ironia improperabant ipſis fiduciam in diis vanis & falſis repoſitam, amare inſultantes quòd non potuerint illis eſſe præſidio. Porrò id locum habuit poti⁹: in prima ciuitatis Hieruſalem euerſione. Nam in ſecunda Iudęi nequaquam leguntur idolis ſacra libaſſe: ſed ob occiſum ab ipſis crudeliter Chriſtum tam grauia perpeſſi ſunt mala, quanta ipſis leguntur inflicta. Simile quiddam apud Hieremiam legitur cum ait dominus de Iudæis. Verterunt ad me tergum & non faciem: & in tempore afflictionis ſuæ dicent, ſurge & libera nos. Vbi ſunt dij tui: quos feciſti tibi? Surgent & liberent te: in tempore afflictionis tuæ. *Hiere.* 2

57 ¶In quinquageſimo ſeptimo verſu. Videte quòd ego ſum ſolus. Hic ſolus dicitur deus, ad excludendum deorũ pluralitatem: non diuinarum perſonarum trinitatem. Nã pater, & filius, & ſpiritusſanctus: ſunt vnus deus, vt deitatis ſolitudo & vnitas nullo pacto præiudicet ſuperbeatarũ hypoſtaſeon triadi atque ternario. Et hanc intelligentiam ſequens ſententia ſatis aperit & approbat. Se deinde dominum vitæ & mortis eſſe proteſtatur: & tantæ poteſtatis, quòd eam nullus poſſit effugere. Cum verò ſubiũgit leuabo ad cęlum manum meam: humano more loquitur. Apud homines enim, iuramentum præſtituri: manum leuare ſolent & attollere in altum. Quòd in altera æditione clarius explicatur: quæ ita habet. Tollam in cælum manum meam, & iurabo per dexteram meam: & dicam. Viuo ego in æternum. Quo iuramento ſe vitam eſſe perennem, principij finiſque expertem deus clarè profitetur.

Et

Et ita ſentétiam ſuam contra populum Iudæorum, immobile, ſtabilem, & firmam eſſe ſubinſinuat: quam ſequentibus quoquo verſibus comprobat.

60 ¶ In ſexageſimo verſu. Si exacuero vt fulgur gladiū meum. Fulgur repentinum eſt & ineuitabile iis. in quos vibratur, ita dei iudicium in Iudæos: & ſubito futurum hic denunciatur, & ab ipſis deuitari non poſſe. Quando (inquit) gladium meæ ſeueritatis diſtrinxero in Iudæos & celeriter & inopinatò: & iudicium punitionis exercuero in totum Iudæorum populum per Romanos exterminandū, ſecundum ſententiam apud me decretam, tunc reddam vindictam ſcelerū ſuorum Iudæis hoſtibus meis: qui me ſunt hoſtiliter perſecuti, & illis ipſis qui oderunt me, negantes coram Pilato Chriſtum ad ſalutem ipſis miſſum: retribuā vltionem immittendo exercitum Romanorum in fines eorum qui omnia exterminent. Inebriabo etiam tunc ſagittas meas (quæ ex improuiſo & repente feriunt incautos) ipſos ſcilicet Romanos à me ad excidium Iudæorum excitatos: ſanguine Iudæorum, & gladius meus vtpote virtus Romanorum, qua vt gladio in Iudæos vtar: deuorabit carnes inimicorum meorum. Et ita ſatiabitur gladius me⁹: partim cruore occiſorum, partim captiuitate inimicorum, nudata capita habentium, quod poſtremum adiecit propheta. Nam apud antiquos captiuorum capita radebātur: qui diſtrahebantur, & ſub corona vendi dicebantur. Alij cenſent hunc fuiſſe morem antiquorum: quòd captiui ducebantur nudatis capitibus ad grauiorem ipſorum ignominiam, & clariorem victoriæ declarationem. Et hæc omnia: in excidio Iudæorum per Romanos completa ſunt. Nam tunc partim occiſi ſunt Iudæi: partim verò in captiuitatem ducti & diuenditi.

Leui. 19.

64 ¶ In ſexageſimoquarto verſu. Laudate gentes populum eius. Hoc in loco prædicit Moyſes conuerſionem populi gentilis ad Chriſtum & eius eccleſiam, quæ facta eſt poſt reprobationem ſynagogæ propter ſuam incredulitatem. Et exhortatur gentes ipſas: vt audito euangelij præconio laudent populum domini, ſcilicet Chriſtianum, cui⁹ profeſſioni & fidei ſeſe ocyus adiungant ſocias. Et hic ſenſus apertior eſt in tranſlatione ſeptuaginta interpretum: quæ ſic habet, lætamini gentes: cum plebe eius. Et hoc pa-

ſto adducitur à beato Paulo in epiſtola ad Romanos: vbi multis ſcripturarum teſtimoniis aſtruit prænunciatam eſſe gentium ad fidem Chriſti conuerſionem. Cauſa autē quare gentes laudare debeant populum domini: ſubnectitur. quia dominus ſanguinem ſeruorum ſuorum, vtriuſq; ſcilicet Iacobi, & Stephani ac aliorum martyrum à Iudæis occiſorum, vlciſcetur. Retribuet etiam vindictam in hoſtes, reges, principes, & tyrannos: qui debacchati in martyres Chriſti: eorum ſanguinem crudeliter effuderunt. Et demū propitius erit terræ populi, eccleſiæ ſcilicet catholicæ toto orbe diffuſæ. Quod totum olim completum eſſe: iam perſpectum eſt. Nam exterminatis Iudæis Chriſti perſecutoribus, & ſublatis morte violenta tyrannis gentilibus ſanctos martyres perſequentibus: eccleſia dei reſpirare cœpit ad placidam quietem, & à perſecutionibus libera: pace tranquilla efflorere.

CANTICVM ZACHARIAE.

1 *Benedictus dominus deus Iſrael: quia uiſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.*

2 *Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo Dauid pueri ſui.*

3 *Sicut locutus eſt per os ſanctorum (qui à ſeculo ſunt) prophetarum eius.*

4 *Salutem ex inimicis noſtris: & de manu omniū qui oderunt nos.*

5 *Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.*

6 *Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe nobis.*

7 *Vt ſine timore (de manu inimicorum noſtrum liberati) ſeruiamus illi.*

8 *In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo: omnibus diebus noſtris.*

9 *Et tu puer, ꝓpheta altiſſimi uocaberis: præibis enim ante faciem domini, parare uias eius.*

10 *Ad dādā ſciētiā ſalutis plebi eius: in remiſſionē peccatorum eorum.*

11 *Per uiſcera miſericordiæ dei noſtri in quibus uiſitauit nos oriens ex alto.*

12 *Illuminare iis qui in tenebris & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in uiam pacis.*

¶Hoc zachariæ patris beati Ioannis Baptiſtæ eſt canticum: quod ſpiritu ſancto repletus, & reſeratam in circunciſione filij ſui linguam adeptus, quam ante conceptum eius incredulitas ligarat: deo in gratiarum actionem concinuit vt oſtendit Lucas primo euangelij ſui capite: ex quo loco, exactior huius cantici inibi integrè poſiti declaratio: eſt expetenda. In eo Zacharias deo gratias agit imprimis de præſenti exhibitione myſterij incarnationis filij dei: & miſſione eius in mundum ad ſaluandum genus humanum quam multo antè deus antiquis patribus & patriarchis promiſerat: & vt fidelis eſt & verax, eam promiſſionem tunc adimpleuit. Deinde ad puerum natum verba dirigẽs, dignitatem eius propheticam prænunciat: & præcurſionis officium, quo eſſet ſuo tempore functurus, ſimulque præclara per totum hoc canticum enumerat ſingulariaque beneficia: quæ nos homines ex aduentu domini in carnem ſumus aſſecuti.

1 ¶ANNOTAIONES. In primo verſu. Benedictus dominus deus Iſrael. Intelligatur hoc loco verbum ſubſtantiuum ſit: vt perfecta habeatur ſententia. Deus autem *Iſrael* dicitur: vel populi Iſrael ſecundum carnem, qui peculiariter ab eo electus eſt: ſecundum illud pſalmi, quoniam Iacob elegit ſibi dominus: Iſrael in poſſeſſionem ſibi, & ſe veniſſe conteſtatus eſt Chriſtus ad oues quæ perierunt domus Iſrael, vel populi Iſrael ſecundum ſpiritum: id eſt fidelis & deum per ſyncæræ fidei lumen videntis, nam & illius propriè dominus eſt: & ipſe credentes in ſe viſitauit benigna ſui in carnem manifeſtatione atque apparitione. Eſt autem hic nomen Iſrael: indeclinabile & genitiui caſ. Verbum verò viſitauit, quia actiuum eſt & ad ſententiæ perfectionem expoſcit accuſatiuum, intelligatur ordinari cum accuſatiuo repetito ipſum Iſrael, vel cum accuſatiuo ex ſequentibus ſumpto: plebem ſuam, quemadmodum in euangelio turba viſis domini miraculis in hanc erupit diui

Pſal.134. *Mat.15.*

næ bonitatis laudem. Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia dominus viſitauit plebem ſuam. Viſitauit autem tanquam medicus ægrotos: & diuturno confectos morbo ad ſanitatem reduxit. *Luca.7.*

2 ¶ In ſecundo verſu. Cornu ſalutis nobis. Cornu ſalutis eſt Ieſus Chriſtus: cui⁹ virtute, fortitudine, & efficacia per cornu ſignificata (nam in cornigeris animalibus cornua in munimentum ſunt, & tutamen ac robur indicant) ſalus humani generis eſt facta, & in aliis quoque ſcripturæ locis: hic loquendi mos obſeruatus conſpicitur, vt in pſalmo. Illuc producam cornu Dauid, id eſt Chriſtum dominum. Et alio in loco. Confeſſio eius ſuper cælum & terram: & exaltauit cornu populi ſui, id eſt Chriſtum: qui eſt fortitudo & virtus populi ſui. Rurſum in Eſaia vinea facta eſt dilecto meo in cornu, filio olei, id eſt in Ieſu Chriſto: vt exponit Origenes. Subiungitur autem in hoc verſu. In domo Dauid pueri ſui, quoniam de ſtirpe Dauid ſecundum carnem natus eſt Chriſtus: ex diuina pollicitatione prius illi facta. Iurauit (inquit) dominus Dauid veritatem & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Vocat autem hic ipſum Dauid puerum domini: quoniam ſecundum cor domini electus eſt in regem, & in viis mandatorum eius ad finem vſque vitæ ambulauit. *Pſal. 131.* *Pſal. 148.* *Eſa. 5.* *Pſal. 131.* *1. Reg. 16.*

3 ¶ In tertio verſu. Sicut locutus per os ſanctorum. Locutus eſſe dominus per prophetas dicitur: quoniam præcipuus eſt author propheticę locutionis: mouens corda prophetarum & illis tanquam organis vtens, perinde atque mens humana vt primaria cauſa: dirigit linguam ad loquendum. Et conſimilis ferè ſententia in actis habetur apoſtolicis: vbi Petrus ad populū dicit de Chriſto. Quem oportet quidem cælum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium: quæ locutus eſt deus per os ſanctorū ſuorum à ſeculo prophetarum. Quòd ſi quis obiiciat, omnes quidem prophetæ à Samuele & deinceps locuti ſunt de aduentu CHRISTI: quinimmò ante Samuelem, & Moyſes, & Iacob. Verum non videntur ante Iacob aliqui locuti fuiſſe prophetæ de Chriſto. Quomodo ergo hic dicitur deus eſſe locutus per os ſanctorum prophetarum, qui ſunt à ſeculo (id eſt mundi exordio cum quo incœpit ſeculum tēporale) de iſta viſitatione redemptionēque *Actu. 3.*

que humani generis? Reſpondet huic obiectioni Beda: quòd tota veteris teſtamenti ſcriptura prophetice de Chriſto ꝓroceſſit, nam & ipſe pater Adam & ab eius tempore cæteri patrum: ſuis quiq́ue factis diſpenſationi eius teſtimonium reddiderunt.

4 ¶ In quarto verſu. Salutem ex inimicis noſtris. Accuſatiuus ſalutem: cum verbo erexit ſecundi verſus (quod hic repeti intelligatur) ordinandus eſt, vt ſenſus ſit: quòd dominus erexit nobis ſalutem, ſiue ſaluationem & liberationem ab inimicis noſtris, & videatur hic verſus: ipſius ſecundi eſſe quodam modo explanatorius. Non autem de corporalibus inimicis hic ſermo fieri putandus eſt, ſed de ſpiritualibus: de quorum manu atque poteſtate, benignitate domini ſaluati ſumus.

5 ¶ In quinto verſu. Ad faciendam miſericordiam cū patribus noſtris. Hic redditur cauſa, quare viſitauit plebem ſuam deus, & redemit eam: erexitq́ue cornu ſalutis, mittendo Chriſtum ſuum, Id enim fecit (inquit) deus: vt faceret miſericordiam cum patribus noſtris Abraham, ſcilicet Iſaac & Iacob. Quibus ſanè mittendo filium ſuum in mundum, miſericordiam fecit: quia ex ſola bonitate ſua & non ex eorum meritis, pium eorum deſiderium de aduentu Chriſti & ſpem diutius dilatam impleuit. Porrò in ſecunda huius verſus parte, infinitiuus pro gerūdio poſitus eſt: more ſcripturæ, eo loquendi genere ſæpe vtentis, quod hic ſatis indicat coniunctio copulatiua: annectens gerundium infinitiuo. Itaque memorari, ibidem tantundem valere intelligatur: atque ad memorandum, ſiue vt memoraretur atque recordaretur teſtamenti ſui ſancti. Illius ſcilicet ſanctæ conſtitutionis: atque ordinationis ſuæ qua ſanctis illis tribus præſertim patribus promiſerat: quod in ſemine eorum ſcilicet Chriſto benedicerentur oēs gētes, omnes itē trib⁹ & cognationes terrę.

Gen. 12. & 26. & 28.

6 ¶ In ſexto verſu. Iuſiurandum quod iurauit. Accuſatiuus ille iuſiurandū: cum verbo memorari, ex præcedēte verſu repetēdo nectendus eſt. Nā id verbū: & genitiuo adiungi poteſt & accuſatiuo. Et eſt hic verſus præcedentis declaratori⁹: quo dictum eſt quòd erexit nobis dominus cornu ſalutis ad memorandū teſtamenti ſui ſancti: vtpote ad memorādū opereq́; cōplendū iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrē noſtrū:

Iudæorum

Iudæorum quidem patrem ſecundum carnem, fidelium autem omnium & credẽtium patrem ſecundum fidem & ſpiritũ, ſicut dictũ eſt ei à domino: quia patrẽ multarũ gentiũ conſtitui te. Iuſiurandũ aũt illud (cuius hic meminit) id eſt promiſſio firma & haud dubiè complenda: Gene. 22. cap. exprimitur. Vbi & inter cætera ipſi Abrahæ facta eſt promiſſio: quòd in ſemine eius omnes gentes terræ eſſent benedicendæ. Hoc autẽ in nullo deſcendente ab Abraham locum habuit & veritatem: quàm in ſolo Chriſto, de quo idẽ præconiũ in pſalmo deinde dictũ eſt. Et benedicentur (inquit) in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum. Quare eo iuramento planè promiſit deus Abrahæ: quòd Chriſtus ſecundum carnem eſſet ex ipſo naſciturus. Atqui Chriſtus, eſt verus deus & dei patris vnigenit⁹: ſicut & verus homo. Eodem igitur iuramento, quo gentes omnes aſſeruit in ſemine Abrahæ benedicendas: promiſit etiam deus Abrahæ quòd ſeipſum nobis daret, & corporali veſtitum forma præſentem exhiberet, quod & fecit. Gene. 22. Pſal. 71.

9 ¶ In nono verſ. Et tu puer, propheta altiſſimi vocaberis. Non id mirum videri debet, quòd Zacharias alloquitur infantem octo dierum, quia qui in vtero matris ſalutationem Mariæ audiuit: iam natus patris vocem agnouit, & vt inquit Ambroſius: habebat intelligendi ſenſum, qui exultandi habebat affectum. Vel propter inſtruendos illos qui aderant: futura filij munera quæ per angelum didicerat depromit. Quòd autem propheta dictus ſit Ioannes: ex teſtimonio domini in euangelio dilucidum eſt, quòd itẽ præceſſerit faciem domini ob parandum vias eius: etiam ex euangelica narratione & oraculis Eſaiæ & Malachiæ prophetarum in euangelio adductis, eſt perſpicuum.

10 ¶ In decimo verſu. Ad dandam ſcientiã ſalutis. Hoc loco, quare præcurſor domini præceſſurus erat faciem eius, oſtendit Zacharias: idque faciendum dicit, vt daret ſcientiam ſalutis plebi eius. Sanè ſalus etiam totius mundi: eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus. Non enim eſt (vt ait Petr⁹) in aliquo alio ſalus, neque ſub cælo eſt aliud nomen datũ hominibus: in quo oporteat nos ſaluos fieri. Data eſt itaq; plebi ſcientia ſalutis, id eſt Chriſti à Ioanne: qui teſtimoniũ perhibuit de Chriſto dicens. Ecce agnus dei: ecce qui tollit peccata mundi, populumque admonuit: quod in eum Matth. 11. Act. 4. Ioan. 1.

credereńt qui poſt ſe venturus eſſet. Ne autem temporalem ſalutem quis promitti putaret: ſubiungit continuò, in remiſſionem peccatorum eorum, vt eo etiam indicio cognoſceretur Chriſtus eſſe deus. Solius enim dei eſt: peccata dimittere. 11 ¶ In vndecimo verſu. Per viſcera miſericordiæ dei noſtri Quomodo peccatorum remiſſionem obtineamus à deo: planius hic aperit, perhibens id fieri nō ex meritis hominum, ſed ex ſola dei miſericordia. Vnde viſcera miſericordiæ dei vocat intimam & profundam eius benignitatem atque miſeratricem clementiam: quia nobis poſt lapſum ad ſe redeuntibus clementer ignoſcit. Et in illis miſericordiæ viſceribus nos viſitauit: quoniam vt ſcribit Paulus ad Titum, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecim' nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit. *Titum.3*

Adiungit autem Zacharias, quòd ſit oriens ex alto de' noſter: id eſt deſcendens de cælo per aſſumptionem noſtræ ſubſtantiæ. Non tamen idcirco alta relinquens: ſed ſemper in illis permanens, & tamen ad ima ſe inclinans, quoniam ſicut ante ſuſceptionem carnis: ita & deinceps cęlum ac terram implet. *Hiere.23.*

12 ¶ In duodecimo verſu. Illuminare iis qui in tenebris & vmbra mortis ſedent. Hic etiam verbum infinitiuum pro gerundio accuſatiui caſus ponitur: vt ſenſus ſit, quod viſitauit nos deus oriens ex alto ad illuminandum iis: qui tenebris ignorantiæ & errorum, cæcitateque peccatorum (quæ mortem inferunt) depreſſi iacent. Illis enim illuxit Chriſtus ſuo aduentu in mundum: quemadmodum prædixerat Eſaias. Populus (inquit) gentium qui ambulabat in tenebris: vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis: lux orta eſt eis. Inſuper viſitauit nos deus oriens ex alto: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. *Eſa.9.*

Via quidem pacis eſt via iuſtitiæ: quia pax multa diligentibus legem domini, de qua dictum eſt. Omnia mādata tua æquitas, & ad illam viam pacis direxit dominus pedes noſtros: id eſt affectus animorum noſtrorum (qui nomine pedum in ſcriptura ſancta ſignantur: quòd illis ferimur ad res expetendas aut refugiendas) quoniam docuit imprimis Chriſtus viam mandatorum domini ambulare: dicens. Si vis ad vitam ingredi: ſerua mandata, Et rurſum legem adducenti ait, hoc fac & viues. *Pſal.118.* *Matt.19.* *Luc.10.*

CAN-

1 CANTICVM ATHANASII.

Q*Vicunque uult ſaluus eſſe: ante omnia opus eſt ut teneat catholicam fidem.*

2 *Quam niſi quiſque integram, inuiolatamq́; ſeruauerit: abſque dubio in æternum peribit.*

3 *Fides autem catholica hæc eſt: ut unum deum in trinitate, & trinitatem in unitate ueneremur.*

4 *Neque confundentes perſonas: neque ſubſtantiam ſeparantes.*

5 *Alia eſt enim perſona patris: alia filij, alia ſpiritus ſancti.*

6 *Sed patris & filij & ſpiritus ſancti una eſt diuinitas: æqualis gloria, coæterna maieſtas.*

7 *Qualis pater: talis filius, talis ſpiritus ſanctus.*

8 *Increatus pater, increatus filius, increatus ſpiritus ſanctus.*

9 *Immenſus pater, immenſus filius, immenſus ſpiritus ſanctus.*

10 *Aeternus pater, æternus filius, æternus ſpiritus ſctũs.*

11 *Et tamen non tres æterni: ſed unus æternus.*

12 *Sicut non tres increati, nec tres immenſi: ſed unus increatus, & unus immenſus.*

13 *Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens ſpiritus ſanctus.*

14 *Et tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens.*

15 *Ita deus pater, deus filius, deus ſpiritns ſanctus.*

16 *Et tamen non tres dii: ſed unus eſt deus.*

17 *Ita dominus pater, dominus filius, dominus ſpiritus ſanctus.*

18 *Et tamen non tres domini: ſed unus eſt dominus.*

19 *Quia ſicut ſingullatim unamquanque perſonam :deũ aut dominum confiteri:Chriſtiana ueritate compellimur.*

20 *Ita tres deos ac dominos dicere: catholica religione prohibemur.*

21 *Pater à nullo eſt factus,nec creatus,nec genitus.*

22 *Filius à patre ſolo eſt,non factus,nec creatus,ſed genitus.*

23 *Spiritus ſanctus à patre & filio,non factus,nec creatus,nec genitus:ſed procedens.*

24 *Vnus ergo pater:non tres patres, unus filius : non tres filij,unus ſpiritus ſanctus : non tres ſpiritus ſancti.*

25 *Et in hac trinitate,nihil prius aut poſterius,nihil maius aut minus:ſed totæ tres perſonæ, coæternæ ſibi ſunt & coæquales.*

26 *Ita ut per omnia(ſicut iam ſupra dictum eſt)& unitas in trinitate : & trinitas in unitate , ueneranda ſit.*

27 *Qui uult ergo ſaluus eſſe:ita de trinitate ſentiat.*

28 *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem:ut incarnationem quoque domini noſtri Ieſu Chriſti unuſquiſque fideliter credat.*

29 *Eſt ergo fides recta, ut credamus & confiteamur : quia dominus noſter Ieſus Chriſtus,dei filius: deus & homo eſt.*

30 *Deus eſt,ex ſubſtantia patris ante ſecula genitus : & homo eſt , ex ſubſtantia matris in ſeculo natus.*

31 *Perfectus deus,perfectus homo:ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.*

32 *Aequalis patri ſecundum diuinitatem: minor patre ſecundum humanitatem.*

Qui

33 *Qui licet deus ſit & homo: nõ duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.*

34 *Vnus autem, non conuerſione diuinitatis in carnem: ſed aſſumptione humanitatis in deum.*

35 *Vnus omnino non conuerſione ſubſtantiæ: ſed unitate perſonæ.*

36 *Nam ſicut anima rationalis & caro, unus eſt homo: ita deus & homo, unus eſt Chriſtus.*

37 *Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcẽdit ad inferos: tertia die reſurrexit à mortuis.*

38 *Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram dei patris omnipotentis: indè uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos.*

39 *Ad cuius aduentum, omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis: & reddituri ſunt de factis propriis rationem.*

40 *Et qui bona egerunt: ibunt in uitam æternam, qui uerò mala, in ignem æternum.*

41 *Hæc eſt fides catholica, quàm niſi quiſque fideliter firmitérque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.*

Hoc canticum vulgò inſcribitur ſymbolum Athanaſij. Dicitur autem ſymbolũ latine collatio, ſiue quod plures in vnum conferunt, vt conuiuium & cœna: in quã cõparandam plures ſuam quiſque pecuniæ portionem contribuunt. Et quoniam apoſtoli abinuicem diſſeſſuri ad euangelium toti mundo annunciandum, in vnum contulerunt id quod eorũ quiſque de deo, fideque catholica ſenſit: idcirco huiuſmodi collectio duodecim articulorum fidei ſecundum duodecim apoſtolorum numerum, dicitur ſymbolum apoſtolorum, quod certam & præſcriptam fidei orthodoxæ regulam continet: & quotidie ad preces primæ & completorij in eccleſia profertur. Ipſa quoque eiuſdem fidei catholicæ confeſsio in concilio Nicæno ex multis in vnum collata, & ad damnandas pullulantes hæreſes multis expreſsius adiectis adaucta: dicitur ſymbolũ Nicænum,

Nicænum, quod in auguſtiſsimo altaris ſacrificio continuo poſt euangelium pronunciatur. Denique tertio loco hæc ſacroſanctæ fidei norma, ab Athanaſio epiſcopo Alexandrino contra Arrianam impietatem fortiſsimo athleta: & poſt mille perſecutiones ac tribulationes (quas hiſtoria eccleſiaſtica libro decimo latius proſequitur) glorioſo triumphatore, compoſita: dicitur à nomine authoris ſymbolũ Athanaſii. Quod tanta quidẽ authoritate receptũ eſt ab vniuerſali eccleſia vt celebri ſanctiõe inſtitutũ fuerit ipſum ad primã inter pſalmos quotidie cãtari debere. Neque id ab re. Nempe complectitur dilucide & aperte omnia quæ de ſublimi, diuinóque myſterio ſummæ trinitatis & incarnationis dominicæ ſunt pie & religioſe ſentienda, quòd ea tempeſtate contra hæc duo præcipua catholicæ fidei ſacramenta, frequentes & pernicioſæ pullulabant hæreſes atque impia hoſtiũ eccleſiæ dogmata, quæ omnia: per hanc rectam fidei aſſertionem elidũtur prorſus & exploduntur.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Ante omnia opus eſt vt teneat catholicam fidem. Catholicum græcum nomen: idem ſignat quod vniuerſale. Inde catholica fides dicitur quam vniuerſalis tenet eccleſia quæ in toto terrarum orbe vna omnium eſſe deberet, ſecundum illud apoſtoli. Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma. Verũ hanc fidei vnitatem indiuiduam dirumpere ac diſcindere ſemper molitus eſt inimicus veritatis: & eius loco varios diſſeminauit errores, abduxitque complures à recto calle in deuia, & à plana ſemita in diuerticula impietatũ. Proponit autem huius cantici exordium, & finis ipſius itidẽ repetit neceſsitatem amplectendę fidei: vt exinde ſtudioſius enitantur omnes ad ſyncæritatem & integritatẽ ipſius aſsiduè tenẽdam: quoniam vt ſcribit Apoſtolus ad Hebræos: ſine fide impoſsibile eſt placere deo. Credere enim oportet accedentem ad deum: quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Et dominus in euangelio ait. Qui non crediderit: condemnabitur. Rurſum in alio euangelij loco. Qui incredulus eſt filio: non videbit vitam, ſed ira dei manet ſuper eum.

Ephe.4

Heb.2
Marc.16
Ioan.3

4 ¶ In quarto verſu. Neque confundentes perſonas: neque ſubſtantiã ſeparantes. Perſonas diuinas confunderet:

ret:qui ſublata diſcretione perſonali, eandem prorſus diceret eſſe perſonam patris, & filij, & ſpiritus ſancti, vt aſtruxit Sabellius & ſui aſſectatores: non attendentes ſcripturam dicentem, quòd tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo: pater, verbum, & ſpiritus ſanctus. Subſtantiam verò diuinitatis diuideret: qui aliam atque diuerſam poneret ſubſtantiam patris, & filij & ſpiritus ſancti, vt confinxit infœlix Arrius & ſui aſtipulatores: qui grauiſsimo turbine & diuturno totam concuſſerunt eccleſiam, ſed tãdem non præualuerunt: quinimmo vicit veritas. Neque iſti etiam attenderunt ſcripturam ſanctam: eodem loco cũ ſuperiore ſententia ſubiungentem. Et hi tres: vnum ſunt. Inter has autem duas extremas voragines ſcyllam & charybdim, eccleſia ſancta tuto curſu deducit cymbam fidei: ꝓfitens aliũ eſſe patrẽ, aliũ filiũ, alium ſpiritũ ſanctũ, attamen eandem prorſus ipſorum trium eſſe naturam, eſſentiam & deitatem. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Qualis pater, talis filius, talis ſpiritus ſanctus. Id nequaquam eſt intelligendum in proprietatibus ſingularibus perſonarum diuinarum, & diſcretionibus earum perſonalibus: quoniam illæ ita vni perſonarum ſunt propriæ, quòd reliquis duabus ſunt incommunicabiles. Solus enim pater, ingenitus eſt: non filius, neque ſpiritus ſanctus, quandoquidem ingenitus hic dicitur: qui ab alio minime prodit ac emanat. Similiter filius dicitur genitus: non tamen pater, neque ſpiritus ſanctus. Denique ſpiritus ſanctus dicitur procedens: non autem pater neque filius. Sed hæc propoſitio applicanda ſolum eſt ad communes proprietates atq; eſſentiales: totam concernentes deitatem, naturámque diuinam, quales ſunt potens, ſapiens, bonus, perfectus, incircunſcriptus: & cætera id genus. Quod ſatis liquet ex deductione particulari hic facta, per exẽpla deinde ſubiuncta: in quo nominantur hæ proprietates, increatus, imménſus, æternus, omnipotens, quæ toti diuinitati communes ſunt: & cuique diuinarum perſonarum etiam ſigillatim attribuuntur. 8 ¶ In octauo verſu. Increatus pater, increatus filius. Creatum id dicitur: quod ex nihilo ad eſſe deductum eſt, vt quicquid citra deum in rerum vniuerſitate ſubſiſtit: creatũ eſt, ſiue creatura. Ex oppoſito increatũ eſt, quod ſubſiſtit quidẽ: nõ tamẽ à nihilo ad eſſe perductum.

1. Ioan. 5

perductum. Et id ſane ſoli deo conuenit. Immenſum verò ſiue infinitum eſt quod ſuæ magnitudinis & plenitudinis nõ habet terminos: ſed pro omnia diffuſum certis caret limitibus quibus contineatur. Et hoc itidem: ſolius dei eſt proprium Nã cætera omnia: ſuis finibus & metis determinata ſunt. Aeternũ autẽ: quod ſuæ durationis principio caret pariter & ſine, vt ſcilicet ſemper fuerit & ſẽper futurũ ſit. Et idipſũ etiã ſoli deo cõpetit: cũ cętera omnia ſui eſſe habeãt initiũ. Denique omnipotens dicitur deus, quia inſuperabilis eius virtus in omnia poſsit: vt nihil occurrat quod eam debilitare, aut irritam facere exhauriréve queat. Deus autem dicitur: quia naturæ excellentia, cuncta longe exuperans: omnia proſpiciat, omnibúſque benigne prouideat. Dominus verò: quia omniũ quæ ſubſiſtunt dominatum gerat, & teneat principatum. Nam regnum eius eſt regnum omnium ſeculorum: & dominatio eius in generatione & generationẽ.

Pſal. 144

16 ¶ In decimoſexto verſu. Et tamen non tres dij: ſed vnus eſt deus. Si Ioannes eſt homo, & Petrus homo, & & Paulus homo: Ioannes, Petrus, & Paulus ſunt tres homines & non vnus homo: quia in tribus illis ſingularibus eſt ſubſtantiarum diuerſitas ſecundum numerum, & multitudo, & ita in quibuſcũque rerũ creatarũ eiuſdẽ ſpeciei in diuiduis. At non eodẽ modo cum pater ſit deus, & filius deus, & ſpiritus ſãctus deus: quis rectè poſsit colligere ꝙ pater & filius & ſpiritus ſanctus ſunt tres dij, quia non eſt in diuinitate: ſubſtantiarum differentia, multitudo, aut vlla diuerſitas, ſed tres illæ ſuperdiuinæ perſonæ ſunt vnus deus: quoniam vnica ipſorum eſt & eadem ſubſtantia. Et quoniam nomen deus, ſubſtantiam ſignat & eſſentiale eſt nomen: in numero plurali inſinuat pluralitatem, numerũ & multitudinem ſubſtantiarum diuinarum, quæ in deitate nequaquam habet locum, idcirco nunquam admittendum eſt: quòd tres diuinæ perſonæ ſint tres dij, aut plures dij, neque ſacri authores vnquam tribuent aut recipient id loquendi genus: ne videantur deorum multitudinẽ aut turbam inducere. Et eadem ratione: cæterorum nominũ hic adductorum, vtputa increatus, immenſus, æternus, omnipotens, dominus: vnumquodque de ſingulis diuinarum perſonarum ſeorſum & ſingulariter dicitur, non tamen

men poteſt aliquod eorum: pluraliter de ipſis tribus perſonis ſimul ſumptis, vere & catholice enunciari.
21 ❡ In viceſimo primo verſu. Pater nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Factum id dicitur quod ex nihilo, aut materia extrinſeca eſt formatum. Vt totus mundus à deo factus eſt quoniam ex nihilo conditus: & ipſe vere dicitur factor cæli & terræ. Dominus itidem ab artifice dicitur facta ex lapidib⁹ & lignis: quia ex præ exiſtente materia eſt conſtructa. Et quoniam nulla diuinarum perſonarum à non eſſe ad eſſe deducta eſt, neque ex ſubſterniculo extrinſeco formata: nulla ſane earum, facta dici poteſt, quare neque creata. Eſt enim creatum: inferius atq; contractius, quàm factum. Nam ſi quid creatum eſt: conſequens eſt ipſum & factum eſſe, non tamen ediuerſo, domus enim ab opifice facta eſt: nõ tamen creata, porro genitus dicitur: qui ex alterius ſubſtantia prodiit, ipſi producenti ſecundum naturam omnino conſimilis. Et inter tres diuinas perſonas: ſolus quidẽ filius, genitus dicitur, nam ex ſolius patris ſubſtantia, & proxime ac ſine alterius interſtitio perſonæ productus eſt. Spiritus autem ſanctus: neque proxime à patre neq; à ſolo producitur patre (quod tamen ad geniti rationem in diuinis exigitur) ſimiliter neque à ſolo emanat filio, idcirco non debet dici genitus. Demùm procedens dicitur diuina perſona: quæ ex duabus mutui amoris conſpiratione ſocietatéque producitur, quibus eſt connaturalis, coeſſentialis & conſubſtantialis. Et ſoli ſpiritui ſancto conuenit huiuſmodi proceſſio: neque vnquam debet pater aut filius dici procedens. Verùm hæc abditiſsima proprietatum diuinarum myſteria: omnem ſuperant ſermonem & mentis captum, Tantula tamen dicta ſunt: vt vel vocabula ipſa rudi quadam declaratione innoteſcant.
25 ❡ In viceſimoquinto verſu. Et in hac trinitate: nihil prius aut poſterius. Hoc loco, prius & poſterius: durationem reſpiciũt, maius verò & minus: quantitatem & qualitatem. eo quidẽ modo quo illa deo poſſunt attribui: qui ſuper omnem quantitatem & qualitatẽ eminẽtiſsime collocatus eſt Itaque nõ eſt vna diuinarum perſonarũ prior duratione quàm altera: vt pater quàm filius, nã filius eſt patri coæternus: vt lux intima ſolis, ipſi coæua ſoli, neque itidem

itidem ſpiritus ſanctus duratione poſterior eſt quàm pater & filius, quãuis ab ipſis prodeat: ſed etiã eſt ipſis coeternus, ſicut calor ignis intrīſecus: igneæ luci, & ipſi pariter igni eſt æquæus. Similiter pater nó eſt maior filio aut ſpiritu ſancto: ſecundum perfectionem, virtutem, ſapientiam, aut bonitatem, neque filius & ſpiritus ſanctus: in illis eſt poſterior patre, ſed eadem & æqualis eſt trium perſonarum perfectio, magnitudo, virtus, ſapientia, bonitas. Et ex hoc verſu omnino confutatur Arriana veſania, ponens in ſuperdiuina trinitate inæqualitatem & diſſectionem. 31 ¶ In triceſimo primo verſu. Perfectus deus, perfectus homo. Circa ſacratiſsimam domini noſtri Ieſu Chriſti incarnationem, duæ potiſsimum inſurrexerũt hęreſes cæteris nocentiores. Vna quidem, negantium duas in eo naturas diuinam & humanã permanſiſſe poſt vnionem integras & ſaluas, ſine confuſione & commixtione, ſed dicentium nunc diuinitatem in carnem eſſe mutatam, nuuc verò carnem à diuinitate abſorptam, nunc autem illas ambas in vnam tertiam naturam eſſę coalitas & permutatas. Et hæc eliminatur in præſenti verſu: cum dicitur Chriſtus perfectus deus & perfectus homo. Si enim perfectus eſt deus: habet integrè & plene naturam diuinam & proprietates deitatis naturales. Et ita cum perfectus ſit homo: ſeruat incolumẽ in ſe ac impermutatã naturã humanã: cuius & partes ſubſtantiales animam & corpus: & preprietates naturales etiã obtinet. Secunda hæreſis fuit negantium in Chriſto vnitatem perſonæ: & aſtruentium alium eſſe filium dei & alium filium hominis, vt hoc modo negarent Chriſtum: aut verum eſſe deum, aut verũ eſſe hominem. Et hæc grauis impietas damnatur in triceſiſimotertio præſentis cantici verſu: qui dicit quòd nõ duo, ſed vnus eſt Chriſtus. Nempe vnus & idem numero eſt: qui ante incarnationem ſolum deus erat & dei filius, poſt incarnationem verò etiam homo & hominis filius: in ſe vno duas integrè & verè complexus naturas: & ſecũdum eas diuerſam recipiens & plærunque contrariam denominationem. Siquidem ſecundum deitatem: deo patri ęqualis eſt vt ait apoſtolus. Qui cum in forma dei eſſet: non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem deo, & ſecundum humanitatem minor eſt patre: ſicut ipſe ait in euangelio. Pater

Philip. 2
Ioann. 14

tet

ter maior me eſt. Ita ſecundum diuinitatem intemporalis eſt, incircunſcriptus, immenſus, ſecundum humanitatem verò: temporalis, circunſcriptus, finitus Neque iſta adinuicem in eodem repugnant: quoniam ſumuntur ſecundũ diuerſa. 36 ¶ In triceſimoſextò verſu. Nam ſicut anima rationalis & caro: vnus eſt homo. In hac manuductione ſenſibili: ſumenda eſt ſolum ſimilitudo ſecundum id, in quo ea quæ adinuicem comparantur conueniunt, vtpote quemadmodum anima rationalis & corpus humanum: diuerſæ inter ſe ſunt naturæ, vna corporalis: altera ſpiritualis, nihilominus tamen vniuntur in vno & eodem homine, & poſt vnionem manent ſaluæ: vt neque anima in corpus trãſeat, neque corpus mutetur in animam: quinimmo naturales vtriuſque proprietates omnino manent poſt vnionem incolumes, ita natura diuina & humana, penitus diuerſæ: coninnguntur in vno eodẽmque Chiſto, & poſt coniunctionem manent (ſaluis etiam ſuis proprietatibus) abinuicem diſtinctæ & incõfuſæ. Diſsimilitudo verò inter hæc, alia ex parte comperitur: ſcilicet quòd anima rationalis & caro ſiue corpus humanum, concurrunt tanquam partes ſubſtantiales ad conſtituendam tertiã naturam ſcilicet humanam. Non autem hoc pacto deitas & humanitas conueniunt in Chriſto: ad conſtituendum aliquod tertium, ex illis tanquam partibus compoſitum, ſed ibi eſt ſimplicisſima & ſine compoſitione: plurium in vnum coadunatio. Non enim poteſt diuinitas ſumma, ob ſuam impartibilem ſimplicitatem: alicuius ingredi compoſitionem. Verùm ſecundum hoc quod in his & illis inuenitur diſcrepans: non debet hic ſumi comparatio neque necti argumentum.

39 ¶ In triceſimonono verſu. Ad cuius aduentum: omnes homines reſurgere habent. Id intelligendũ eſt de iis: in quibus nõ eſt prius cõpleta reſurrectio corporũ. Nam qui iã ad vitã immortalẽ reſurrexerũt: vt ſacratiſsima virgo Maria & ſancti illi patres qui Chriſto conſurrexerũt: non ſunt denuo reſurrecturi. Præterrea qui in aduẽtu ſupremi iudicis in conſummatione ſeculi inuenientur viui: ſi dicantur non morituri ſed ſine diſſeparatione animæ à corpore ad immortalitatem transferendi ex diuina diſpẽſatione atque indultu (quemadmodũ innuere videtur

beatus

beatus Paulus in prima ad Theſſalonicenſes epiſtola cap. quarto, & grauium authorum illis Pauli verbis innitentium eſt ſententia) in illis inquam non eſt futura ſicut in aliis antè mortuis reſurrectio : cum non ſit ex hypotheſi præceſſura ipſorum mors, quã præſupponit reſurrectio, ſed reſurrectionis locum ſupplebit repentina vnius ſtatus ſcilicet corruptibilis, in alterum vtpote incorruptibilem permutatio. Vtrum autem horum futurum ſit: ſolus deus nouit.

CANTICVM SACROSANCTAE virginis Mariæ.

1 *MAgnificat anima mea dominum.*

2 *Et exultauit ſpiritus meus: in deo ſalutari meo.*

3 *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ:ecce enim ex hoc,beatam me dicent omnes generationes.*

4 *Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen eius.*

5 *Et miſericordia eius à progenie in progenies:timentibus eum.*

6 *Fecit potentiã in brachio ſuo,diſperſit ſuperbos mẽte cordis ſui.*

7 *Depoſuit potentes de ſede:& exaltauit humiles.*

8 *Eſurientes impleuit bonis & diuites dimiſit inanes.*

9 *Suſcepit Iſrael puerum ſuum:recordatus miſericordiæ ſuæ.*

10 *Sicut locutus eſt ad patrss noſtros:Abraham & ſemini eius in ſecula.*

Hoc dulciſsimum & diuiniſsimum canticum,eſt ſacratiſsimæ virginis Mariæ : quod ex corde gratia ſancti ſpiritus pleno eructauit, cum in humaniſsima viſitatione Elizabeth cognatæ ſuæ,poſt benignam illius ſalutationem, exultationem præcurſoris domini in vtero materno & ſui honoratiſsimam à ſancta Elizabeth magnificationem: in dei laudem ſacra ora reſoluit, vt ſcribit beatus Lucas pri-

mo

mo ſui euangelij capite:cui totum hoc canticum integrè inſeritur. In eo primum deo ſacrata virgo, ampliſsima cõmemorat gratiarum munera & dona ſingularia quæ ſuſcepit, & de quibus exultabunda gratias agit. Deinde generalia dei beneficia toti humano generi collata recẽſet, in miſericordiæ ſuæ extenſione, humilium exaltatione & eſurientium impletione. Poſtremo incarnationis domini eſuriẽtiam commẽdat, quam vt antiquis patribus promiſit: ita nunc fideliter exhibuit.

1 ℂ ANNOTATIONES. In primo verſu. Magnificat anima mea dominũ. Vere humilis animi eſt propriũ, cum ſuas audit laudes nõ ſe extollere, nihil ſibi tribuere, ſed omnia deo accepta referre, quæ præclara & commendatione digna in eo vidẽtur. Id plane effecit hoc loco ſanctiſsima virgo. Nam (vt ait Bernardus) cum audiuit magna ſanctæ Elizabeth præconia ſibi ſcripta: deuota humilitas nihil ſibi paſſa retinere, in eum magis vniuerſa refudit, cuius in ſe beneficia laudabantur. Tu (inquit) magnificas matrem domini, ſed magnificat anima mea dominum. In voce mea filiũ tuum perhibes exultaſſe in gaudio, ſed exultauit ſpiritus meus in deo ſalutari meo. Beatã me dicis quia credidi, ſed beatitudinis cauſa eſt reſpectus diuinæ pietatis vt ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes: quia ancillam humilem & exiguam reſpexit deus. Hæc Bernardus. Conſimilis autẽ deũ laudandi forma: ſacris literis eſt peculiaris & admodũ frequens, vt in pſalmo. Anima autẽ mea exultabit in domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo. Et alio in loco. Laudabo nomen dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Sic & Anna Samuelis mater in ſuo cantico. Exultauit cor meũ in domino, & exaltatũ eſt cornu meum in deo meo. Dilatatũ eſt cor meum ſuper inimicos meos, quia lætata ſum in ſalutari tuo. 3 ℂ In tertio verſu. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Hanc eximiam Mariæ humilitatem qua mater dei electa, ancillam ſe domini nominat, Auguſtinus his verbis extollit. O vera humilitas, quę deum hominibus peperit, vitam mortalibus ædidit, cælos innouauit, mundũ purificauit, paradiſum aperuit, & hominũ animas liberauit. Facta eſt Mariæ humilitas, ſchala cæleſtis: per quã deus deſcendit ad terras. Quid enim eſt dicere, reſpexit,

Pſal. 34
Pſal. 68
1. Reg. 2

xit, niſi approbauit? Multi enim videntur in conſpectu hominum humiles eſſe: ſed eorũ humilitas à deo non reſpicitur. Si enim veraciter humiles eſſent, certe ab hominibus laudari nõ vellẽt in hoc mũdo, ſed in deo ſpiritus eorũ exultaret. Hæc Auguſtinus. Reſpexit vtique dominus humilitatẽ ancillæ ſuæ: quia eã acceptauit & vſque adeo gratã habuit, vt quãuis omni virtutũ decore fulgeret ornatiſsima hæc deo dicata virgo, & nitidiſsimo virginitatis candore præluceret: præcipue tamen ob inſignẽ ipſius humilitatẽ, deus eam elegit ſuæ diuinæ maieſtatis habitaculum, ſuæque celſitudinis tabernaculum. Et ex hoc (inquit) quòd dominus reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: omnes generationes omnimodæque credentium nationes prædicabunt me beatã. Quod plane nõ inani geſtiens gloria: dixiſſe credenda eſt. Qui enim fieri poſsit: vt in humillimo corde virgineo locũ habeat vana ſui extollẽtia? ſed

Eſa.66 ſancto afflata ſpiritu qui ſuper humiles requieſcit: quæ futura ſunt verè prenunciat. Et vide quo pacto non ſibi aut ſuis operibus aſcribit modeſtiſsima virgo, quòd à cunctis generationibus dicetur beata, ſed ſoli diuinæ bonitati, ex hoc illud futurũ denuncians, quia reſpexerit dominus humilitatẽ ancillæ ſuæ, quare eo verbo, dei potius extollit benignitatem & gratiã: per quã ab omnigenis notionibus prædicabitur beata. 4 ❡ In quarto verſu. Quia fecit mihi magna qui potẽs eſt. Vt verè humilis: ſe eximia dona à domino ſuſcepiſſe fatetur, & largiſsimũ tãtorũ munerũ cognoſcit authorẽ: non ſe reſpiciẽs, nihil ſibi tribuens. Et certe magna ipſi ſacroſanctæ virgini fecit dominus: quoniã ipſam antequã cõciperetur præuenit in benedictionibus dulcedinis, & à labis originalis contagio in ipſo conceptũ ſeruauit immunẽ, vt in opuſculo de puritate conceptionis eius: latius diſſeruimus. Omnis deinde per totũ vitæ ſuæ curriculum noxæ, & mortiferæ & leuis: expertem reddidit. Spiritu ſancto fœcundã, viri neſciã: angelo nunciante, virgineóque manente pudore grauidã effecit. In dei matrem, filij dei parentẽ, æternæ ſapientię domũ puriſſimam: ipſam delegit. Nonne & illud magnũ: quod virgo permanens ſine dolore mundi ſaluatorẽ genuit, & virgineis lactauit vberibus? ꝙ eũ cuius eſt terra & plenitudo eius: vt ſedula nutrix & ſolicita mater educauit? Sed & id omnium

niū maximum: ꝙ tranſacto huius vitæ mortalis curſu, ad immortalitatis gloriam & anima & corpore aſſumpta : in cælo ſublimis reſidet filio ſuo ꝓxima,& ſuper omnia ſanctorū agmina exaltata. 5 ¶ In quinto verſu. Et miſericordia eius à progenie. Nō ſolum(inquit)mihi fecit magna qui potens eſt:ſed & in omni gente:qui timet deū acceptus eſt illi. Miſericordia enim dei non in vna generatione:ſed in ſempiternū extenditur a generatione in generationē,vt à progenie Iudæorū in progenies gentiū: vel à progenie præſentiū in progenies poſterorū , vt nulli vnquā hominū ætati negata ſit aut præcluſa. Et omnino conſimilis huic habetur ſentētia in pſalmo: cū ait. Miſericordia autē domini ab æterno & vſque in æternū:ſuper timētes eū. Et iuſtitia eius in filios filiorū:iis qui ſeruant teſtamentum eius. Intelligendū eſt autē in hoc verſu verbum ſubſtantiuū eſt:quod cū nominatiuo illo ſingulari & datiuo plurali connexionē habeat. 6 ¶ In ſexto verſu. Fecit potentiā in brachio ſuo. Brachiū domini: filius eſt æterni patris. Sicut enim brachium noſtrū eſt quo operamur: & eiuſdē naturæ nobiſcū , ſic brachium dei dictū eſt eius verbū,per quod fecit & ſecula,eiuſdémque cū eo ſubſtātiæ. Et hoc modo ſępius id nomen in ſancta ſcriptura ſumitur:vt cū inquit Eſaias. Parauit dominus brachiū ſanctū ſuum:in oculis omniū gentium. Et rurſum alio in loco. Quis credidit auditui noſtro,& brachium domini cui reuelatum eſt? iterum propheta in pſalmo. Saluauit ſibi dextera eius: & brachium ſanctum eius. Fecit autem deus pater in brachio ſuo potentiam,quia per filium ſuum humanam indutum carnem debellauit principē huius mundi,& virtute potenti deiecit inimicum. Cæterùm eos mente cordis diſpergere dicitur deus, humano more loquendo,quos obliuiſcitur,& ita abiicit à ſua memoria vt eorū nolit recordari. Hi autem ſunt, quos neſcit & reprobat, quales ſunt præſertim ſuperbi,quos approbatoria ſententia minime deus nouit. Odibilis enim corā deo eſt & hominibus ſuperbia. Idcirco in proxime ſequente verſu potentes & animoſos,de ſe magnum ſapientes, & confidētes in virtute ſua nō autem in deo,deicere ſuo gradu dicitur deus, & humiles corde exaltare , quoniā qui ſe humiliat exaltabitur , & qui ſe exaltat humiliabitur . Et pro-

Pſal. 101
Eſa.52
Pſal.77
Eccl.10
Matth.23
Pſal.17

Iac 4 pheta in pſalmo ad deum. Quoniam tu populum humilē
Matth. 5 ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis Deniq;
beatus Iacobus in epiſtola ſua. Deus ſuperbis reſiſtit:hu-
Eccl.24 milibus autem dat gratiã. 8 ❡ In octauo verſu.Eſurien
Ioan.7 tes impleuit bonis.Eſurientes dicuntur qui eſuriunt & ſi-
tiunt iuſtitiam: quibus facta eſt repromiſsio quoniã ipſi
ſaturabũtur. Et eos implet deus bonis ſpiritualibus:quo-
rum ardenti afficiuntur deſiderio. Venite ad me omnes
(inquit) qui concupiſcitis me,& à generationib⁹ meis im
Pſal.75 plemini. Et alio in loco. Si quis ſitit:veniat ad me & bi-
Luc.6 bat. Diuites autem hic dicuntur qui terrenis abundant o-
pibus:non ſunt tamen in deum diuites, neque bonorum
operum fructu locupletes. Et hi dimittuntur inanes ani-
mo:quoniam nullum iuſtitiæ prouentum habent aut gra
tiarum munera,quibus animus ditetur.Dormierunt enim
ſomnum ſuum:& nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum
in manib⁹ ſuis. Vę(inquit)vobis diuitib⁹: qui habetis hic
conſolationem veſtram.Væ vobis qui ſaturati eſtis: quia
eſurietis. 9 ❡ In nono verſu.Suſcepit Iſrael puerũ ſuũ
Carnalem quidē Iſrael ſuſcepit dominus, benignitérque
recepit in gratiam & amicitiam: quoniam ex eo & poſte-
ritate eius ſecũdum carnem natus eſt Chriſtus,eãque ſua
prædicatione adduxit ad euãgelicm lucem. Et rectè hũc
puerum ſuum vocat, id eſt ambulantem in ſimplicitate &
Mala.1 innocentia:quoniam vita ipſius Iacob, recta erat & placi
ta coram domino. Vt de eo dictum ſit à deo per prophe-
tam:Iacob dilexi,Eſau autem odio habui.Spiritualem e-
tiã Iſrael ſuſcepit dominus: omnem ſcilicet hominē quæ-
rentem videre deum per fidem,quoniã vniuerſos cuiuſcũ
que fuerint nationis fide ad deum tendentes fecit gratiæ
& veritatis(quæ per ipſum in carne apparẽtem facta eſt)
participes atque conſortes. Suæ verò miſericordiæ recor
datus dicitur deus,in ſingulari nouæ incarnationis diſpē-
ſatione: quoniã promiſſum diutius humano generi id be
neficium & diuturna dilatione quaſi in obliuionem dedu-
ctum iam exhibuit, & more recordantis illud in præſen-
Gene.17 tia præſtitit. Cæterùm verbum ſuſcepit,in hoc verſu cum
nominatiuo dominus, ordinatur (ſicut & cætera verba à
ſexto verſu deinceps poſita) & cũ accuſatiuo Iſrael,quod
nomen:hic declinationem non recipit.

In

10 ¶ In decimo verſu. Sicut locutus eſt ad patres noſtros. Siquidem promiſsio huius ſingularis gratiæ facta eſt primum ipſi Abrahæ à domino his verbis. Statuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, vt ſim deus tuus & ſeminis tui poſt te. Semen autem Abrahæ dicit, nõ tam carne ab eo progenitos: quàm fidei eius veſtigia ſecutos, quibus aduentus ſaluatoris, in ſecula, id eſt in perpetuum promiſſus eſt: quia ipſa promiſsio æternæ hæreditatis, nullo fine claudetur, & vſque in finẽ ſeculi credentes nõ deerunt, & beatitudinis gloria erit perennis. Porrò nomen Abraham in hoc verſu intelligi poteſt eſſe accuſatiui caſus, & cum præpoſitione ad ordinari: ſicut & accuſatiuus proxime præcedens. Poteſt item accipi vt datiui ſit caſus, & nectatur interſtite copula cum ſequente datiuo ſemini: ad verbum locutus eſt, quod & accuſatiuũ habere poteſt cum præpoſitione, & etiam datiuum. Hic autem vtrumq; eorum rectè habet, etiam copulatiua cõiunctione coalitũ.

CANTICVM SIMEONIS.

1 *NVnc dimittis ſeruum tuum domine: ſecundũ uerbum tuum in pace.*

2 *Quia uiderunt oculi mei ſalutare tuum.*

3 *Quod paraſti: ante faciem omnium populorum.*

4 *Lumem ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Iſrael.*

Hoc iuſti & timorati Simeonis eſt canticũ, quod ſuſcepto in vlnis puero Ieſu (cum inducerent eum in templum parentes eius ſecundum conſuetudinem legis) cum ſuauitate ingenti ſpiritus deo cecinit: in gratiarum actionem quòd ſuum deſiderium quo Chriſtum domini videre in carne petiuerat, eſſet impletum, vt beatus Lucas ſecundo cap. refert: vbi hoc canticum integrè continetur. In quo primum petit à deo corporeis abſolui clauſtris, & placida pace obdormire cum patribus ſuis quoniam mundi ſaluatorem (quod ſummopere efflagitarat) oculis ſuis conſpexerit. Ipſius deinde ſaluatoris excellentiam prædicat: quòd ad totius mundi red emptionem miſ- Luc. 2

ſus ſit, ad gentium itidem illuminationem, & Iſraelitici denique populi glorificationem.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Nunc dimittis ſeruum tuum domine. Iam quaſi cupiens diſſolui & eſſe cum deo hic venerabilis ſenex: petit à domino dimitti in pace, & mox de hoc mundo tranſire ſecundum diuinum reſponſum à ſpiritu ſancto acceptum, quod non guſtaret mortem niſi videret Chriſtum domini, ex quo & id erat conſequens: quòd poſtquam vidiſſet Chriſtum domini, hinc eſſet migraturus, hoc ergo domini verbum: petit hic impleri. Et verbum dimittis: deprecandi notionem habere intelligatur, aut futuræ rei denunciationem, quaſi dicat, nunc dimitte me obſecro in pace: vel poſthac dimittes me, & huius mundi carcere per mortem ſolues.

Luc.2
Eſa.10

2 ¶ In ſecundo verſu. Quia viderunt oculi mei. Beati ſane oculi qui Chriſtum in carne viderunt, & per fidem contemplati ſunt, ſicut dictũ eſt apoſtolis à Chriſto. Beati oculi: qui vident quæ vos videtis. Viderunt vtique oculi Simeonis corporales: Chriſtũ hominẽ, oculi verò cordis eius: eundẽ deum. Cognouit enim Simeon & publice confeſſus eſt: ipſum eſſe ſalutare dei & Chriſtũ domini, miſſum ad totius mundi ſalutem, quod tantopere expetiuerant antiqui patres: ſuſpirabundi & clamãtes. Oſtẽde nobis domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis. Et iterum. Viſita nos in ſalutari tuo, & ſimilia. 3 ¶ In tertio verſu. Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Hoc ſalutare ſuũ paraſſe hic dicitur deus ante faciẽ omnium populorum: quoniam non tantum ad Iudæorum ſalutem miſſus eſt Chriſtus in mundum (ſicut olim Moyſes ſolum populum Hebræorũ eduxit Aegypto: & Ioſue eundem in terrã promiſsionis induxit) ſed ad totius mundi, omnium nationum & populorum ſaluationem, ſicut illi à patre dictum eſt per Eſaiam. Poſui te in lucem gentiũ: vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Et propheta in pſalmo eandem exprimit diuinæ viſitationis gratiam: cũ ait. Viderunt omnes fines terræ ſalutare dei noſtri.

Pſal.84
Pſal.105
Eſa.49
Eſaia.97

4 ¶ In quarto verſu. Lumen ad reuelationem gẽtium. Parauit quidem deus hoc ſalutare ſuum, tanquam lumen ad reuelationem ſiue illuminationem gentium: quoniam gentes ante Chriſti aduẽtum in denſis erat tenebris conſtitutæ,

ſtitutæ, & cognitione diuina (quæ ſola mentes illuminat) priuatæ. At cum Chriſtus ipſis per apoſtolos eſt annunciatus: admirabili luce gratiæ & fidei ſunt illuſtratæ, ſicut prædixerat Eſaias. Populus gẽtium qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Parauit item deus hoc ſuum ſalutare, vt Iſraeliticcæ plebis gloriam. quoniam ingens Hebræorum populo acceſsit gloria quod Chriſtus ſecundum carnem ex eo proceſsit, inter eum conuerſatus eſt: ſuæque diuinitatis veritatẽ doctrina & miraculis illi primum manifeſtauit. Annunciat (inquit pſalmus) verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua nõ manifeſtauit eis. *Eſa. 9* *Pſal. 147*

IN ADVENTV DOMINI, AD CANTIcum beatæ virginis, Antiphonæ.

1 *O Sapientia quæ ex ore altiſsimi prodiſti: attingens à fine vſq; ad finẽ fortiter, ſuauitérq; diſponẽs omnia. veni ad docẽdũ nos viã prudẽtiæ.*

2 *O adonai & dux domus Iſrael, qui Moyſi in igne flammæ rubi apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti. veni ad redimendum nos in brachio extento.*

3 *O radix Ieſſe qui ſtas in ſignum populorum: ſuper quem continebunt reges os ſuum, quem gentes deprecabũtur. veni ad liberandũ nos: iã noli tardare*

4 *O clauis Dauid & ſceptrum dom⁹ Iſrael: qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit, veni & educ vinctum de domo carceris: ſedentem in tenebris & vmbra mortis.*

5 *O oriens ſplendor lucis æternæ, & ſol iuſtitiæ: veni & illumina ſedentẽ in tenebris & vmbra mortis.*

6 *O Thoma Didyme per Chriſtum quem meruiſti tãgere: te precib⁹ oram⁹ altiſſonis, ſuccurrere nobis miſeris, ne dãnemur cũ impiis: in aduẽtu iudicis.*

7 *O rex gentium & deſideratus earum, lapiſque angularis qui facis vtraque vnum, veni ſalua hominem quem de limo formaſti.*

8 *O emanuel, rex & legifer noſter, expectatio gētium & ſaluator earum, ueni ad ſaluandum nos domine deus noſter.*

9 *O uirgo uirginum, quomodo fiet iſtud? quoniam nec primam ſimilem uiſa es nec habere ſequentem, filiæ Hieruſalem, quid me admiramini? diuinum eſt myſterium hoc quod cernitis.*

Antiphona dicitur vox reciproca: duobus choris alternatim canentibus, quaſi vox voci contrapoſita. Et ea eſt clauſula ſiue ſententia ſacra: quæ inchoatur ante pſalmum quemlibet, eo quæ finito integrè dicitur. Debet autem ea dictio Græca proferri penultima longa cōtra, morem tritum atque vulgatum: quoniā in tertia ſyllaba ſcribitur apud Græcos per ω, quæ ſemper producitur. Porrò ritum canendi antiphonas in eccleſia apud Latinos, primum ſanctus Ambroſius epiſcopus Mediolanenſis tranſtulit à Græcis: apud quos hic ritus iam inoleuerat & in vſum tranſierat, ex inſtituto beati Ignatij epiſcopi Antiocheni & apoſtolorum diſcipuli, qui per viſionem in cælū raptus: audiuit angelicos ſpiritus per antiphonarum reciprocationem ſummæ trinitati hymnum laudis canentes. Et ad ipſorum imitationem conſtituit hunc canendi modum etiam in eccleſiaſtica functione obſeruari debere.

Nonnullas autem antiphonarum hic elucidare operæpretium viſum eſt: eas præſertim quæ ex ſacris literis collectæ conflatæque ſunt, & ex earum pendent intelligentia, quales ſunt hæ nouem, quæ poſtremis diebus aduētus dominici dicuntur ad ſacræ virginis Mariæ canticum in officio veſpertino, inſinuántque nobis vehemens antiquorum patrum deſiderium de aduentu Chriſti in carnē. Licet enim in Abrahæ ſinu tum placide requieſcerent certi in perpetuæ lucis regionem ſe demum ituros: longas tamen moras dilationis dominici aduentus pertæſi, ardentibus expectabant votis accelerari miſsionē Chriſti in mūdum, dicentes quod eſt apud Eſaiam. Emitte agnū domi- *Eſaie.16*
ne dominatorem terræ: de petra deſerti ad montem filiæ *Eſa. 64*
Syon. Et illud item. Vtinam dirumperes cælos & deſcen- *Eſa.45*
deres. Rurſum & illud apud eūdem Rorate cæli deſuper *Pſal.79*

&

& nubes pluant iuſtum:aperiatur terra & germinet ſaluatorem. Demùm & illud in pſalmo. Domine deus virtutum conuerte nos:& oſtende faciem tuam & ſalui erimus,& ſimilia id genus. Vnde beatus Bernardus horum attentione ſpiritu deuotionis & compunctionis accenſus: ſermone ſecūdo ſuper cātica ait. Ardorē deſiderij patrū ſuſpirantium Chriſti in carne præſentiā frequētiſſime cogitās:cōpūgor & confundor in memetipſo, & nunc vix contineo lachrymas:ita pudet temporis torporiſque miſerabilium temporum horum. Cui nāq; noſtrū, tantū ingerat gaudiū gratiæ huius exhibitio :quantū ſanctis veteribus accenderat deſiderium:promiſſio? Hæc Bernardus. Quòd ſi ipſe totus amore diuino feruens: & ardens vt facula ingemiſcebat ſegnitiem animorū ſui temporis, nō magnifacientiū tantæ gratiæ munus exhibitum:quid igitur nobis agendū? qui omnino gelidi ſumus & ſcythica glacie frigidiores: neq; cœleſtis in cordibus noſtris percipimus amoris ſcintillā. Certè quoniam tepidi ſumus:timendū ſummopere ne euomamur de ore domini, ſicut ipſe in Apocalypſi comminatur. *Apoc. 3.*
Quid item de noſtris dicendū temporibus : niſi quoniam abundauit iniquitas, multorum charitatem nunc refriguiſſe? Verum vt huiuſmodi à nobis torpor noxius expellatur excitanda ſunt alacrius corda noſtra his exclamatoriis ad deum & piis antiphonis: ardentia deſideria, ſedula vota, et gemebunda ſuſpiria ſanctorum patrum ex inſtituto eccleſiaſtico(vt dictum eſt)ſignificantibus. His tanquam flabellis crebro agitatu commouenda ſunt noſtra præcordia : vt excuſſa ſegnitie concipiant vel exiguum pij affectus incendium. Quinimmò non aberrauerit meo iudicio qui totum gen⁹ humanum intellexerit has affectuoſas ad dei filiū preces effundere, aſſiduiſq; illum efflagitationibus pulſare: vt diutiſſime expectatus poſt tantā moram tandem veniat in mundum, & naturam humanam à captiuitate dæmonis, à carcere peccati, à tenebris errorū ſua viſitatione liberet. *Matt. 24.*
Vnde & vnaquaque ferè iſtarum antiphonarū circa finem cōtinet verbū deprecatoriū: inuitās pariter & rogans vt Ieſus Chriſtus ſalutaris ſuus & redemptor veniat, & liberet humanam propaginem à graui vinculo ſeruitutis. Et certè ipſi ſancti patres qui expectābant redemptionē Iſrael : non tam pro ſe quàm pro toto humano genere(cui⁹ apud deum

deum fungebantur legatione)has lachrymoſas profundūt preces in auribus diuinæ maieſtatis. Quomodo enim pro ſeipſis orare dicentur diuinam ſapientiam:vt veniat & doceat eos viam prudentiæ? qui præſentis vitæ iam curſum peregerant:neque amplius indigebant vt notam faceret eis deus viam in qua ambularent.Pro toto vtique humano genere illam effundunt orationem, & prudentiæ viam illi monſtrari expetunt:ſicut & hominem ſaluari totamq; hominum ſocietatem & multitudinem,de limo terræ formatam,neque enim ibi de hoc aut illo homine particulari loquuntur:ſed de tota natura humana, cuius expetunt liberationem.

1 ¶ANNOTATIONES. In prima antiphona. O ſapientia quæ ex ore altiſſimi prodiſti. Hæc verba ad æternam diriguntur ſapientiam,quæ dei filius eſt:vt ſcribit apoſtolus ad Corinthios. Nos autem prædicamus Chriſtum:dei virtutem & dei ſapientiam. Quòd autem ipſa ex ore altiſſimi prodierit:teſtis eſt eccleſiaſticus(vnde hoc ſumptū eſt) dicens de ea. Ego ex ore altiſſimi prodiui:primogenita ante omnem creaturam. Idipſum verò de diuina dicitur ſapientia:quoniam ipſa ex virtute ſubſtantiaque paterna ab æterno genita eſt. Et os quidē altiſſimi nominat eccleſiaſticus in deo:qui nullis ex partibus componitur, vt generationis eius ineffabilis exprimat myſterium per manuductionem & ſimilitudinem verbi ſenſibilis:quod ore humano formatur ac profertur,ita ſuperintellectuale ,ac ſpirituale verbum:ore diuino patris progignitur. Attingere verò à fine vſque ad finem fortiter,& omnia ſuauiter diſponere:eadem ſapientia hic prædicatur ex libro ſapientiæ, dicente de hac ſuperdiuina ſapientia. Attingit ergo à fine vſque ad finem fortiter:& diſponit omnia ſuauiter. Et vtrunque ſanè horum:meritò illi attribuitur. Illud quidem: quia à ſupremis altiſſimiſque angelicorum ſpirituum ſubſtantiis per intermedia omnia ad extremas vſque & infimas rerum ſpecies ſe expandit,omnia permeans & penetrans. Hoc verò,quia ſapientiſſimis ſuæ prouidentiæ legibus omnia moderatur,regit ac gubernat: vt cuiuſque fert natura,captus & ratio.

1.Cor.1. *Eccle.24.* *Sap.8.*

2 ¶ In ſecunda antiphona. O adonai & dux domus Iſrael. Adonai Hebræum vocabulum: vnum eſt ex propriis dei

dei nominibus,in ſacris literis & præſertim pſalmis frequẽ
tiſſimum:loco cuius:Latini interpretati ſunt dominus, cõ- *Pſal.8.*
que paſſim vtuntur,quod de filio dei ſæpius dictum inue
nitur,vt in pſalmo octauo.Domine dominus noſter:quàm
admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.Et alio in lo
co.Dominus fortis & potens:dominus potens in prælio. *Pſal.23.*
Et paulò poſt.Dominus virtutum: ipſe eſt rex gloriæ, &
multis aliis in locis.Dux autem domus Iſrael dicitur Chri
ſtus apud Micheam prophetam:cum ait. Et tu Bethleem *Mich.5.*
terra Iuda:nequaquam minima es in principibus Iuda,ex
te enim exiet dux qui regat populum meum Iſrael. Et ita
quidem nominatur:quoniam totius ſacræ congregationis
fidelium & fide deum quærentiũ dominator eſt & rector.
At quomodo domin⁹ Moyſi in igne flammæ rubi aparue-
rit:oſtendit Exod.cap.3.Et quomodo in monte Sinai legẽ
illi dederit:enarrat idem lib.cap.19.& 20. Demùm exten-
tum brachium vocat hic author(quiſquis is fuerit: nam id
nihil refert)ingentem fortitudinem ac virtutem : prom-
ptam ad ferendum auxilium,quoniam & nos cum brachiũ
extendimus:vires noſtras explicamus & accingimus nos
operi vt feramus cuiquam ſuppetias,aut arduum opus mo
liamur.Et ſumptus eſt modus ille loquendi, ex ſacra ſcri-
ptura ſæpius vtente conſimili genere locutionis, vt apud
Hieremiam. Debellabo ego vos in manu extenta : & in
brachio forti.

3 ¶ In tertia antiphona.O radix Ieſſe qui ſtas in ſignum
populorum.Hoc dictum ſumptum eſt ex Eſaia dicente. In *Hiere.21.*
die illa radix Ieſſe qui ſtat in ſignum populorum : ipſum *Eſa.11.*
gentes deprecabuntur. Vbi radix Ieſſe dicitur Chriſtus do
minus noſter:quoniam de radice Ieſſe egreſſus eſt de ſtir-
pe Dauid filij Ieſſe ſecundum carnem progenitus, ad quẽ
denotandum ſubiungitur relatiuum maſculinum,quod nõ
ad nomen antecedens expreſſum, ſed ad rei ſignificatæ
nomen Chriſtus referatur.Stat autem in ſignum populo-
rum dominus noſter, vtpote in ſignum ſalutis gentium,
quando ſuæ paſſionis tempore exaltatus fuit in cruce, vt
omnia ad ſe traheret.Hinc Simeon dixit de illo. Ecce po-
ſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum, & *Lucæ 2.*
inſignum cui contradicetur. Quod verò ſubiungitur,ip-
ſum gentes deprecabuntur,impletum eſt poſt reſurrectio-
nem

nem & aſcenſionem domini, quando per apoſtolorũ prædicationem gentes Chriſti fidem promptiſſime ſuſceperũt ipſumque vt verum deum adorarunt. Demùm ea particula ſupradictis & iam explicatis ſententiis in hac antiphona interiecta, ſuper quem continebunt reges os ſuum: ex
Eſa. 52 52. Eſa. cap. ſumpta eſt vbi ait propheta de Chriſto. Iſte aſperget gentes multas: ſuper eum cõtinebunt reges os ſuũ, ne ſcilicet irreuerenter quippiam de eo loquãtur aut effutiant ſed vt minores ſolent in maiorum præſentia: ob venerationem illius conticeſcent, ſibique ſilentium imponent.

4 ¶ In quarta antiphona. O clauis Dauid & ſceptrum domus Iſrael. Quod in fronte huius antiphonæ poſitum eſt, & prætermiſſa ſecunda particula deinde ſubnectitur: ex
Apo. 3. 3. cap. Apoca. eſt depromptũ, dicente de Chriſto. Hæc dicit ſanctus & ver⁹, qui habet clauem Dauid qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Quem locum exponẽs eximius pater Ricardus de ſancto Victore, in explanatione ſua ſuper Apocalypſin, ait. Hæc dicit ſanctus & ver⁹ ſanctus in bonitate, verus in promiſſione: qui eo quòd ſanct⁹, nunquam peccat, & quia verus: nunquam mẽtitur, & quia habet clauem Dauid: cui vult myſteria ſapientiæ aperit & largitur. Quid enim per clauem Dauid apparens filij hominis ſimilitudo nobis rectius deſignauit: quàm gratiã ſpiritualis ſapientiæ, quæ & Dauid & aliis prophetis myſterium humanæ redemptionis luculentur aperuit? Quæ ſpecialiter & nominatim non inconuenienter dicitur Dauid: & propter prærogatiuam manifeſtationis, & propter promiſſionem ſibi factam: Qui aperit: & claudit, aperit corda ad intelligentiam fidei, aperit ora ad prædicationem verbi aperit intellectus ſcripturarum, aperit naturas rerum: aperit ſenſum ad cognitionem, aperit affectum ad dilectionẽ, aperit linguam doctorum ad docendum, aperit corda populorum ad credendum. Et quoniam quæ electis aperit, reprobis claudit: rectè dicitur, claudit & nemo aperit.
Act. 4. Quòd autem ipſo aperiente nemo poteſt claudere: teſtantur apoſtoli in actibus ſuis dicentes. Non poſſumus quæ vidim⁹ & audiuimus non loqui. Et poſt pauca de Iudęis. Nõ
Act. 6. poterant ſapientiæ reſiſtere & ſpiritui: qui loquebatur. Ipſo verò claudente reprobis, exigentibus peccatis ſuis, ea quæ recta ſunt, nemo poteſt aperire, quia nemo poteſt corriger

rigere quem ille deſpexerit. Hæc ille. At verò clauſula ſecundo loco hic poſita & iam explicatis ſententiis interiecta, ſcilicet ſceptrum domus Iſrael: ex Hieremia propheta *Hiere.* 23
eſt deſumpta, cum ait. Ecce dies veniunt dicit dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum: & regnabit rex & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam. Et Zacharias de Chri- *Zach.*9.
ſto. Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi manſuet⁹, iuſtus & ſaluator. Eſt enim ſceptrū: regiæ poteſtatis inſigne.

5 ¶ In quinta antiphona. O oriens ſplendor lucis ęternę. Hic Chriſtus, oriens dicitur: quoniam in ſcripturis illo nomine celebratur, vt apud Zachariam. Ecce vir oriens nomen eius. Et in cantico Zachaaiæ. Per viſcera miſericordiæ dei noſtri: in quibus viſitauit nos, oriens ex alto. Lucis *Zach.*6.
verò æternæ, Chriſtus ſplēdor eſt: quia dei patris (qui lux *Luc.*1.
eſt æterna) ſplendor eſt coæternus, & ab apoſtolo ſplēdor *Heb.*1.
gloriæ patris appellatur. Denique ſol iuſtitiæ dicitur etiā Chriſtus apud prophetā, cū ait. Vobis timentibus nomen meū orietur ſol iuſtitiæ. Et in pſal. 111. Exortū eſt ī tenebris lumē rectis corde: miſericors & miſerator & iuſt⁹ domin⁹.

6 ¶ In ſexta antiphona. O Thoma Didyme. Hęc antiphona (quamuis vt præcedentes) ad Chriſtum non dirigatur, *Mal.*4.
cæteris tamē ex ritu & more eccleſiaſtico hic interſeritur: *Pſal.*111.
quoniam beati Thomæ apoſtoli dies feſtus quotannis celebratur inter eos dies aduentus, quibus iſtæ antiphonæ ſolent cantari. Idcirco & ipſius feſto accōmodata eſt etiam vna antiphona: eiuſdē cum præcedentibus ſchematis atq; formæ. In qua Didym⁹ dicitur Thomas: quoniā eo cognomine in euangelio exprimitur apud Ioannem, cū ait. Dixit *Ioan.*11.
ergo Thomas qui dicitur Didymus: ad condiſcipulos. Didymus autem, Latinè geminus dicitur: eo quòd Didymon Græci geminum dicunt, eum ſcilicet qui vnus eſt ex gemello fœtu & gemellorum alter, vt Iacob, Didymus fuit: ſimiliter & Eſau. Vnde gentiles ſignum geminorum, Didymos Græcè appellant, quòd Caſtor & Pollux quibus id ſignum eorum ſententia aſcribitur, gemelli fuerint. Itaque & ſanctus Thomas Didymus cognominatus eſt: quòd gemellæ prolis fuerit alter. Cæterùm quomodo idem Chriſtum tangere meruerit poſt eius reſurrectionem, in teſtimoniū veritatis & corroborandam fidē noſtrā de facta Chriſti reſurrectione: beat⁹ Ioā. cap. 20. ſui euāgelij dilucidè narrat.

¶ In

7 ¶ In ſeptima antiphona. O rex gentium & deſideratus earum. Rex gentium appellatur dominus noſter Ieſus Chriſtus apud Hieremiam, cum ait. Quis non timebit te. O rex gentium? Deſideratus autem gentium nuncupatur apud Aggeum, dicentem. Adhuc vnum modicum, & ecce ego mouebo cælum & terram, mare & aridam, & veniet deſideratus cunctis gentibus. Inſuper lapis angularis vocatur apud Eſaiam, cum inquit. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, precioſum, in fundamento fundatum. Demùm vtraque facit vnum Chriſtus, quia populum gentilem & Iudæum prius diuerſo ſeparatum ritu in vnam ſanctam coadunauit eccleſiam, aut humanam naturam & angelicam prius diuiſas ab inuicem, per gratiam reconciliationis placida pace deuinxit & in vnum glutino amoris aſtrinxit. Vnde apoſtolus ad Epheſios de Chriſto ſcribens, ait. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.

Hiere.10. Aggei.2. Eſa.28. Ephe. 2.

8 ¶ In octaua antiphona. O Emanuel, rex & legifer noſter. Chriſtus. Emanuel dicitur apud Eſaiam. Ecce (inquit) virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Quod quidem nomen Matthæus interpretatur in euangelij ſui principio, nobiſcum deus, quoniam per ſuſceptam carnem nobiſcum eſt Chriſtus communione naturæ, & deus diuinæ ſubſtantiæ maieſtate. Quare in hoc ſacratiſſimo nomine Emanuel, vtriuſque naturæ, diuinæ inquam & humanæ veritas in Chriſto inſinuatur ac clauditur. Rex autem & legifer noſter dicitur Chriſtus apud Eſaiam, cum ait. Dominus enim iudex noſter, dominus legifer noſter, dominus rex noſter, ipſe ſaluabit nos. Legifer quidem vocatur, quoniam triplicis legis, naturalis, Moſaicæ & euangelicæ inſtitutor eſt ac lator, ſed potiſſimũ euangelicæ, quam ſacro ore deprompſit. Expectatio verò gentium appellatur Chriſtus in prophetia ipſius Iacob patriarchæ, quæ eſt. Non auferetur ſceptrum de Iuda nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Denique quòd earum ſit ſaluator, ex ſcripturis itidem liquet vt ex Paulo ſcribente ad Timotthæum. Speramus in deum viuum, qui eſt ſaluator omniũ hominum, quare & gentium. Et ex Eſaia dicente. Non eſt abſque me ſaluator.

Eſa.7. Mat.1. Eſaiæ 33. 1.Ti.4. Eſa.43.

¶ In

9 ¶In nona antiphona. O virgo virginum, quomodo fiet iſtud. Hæc antiphona non eſt more præcedentium deprecatio ſanctorum patrum ad dei filium, ſed commendatoria ſacroſanctæ virginis Mariæ, in qua completum eſt hoc admirandum dominicæ incarnationis myſterium. Et complectitur ipſa diuinum quẽdam dialogum: in quo primum animæ fideles & miro deuotionis affectu in deum intentæ, interrogant ipſam ſacroſanctam virginem cum admiratione, quomodo in ea ſupra naturæ legẽ ac iura, perfectum eſt ineffabile illud ſacramentum, quo verbum caro factũ eſt & habitauit in nobis. O virgo (inquiunt) virginũ, virgo candidiſſima, nulla labefacta ſorde, virgo ſancta corpore & ſpiritu, virgo virginũ, omniũ gloria, dec⁹ & ſplẽdor, virgo ita cæteras antecellens virgines, vt ſol minora ſydera, vt lilium cæteros flores, vt aurum metalla reliqua, quomodo fiet iſtud, quòd virgo ſis & mater quòd virgo & puerpera? Stupet hoc natura, non capit hoc ratio, ignorat illud humana intelligentia. Quomodo etiã fiet iſtud, quòd creatura, deum paries creatorem, quòd factura tuum factorem, quòd plaſma tuum conditorem? Denique quomodo fiet iſtud, quòd ſacratiſſimi vteri tui anguſtiis cõtineas eum, quem cæli & terra capere non poſſunt? quòd comprehendas in comprehenſibilem, quòd capias immenſum & nullis coercitum metis? quoniam nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem. Nulla vnquã inuenta eſt mulier, nec futuris ſeculis inuenietur vlla præter te, quæ viri neſcia filium concipiat, quæ virgo permanens ędat prolem, quæ ſine dolore enixa ſit infantem deum & hominẽ. Cæterũ hic verſus, nec primã ſimilẽ viſa es nec habere ſequentẽ huic loco inſertus, ex Sedulio authore grauiſſimo & (quod pluris faciendum eſt) viro Chriſtiano, ſumptus eſt, qui in primo libro diuinorum mirabilium virgineum deſcribens partum quo mundi ædidit ſaluatorem, hoc panegyrico laudatorioque carmine eam pientiſſime ſalutat.

Salue ſancta parens, enixa puerpera regem,
Qui cælum terramq; regit per ſecula, cuius
Numen, & æterno complectens omnia gyro
Imperium, ſine fine manet quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,

Nec

Nec primam ſimilem viſa es nec habere ſequentem.
Sola.ſine exemplo placuiſti fœmina Chriſto.

Ex quibus quidem carminibus:duo prima propter eorum dignitatem & grauitatem accommodata ſunt ex inſtituto eccleſiaſtico ad principium miſſæ,quę in commemorationem ſacroſanctæ virginis celebrari ſolet.Quintum itidem carmen:pro verſu illius principij miſſæ plærunque cęteris ſolet annecti.Porrò in reliqua hui⁹ nonæ antiphonę particula :beata virgo Maria reſpōdere inducitur interrogationi fidelium animarum iam propoſitæ ,& in ſua reſpōſione nihil ſibi(vt humilium ſpiritui mos eſt) aſcribit: ſed omnia deo tribuit:& in eum ſolum refert vniuerſa. Filiæ : Hieruſalem(inquit)& animæ fideles,viſionem pacis amantes,contemplationi deditæ,& ad deum qui vera pax eſt animo ſuſpirantes:quid me admiramini, quaſi mea virtute factum ſit hoc opus? quid me obſtupeſcitis : quaſi author fuerim & effectrix tanti miraculi?quid me ſuſpenſæ intuemini:quaſi contulerim quippiam ad hoc inauditum omnibus ſeculis & nouum myſterium?Deſinite quæſo meipſam admirari,& diuinam potius magnificate virtuté, quæ tantum confecit opus.Nolite mei admiratione duci : ſed ſupercæleſtem prædicate potentiam , quæ hoc ineffabile in me expleuit ſacramentum. Vos tantum moueant harum miracula rerum :quòd à deo(qui facit mirabilia magna ſolus)peracta ſunt & conſummata. Nam diuinum eſt myſterium hoc quod cernitis:non humanum.Id planè angelo nunciante cœptum eſt:ſpiritu ſancto in me ſuperueniente effectum,& virtute altiſſimi mihi obumbrante completum.Ipſi igitur ſoli qui ſua dignatione tantum in me & ſupercæleſte operatus eſt myſterium : qui ſua benignitate hoc quod cernitis miraculum in me peregit , qui denique ſola ſua gratia hoc merito admirandum in me perfecit ſacramentum:tota laus tribuatur , benedictio & gratiarum actio inſecula ſeculorum.Amen.

¶POST NATIVITATEM DOMINI,
de beata virgine:antiphonæ.

1

O Admirabile commercium, creator generis humani animatum corpus ſumens de uirgine:naſci dignatus eſt,& procedens homo ſine

ſine ſemine: largitus eſt nobis ſuam deitatem.

2 *Quando natus es ineffabiliter de uirgine: tunc impletæ ſunt ſcripturæ, ſicut pluuia in uellus deſcendiſti: ut ſaluum faceres genus humanum, te laudamus deus noſter.*

3 *Rubum quem uiderat Moyſes incombuſtum: conſeruatam agnouimus tuam laudabilem uirginitatem dei genitrix, intercede pro nobis.*

4 *Germinauit radix Ieſſe: orta eſt ſtella ex Iacob, uirgo peperit ſaluatorem: te laudamus deus noſter.*

5 *Ecce maria genuit nobis ſaluatorem, quem Ioannes uidens, exclamauit dicens, ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

6 *Mirabile myſterium declaratur hodie, innouantur naturæ: deus homo factus eſt: id quod fuit permanſit, & quod non erat aſſumpſit, non commixtionem paſſus neque diuiſionem.*

7 *Magnum hæreditatis myſterium, templum dei factus eſt uterus neſciens uirum: nõ eſt pollutus ex ea carnem aſſumens, omnes gentes uenient dicentes gloria tibi domine.*

¶ Hę ſeptem antiphonæ ex conſtitutione eccleſiaſtica cãtari ſolẽt in honorẽ ſacratiſſimæ virginis Mariæ inter feſtum natiuitatis domini & purificationis eiuſdem virginis quòd digne admodũ, præclarè & luculenter explicãt myſteriũ dominicæ incarnationis, veteris quidẽ teſtamenti figuris præſignatum: ſed iam illis completis abſolutum & mundo exhibitum, quẽadmodum annotationes pro more ſingulis applicandæ, amplius iã enodabunt. Neque quiſpiã de his antiphonis præcedentibus itẽ & ſequentibus aut reſponſoriis aliiſve ad vſum eccleſiaſticũ accõmodatis ſententiis ſacris impendio ſolicitus ſit: quiſnã author ea cõpoſuerit, aut quo tempore illa ſint inſtituta. Nã idipſum determinare, admodũ difficile foret: cũ de certo eorum au-

thore nequaquam conſtet,aut tempore inſtitutionis ipſorum. Neque id etiam noſcere multum conducit aut cõfert ad rem,quoniam ignorato authore non minus eorum ſententia dinoſcitur eſſe præclara,digna & cum magna religione amplectẽda:quam ſi certus noſceretur author. Ideò in his omnibus tenendum cenſeo id Senecæ verbum. Non à quo dicatur,ſed quid dicatur attende.

1 ¶ANNOTATIONES. In prima antiphona. O admirabile commercium. Duorum inter ſe diuerſorum in vnũ coniunctio:commercium dici ſolet. Natura autem diuina & humana,longo abinuicem & improportionali diſtãt interuallo:attamen vnitæ ſunt in vna Chriſti perſona. Eſt igitur conſortium illud verè admirabile:quo ſummum coniungitur imo,diuinum humano:æternum temporali, immenſum finito,incomprehenſibile circunſcripto, impaſſibile paſſibili,immortale mortali. Cæterùm rectè ſubiũgitur humani generis creator animatum corpus ſumpſiſſe de virgine:animatum inquam anima rationali,ne quis cũ hæreticis inſaniens & delirans,putet eum aut phantaſticũ ſumpſiſſe corpus aut de cælo & non ex virginis ſubſtantia aut corpus tantum ſine anima,aut animam ſenſitiuam non autem rationalem accepiſſe. Quia enim perfectus proceſſit homo : ex anima rationali & humana carne erat verè ſubſiſtens. Proceſſit autem ſine ſemine:quia ſine viri conſortio & operatoria ſpiritus ſancti virtute homo fact⁹ eſt. Demùm ſuam nobis largitus eſt deitatem:vt qui de noſtro genere ſumpſit humanitatem,de ſuo nobis impartiret deitatem ſuæque diuinitatis participationem.

2 ¶ In ſecunda antiphona. Quando natus es ineffabiliter. In principio huius antiphonæ, verbum ſubſtantiuũ ſecundæ perſonæ es, legendũ eſt:& non in tertia perſona,eſt quoniam in tota iſta antiphona,ſermo ad Chriſtũ deũ & hominem dirigitur:ſicut in tertia antiphona ad ſacroſanctã virginẽ,& ergo per ſecundæ perſonæ verba aut pronomina:ſermonis contextus formari debet. Neq; ocioſe aut ſuperuacuè hic dictum quis putet Chriſtũ ineffabiliter natum eſſe de virgine. Siquidẽ ineloquibile & humanis verbis inexplicabile eſt myſterium dominicæ natiuitatis ſecundum carnẽ:quo virgo facta eſt mater:& deus homo, vt nõ tantum de æterna filij dei natiuitate à patre ſecũdũ deita-

tem

tem,ſed & temporali eius ortu à matre ſecundum huma-
nitatem: verum ſit illud prophetæ verbum :generationem *Eſa.53*
eius quis enarrabit?Quando autem exhibita eſt mundo hu
iuſmodi admirabilis natiuitas:tunc impletæ ſunt ſcripturę
prophetarum quæ multo antè tempore prænunciauerant
aduentum Chriſti in carnē,& natiuitatis iſtius nouitatem,
vt Eſaiæ,Hieremiæ,Ezechielis,Danielis, Micheæ , Aggęi
& cæterorum.At verò ſicut pluuia in vellus deſcēdit Chri
ſtus:cum ſubiit vterum virginis matris,quoniā placido il-
lapſu vt cæleſtis imber in illius gremium intemeratum ſi-
ne corruptione venit,quemadmodum in illius typo & fi-
gura,vellus Gedeonis explicatum in area(ipſo potēte hoc
ſignum à domino)irrigatum eſt largo rore: tota reliqua
terra manente arida.Proinde in nouo illo virginali con- *Iudicum 6.*
ceptu impletum eſt:quod prædixerat propheta de Chri-
ſto.Deſcendet ſicut pluuia in vellus:& ſicut ſtillicidia ſtil- *Pſal. 71.*
lantia ſuper terram.Ex quo quidem loco pſalmi: hæc clau
ſula præſentis antiphonæ ſumpta eſt.Demùm deſcendit de
cælo dei filius in mundum,vt ſaluum faceret genus huma *1.Tim.1.*
num:quoniam vt ſcribit apoſtolus ad Timotthęum,Chri-
ſtus Ieſus venit in hunc mūdum,peccatores ſaluos facere.
Et vocatum eſt nomen eius Ieſus,vt inquit angelus ad Io *Matt.1.*
ſeph:quia ſaluum facturus erat populum à peccatis eorū.
3 ❡ In tertia antiphona.Rubum quem viderat Moyſes
incombuſtum. Ricardus de ſancto Victore in principio
expoſitionis ſuæ ſuper Apocalypſim:hāc viſionem Moyſi
oſtēſam de rubo incōbuſto,myſticè ad ſacroſanctā virginē
Mariam applicat,his verbis. Viſio (inquit) quæ Moyſi in
rubo extrinſecus viſibiliter apparuit:typica ſignificatione
plena fuit.Quid nanque accipimus per flammam :niſi ſpi-
ritus ſancti gratiam? Quid per rubum:arborem paruu-
lam,aſperam,viridem & floridam : niſi beatam virginem
Mariam?per ſui contemptum humilem , per virtutum ex-
ercitium aſperam contra mollitiem , viridem per fidem,
floridam per caſtitatem.Domino itaque apparente in ru- *Exod.3.*
bo , flamma rubum non læſit , & filio dei carnem in
virgine ſumente , obumbrante ſpiritus ſancti gratia:
pudor virginalis illæſus permanſit. Hæc igitur viſio:
cæleſtis ſacramenti virtute redundat. Vnde & Moyſes
de hac eademviſione dixit. Vadam & videbo viſionem

hanc magnam. Reuera etenim viſio magna fuit: quæ & præſens tunc miraculũ exhibuit, & incarnationẽ verbi ac virginis matris integritatẽ perpetuam præſignauit, hæc ille. Cæterùm pro ſententia præſentis antiphonæ perfectè capienda, ſubaudiẽdũ eſt verbũ ſubſtãtiuũ eſſe: quod illos duos accuſatiuos vnũ explicantẽ figurã & alterũ rẽ figuratam, connectat adinuicẽ, vt hic habeatur ſenſus. O dei genitrix, agnouimus rubum quem viderat Moyſes incõbuſtũ eſſe tuam laudabilem virginitatem conſeruatã. Eſſe inquã, non ſecnndum rem & ſubſtantiam: ſed ſecundum ſignificationem & repræſentationem, propter figuræ ad figuratum
1.Cor.10. habitudinem ac affinitatem, quomodo & Paulus dicit de petra quæ ſcaturiuit populo Iſrael aquam in deſerto quòd erat Chriſtus: quia Chriſtum præſignabat.

4 ¶ In quarta antiphona. Germinauit radix Ieſſe. Prædixerat quidem Eſaias. Egredietur virga de radice Ieſſe, &
Eſa.11. flos de radice eius aſcẽdet: & requieſcet ſuper eũ ſpirit⁹ domini. Quib⁹ verbis deſignauit ſacrã virginẽ Mariã nomine virgę ibi expreſſam: de ſtirpe Ieſſe oriturã: & dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ per florẽ ibi ſignatũ, de ſacroſancta virgine naſciturũ. Id ergo vaticiniũ: in natiuitate domini cõpletũ eſt, nã tũ radix Ieſſe, virgo ſcilicet glorioſa oriunda de Ieſſe per Dauid germinauit, ſuũq; germẽ protulit ſcilicet Chriſtũ florẽ toti mũdo ſalutarẽ: cuius ſuauiſſimo odore ad vitã reuocati ſunt omnes. Inſuper Balaã diuino afflatus ſpiritu vaticinatus fuerat: vt habet liber Nume. Orie-
Num.24 tur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael: & percuti
Apoc.22. et duces Moab. Vbi per ſtellã intelligitur Chriſtus: qui de ſeipſo dicit in Apoca. Ego ſum genus & radix Dauid: ſtella ſplendida & matutina: Stella autem illa: ex Iacob oritura nunciabatur: quoniã Chriſtus ſecundũ carnẽ ex Iacob erat deſcenſurus. Quod ergo tanto ante tẽpore fuerat prænunciatũ: in natiuitate domini cõpletum eſt, nã tunc ſtella
Ioan.1. illa totum ſuo ſplendore mundũ illuminans: ex Iacob ſecundũ carnis originẽ prodiit: & virgo mundi ſaluatorem ædidit. 5 ¶ In quinta antiphona. Quem Ioannes videns: exclamauit dicens. Ecce agnus dei. Id ex primo cap. euangelij Ioannis ſumptum eſt vbi ait euangeliſta, Vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe: & ait. Ecce agn⁹ dei: ecce qui tollit peccata mundi. Et agnũ dei ſemel ac iterũ Chriſtum nomi-

nominat præcurſor domini,propter ſingularem eius inno centiam & puritatẽ:qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Inſuper & propter immolationẽ eius in cruce:in qua ſeipſum tradidit oblationem & hoſtiã deo in odorẽ ſuauitatis. In veteri nanque lege:agnus ſine macula in typum huius veri agni & figuram immolari iuſſus eſt. Hic autẽ verus agnus peccata mundi tollit: quoniã dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum,ac peccata noſtra in corpore ſuo pertulit ſuper lignum:& liuore eius ſanati ſumus, Non enim corruptibilibus auro vel argento redempti ſumus de vana noſtra conuerſatione : ſed precioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati, vt ait beatus Petrus. 6 ❡ In ſexta antiphona. Innouantur naturę. Non quidem per vnius in alteram,mutationem tranſitum & traductionẽ. Neque enim in mirabili myſterio incarnationis domini:aut deitas in carnẽ mutata eſt,aut caro in deitatem,ſed per nouam vnionem vtriuſque naturarum in vnam perſonam. Nunquã enim prius, naturæ illæ omnino inter ſe diuerſæ:fuerant inter ſe vnitę, & nunc primum in ſuſcepta diſpenſatione carnis :mirabiliter ad inuicem vniuntur. Idcirco innouari dicuntur:quia nouo ſe habent modo,& noua ratione ſubſiſtunt. Pręterea id quod fuit,permanſit Chriſtus,nam ante incarnationem: deus fuit & dei filius,& per ſuſceptam humanitatem: idipſum non deperdidit. Et quod non erat:aſſumpſit. Nempe ante incarnationem:non erat homo,per aduentum autem eius in mundum:aſſumpſit humanitatem, perinde atque aliquis induens primum purpuram:id quod fuit permanſit, vt homo,& qui non fuerat ante purpuratus : aſſumpſit nouam purpuram. Demùm Chriſtus in hac aſſumptione humanitatis:non eſt paſſus commixtionem naturarum. Nam ambæ poſt vnionem manſerunt in eo diſcretæ atque inconfuſæ. Neque diuiſionem etiam paſſus eſt perſonæ,nã deus & homo vnus eſt Chriſtus:non alius deus & alius homo,ſed omnino idem:deus & dei filius: ac homo & filius hominis. 7 ❡ In ſeptima antiphona. Magnum hæreditatis myſterium. Id ſingulare ſacramentum incarnationis domini :dicitur myſterium hæreditatis,tum quòd per ipſum: Chriſtus vt homo conſecutus eſt hæreditatem gentium & totius humani generis,quemadmodum in pſalmo dicit ad

Eſa. 53.
Exod. 12
Eſa. 53.
1. Petri. 2.
Pſal. 2.

eum pater. Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem
Pſal.27. tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ. De qua etiam hæreditate: orat propheta in pſalmo. Saluum fac populum tuum domine: & benedic hæreditati tuæ. Tum etiam quòd
Roma.8. per ipſum dei & hominis commercium, nos aſſecuti ſumus hæreditatem regni cæleſtis: factique ſumus (vt ait Paulus) hæredes quidem dei, cohæredes autem Chriſti. Et ſubaudienda eſt in principio huius antiphonæ particula ô, vt interiectio eſt admirationem exprimens & cum nominatiuo accuſatiuoque rectè ponitur: quam interdum authores ſuppriмunt, aut ſi quis malit: intelligat ibi ad ſententiæ cõpletionem verbum ſubſtantiuum eſt. Porrò relatiuum in tertia huius antiphonæ clauſula poſitum: non ad vterum refertur, cum id prohibeat diuerſitas generis, ſed ad virginem: cuius vterus neſciens virum, factus eſt templum domini & locus habitationis gloriæ eius. Quòd autem pollutus non ſit Chriſtus ex ea virgine carnem aſſumens: rationi apprime conſentaneum eſt, quia ipſa omnino impolluta eſt atque illabefacta: neque vllius paſſa mali contagiũ. Quomodo igitur ex immaculata carne aſſumens carnem: contraxerit maculam? Adde quòd ſumma deitatis puritas, alia quidem minus pura purgare poteſt & purificare: ſed labem ab aliis non poteſt ſuſcipere. Si enim ſol iſte ſenſibilis non polluitur, fœculenta huius mundi & craſſa corpora ſuo lumine perfundendo: quomodo lux illa deitatis inuiſibilis attingens vbique propter ſuam munditiam, maculam ſubibit: ſi inferioribus pro ſua dignatione corporibus ineffabiliter vniatur? Sanctificauit ergo carnem quam aſſumpſit, ſanctificauit & vberius virginem ſacram ex qua carnem aſſumpſit dei filius ſuæ deitatis præſentia: non ſordem exinde aliquam aut pollutionem ſuſtinuit. Cæterùm quoniam per apparitionem Chriſti in carne & deinde exhibitam eius paſſionem ac apoſtolorum prædicationem, multitudo gentium inducta eſt in ouile domini: merito ſubiungit poſtrema huius antiphonæ clauſula, quòd omnes gentes per hoc diſpenſationis carnis opus venient ad Chriſtum in ſpiritu & veritate adorandum: & gratias agẽtes de ſuſcepto lumine fidei dicent ei. Gloria tibi domine, qui natus es de virgine. Amen.

¶IN OCTAVIS EPIPHANIAE: antiphonæ.

1 VEterem hominem reuocans ſaluator,uenit ad baptiſmum:ut naturam quæ corrupta eſt per aquam recuperaret,incorruptibili ueſte,circumamictans nos.

2 Te qui in ſpiritu & igne purificas humana contagia: deum & redemptorem omnes glorificamus.

3 Baptiſta contremuit, & non audet tangere ſanctum dei uerticem:ſed clamat cum tremore, ſanctifica me ſaluator.

4 Caput draconis ſaluator contriuit in Iordanis flumine:& ab eius poteſtate omnes eripuit.

5 Magnum myſterium declaratur hodie:quia creator omnium in Iordane expurgat noſtra facinora.

6 Præcurſor Ioannes exultat cum Iordane, baptiſato domino:facta eſt orbis terrarum exultatio, facta eſt peccatorum noſtrorum remiſſio ſanctificans aquas ipſi omnes clamemus miſerere nobis.

7 Fontes aquarum ſanctificati ſunt, Chriſto apparente in gloria:orbis terrarum haurite aquas de fontibus ſaluatoris,ſanctificauit enim omnem creaturam Chriſtus deus noſter.

8 Baptiſat miles regem,ſeruus dominum ſuum, Ioannes ſaluatorem, aqua Iordanis ſtupuit columba proteſtatur,paterna uox audita eſt, hic eſt filius meus.

In tempore paſchali ad aſperſionem aquæ benedictæ:antiphonæ.

9 Vidi aquam egredientem de templo à latere dextero halelu ia,& omnes ad quos peruenit aqua iſta ſalui facti ſunt,& dicent halelu ia halelu ia.

¶ Inter has antiphonas octo primæ cantari ſolent in octauis epiphaniæ domini: quoniã tunc de baptiſmo à domino ſuſcepto in Iordane, fit celebritas & cõmemoratio in officio eccleſiatico. de cuius myſteriis, dignitate & gratia, illæ faciunt mentionem: explicántque cauſas ſucepti à Chriſto lauacri baptiſmalis, ſimul & beneficia humano generi per hãc ablutionẽ collata depromit. vt annotationes ipſæ per ordinẽ amplius apperient. Nona verò & poſtrema antiphona cõcinitur in tempore paſcali ad aſperſionem aquæ benedictæ. quæ tamen cæteris hic eſt ſubiecta ac annexa, quòd cõſimilé cum eis pertractet materiã: & de exundatione fontis baptiſmalis & ſaluifica eius virtute etiam faciat mentionem. vt eius explicatio docebit.

1 ¶ ANOTATIONES In prima antiphona. veterem hominẽ renouans. Vetus homo hic dicitur vita vetus in peccatis, ſecundũ Adam & cõcupiſcentias carnis. Ex oppoſito, nouus homo eſt noua vita in iuſtitia, ſecundũ Chriſti ſimilitudinem & legẽ ſpiritus. Vtrũque horũ ex apoſtolo ſtatim euadit planum, ſic ſcribente ad Epheſios. deponite vos ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominẽ, qui corrũpitur ſecundum deſideria erroris. Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum deum creatus eſt in iuſtitia & ſantitate veritatis. Et in epiſtola ad Coloſſenſes: idem innuit dicens. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis: & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitione dei ſecundum imaginem eius qui creauit eum. Chriſt⁹ autem virtute ſui baptiſmi ab humano genere vetuſtatem abſtulit peccati, & vitæ nouitatem illi contulit, idcirco veterem hominem renouaſſe dicitur per baptiſmum. Cæterùm quemadmodum tempore vniuerſalis cataclyſmi ſub Noe cum omnis caro corruperat viam ſuam: aqua diluuij expiauit hominum peccata, terrámque corruptam purgauit, & ergo typus fuit & figura baptiſmi à Chriſto inſtituendi, vt dicit beatus Petrus in prima ſua epiſtola In diebus (inquit) Noe cum fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma. Ita planè humanam naturam peccato corruptam, in ſuſceptione baptiſmi Chriſtus expurgandam docuit

Ephe. 4

Col. 4

Gene. 6

1. Petri 3

docuit:& talem illi efficaciam tradidit. Demùm per baptiſmum contulit etiam nobis Chriſtus veſtem candidiſsimam innocentiæ & puritatis quę ſi ſyncera ſtudioſe ſeruatur:incorruptibilis eſt,& ad vitæ incorruptibilitatem nos perducit. Ideo tertio loco hoc beneficium nobis per Chriſti baptiſmum indultum commemoratur:quòd veſte incorruptibili nos circundederit. Eſt autem(ne etiam minima prætermittantur)circumamictans, participium verbi frequentatiui: quod a ſupino amictum huius verbi quartæ cõiugationis amicire formatur, & ſignificat circundãs, ſiue circunueſtiens aut circum induens.

2 ¶ In ſecunda antiphona. Te qui in ſpiritu & igne purificas. Chriſtus in ſpiritu & igne dicitur hominum peccata purgare:quoniam ſuo baptiſmo ſpiritum ſanctum largitur & amorem diuinum,qui omnia abſtergit peccata & noxias exurit concupiſcentias: vt immiſſus ignis vepres & vrticas agrorum. Id ſane ex euangelio compertum habetur: vbi Ioãnes baptiſta Chriſtum ſibi longe præferẽs, ait. Ego quidem baptiſo vos in aqua:in pœnitẽtiam. Qui autem poſt me venturus eſt: fortior me eſt,cuius nõ ſum dignus calciamenta portare. Ipſe vos baptiſabit in ſpiritu ſancto & igni,quia ſcilicet(vt ait gloſa) ſanctificat à peccatis:& accendit amore dei. *Matth.3*

3 ¶ In tertia antiphona. Baptiſta contremuit. Tremor iſte fuit ob reuerentiam & conſiderationem ſublimitatis domini: reſilitio in ſuam paruitatem, & ſui in conſpectu Chriſti humiliatio, cum admiratione tantæ ſubmiſsionis qua dominus ad ſeruum & rex ad militem venire dignaretur, vt ab eo baptiſmum ſuſciperet. Nempe vt ſcribit Matthæus,recuſauit Ioannes, ex humilitate Chriſti baptiſandi officium:dicens. Ego à te debeo baptiſari:& tu venis ad me? Quod etiam in fine huius antiphonæ innuitur his verbis Ioannis ad Chriſtum, ſanctifica me ſaluator. Fuerat quidẽ ipſe ſanctificatus in vtero materno,ſed ampliorem ab eo qui ſanctus eſt ſanctorum petiuit ſibi ſanctificationem concedi:quã nomine baptiſationis inſinuauit euangeliſta. Nam ſanctificatio omnis,baptiſatio eſt in ſpiritu ſancto. Cæterùm iſte tremor: neq; pœnæ annexus eſt neque peccato, ſed venerationis plenus & admirationis, maximéque commendandus quia ex humilitate ſpiritus

Pſal. 2 ritus procedit. Vnde iubemur in pſalmo ſeruire domino
in timore:& exultare ei cum tremore. Et Eſaias ad bonos
Eſaia 66 & rectos corde verba faciés,ait. Audite verbum domini.
qui tremitis ad verbum eius.tremitis(inquit gloſa) reuerentes & venerantes. Quinimmo & in angelicis ſpiritibus
eſt huiuſmodi tremor & horror reuerentiæ plenus: quo
Iob. 26 procunbunt in facies ſuas ante thronum diuinæ maieſtatis
quemadmodum ait Iob. Columnæ cæli contremiſcunt:&
pauent ad conſpectum eius. Eccleſia itidem catholica canit,quòd diuinam maieſtatem laudant angeli:adorant do-
Pſal. 73 minationes,tremunt poteſtates. 4 ¶ In quarta antiphona. Caput draconis ſaluator. Id ſumptum eſt ex pſalmo
ſeptuageſimo tertio: vbi propheta dicit ad dominum. Tu
contribulaſti capita draconum in aquis:tu confregiſti capita draconis.Contriuit autem dominus capita draconum
in aquis:quia ſuperbias dæmoniorũ vndis baptiſmi cótu-
Eccle. 10 dit & cópreſsit. Vt enim caput principiũ eſt corporis: ita
initium omnis peccati ſuperbia. Et quod ſecundo loco
draconis numero ſingulari ſubiungit pſalmus:eo nomine
principem dæmoniorum ſingulariter ſignat. Nempe ſicut
in tranſitu maris rubri (qui figura eſt & repræſentatio
1. Corin. 10 baptiſmi: vt innuit beatus Paulus dicens in prima epiſtola ad Corinthios. Patres noſtri omnes ſub nube fueruut:
& omnes mare tranſierunt & omnes in Moyſe baptiſati
ſunt in nube & mari) Pharao rex AEgyptius cum omni
ſuo equitatu demerſus eſt, & populus domini euaſit incolumis,ita in baptiſmo tota cohors dæmonica peſſundatur
atque conteritur,& homo ſalutaribus ablutus vndis Chriſto renaſcitur. 6 ¶ In ſexta antiphona. Exultat cum
Iordane. Scriptura ſæpenumero quod rei animatę eſt:attribuit per proſopopeiam, perſonarúmque fictionem rebus inanimatis. vt in pſalmo. Montes exultauerunt vt ari-
Pſal. 31 etes: & colles ſicut agni ouium. Et alio in loco. Tunc e-
Pſal. 95 xultabunt omnia ligna ſyluarũ à facie domini. Ita & hic
exultaſſe dicitur Iordanis baptiſato domino; quoniam
magna illi acceſsit dignitas & præſtantia ex eo, quòd cótactu mũdiſsimæ carnis domini ſantificatæ ſunt eius aquæ
& in illis omnia fluenta aquarum ad baptiſmum conſecrata. Acceſsit & ſingularis illi prærrogatiua: quòd ex
omnibus mundi fluminibus ille vnus electus eſt à domino,

mino fluuius in quo baptiſari dignaretur, & quem ſui cor poris ſacratiſsimi attactu vellet conſecrare, quemadmodum etiam veteris legis tempore, multa in eo diuinæ virtutis inſignia monſtrata ſunt. Nam populo Iſrael ingreſſuro terram promiſsionis ſiccum præbuit iter contractis ſuis fluctibus, vt prius mare rubrum, illi egreſſo de Aegypto præſtiterat. Idē quoq; ad contactū pallij Heliæ: ſemel & iterum tam Heliæ quàm Heliſæo aridum exhibuit al- *Ioſue.* 3
ueum pro ſemita. Ferrū itidē delapſum in eius amnē, Heli *Exod.* 14
ſæo imminente lignum aquæ: ad ſuperiora remiſit, vt na- 4. *Reg.* 2
tans coniungeretur manubrio. Denique Naaman lepro- 4. *Reg.* 6
ſum ſepties aquis ſuis ablutum: reddidit mūdatum lepra, 4. *Reg.* 5
& integræ ſanitati reſtitutum, quod virtutis baptiſmalis (qua omnis animæ tollitur macula) præſignificatio quædam erat & ſignum. Porrò cum eadem ſubiungit antiphona, quòd facta eſt orbis terrarum exultatio: nomine orbis terrarum, totum genus humanum intelligatur, quoniam inter creaturas illud ſolum, baptiſmi gratiam poteſt percipere: Et enim per metonymiam ſcriptura frequēter nomen loci pro iis quæ eo loco cōtinentur, accipit. Facta eſt & per Chriſti baptiſmum: remiſsio peccatorum noſtrorū, vt hic dicit litera, quia inſtitutum eſt à Chriſto baptiſma: vt per ipſum aboleantur & abſtergātur peccata noſtra, & eccleſia catholica vnum confitetur baptiſma: in remiſsionem peccatorum. Denique remiſsio peccatorum dicitur hoc loco ſanctificans aquas: quoniā virtus diuina dimittens peccata, ſanctificauit aquas, vt per eas in rite ſuſcipiētibus id ſacramentum abradantur & deleātur peccata. Et relatiuum ipſi, circa finem præſentis antiphonæ poſitum: intelligatur eſſe datiuus ſingularis, referens Chriſtū ſanctificantem aquas. 7 ¶ In ſeptima antiphona. Chriſto apparente in gloria. Dicitur Chriſtus cum baptiſaretur, in gloria apparuiſſe: quia tunc ſuperſanctæ trinitatis myſterium, ſenſibilibus indiciis deſuper eſt declaratū. Vox enim illa cælo delapſa, hic eſt filius meus dilectus: patrē declarauit Chriſtus in carne ſuper quem cæli ſunt aperti: dei filiū manifeſtauit, quoniā ipſe is erat, & colūba deſcendens ſuper eum & manens: ſpiritum ſanctum monſtrauit. *Matth.* 3
Inſuper diuinitatis Chriſti, de cęlo tunc perhibitū eſt teſtimoniū? per vocē paternā conteſtantem Chriſtum eſſe dei

filium,

filium. In his autem omnibus: gloria Chriſti mirifice pate facta eſt, atque toti mundo demonſtrata. Nomen autem orbis, hoc in loco vocatiuus ſingularis eſſe intelligatur: ordinatus cum verbo plurali haurite, & pro humano genere (ſicut ſuperius) ſumi, vt ſenſus ſit huiuſmodi. O homines vniuerſi: haurite aquas de fontibus ſaluatoris, id eſt ſuſcipite baptiſmi lauacrum, & gratiam quæ inde profluit ex ſaluatoris noſtri exuberantia, bonitate & affluentia.

Eſa.12 Sumptúmque eſt illud ex Eſaiæ duodecimo capi dicẽtis: Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris: & dicetis in illa die, confitemini domino & inuocate nomẽ eius. In quibus verbis prænunciat propheta: gratiam baptiſmalem nouæ legis tempore in totum genus humanũ profluxuram, per fontes aquarum intelligens ſalutaria baptiſmi fluenta: euangelica luce coruſcante à Chriſto conſecrata. Poſtremũ cum hic dicitur Chriſtus omnem creaturam ſanctificaſſe: omnis creaturæ nomine, intelligatur homo, quandoquidẽ ipſe cum omni conuenit creatura & ſpirituali & corporali: immo vtriuſque in ſe generis creaturarum nexum habet & coaleſcentiam, corpore cũ ſenſibilibus: & anima cum intellectualibus conueniens ſubſtantiis. Proinde in ſcriptura nonnunquam homo, omnis

Marc.16 creaturæ nomine deſignatus inuenitur, vt cum dicit Chriſtus diſcipulis ſuis apud Marcum. Euntes in mundũ vniuerſum: prædicate euangelium omni creaturæ. Cũ enim in præſente antiphona fiat ſecundum materiam ſubiectã mentio de ſanctificatione facta per baptiſmum, cuius nulla alia creatura pręter hominẽ eſt capax: planũ eſt & hic ſanctificationem intelligi debere ſoli humano generi indultam. 8 ¶ In octaua antiphona. Iordanis ſtupuit. Idẽ eſt id loquendi genus cum eo: quo ſuperius dictũ eſt Iordanem exultaſſe baptiſato domino. At verò in ipſius baptiſmi à Chriſto ſuſcepti hora, columba proteſtatur (vt hic dicit litera) ipſum ſcilicet Chriſtum eſſe verum deũ & dei

Ioan.1 filium: ſecundum ſignũ beato Ioanni Baptiſtæ cælitus datum. Qui miſit (inquit) me baptiſare in aqua ille mihi dixit. Super quem videris ſpiritum deſcendentem & manẽtem ſuper eum: hic eſt qui baptiſat in ſpiritu ſancto. Et ego vidi & teſtimoniũ perhibui: quia hic eſt filius dei. Porrò in hac ſacratiſsima Chriſti baptiſatione, triplex oſtenſum

ſum eſt munus & beneficiũ: quod aſſequuntur omnes qui in Chriſto rite baptiſantur. Primum adoptio in dei filiationem: deſignata per vocem patris, conteſtantem Chriſtum qui baptiſabatur eſſe ſuum filium. Significabat enim illa vox: & eos qui ſacris illis initiantur, in filios dei adoptari. Secundum: apertio regni cæleſtis: demonſtrata per cælum apertum ſuper Chriſtum baptiſatum, quod indicabat introitum cæleſtis regni illis protinus aperiri: qui hoc ſacramento ſanctificantur. Tertium, ſuſceptio ſancti ſpiritus: inſinuata per ſpiritũ ſanctum in ſpecie columbæ deſcendentem ſuper Chriſtum, quod planè monſtrabat: omnibus qui legitime baptiſmalibus abluuntur vndis, etiam ſpiritum ſanctũ inuiſibiliter dari: quo in Chriſto ſunt regeniti. 9 ¶ In nona antiphona. Vidi aquam egredientem. Hæc antiphona, ex quadrageſimo ſeptimo cap. Ezechielis eſt deſumpta: vbi dicit propheta. Et conuertit me ad portam domus: & ecce aquæ egrediebantur ſubter limen domus ad orientem. Aquæ autem deſcendebant in latus templi dextrum. Et paulò pòſt. Et ecce aquæ redũdantes à latere dextro. Demũm paucis interiectis ſubiungit. Et ſaluabuntur & viuent omnia: ad quæ venerit torrens. Verùm myſtica illa viſio aquæ egredientis de templo: illã ſignat aquam ſacram, quæ de templo corporis dominici exiuit in hora paſsionis à latere dextro: cum vnus militũ lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua. Sacratiſsimum nanque domini corpus, nomine templi in ſanctis eloquiis interdum nuncupatur: quòd in eo habitauerit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt in eo loco euangelij. Soluite templũ hoc: & in tribus diebus excitabo illud, quod verbum: perhibet euãgeliſta dominum dixiſſe de templo corporis ſui. Et quicunque ea fuerint aqua lateris domini aſperſi: ſalui facti ſunt, vt dicit præſens antiphona, quoniam aqua illa dominico latere profluens (ſicut & aqua, ipſi Ezechieli prophetæ in prędicta viſione oſtenſa) ſignat aquam baptiſmalem & ſacri baptiſmatis vndam: de templo eccleſię militantis egreſsã, nomine templi etiam in ſacris literis interdum expreſſæ, vt cum ait pſalmus. Suſcepimus deus miſericordiã tuam in medio templi tui: ſcilicet eccleſiæ præſentis. Egreſſam inquam ad ſalutem: præſidium & fœliciorem ipſius ſucceſſum:

Eze.47

Ioann.19

Coloſ.2

Ioan. 2

Pſal.47

labore perquirendam. Non ſunt igitur vllæ illarũ frigido & languido corde legendæ: ſed cum attentione ſolicita ac veneratione, tanquam particulæ quædam & portiunculæ ſacrorum eloquiorum, & vnaquæque earum, ad ſuũ fontem vnde ſumpſit originem, á ſtudioſo lectore reducenda eſt ac reuocãda. Sicut enim antepoſitę antiphone, ex propriis ſacrarum literarum paſsibus vnde ſumptæ ſunt, ſuã acceperunt explanationẽ: ita & cæterę omnes ad eum ſcripturæ locum ex quo pendent: ſunt referendæ, & recta earum protinus patebit omnibus intelligentia. Quod ergo in explicatis antiphonis tanquam exemplo quodam propoſita iam factitatum eſt, in cæteris etiam (de quibus conſulto ſuperſedemus) eodẽ calle mõſtratáq; via eſt tẽtãdũ.

IN ADVENTV DOMINI:
1 RESPONSORIVM.

Ecce dies ueniunt, dicit dominus: & ſuſcitabo David *germen iuſtum, & regnabit rex & ſapiens erit: & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. Et hoc eſt nomen quod uocabunt eũ: dominus iuſtus noſter. Verſus. In diebus illis ſaluabitur Iuda: & Iſrael habitabit confidenter. Et hoc eſt nomen.*

In uigilia natiuitatis domini.

2 *Iudæa & Hieruſalem: nolite timere. Cras egrediemini: & dominus erit uobiſcũ. Verſus. Conſtãtes eſtote: uidebitis auxiliũ domini ſuper uos. Cras egrediemini.*

In natiuitate domini: de beata uirgine.

3 *Sãcta & immaculata uirginitas: quib⁹ te laudibus efferã, neſcio. Quia quẽ cæli capere nõ poterãt: tuo gremio cõtuliſti. Verſus. Benedicta tu in mulierib⁹: & benedictus fructus uentris tui. Quia quem cæli.*

In purificatione beatæ Mariæ.

4 *Gaude Maria uirgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti: quæ Gabrielis archangeli dictis credidiſti. Dum uirgo deum & hominem genuiſti: & poſt partum uirgo inuiolata permanſiſti.*

Verſus.

Verſus. Gabrielem archangelum ſcimus diuinitus te eſſe affatum: uterum tuum de ſpiritu ſancto credimus impregnatum, erubeſcat Iudæus infœlix: qui dicit Chriſtũ ex Ioſeph ſemine eſſe natum. Dum uirgo.

In commemoratione beatæ uirginis.

5 *Fœlix nanque es ſacra uirgo Maria: & omni laude digniſsima. Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus deus noſter. Verſus. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu, ſentiãt omnes tuum iuuamen: quicunque celebrant tuam commemorationẽ, Quia ex te.*

In natiuitate beatæ uirginis.

6 *Solem iuſtitiæ regem paritura ſupremum. Stella Maria maris hodie proceſsit ad ortum. Verſus. Cernere diuinum lumen: gaudete fideles. Stella Maria maris.*

In eodem feſto, aliud reſponſorium.

7 *Ad nutum domini, noſtrum ditantis honorem. Sicut ſpina roſam, genuit Iudæa Mariam. Verſus. Vt uitium uirtus operiret, gratia culpam. Sicut ſpina roſam.*

Reſpõſoria nonnulli autumant dici & nũcupari: quia lectionibus matutinis quibus ſubiiciũtur, materiæ cognatione affinitatéque fere ſemper reſpondent. Vt ſi ex veteri lege aut prophetis deprompte fuerint lectiones & reſponſoria illis ſubiuncta etiam ex illius ſcripturæ próptuario aut pſalmis ſunt ſumpta. Et ſi ex libris noui teſtamenti deſumãtur lectiones: itidẽ & earum reſponſoria, quod tamen non in omnibus ad vnguem obſeruatum comperitur. Alij reſponſoria dicta putant: quia vno illa inchoante, reliquus illi chorus concordi cantu reſpondet. Verſus verò qui reſponſoriis annectuntur ita nuncupatos arbitrantur: quia per illos vertimur atque regredimur ad aliquam partem reſponſorij repetendam. Vtcunque tamen res ſe habet: reſponſorij cantus in eccleſia pie & religioſe ſunt inducti, & vt plurimum ex aliquo ſcripturæ veteris

aut

aut nouæ legis loco deducti: ex quo illorum quæritanda eſt ſententia, quemadmodũ nonnulla ex plurimis hic adducta reſponſoria liquido patefacient: vt per illa in aliis idem tentetur inueſtigandi modus.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo reſponſorio. Ecce dies veniunt. Hoc reſponſoriũ ex viceſimotertio Hieremiæ capite ſumptum eſt: vnà cum ſuo verſu, vbi idem omnino verborum (vt hic) habetur contextus. Fit autem in eo, prænunciatio aduentus domini in carnem: eiúſque gemina natura, diuina ſcilicet & humana ibidẽ innuitur. Humana quidem: cum iuſtũ germen ipſi Dauid ſuſcitãdũ à Deo promittitur, ſcilicet Chriſtus xe ſtirpe Dauid naſciturus. Cuius & poteſtas deinde declaratur: quòd regnabit ſcilicet rex & ſapiens erit. Dabit enim ei (inquit angelus ad ſacram virginem) dominus deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. De eodem dicit etiam Paulus: quòd in eo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi. Monſtratur inſuper hic æquitas eius atq; rectitudo: quoniam faciet (inquit) iudicium atque iuſtitiam. Quod & Eſaias eodem afflatus diuino ſpiritu teſtatur dicens. Non ſecundum diuiſionem oculorum iudicabit: neque ſecundum auditum aurium arguet, ſed iudicabit in iuſtitia pauperes: & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Diuina verò eiuſdem natura hic inſinuatur: cum ſubiungit propheta. Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum dominus iuſtus noſter. Vbi ſecundum ſacros expoſitiores hebræam callentes linguam, loco nominis dominus: ponitur in Hebræo nomen domini tetragrammaton, id eſt quatuor elementis literariis ſcriptum: quod tamen eſt ineffabile, neque quoquo pacto proferri poteſt. Illud autem nomen in ſcriptura ſoli deo attribuitur: neque vnquã creaturæ accommodatur, quoniam diuinam ſubſtantiam abſolute ſignat. Porrò in ipſo verſu dati reſponſorij ex eodem loco ſumpto: Iuda & Iſrael, non ſecundum carnem ſed ſecundum ſpiritum ſumi debet. Iuda ſcilicet (quod ſignificat cõfitẽtem pro cœtu eorum qui confitentur nomẽ domini & mirabilia eius. Iſrael verò (quod videns deum interpretatur) pro multitudine fideliũ, ſyncera fide deum hic per ſpeculum & in ænigmate vidẽtium. Vtriſque enim & con

Luc. 1
Coloſ. 2
Eſa. 11

ſimæ virginis:quæ & dei mater eſt & virgo perpetua,eri génſque ad illam totum ſui animi affectum,tota in ſtuporem verſa,tota denique ob magnitudinem excellentiæ eius in admirationē ſuſpenſa: prorumpit in hoc virginalis ſuæ integritatis præconium. Sancta & immaculata virginitas. Verè ſancta virginitas:quæ nullo carnalis affectus puluere vnquā fuit reſperſa & coinquinata. Verè ſancta: quæ ſolis,lunæ & clarorum ſyderum longe exuperat mūditiam. Denique verè ſancta virginitas, quæ nitidiſsimā angelicorum ſpirituum tranſcendit puritatē: & ſanctum ſanctorū habuit ſui tabernaculi & virginalis thalami habitatorē. Immaculata ſanè virginitas in conceptu, immaculata in partu,& poſt partum immaculata: perpetuo candore nitens niueóque pudore. Quis igitur hanc ſanctam & immaculatā virginitatem dignis efferat laudibus: quā nec lingua nec mens humana laudare ſufficiat vnquam? Quis oro illam eximiam puritatē debitis celebret honorum titulis: quā nec mentes angelicæ ſatis laudare queāt? Quis inchoinquinatam illam integritatem pro dignitate extollere valeat:cui ſumma laus illa eſt quòd nunquā ſatis laudari & prædicari à quouis poſsit? Quod ſi cauſam illius ſciſsitaris:illico ſubiūgitur,quia illum caſtiſsimo nobis vtero ſuo exhibuit quem cœli cœlorum capere nō poterant,nec poſſunt adhuc, nec poterunt vnquam:quia cælo terráque eſt amplior. Si cælum (exclamat Salomon ad deum)& cæli cælorum te capere non poſſunt:quanto minus hæc domus quam tibi ædificaui? Non potuit quidem Salomonis templum capere dominum·cuius immenſa eſt plenitudo. At viuū veri Salomonis tēplum, gremiū virgineū,tabernaculū altiſsimi:illú cœpit vt hominem, vétris ſui ſacratiſsimi latebris illū cōtinuit, & demū toti mundo 3. Reg. 8
ſalutiferū profudit. His itaq; verbis eccleſia fideliū piè in tantā virginē matrēq; dei affecta:profitetur & deū eſſe & hominē,quem caſtis cōcepit viſceribus & peperit. Vt deū enim: cæli illum capere non poterant, vt hominem verò: ſuo gremio nobis illum contulit & protulit. Cæterùm vt etiam eorum quæ grammaticam concernūt admoneamus lectorem:non hic, quibus te laudibus referam neſcio legendū eſt, vt faciunt nonnulli, ſed efferā. Nā referre verbū,neq; ſignificationem habet huic loco accommodam,

ii ij neque

neque conſtructionem:cum non debeat vnquam accuſatiuo ſimul & ablatiuo iungi. Efferre verò verbum pro extollere:preſenti loco aptiſsime cógruit,& ſupradictos caſus expoſcit. Denique verſus huic ſubiunctus reſponſorio,ex primo capite euangelij Lucæ ſumptus eſt, vbi ſancta Elizabeth repleta ſpiritu ſancto hoc laudis præconiũ ſacræ virgini acclamat. Et merito quidem. Nã benedicta eſt ipſa in mulieribus ſiue inter mulieres:quæ ſola mulierum Euæ maledictum non ſenſit. Immo benedicta ſupra mulieres,& pluſquam cæterę omnes:nam Euę primæ matris maledictionem abſtulit,& toti mundo attulit benedictionem. Et quod amplius eſt, benedicta eſt ipſa vltra viros omnes poſt filium:quoniam vniuerſo generi humano benedictionis gratiam promeruit. Cui non ab re tota concinit fidelium eccleſia. Benedicta filia tu à domino:quia per te fructum vitæ communicauimus. Benedictus itẽ fructus ventris eius: totius benedictionis ac gratiæ largitor & author:Benedictus ille fructus & maledictionis profugator:ſuſtulit enim à nobis maledictionem & dedit benedictionem Denique benedictus ſit,laudatus & ſuperexaltatus in æternũ fructus ventris virginalis, Ieſus Chriſtus: qui eſt benedictus in ſecula amen. 4 ¶ In quarto reſpõſorio. Cunctas hæreſes ſola interemiſti. Merito dicitur ſacratiſsima virgo cunctas hæreſes ſola inteemiſſe: quoniam fidem habuit omnium perfectiſsimam, firmiſsimam & ſolidiſsimam,cuius firmitas & integritas omnem hęreſeos impietatem ſiue contra diuinitatis myſteria ſiue ſuſceptæ à Chriſto humanitatis,penitus eliſit. Omnis ſiquidem hæreſis:contra ſacrã fidei doctrinam aliquod nefandum ſuſcitat dogma. Quæ igitur incócuſſam & integram habuit fidem:omnes hęreticorũ inſanias & peſtiferas oblatrationes prorſus attriuit. At ſi noſcere velis quãta fuerit huius ſacroſanctæ virginis fides: audi eam tantopere

Luc.1 à ſancta Elizabeth commendari,dicente ad ipſam. Beata quæ credidiſti: quoniam perficientur in te quæ dicta ſunt tibi à domino. Neque meo etiam iudicio aberrabit,qui dixerit hanc virginem ſingularem cunctas hæreſes interemiſſe:quia ſummam veritatem & diuinã huic mũdo protulit, quemadmodũ ait pſalmus. Veritas de terra orta eſt. Chriſtum enim peperit:qui de ſeipſo dicit. Ego ſum via,

veritas

veritas & vita. Veritas autem non aliter omnem propel- *Pſal.84*
lit hæreſeos falſitatem: quàm lux clariſsima cæcas noctis *Ioan.14*
opacæ tenebras, quàm ſol aduenie͂s nocturnam caligine͂,
quàm lucida cæli facies vmbram terræ. Porrò quod pia fi
delium omnium & virgini omniſanctæ deuotorum cõfeſ
ſio, in principio verſus huic reſponſorio annexiſſe crede-
re proponit: ex primo cap. euangelij Lucæ, deſcribe͂te an-
nunciationem cõceptus dominici, deſumptum eſt & per-
ſpicuum. Et ex illo, merito damnatur Iudæorum pertinax
veſania, conte͂dentium Chriſtũ non de ſpiritu ſancto fuiſ-
ſe conceptum, neque de virgine natum: ſed ex nuptiali cõ
ſortio ipſius Ioſeph eſſe progenitum, derogantes & virgi
nali puritati & diuinitus factæ Chriſti conceptioni. Idcir
co ignobilitatem ipſi domino noſtro exprobrãtes Iudæi,
obſcuritatémque generis, qui omnia humana ſte͂mata lõ-
ge antecellit: dixerunt in euangelio apud matthæũ. Vnde
huic ſapientia hæc & virtutes? Nónne hic eſt fabri filius?
nónne mater eius dicitur Maria? Et apud Marcum dicunt
de Chriſto. Nónne hic eſt faber filius Mariæ? Rurſum a-
pud Lucam. Nónne hic filius Ioſeph? Denique apud Ioã- *Matth.13*
nem. Nónne hic eſt filius Ioſeph: cuius nos nouimus pa- *Marc.6*
trem & matrem? Sed eorum mentita eſt iniquitas ſibi. *Luc.4*
5 ¶ In quinto reſponſorio. Quia ex eo ortus eſt ſol iu- *Ioan.6*
ſtitiæ. Chriſtus dicitur ſol iuſtitiæ: quia fœlici ortu ſuo de͂
ſas huius mundi propulſauit tenebras, & fulgentiſsimum
veritatis lumen humanis cordibus infudit. Et eo nomine
etiam apud prophetam nominatur: dicentem. Vobis time͂
tibus nomen meum: orietur ſol iuſtitiæ. Et quoniam bo-
nis ſolum & rectis corde hic ſol inuiſibili radio ſpiritua-
liter oritur: apud Salomonem impij & reprobi pœniten-
tiam agentes in inferno, de non percepto ortu huius cla- *Malac.4*
riſsimi ſolis apud ſe conqueruntur dicentes. Ergo erraui-
mus à via veritatis: & iuſtitiæ lumen nõ luxit nobis, & ſol
intelligentiæ non eſt ortus nobis. At verò totus verſus hu
ius reſponſorij, ex vno ſermonum beati Auguſtini de aſ-
ſumptione ſacroſanctæ virginis ſumptus eſt: ita ad eã piæ *Sapien.5*
deuotionis verba dirigentis. O beata Maria, quis tibi di-
gna valeat iura gratiarũ ac laudum præconia repe͂dere?
quæ ſingulari tuo aſſenſu mũdo ſuccurriſti perdito. Quas *Auguſt.*
tibi laudes fragilitas humani generis, perſoluet? quæ ſolo

tuo commercio recuperandi aditũ inuenit. Accipe itaque quaſcunque exiles, quaſcunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum ſuſceperis vota: culpas noſtras orando excuſa. Admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis : & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit excuſabile : quod per te ingerimus, ſit impetrabile: quod fide poſcimus. Accipe quod offerim⁹: redona quod rogamus, excuſa quod timemus. Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes: refoue flebiles: Ora pro populo interueni pro clero: intercede pro deuoto fœmineo ſexu. Sentiant omnes tuum iuuamen: quicunque celebrant tuum nomen. Aſſiſte parata votis poſcentium : & repẽde omnibus ſalutis effectũ. Sint tibi ſtudia, aſsiduè orare pro populo dei : quæ meruiſti benedicta redemptorem ferre mundi: hæc ille. Ex quo etiã loco ſumpta eſt illa antiphona de beata virgine, multum deuota. Sãcta Maria ſuccurre miſeris: omnino illic integre inſerta. Et finis etiã alteri⁹ antiphonæ de eadẽ: ſcilicet. Beata dei genitrix Maria virgo perpetua, templum domini, ſacrarium ſpiritus ſancti: tu ſola ſine exemplo placuiſti domino Ieſu Chriſto, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu, ex ſupradictis Auguſtini verbis eſt deſumptus. Sicut & ea eiuſdem poſtremæ antiphonæ particula, tu ſola ſine exemplo placuiſti domino Ieſu Chriſto: ex illo carmine Seduliano paulo antè adducto, ſola ſine exemplo placuiſti fœmina Chriſto, eſt deprompta.

6 ℂ In ſexto reſponſorio. Solem iuſtitiæ, regem. Cur ſol iuſtitiæ hic vocetur Chriſtus, in præcedente reſponſorio reddita eſt ratio. Rex autem ſupremus idem hic nuncupatur: quoniam, vt ait Apocalypſis, habent in veſtimento & in fœmore ſuo ſcriptum: rex regum & dominus dominantium. Denique cur deo ſacrata virgo Maria, dicatur ſtella maris: aſsignata eſt in præcedente libro cauſa, in expoſi-
Apoc. 19 tione huius hymni. Aue maris ſtella. Cæterũ verſus huic reſponſorio ſubnexus exhortatur fideles omnes, vt gaudeant de tanto dei beneficio quòd diuinum cernunt lumen : ſacroſanctam ſcilicet virginem Mariam tanquam auroram prodeũtem in mundum, ante veri ſolis exortũ: tanquam ſtellam dei prænunciam progredientem ad ortum

tum ante lucidi ſolis aſpectum. lumen inquam diuinum quod humano generi horrendis in tenebris obuerſanti fœliciter illuxit, quod cæcutientibus infulſit mentibus hominum: & poſt diuturnam caliginem cœlitus ortum noſtris oculis apparuit. Cæterùm hoc reſponſorium præter aliorum morem carminis lege coercetur: & tria complectitur carmina hexametra. Sicut & iſtud quod ſequitur, in beatæ virginis laudem compoſitum reſponſorium: eodẽ clauditur genere carminis, ſimiliq; ſtringitur mẽſura.

Stirps Ieſſe virgam produxit: virgáque florem.
Et ſuper hunc florem requieſcit ſpiritus almus.
Verſus. Virgo dei genitrix virga eſt: flos, filius eius.

Cuius poſtremi reſponſorij ſententia, ex vndecimo capite Eſaiæ ſumpta eſt: dicentis, vt ſuperius per quam frequẽter adductum eſt. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini. Duo ſiquidem priora carmina: illam propheticam complectũtur ſententiam. Tertium verò carmen, ꝗ verſus eſt reſpõſorij dati: ſignificationẽ myſticã illius aperit oraculi. Virgo nãq; dei parẽs, virga eſt quantũ ad ſignationẽ, quia per virgam apud Eſaiã inſinuatur. & filius eius eadem ratione flos eſt: quia per florem ibi denotatur. *Eſaiæ* 11

Neque reſponſoria ſolum: ſed & antiphonæ interdum occurrunt lege carminis comprehenſæ. vt hæc in ſacræ virginis laudem confecta antiphona.

Alma redemptoris mater: quæ peruia cæli
Porta manens, & ſtella maris, ſuccurre cadenti
(Surgere qui curat) populo. tu quæ genuiſti
Natura mirante, tuum ſanctum genitorem:
Virgo prius ac poſterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud aue: peccatorum miſerere.

In quinto tamen eius carmine, iambus in ſecunda ſede ponitur pro ſpondeo, contra verſus hexametri regulam & legem. 7 ❡ In ſeptimo reſponſorio. Sicut ſpina roſam genuit. Spina aſperitatem habet offendentem tactum: aculeis armata eſt & pungit, læditque contrectantem. roſam tamen progignit ſine aculeis, ſine aſperitatis

horrore:gratam aſpectu,odore ſuauem & lenem attactu. Haud ſecus Iudæa peccatorum amaritudine acerba,multiſque obnoxia malis, quibus ſæpe deum offendit: ſacrã virginem Mariam produxit ſine labe, & omnis prorſus peccati neſciam. Et id quidem,non ex ſuis meritis,operibus iuſtitiæ aut inſita dignitate: ſed ſolo dei nutu,ſolo illius beneplacito,& bonitate ſola, qui tam ſanctæ virginis exortu voluit humani generis honorẽ ampliare,qui tantæ virginis innocentia ac puritate: decreuit noſtram ſortem honoratiorem reddere pariter & decoratiorem,& vltra cætera omnia tanto nos munere locupletare. Quòd ſi quiſpiam roget,cur id facere dominus fuerit dignatus:reſpondet ipſe verſus dati reſponſorij, vt virtus ſacroſanctæ virginis:humanæ conditionis inueteratum tegeret vitiũ, & gratia eiuſdem cumulatior: noſtrã obuelaret culpam, quinimmo vt virtus etiam filij eius: noſtrum detergeret vitium,& illius gratia:noſtram deleret culpam Porrò ſecundum huius reſponſorij carmẽ, propemodũ ex illo cantici canticorum verbo depromptum eſt. Sicut lilium inter ſpinas:ſic amica mea inter filias. Nempe inter ſpineta vitiorum progenita eſt clariſsima virgo: ſpinæ tamen neſcia, vernans vt lilium & virginitatis candore necnon & ſuaui virtutum odore gratiſsima, nihil in ſe aſperũ, acerbúmve ſuſtinens.

Can.2

IN SEPTVAGESIMA: reſponſorium.

1 *PEccata mea domine: ſicut ſagittæ infixa ſunt: in me. Sed ante quam uulnera generẽt in me: ſana me domine medicamento pœnitentiæ deus. Verſus. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meũ corã me eſt ſemper: tibi ſoli peccaui. Sed antequã.*

In quadrageſima.

2 *Emendemus in melius: quæ ignoranter peccauimus, ne ſubito præoccupati die mortis: quæramus ſpacium pœnitentiæ, & inuenire non poſsimus. Attende domine & miſerere: quia peccauimus tibi. Verſus. Peccauimus cũ patrib⁹ noſtris, iniuſte egimus: iniquitatẽ fecim⁹. Attẽde.*

DOMINICA IN PAS-ſione.

3 Circundederunt me viri mendaces: ſine cauſa flagellis ceciderunt me. Sed tu domine defenſor: vindica me.
Verſus. Quoniam tribulatio proxima eſt: & non eſt qui adiuuet. Sed tu domine.

Tempore paſcali.

4 Chriſtus reſurgens ex mortuis: iam non moritur. mors illi vltra non dominabitur. Quod enim viuit: viuit deo halelu ia halelu ia Verſus. Dicant nunc Iudæi: quomodo milites cuſtodientes ſepulchrum perdiderunt regem ad lapidis poſitionem? quare non ſeruabant petrã iuſtitiæ aut ſepultum reddant: aut reſurgentem adorent nobiſcum dicentes. Quod enim.

IN DIE ASCENSIONIS domini.

5 Poſt paßionem ſuam per dies quadraginta apparuit eis: loquẽs de regno dei halelu ia. Et videntibus illis eleuatus eſt halelu ia. & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum halelu ia. Verſus. Et conueſcens præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcederent: ſed expectarent promißionem patris. Et videntibus illis eleuatus eſt.

In die Pentecoſtes:

6 Cum complerentur dies pentecoſtes erant omnes pariter dicentes halelu ia. & ſubito factus eſt ſonus de cælo halelu ia. Tanquam ſpiritus torrens repleuit totam domum, halelu ia halelu ia. Verſus. Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperunt loqui. Tanquam ſpiritus torrens,

1 ¶ ANNOTAIONES. In primo reſponſorio. peccata mea domine. Sagitta infixa corpori, ipſum ſauciat & graui afficit vulnere: neque loco plagæ poteſt educi ſine medicæ manus ope, quæ niſi tempeſtiue admoueatur: erit illa

illa letalis arũdo,& mortem demùm inferet. Quòd ſi vnicum telum letiferum eſt,& triſte fatum intentare valet: quid duo aut tria,immò ſepté facient tela,aut maiore multiplicata numero:ſi infigantur humano corpori?nonne valentiore iure vulnera infligẽt & mortem? Anima autem mea,domine deus meus:multis peccatis tanquam iaculis mortiferis eſt confecta. Vulnerata ſiquidem eſt ſpiculo ſuperbiæ,inuidiæ,iracundiæ:ſauciata cuſpidè inertiæ & auaritiæ,traiecta demùm mucrone gulæ & libidinis, qui inferna ſuccenſus fornace:noxias in carne & anima mea ſuſcitat concupiſcentias. Neque ſemel tantum his ſeptem iaculorum modis eſt læſa:ſed iterum & ſæpius,vt multiplicata ſint ſuper numerum ab huiuſmodi telis illata mihi vulnera. Et niſi mature adhibeatur medicamentum ſalutare tantis & tam multis animæ meæ plagis:actum eſt de ea, corruet in mortem æternam,nec vnquam reſpirabit ad vitã. Sed quis tam grauibus poterit ſuccurrere morbis: niſi tu domine deus meus?qui verus es & benignus medicus animarum,qui dixiſti non opus eſſe ſanis medico: ſed malè habentibus. Malè me habere fateor:& graui languore depreſſus iaceo. Viſita igitur pro tua benignitate me ęgrotũ, qui totum viſitaſti genus humanum,educ iacula peccatorum animæ meæ altius infixa,infunde vulneribus meis vinum & oleum:& cataplaſmata ſalutaris pœnitentiæ illis ſuperimpone,vt eo medicamento,tua gratia adiutrice reſtituar integræ ſanitati. Cæterùm verſus ſubiunctus huic reſponſorio:ex pſalmo quinquageſimo ſumptus eſt,in quo pſalmodia gallica & hebraica habet, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Pſalmodia verò Romana(quã præſens ſequitur verſus)habet:& peccatum meum coram me eſt ſemper. Verùm in ſententia,nullum ferè vnius ab altera eſt diſcrimen. Nam præpoſitio contra ibi poſita, ſignificat peccati authoré duci pœnitudine & diſplicẽtia quòd illud admiſerit:& aſſiduè ipſum deteſtari. Præpoſitio verò coram ſignat peccati memoriam iugiter ante oculos pœnitentis obſeruari:ipſumque aſſidua illius recordatione affligi,ſicut dicit pſal.37.& cogitabo pro peccato meo, quoniam id multum humiliat pœnitentem:& incitat ad petendam veniam faciendámque pœnitentiam. Vtraque autem ſententia:& pia eſt,& ipſi loco conueniens.

Mat.9. Luc.10. Pſal.37.

¶In

¶ In ſecundo reſponſorio. Emendemus in melius. Salutaris eſt admonitio, qua ægroti ſe inuicem adhortantur: vt ſuo morbo remedium adhibeant cum temporis datur opportunitas, ne ea neglecta: demùm omnis auferatur facultas admouendæ medicinæ. Morbus autem animæ, peccatũ eſt: & morbus quidem grauis, noxius & letifer. Quiſquis ergo peccato obnoxius eſt: delictique in deum reus: ægrotus eſt, & morbo laborat difficili atque periculoſo. Clamat enim propheta ſuorũ peccatorũ conſcius. Miſerere mei domine: quoniã infirmus ſum. Et iterum alio in loco. Sana animã meam quia peccaui tibi. Salubri itaque exhortatione ſe inuicem prouocant & incitant in hoc reſponſorio fideles: ad quærendum medelam contra ſpirituales morbos quibus affictantur, per ſalutarem pœnitentiam, dicentes adinuicem. Emendemus in melius: quæ ignoranter peccauimus. Emendatio nanque vitæ in melius: eſt optima animæ medicatrix, & cunctorum medicina malorum. Cæterũ non putet quiſquam ſola ea eſſe emendanda quæ à nobis ignoranter admiſſa ſunt: eo quòd illa ſola hic nominatim exprimantur. Sed quoniam ea hic explicantur: perſuadeat ſibi certè ea quæ ignoranter in deum ſunt commiſſa, ignorantia quidem habente annexam culpam aut ob cauſam præſtitam aut ob negligentiam: eſſe emendanda in meli⁹. Et exinde tanto valentius illa quæ ſcienter peccauimus: eſſe emendanda colligat. Nam quæ ſcienter committũtur: iis quæ per ignorantiam fiunt ſunt grauiora, quandoquidem vt plurimum imminuit & extenuat ignorantia culpã. Tam ſolicitæ verò admonitionis & anxiæ ſolicitationis cauſa ſubnectitur, ne ſi tranſigi ſinatur id noſtræ vitæ tempus ad pœnitentiam datum, ſine digno pœnitentiæ fructu repentinus nobis ſuperueniat interitus, & ſubitaria intercepti morte, tunc quæramus pœnitentiæ tempus: quòd iuſto dei iudicio nobis denegetur, vt quia cum potuimus, nõ voluimus agere pœnitentiam, tunc cum volemus, non poſſimus. Ne igitur illa premamur anguſtia: vt monet ſacer Paulus, cum tempus habemus operemur bonum, & cum datur hora ſalutis, eam expetamus, ſupplici voce orantes quod tota fidelium eccleſia in hoc ſacro tempore quadrageſimali (quod eſt tempus acceptabile & dies ſalutis) diuinæ maieſtatis inclamat auribus. Attende domine

Pſal. 6.

Pſal. 40.

Galat. 6.

&

& miſerere:quia peccauimus tibi. Demùm verſus ſubiunctus huic reſponſorio ex pſalmo centeſimoquinto ſumptus eſt cui integer inſeritur:& humilem continet peccatorum confeſſionem, quæ vel ſola coram oculis diuinæ maieſtatis veniam conſequitur.

3 ¶ In tertio reſponſorio, Circundederunt me viri mendaces. Hæc verba ſunt domini Ieſu Chriſti acerbiſſimam paſſionem ſuam nobis declarantis: partim ex pſalmo viceſimoprimo, partim ex aliis pſalmorum locis myſterium ſuæ paſſionis explicantibus deprompta. Dicit enim in pſal-
Pſal.21. mo viceſimoprimo. Circundederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me. Et iterum eodem in loco. Quo-
Pſal.26 niam circundederunt me canes multi: conciliũ malignan-
Pſal.68. tium obſedit me. Quòd viri mendaces illum circunſtiterint: oſtendit in pſalmo viceſimoſexto dicens. Inſurrexerunt in me teſtes iniqui: & mentita eſt iniquitas ſibi.
Quòd vero ſine cauſa: alio in loco pſalmi declarat cum ait. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei: qui oderũt me gratis, confortati ſunt ſuper me qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſte: quæ non rapui tunc exoluebam Et ite-
Pſal.108. rum. Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea. Denique quòd flagellis cæſus fuerit:
Pſal.72. etiam in pſalmo teſtatur dicens. Et fui flagellatus tota die. Demùm Chriſti tam grauiter afflicti oratio ad deum patrem ſubiungitur. Sed tu domine defenſor vindica me.
Quæ ex vndecimo Hieremiæ capite deprompta videtur: vbi ait propheta in perſona Chriſti: cuius in perferendis ob iuſtitiam & veritatem tribulationibus erat typus & fi-
Hiere.11. gura. Tu autem domine ſabaoth qui iudicas iuſtè, & probas renes & corda: videam vltionẽ tuam ex eis, tibi enim reuelaui cauſam meam. Quæ quidem expetitio vltionis à deo perſecutoribus inferendæ, non ex affectu iracundiæ aut appetitu vindictæ proficiſcitur: ſed ex rectitudine & zelo iuſtitiæ, & ergo nihil habet inordinatum. At verò verſus huius reſponſorij, ex viceſimoprimo pſalmo manifeſte depromitur: qui ait, quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt qui adiuuet.

Pſal.21. 4 ¶ In quarto reſponſorio. Chriſtus reſurgẽs ex mortuis.
Rom.6. Ex ſexto capite epiſtolæ ſacratiſſimi Pauli ad Romanos: ſumptum eſt totum hoc reſponſorium vſque ad verſum.

In quo celebratur Chriſti à mortuis reſuſcitati immortalitas & vita perpetua: amplius violentiæ mortis & moleſtiæ nequaquam obnoxia. Indutum eſt enim in eo ipſum corruptibile: incorruptionem, & mortale prius corpus immortalitatem. Poſterior autem reſponſorij particula, quod enim viuit: viuit deo, eodem ex loco accepta eſt, vbi dicit Paulus. Quòd enim mortuus eſt peccato: mortuus eſt ſemel, quod autem viuit: viuit deo. Et intelligenda eſt etiã de Chriſto: ſicut & præcedens, nam ipſe & peccato mortuꝰ eſt pro nobis: & deo viuit ad gloriam & viuificationem noſtram. Demùm verſus hic ſubiunctus reſponſorio confuta- *Matt.27.*
tionem colligit Iudæorum: qui (vt narrat euangelium) permittente Pilato munierunt ſepulchrum Chriſti cuſtodibus, & lapidem obſignarunt: rati hoc modo ſe impedituros reſurrectionem eius. Sed non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra dominum. Nam cuſtodes illi poſiti vt reſurrectioni Chriſti præberent obſtaculum: facti ſunt vel inuiti, teſtes eius & ſpectatores. Meritò igi- *Prouer. 21.*
tur militibus ipſius ſepulchri cuſtodibus, à nobis fidelibus hæc in præſenti verſu ingeritur quæſtio: quomodo prægrandi lapide ſuperpoſito ipſi ſepulchro, Chriſtum perdiderunt. Et nihil milites habent quod verè reſpondeant: niſi humana id virtute factum non eſſe quòd ſurrexit, ſed diuina. Nam vt teſtis eſt beatus Paulus, crucifixus eſt Chriſtus ex infirmitate: ſed reſurrexit ex virtute dei. Rurſum ingeminata quæſtione ſi interrogentur milites illi: quare *2.Cor.3.*
non ſeruabant petram iuſtitiæ, id eſt Chriſtum qui ſpiri- *1.Cor.10.*
tualis eſt petra (vt ait Paulus) & totius iuſtitiæ baſis: nihil iterum habent quod aptè reſpondeant, niſi ſuæ non fuiſſe facultatis illam ſeruare petram: quæ immenſa virtute ſua mortem contriuit, & toti mundo vitæ perénis munera reddidit. Deinde ſub diſiunctione proponitur ipſis militibus alterutrum horum quòd aut Chriſtum ſepultum reddant: nam ſuæ commiſſum cuſtodiæ acceperunt, quare vt depoſitum reſtituere debent iis: qui eum fidei ipſorum crediderunt, aut quia cognoſcunt certò, eum ſupra naturæ legem & vires verè à mortuis reſurrexiſſe: ipſum vt deum & mortis deſtructorem adorent, confitentes nobiſcum, cũ diuina virtute nunc vitam viuere immortalem. Et quoniã primum eorum quæ propoſita ſunt, præſtare non poſſunt:

nam

nam id in ſua nō eſt facultate,id ſolum reliquum eſt quod ſecundum amplectantur,Chriſtumque vt verum deū ſuppliciter adorent.

5 ¶ In quinto reſponſorio. Poſt paſſionem ſuam. Ex primo capite actuum apoſtolorum ſumptum eſt hoc reſponſorium,deſcribens glorioſam Chriſti aſcenſionem , quam beat⁹ Lucas in loco ſupradicto latius explicat. Sanè quod poſt paſſionem Chriſti ſucceſſerit eius aſcenſio,rationi fuit conſonum,vt ſcilicet poſt laborem quies , poſt ignominiā gloria,& poſt pugnam celeberrimus ſuccederet triūphus. Sic enim & Heliam prophetam (qui zelo zelatus eſt pro domino deo Iſrael,& Chriſti patientis atque aſcendentis geſſit imaginem)legimus pri⁹ variis agitatum perſecutionibus,fuga,mortis comminatione & opprobriis,pro iuſtitia & æquitate,& demùm grauibus exanclatis laboribus, curru igneo & equis igneis in cœlum eſſe raptum. Quòd
4.Reg. 2. vero non protinus poſt reſurrectionem cœlos conſcenderit Chriſt⁹,ſed per dies quadraginta diſcipulis apparuerit præbueritque ſeipſum viuum in multis argumentis,vt ait
Act.1. Lucas,mira domini diſpenſatione & benignitate factum eſt,ad noſtræ fidei confirmationem , vt reſurrectionis in Chriſto factæ veritas ſolidaretur in cordibus apoſtolorū: & ad nos vſque pertenderetur , vt qui quadraginta horis (quemadmodum perhibent) mortuus fuerat pro nobis, pro hora diem compenſando,quadraginta diebus manifeſtis indiciis ſe viuere declararet. Videntibus autem apoſtolis eleuatus eſt dominus in cælum,quemadmodum hic dicit litera,vt oculis conſpectæ ipſius aſcenſionis probatiores eſſent & certiores teſtes. Plus enim valet(vt aiunt)oculatus teſtis vnus quàm auriti decem. Nubes verò lucida Chriſtum ſuſcepit ab oculis apoſtolorum, non quidem vt neceſſarium illi vehiculum,qui corporeo ad aſcenſum non indigebat ſuſtentaculo vel adminiculo,ſed vt creatura præberet obſequium creatori. Denique diſceſſurus ab ipſis,conueſci & manducare cum eis (quamuis cibi non eſſet indignus)ſuſtinuit,vt ſcilicet per effectū comeſtionis (quemadmodū ait Gregorius)veritas pateſceret carnis. Præcepit autē apoſtolis ne diſcederent à Hieroſolymis ad prædicationem euangelij, ante ſuſceptionē ſancti ſpiritus, ne tanquam inermes milites prodirent ad bellum contra infeſtiſ-

infeſtiſſimos hoſtes ſine neceſſariis armorum munimentis ſed induerentur prius virtute ex alto, & expectarent promiſſionem patris, ſpiritum ſcilicet ſanctum quem promiſerat Chriſtus ſe à patre ipſis miſſurum, dicens. Cum autem venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritũ veritatis, quinimmò quem ſacro ore Chriſti, deus pater eis promiſerat, cum illis ait Chriſtus. Paraclitus autem ſpirit⁹ ſanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Et rurſum. Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, & ſæpe aliis in locis, huiuſmodi promiſſum Chriſtus explicuit. *Ioannis 15* *Ioan. 14.*

6 ¶ In ſexto reſponſorio. Dum complerentur dies pentecoſtes. Ex ſecundo capite actuum apoſtolicorum deprõptum eſt hoc reſponſorium, explicans ſancti ſpiritus in diſcipulos Chriſti miſſionem viſibilem, quam ſanctus Lucas in loco modo adducto diffuſius commemorat, primum tẽpus ipſius miſſionis deſignans cum ait tum completos eſſe dies pentecoſtes. Pentecoſte quidem græcum nomen, latinè dici poteſt quinquagenaria, deduciturque à nomine græco penticouta, quod quinquaginta ſignificat, quoniam hæc dies, à reſurrectione domini diſtat quinquaginta diebus, & penticoſtós Græcè, dicitur latinè quinquageſimus, vt ait Calepinus. Confirmat hoc Rabanus, ita exponens in actis apoſtolicis locum iam adductum. Antiquus populus pentecoſten, id eſt quinquageſimum diem obſeruabat. A die enim immolationis agni, per quem egreſſi ſunt filij Iſrael de Aegypto, quinquageſimo die data eſt lex in igne. In nouo etiam teſtamento quinquageſimo die à paſcha Chriſti eiuſque reſurrectione, deſcendit ſpiritus ſanctus in apoſtolos, in igne apparens. Hęc ille. Erant autem tunc (vt dicit pręſentis reſponſorij litera) omnes diſcipuli pariter, dicentes halelu ia, id eſt laudem deo, quia erant omnes pariter in eodem loco congregati, & perſeuerantes in oratione, quę eſt laus dei aſſidua. Subito verò factus eſt ſonus de cœlo, tanquam ſenſibile quoddam ſignũ, aduenientis ſancti ſpiritus nuncium, vt qui omnium linguarum eloquia & ſonos venit apoſtolos docere, in ſono etiam ſenſibili ſuum voluerit aduentum manifeſtare. Demũm tanquam ſpiritus torrens repleuit totam domum, *Exod. 20*

quia

quia & ſpiritus ipſe ſenſibilis ſiue ventus vehemens cuius fragor audiebatur: repleuit domum ipſam materialem in qua diſcipuli erant congregati, & ſpiritus ſanctus impetu ſui fluminis lætificans ciuitatem dei: exuberantia gratiæ ſuæ repleuit ipſius domus habitatores, hic nomine domus intellectos. De qua quidem affluentia & inundatione ſpiri-
Eſa.30. tus domini dicit Eſaias. Spiritus eius velut torrens inundans. Poſtremùm verſus ipſe eodem ex loco quo reſponſorium ſumptus, incompletam continet ſententiam: quę in actis apoſtolicis ita legitur completa. Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis: prout ſpiritus ſanctus dabat eloqui illis. Ex quo paſſu: quod hic deeſt ſententiæ, debet ſuppleri.

¶ IN DIE FESTO SACRAMENTI EVcharistiæ: reſponſorium.

1 *HOmo quidam fecit cœnam magnam & miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis ut uenirent. Quia parata ſunt omnia.*

Verſus. Venite, comedite panem meum: & bibite uinum quod miſcui uobis. Quia parata ſunt.

In eodem feſto: aliud reſponſorium.

2 *Reſpexit Helias ad caput ſuum, ſub cinericium panem: qui ſurgens comedit & bibit. Et ambulauit in fortitudine cibi illius: uſque ad montem dei.*

Verſus. Si quis manducauerit ex hoc pane: uiuet in æternum. Et ambulauit.

In eodem feſto: aliud reſponſorium.

3 *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem: in me manet & ego in eo.*

Verſus. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi: ſicut deus noſter adeſt nobis. In me manet.

In dedicatione templi.

4 *Benedic domine domum iſtam quam ædificaui nomi-*

ni

ni tuo: uenientium in loco iſto, Exaudi preces, in excelſo ſolio gloriæ tuæ.

Verſus. Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Exaudi preces in excelſo.

In eodem feſto, aliud reſponſorium.

5 *Terribilis eſt locus iſte: non eſt hic aliud niſi domus dei & porta cæli. Verè etenim dominus eſt in loco iſto: & ego neſciebam.*

Verſus. Cumq; euigilaſſet Iacob quaſi de graui ſomno: ait. Verè etenim.

De *pluribus martyribus.*

6 *O conſtantia martyrum laudibus: O charitas inextinguibilis, O patientia inuincibilis, quæ licet inter preſſuras perſequentium uiſa ſit deſpicabilis: Inuenietur in laudem, & gloriam, & honorem, in tempore retributionis.*

Verſus. Nobis ergo petimus piis ſubueniant meritis: honorificati à patre qui eſt in cælis. Inuenietur in laudem.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo reſponſorio. Homo quidam fecit cœnam magnam. Hoc reſponſorium ex decimoquarto capite Lucæ deſumptum eſt: vbi dominus noſter parabolam proponit de cœna magna parata & inuitatis recuſantibus venire ad cœnam, cuius expoſitio myſtica: ex homiliis illius loci & potiſſimum ea quæ Gregorij eſt, facile haberi poteſt. Verum ad præſentis ſolennitatis myſterium illam parabolam (vt hic fit) accommodando, homo ille magnam inſtruens cœnam: Ieſus Chriſtus eſt, ſui ſacratiſſimi corporis & ſanguinis ſacramentum in vltima cœna inſtituens. Quòd ſanè ſacramentũ, merito magnæ cœnæ nomine nuncupatur: ob magnitudinem excellentiæ eius & præſtantiæ, quam nec lingua ſufficeret angelica depromere. Miſit autem ſeruum ſuũ, totum ſcilicet apoſtolorum & præconum nouæ legis cœtum: vt inuitent *Luc. 14.*

omnes ad hanc ſplendidam & magnificam cœnam. Immò & ipſe pro ſua dignatione dulciter vniuerſos ad eam inuitat dicens. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati
Matt.11. eſtis: & ego reficiam vos. Et rurſum, Si quis ſitit: ueniat ad
Io.7. & 6. me & bibat. Quid iſta etiam quæſo inuitatione benignius aut humanius optari queat? Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem: in me manet & ego in eo. Rurſum, qui manducat hunc panem: viuet in æternum, & ita de cæteris ad huius ſacramenti ſumptionem prouocationibus: quæ ſexto capitulo euangelij Ioannis ampli⁹ exprõ muntur. Porrò huius reſponſorij verſus: nono capitulo
Prouer. 9. prouerbiorum deſcriptus habetur, vbi dicit Salomõ quòd ſapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem: immolauit victimas ſuas, miſcuit vinũ, propoſuit menſam ſuam miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem: & ad mœnia ciuitatis. Venite, comedite panem meum: & bibite vinum quod miſcui vobis. Aeterna ſiquidem ſapientia, nos his verbis vltimis ad ſuum precioſum corpus & ſanguinẽ ſub ſpecie panis & vini ſumendum inuitat. Et hic paſſus veteris teſtamenti: loco noui teſtamenti per reſpõſoriũ adducto, apta materiæ conformitate & conuenientia reſpõdet.

2 ¶ In ſecundo reſponſorio. Reſpexit Helias ad caput ſuum. Ex tertij libri Regum capite decimonono ſumpta
3. Reg. 19. eſt huius reſponſorij hiſtoria: præſenti loco valde congruens. Nempe per Heliam defatigatum & ſopore oppreſſũ, intelligitur myſticè homo præſentis vitæ peregrinationẽ tranſigens: labore tamen rectè agendi laſſatus & torpens ignauia. Per panem verò ſubcinericium, accipitur ſacratiſſimum Chriſti corpus: igne feruidæ charitatis & tribulationis in ara crucis concoctum ſub humanæ fragilitatis cineribus. Per ambulationem verò Heliæ ſumpto cibo corroborati, vſque ad montem dei Oreb: innuitur quòd virtute ſanctiſſimi ſacramenti euchariſtiæ ſumpti pro viatico, perducitur homo prius imbecillis vſque ad mõtem ſupernæ ciuitatis vbi clara dei præſtatur viſio. Reſpondet autẽ huic ſententiæ magna affinitate verſus præſentis reſponſorij ex ſexto Ioannis capite ſumptus, & figuram ipſam in reſponſorio aſſignatam in ſuam referens veritatem: vtpote viuificum & ſupercæleſtem panẽ. Quinimmò id ſtudioſè in omnibus reſponſoriis huius celeberrimæ ſolennitatis

à ſancto

à ſancto Thoma Aquinate eximio totius officij eccleſiaſti ci(quod hodierna decantat celebritas)authore, eſt obſeruatum: vt quodque reſponſorium ex aliquo veteris teſtamenti paſſu deſumptum ſit: & verſus ex aliquo noui teſtamenti loco, aut ediuerſo, & hic illi magna cõcinnitate ſententiæque conformitate conuenientiſſime adaptetur atque congruat, vt tria huc adducta illius ſolennitatis reſpõſoria: manifeſto produnt indicio.

3 ¶ In tertio reſponſorio. Qui manducat meam carnem. Ex ſexto Ioannis capite ſumptum id reſponſorium oſtendit ſingularem & præcipuum fructum ſumptionis huius auguſtiſſimi ſacramenti: qui eſt vnio & inſitio ſumentis cũ deo, reciproca immanentia Chriſti in eo. Quid autem homini optatius aut fœlicius obtingere poteſt: quàm quòd in Chriſto maneat & Chriſtus in eo? vt non tam ipſe uiuat, quam viuat in ipſo Chriſtus: vt vnus cum eo ſit ſpiritus, & arctiſſimo amoris glutino illi aſtrictus. Porrò commendat hanc dei propinquitatem ad nos, apertius huic reſponſorio ſubiunctus verſus: ex Deuteronomij quarto capitulo ſumptus, vbi Moyſes ad populum Iſrael verba faciens, oſtendit nullas gentium nationes ita deos ſuos habere ſibi præſentes: ſicut deus Hebræorum adeſt populo ſuo, cui & legem dedit & cerimonias atque iudicia: certis definita regulis. Verum longè propinquior quàm populo Iſraelitico factus eſt nobis deus noſter: quòd humanam indutꝰ carnem in terris viſus eſt: & cum hominibus conuerſatus. Sed maximè omnium, & omnino factus eſt nobis propinquus: cum ſeipſum nobis in ſalutarem exhibuit cibum & potum non qui in noſtram conuertatur ſubſtantiam: ſed qui nos ſibi inſerat, arctius aſtringat, ſuæque diuinitatis participationem nobis intima illa vnione coniunctioneque communicet. Si igitur filij Iſrael ſub nube tantum degentes & vmbra futurorum bonorum, id verè de deo dixerunt quòd præſentior (vt ita dixerim) ipſis erat quàm quicunque dii nationum ſuis cultoribus: multo valentiore iure nos Chriſtiani de profuſiſſima Chriſti in nos & indulgentiſſima benignitate gratias agentes: decantare deo ex intimo cordis affectu debemus. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut deus noſter adeſt nobis. Siquidem ſe nobis admirabili

Deut. 4.

Baruch 3

diſpenſatione & condeſcenſione, videndum exhibet & cōtrectandum: & quod amplius eſt, pro noſtræ peregrinationis viatico deguſtandum & manducandum: vt nos penitus
Lev. 26. ſibi inſerat. Habitat item in medio noſtri & inambulat inter nos admiranda dignatione: ne deficiamus in via, ſociū ſe præbēs nobis & ducem huius an fractuoſi itineris, quod magni muneris loco, populo Iſrael ante promiſerat: ſed id promiſſum in nobis perfectè compleuit. Neque id quidem exiguo temporis ſpacio pręſtat quòd aſſit nobis: ſed ſecundum pollicitationem ſuam nobiſcum eſt omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi, & ſecundum ſuæ diuinitatis omnia circumambientem præſentiam, & ſecundum precioſi corporis & ſanguinis ſui myſterium: in ſalutarem cibum animæ & medicinam efficaciſſimam nobis relictū.

4 ¶ In quarto reſponſorio. Benedic domine domum
3. Reg. 8. iſtam. Ex tertij Regum octauo capite & ſecundi Paralipomenon capite ſexto, ſumptum eſt hoc reſponſorium & particula quædam videtur illius præclaræ orationis: quam Salomō in dedicatione templi Hieroſolymitani à ſe magnificè extructi ad deum profudit, vbi inter cætera ita precatur. Audi hymnum & orationem quam ſeruus tuus orat coram te hodie: vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte ac die. Exaudias deprecationem ſerui tui: & populi tui Iſrael, quodcunque orauerit in loco iſto: exaudies in loco habitaculi tui in cælo, & cum exaudieris: propitius eris. Et rurſum. Quicunque orauerit in loco iſto: exaudi de habitaculo tuo, id eſt de cælis, & propitiare. Verum illa dedicatio templi Salomonis, quædam erat imago & figura dedicationis templorum in noua lege conſtitutæ: & ex illa tanquam effigie quadam rudi & repræſentatione tenui, deductæ. Proinde ſancta eccleſia in templi dedicatione eadem (qua Salomon) vtitur orationis forma. Petitque diuinam benedictionem ipſi tabernaculo dei infundi: & omnium illic vota ferentium orationes exaudiri. At verò quoniam templum dei in præſentis vitæ incolatu extructum: quædam eſt figura ſupernæ domus beatorum in cęlis, vt in præcedente libro dictum eſt in explanatione hymni. Vrbs beata Hieruſalem, idcirco verſus hui⁹ reſponſorij ex pſalmo octuageſimotertio ſumptus: beatos eos prędicat qui in domo dei cæleſti habitant quoniam iuge & perpetuum eorum

rum officium erit:diuinę laudis pronunciatio ac iubilatio.
5 ¶ In quinto reſponſorio. Terribilis eſt locus iſte. Ex viceſimooctauo Geneſeos capite id ſumptum eſt reſponſorium, continens verba Iacob admirantis ſanctitatem loci in quo dormierat & viſionem cælitus factam habuerat de ſcala in cælum erecta, cui dominum vidit innixum, & angelos aſcendentes & deſcendentes. Tunc enim pauens & tremens ob loci reuerentiam & dei venerationem: in hęc verba prorupit attonitus, terribilis eſt locus iſte, id eſt metuendus, venerandus, & ſummo in honore habendus. Verũ quoniam tunc Iacob erexit lapidem in titulum fundens oleum deſuper & dicens, hic locus vocabitur domus dei & porta cæli: ibi quoquo pacto geſſit imaginem expreſſitque ſpeciem dedicationis templorum, in euangelica lege inſtitutæ. Idcirco ipſius Iacob verba rectè itidem applicantur ad conſecrationem delubrorum. Et de vnoquoque illorũ locorum diuino obſequio dedicatorum: verè dicit eccleſia figuram ad veritatem transferens, terribilis eſt locus iſte: magnaque veneratione colendus, non eſt hic aliud: niſi locus habitationis gloriæ dei. Reliqua verò verba reſponſorij: ad Iacob ſtupore miraculi attonitum ſunt referenda, ſicut verſus ipſe ſubiunctus ſatis indicat. Gen. 28.

6 ¶ In ſexto reſponſorio. O conſtantia martyrum laudabilis. Hoc reſponſorium elegãs admodum & ſuaue, fertur compoſuiſſe Robertus rex Franciæ: vir non minus literarum & virtutum ſplendore quàm regia dignitate ſpectabilis. In cuius reſponſorij fronte alluſiſſe dicitur ad nomen reginæ vxoris ſuæ, quæ Conſtantia vocabatur: præfigendo id nomen (communiter tamen ſumptum) in capite ſui operis. In eo autem cum ingeminata ſemel & iterum admiratione magnopere extollit inuictam ſanctorum martyrũ conſtantiam: nullis fractam perſecutionibus aut concuſſum tormentis. Charitatem etiam illorum inextinctam: mirificè effert, multæ enim tribulationum aquæ non potuerunt extinguere charitatem: flagrantius exæſtuantem in cordibus eorum. Prædicat item illorum inſignem patientiam: nullis euictam preſſuris aut proſtratam erumnis. Nam quanuis illa haberetur deſpectui à perſequentibus, quando viſi ſunt oculis inſipientiũ mori, & cũ vitæ pręſentis occaſu extingui: ipſa tamen præclaro ornabitur præ- Cant. 8. Sap. 3. Lucæ 21. Matth. 5.

DE HORARVM ECCLESIASTI-carum numero ac denominationibus: & primum de officio matutino.

ECcleſiaſtica conſtitutione ſancitum eſt,ſe
ptenã quotidie laudem in officio diuino
exoluendã eſſe:ſecundũ illud propheticũ *Pſal.* 118.
verbũ,noui teſtamenti ritũ & gratiã de-
promens. Septies in die laudẽ dixi tibi:ſu
per iudicia iuſtitiæ tuæ. Et id quidẽ ratio-
nabiliter. Nã oratio ad deũ :noſtra eſt ar-
matura qua pugnemus contra dæmones,hoſtes noſtros ſpi
rituales eosq; adiutore deo vincam⁹, ſicut Moyſes legitur
oratione expaſſisq; manib⁹ certaſſe cõtra Amalech: & de- *Exod.*17.
mũ in fugã eũ conuertiſſe. Hoſtis aũt noſter antiqu⁹ vidẽs *Luca.*11.
ſe ab homine expulſum,aſſumere nititur, ſeptẽ alios ſpũs
nequiores ſe,vt ingreſſ⁹ locũ vnde exiuit habitet ibi,& fa
ciat nouiſſima illi⁹ peiora prioribus. Atqui cõtra ſeptẽ il-
los ſpũs nequã & immũdos nõ poſſum⁹ pręualere: niſi ſe-
ptiformi gratia ſpũs ſancti adiuti,& muniti cõtra hoſtiles
inſidias. Itaq; ad impetrandũ gratiã ſeptẽplicis ſpũs ſancti
in hac lucta & pugna difficili:ſeptenã laudis decantationẽ
quotidie deo exoluendã eccleſia ſancta inſtituit. Et cũ vi-
ctoria potiti fuerim⁹:ad agẽdas deo gratias,cui⁹ ſeptifor-
mi dono euaſimus hoſte ſuperiores,vtq; id totũ bonũ ipſi
referamus acceptũ: ſepties deo ſacrificiũ laudis quotidie
offerim⁹. Eſt enim ſepten⁹ numer⁹:ſacer admodũ, & ma-
gnorũ vtriuſq; teſtamenti myſteriorũ ſignificatiu⁹: vt ſtu-
dioſi ſacrorum eloquiorum pertractatores diligentius in-
dagãt & diſcutiunt. Porrò in ei⁹ rei figurã: Ioſue dux popu *Ioſu.* 6.
li Iſraelitici poſt Moyſem cõtra vrbẽ Hiericontinã(quę ty
pum gerebat dæmonicæ ciuitatis)pugnatur⁹: ſeptẽ diebus
eã circuiſſe legitur,ſeptẽ quoq; ſacerdotib⁹ cõmiſiſſe mu-
n⁹: vt ſeptẽ tubarum clangoribus eam oppugnarent. Quo-
rum poſtremo,muri vrbis corruerũt:& facta eſt populo
dei in direptionem. Dicuntur autem ſeptem illæ horæ of-
ficij eccleſiaſtici,canonicæ:id eſt regulares (Canon enim
græcè : regulam latinè ſignificat) quoniam regulari ſan-
ctione à ſacris patribus inſtitutæ ſunt & obſeruatæ.

Primum quidem horum ſeptem officiorum eccleſiaſti-
Pſal. 118 corum, eſt officium matutinum: quod ex primaria primi-
tiuáque ordinatiõe, media nocte celebrari eſt ſolitum, ſe-
Exod. 12 cundum illud prophetæ verbum. Media nocte ſurgebam
ad confitendum tibi: ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Tum quòd
Sapien. 18 nocte intempeſta, primogenita Aegyptiorum ab angelo
percuſſore ſunt interfecta: & Iſraelitici populi primoge-
nita à deo ſaluata, ſecundum illud dictum libri Sapientiæ.
Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox: in ſuo
curſu medium iter haberet: omnipotẽs ſermo tuus domi-
ne exiliens de cælo, à regalibus ſedibus durus debellator
in mediam extermini j terram proſiliuit. Quod ad litterã
intelligitur de tempore interfectionis primogenitorum
Aegypti, vt ſequens ibi ſententia liquido monſtrat: quan-
uis ſecundo loco etiam in vſu & officio eccleſiaſtico appli
cetur ſupradictum libri ſapientiæ verbum ad horam nati-
uitatis dominicæ. Tum quòd eo tempore mediæ noctis
Chriſtus pro nobis de virgine deipara natus eſt, & immi
nente hora paſsionis à Iudæis in horto captus ac traditus
in manus peccatorum, vt vos de manu peccatoris libera-
ret. In horſum itaque beneficiorum commemorationem,
officium matutinũ mediæ noctis ſpacio decantari ex pri-
mæuo more eſt ſolitum: qui adhuc multis in locis obſer-
uatur. Huius rei argumento eſt quòd ipſius officij matu-
tini partes complectentes certum pſalmorum numerum
cum lectionibus & reſponſoriis nocturnorũ nomine nũ-
cupantur. vt primum nocturnum, ſecundum, & tertium: à
nocte ſcilicet nocturnóque tempore, in quo decantari ſo-
lent. Verum tepeſcente cordis humani in deum ardore, &
feruido deuotionis affectu refrigeſcẽte: in pleriſque nũc
locis officium matutinum primo mane celebratur ſub au-
roram, & inde nomen ſortitur. Matuta enim: apud Lati-
nos auroram ſignificat. vnde matutinum tempus dicitur:
Pſal. 62 quod primo mane trãſigitur. Sed neque hoc ſcripturæ ca-
ret authoritate: quo fulciri poſsit aut cõprobari. Dicit enĩ
Eccl. 39 ꝓpheta in pſal. Deus deus me⁹: ad te de luce vigilo. & in
matutinis meditabor in te. Eccleſiaſtic⁹ itidẽ de viro iuſto.
Iuſtus cor ſuũ tradet ad vigilandũ diluculo: ad dominum
Sap. 16 qui fecit illum. Denique Salomon in libro Sapientiæ.
Oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuam: &

ſuid

ad ortum lucis te adorare. 3 ¶ Porrò in huius ſolius officij exordio præponitur ille verſus pſalmi quinquageſimi. Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuã. Quoniã illud, principiũ eſt diuinę laudis totius diei. Idcirco in eo præſertim petimus & pro illa matutina & reliqua illius diei rite exoluẽda laude, labia noſtra non tã oris q̃ cordis nobis à domino aperiri: vt digne laudem eius annunciemus, & non faciamus vt illi: de quibus conqueritur dominus per prophetam. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt à me. Et merito quidem id petimus, quoniam niſi ipſe dominus noſtra aperiat labia, & gratiam præſtet ipſum pro dignitate laudãdi: non erit grata diuinis auribus neque accepta laus noſtra. Cæterùm ſubiungitur ſupradicto verſui continuo hic verſus pſalmi ſexageſiminoni. Deus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuandum me feſtina. Qui & omnium horarum canonicarum præponitur initio: ad impetrandam dei pręſentem gratiam & opem, ſine qua nihil omnino facere poſſumus. Itaque hoc verſu noſtram confitentes fragilitatem, & bene agendi ex nobis inſufficientiam: diuinum ſedulo imploramus auxiliũ, cuius adiutorio debitas & gratas ei laudes offeramus. Quemadmodum & in omnium horarum fine: ſubnectitur ex inſtitutione eccleſiaſtica, ea gratiarũ actio. Benedicamus domino: deo gratias. Per quam de abſoluta dei adiutorio laude, perfectáque cuiuſque horarum cõpletione gratias agimus. Et ita ad illum qui alpha eſt & ω, principium & finis, in primordio horarum canonicarum & exitu per piam inuocationẽ conuertimur: myſticúmque & ſpiritualem cõplemus circulũ, regreſsi demũ in eum à quo cœpimus exordium.

Pſal. 50

Eſa. 29

Pſal. 69

Quid ſignet dictio Halelu ia, quid Homilia, quid etiam particula Amen nobis indicet.

4

QVoniam in principio officij matutini & cuiuſq; cętérarum horarum canonicarum: poſt ſuper diuinæ trinitatis laudem in concilio Nicæno inſtitutã, ſcilicet gloria patri & filio, & ſpiritui ſancto, ſubiungitur dictio, halelu ia, & in vſu eccleſiaſtico ſæ-

pius eadem repetitur ac replicatur, quid dictio illa ſignet noſcere operæprecium eſt. Sane qui linguæ hæbreæ periti ſunt illiúſque leges & documēta callent: cenſent id vocabulum duas in ſe dictiones integras complecti. quarum prior eſt triſyllaba: in principio aſpirata, & in ſecunda ſyllaba per ſimplex l ſcribenda, ſic. Halelu. Secunda verò dictio, apud Hebræos monoſyllaba eſt: nam i & a coaleſcūt apud eos in vnam ſyllabam. apud grecos verò, poſterior illa dictio diſyllaba eſt: quòd hi duas illas vocales i & a ſemper ſeiunctim & ſeparatim proferunt. Latini verò in prædictæ dictionis prolatione ſecundum vulgatum vſum Græcorum morem magis imitantur, Signifiicat autē halelu ia: tantundem, ſicut laudate dominū. nam halelu, verbum hebræum: laudate ſignat. ia verò: nomen dei eſt ſignificans dominum. vt diligenter annotauit noſter Iacobus Stapulenſis in expoſitione pſalmi centeſimi decimi. Eſt autem illud nomen, à ſacris eloquiis ſumptum: in quibus impermutatum exprimitur ad inſinuandam dei laudem.
Thob.13 vt in decimotertio capite Thobiæ. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius ſternētur: & per vicos eius ha-
Apoca.19 lelu ia cantabitur. Et in Apocalypſi capite decimonono. Poſt hæc audiui quaſi vocem magnam tubarum multarū in cælo dicentium halelu ia. laus & gloria & virtus: deo noſtra eſt. Et paulo poſt. Et iterum dixerunt: halelu ia. Rurſum eodem loco. Et audiui quaſi vocē tubæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium, halelu ia, quoniam regnauit dominus deus noſter omnipotens. Verum toto tempore intermedio à quinquageſima vſque ad paſcha, ſancta eccleſia prætermittit illud canticum lætitiæ: vt luctum pœnitentiæ pro peccatis expiandis aſſumat, prohibétque ipſum in officio eccleſiaſtico certis illis diebus dici. Sed eius loco ſubiungit in ſingularum horarum principio: poſt ſuperbenedictæ trinitas præconium. Laus tibi domine: rex æternæ gloriæ. Quæ quidem ſententia, latinè ferè idē explicat, quod dictio halelu ia hebraicæ, hoc vno excepto: quòd hebraica illa vox exhotatur fideles ad laudādum dominum. Latina verò ſententia illius vicaria, dirigens ad deum ſermonem: petit laudem illi exhiberi ac impendi.

Rurſum

Rurſum quoniam in officio matutino plerunque euangelicæ lectioni ſubnectitur expoſitio illius, ab aliquo ſacro doctore ſumpta, quæ homilia vulgo nuncupatur: quid id ſignet nomen, etiam operæprecium eſt dinoſcere. Homilia dicitur colloquium vel ſermo ad populum: aliquem ſanctæ ſcripturæ locum explanans. Deſcenditque à verbo Græco omileo: quod ſermocinari & colloqui ſignat. Hieronymus ad Heraclium. Dũ ſupplere cupimus ea quę ab Origene operata ſunt: ſicut in homiliis vel oratiunculis in Geneſim & Exodum fecimus. Inde deducitur adiectiuũ homiliacus: quod ſignificat aliquid ad homiliã pertinens. Idem Hieronymus. Quem laborẽ idcirco ſuſcepimus: ne pulſatæ quæſtiones & relictæ (quod homiliaco dicendi genere ab illo ſæpe fieri aſſolet) latino lectori faſtidium generarent. Itaque homilia beati Auguſtini, Hieronymi, aut cuiuſuis ſacrorum doctorum de lectione euangelica: eſt ſermo illius de euangelio antè lecto, ſententiæ ipſius explanotorius. Debet autẽ illud nomẽ à latinis per i in ſecunda ſyllaba ſcribi ſemper & proferri, quoniam apud Græcos eo in loco ſcribitur per iota: quod nunquã in e mutatur cum græca dictio tranſit in latinam, ſed impermutatum manet & ſcriptura & ſono.

6 ℭ Demùm quoniam in fine orationis matutinæ & omnium orationum eccleſiaſticarũ ſubiungitur dictio Amẽ: quidnam etiam illa ſignificet non eſt ſilentio prætereundum. Scire igitur par eſt, eam dictionẽ in calce orationũ poſitam, optãtis eſſe particulam: & ſignificare idem quod fiat, ſiue compleatur illud quod in oratione ante dicta poſtulatum eſt. In qua quidem ſignificatione: ſæpius in ſanctis ſumitur eloquiis, vt Deuteronomij viceſimoſeptimo capite iterũ atque iterũ hæc ſententia repetitur ad ſingulas maledictiones inibi expreſſas. Et reſpõdebit omnis populus & dicet. Amen. Etiam Tobię capite non poſt imprecationem benedictionum à Gabelo Tobiæ iuniori factã: ſubiungit ſacra illa hiſtoria. Cúmque omnes dixiſſent amen: acceſſerunt ad conuiuiũ. Præter hanc autem ſignificationem ea dictio in ſacris euangeliis alteram habet admodum frequentem acceptionem: qua aſſertoria eſt particula ſiue affirmatoria, tantum valens ſicut vere. Et peculiariter à domino noſtro Ieſu Chriſto (qui ſumma veritas

Deut.27

Tob.9

eſt)

eſt) ſæpius nominata legitur in ſacra euangelicæ doctrinę explicatione: ad aſſertionem eorum quæ protulit. Apud tres quidem priores euangeliſtas in ſingulis ſentétiis quibus inſeritur: vnice & ſemel poſita, vt amen dico tibi, amen dico vobis, Apud beatum verò Ioãnem: ſemper in eadem ſententia, geminata, vt amen amen dico vobis. Cæterùm propter reuerentiam & venerationem aſſertionis diuinæ veritatis: noluerunt interpretes vocem illã amen in alienam transferre linguam, ſed eam hebręam vt eſt dimiſerunt, quatenus in illa, integrè ſicut à domino prolata eſt dimiſſa: honoraremus ſyncerius ſummam & diuinam veritatem, ea dictione nobis aſſertam atque cóprobatam.

7 *Prima, tertia, ſexta & nona.*

Matth. 27 PRimæ horæ officium circa ſolis ortum celebrari ex inſtituto eccleſiaſtico eſt ſolitũ: in commemorationé quòd ea hora Chriſtus à Iudæis Pilato traditus eſt, quemadmodum perhibet Matthæus dicens. Mane autem facto, concilium inierunt omnes principes ſacerdotum & ſeniores populi aduerſus Ieſum: vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. Idem quoque perhibent Marcus & Ioannes. Eadem itidem hora, angelus ſtola candida coopertus nunciauit mulieribus ad ſepulchrum Chriſti viſitandũ progreſſis: ipſum à mortuis reſurrexiſſe. Et valde mane (inquit Marcus) vna ſabbatorum veniunt ad monumétum: orto iam ſole. Rurſum eadem hora Chriſtus poſt reſurrectioné diſcipulis fruſtra in piſcatione tota nocte occupatis apparuit: in littore maris conſiſtens, & an pulmétarium haberent interrogans, vt oſtendit Ioannes dicés. Mane autem iam facto: ſtetit Ieſus in littore, non tamen cognouerunt diſcipuli quia Ieſus eſſet. Demùm circa eandem horam dominus pro ſua dignatione in templum venire eſt ſolitus: ad docendum populum, quemadmodum ait Ioannes. Ieſus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum: & omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos Denique inter diurnas horas (nam matutinum officium: nocturno magis tempori

Marc. 16 · Ioann. 21 · Ioan. 8

ti aſsignatur)primit⁹ deo laus in officio primæ perſoluitur,& in eo ſecũdum euangelicum monitum,primũ quæritur regnum dei & iuſtitia eius,ideo in eccleſiaſticum officium:primæ nuncupationem merito ſibi aſſumit. *Matth.6*

8 ❡ At verò hora tertia deo laus ex inſtituto eccleſiaſtico, exoluitur,in recordationem myſterij dominicæ paſſionis:quòd ea hora linguis Iudæorum ſucclamãtium ad Pilatum vt Chriſtus crucifigeretur,ipſe crucifixus eſt: vt ait Marcus.Erat autem(inquit)hora tertia: & crucifixerunt eum. Perhibent autẽ alij euangeliſtæ,quòd hora ſexta cruci affixus ſit Chriſtus: quoniam de ipſo crucifixionis actu loquũtur. Marcus autem de improbo Iudęorum conatu & ſtudio facit ſermonem:quo importunis clamoribus & linguæ procacitate renitentem Pilatum impellere tentarũt in Chriſti crucifixionẽ,& demum inualuerũt voces eorũ. Eadẽ etiã hora ſcilicet tertia,ſpiritus ſanctus in ignearum linguarum forma deſcendit in diſcipulos: ipſóſque reddidit celeberrimos euangelicæ legis pręcones, quemadmodum beatus Petrus inundante ſpiritus gratia plenus:ait ad irridentes Iudæos. Non enim(vt æſtimatis) hi ebrij ſunt:cum ſit hora diei tertia. Neque eã quæ proxime ſequitur primam horam:in eccleſiaſticorũ officiorum deſignando tempore,ſecundam appellare quis rectè poſsit,tum quòd hic non attendendus eſt naturalis numerorum ordo & continuus, ſecundum quem primo ſecundum ſubiungitur,ſecũdo tertium,& tertio quartum: quẽadmodum is ordo obſeruatur in ſupputandis horis horologiorum,ſed ſolum aduertenda eſt illarum horarũ denominatio, quæ in ſacris literis manifeſtius ſunt annotatæ: & in quibus aliquod myſterium aut veteris aut nouæ legis peractum legitur. Secunda autem hora,neque in ſanctis ſcripturis celebrata inuenitur: neque in ea aliquod præcipium aut inſigne redemptionis noſtræ ſacramẽtum memoratur fuiſſe completum. Eadem etiam ratione neq; quarta neque quinta hora,aut reliquæ cõtinuato naturali ordine numerandi occurentes:hic quæritandæ ſunt aut nominandæ. Quoniam hic non de horariis temporũ ſpaciis fit ſermo:cum vna hora eccleſiaſtici officij, tres fere horas temporarias & trium horarum horologij complectatur interualla, vt hora prima eccleſiaſtica:ſecundũ noſtræ

Marc.15 *Act.2*

ſtræ computationis ritum continet horam ſextam, ſeptimam, & octauam tẽporis matutini. Hora tertia officij canonici: comprehendit horam nonam, decimam, & vndecimam ante meridianam. Hora ſexta canonica complectitur horam duodecimam meridianam ſimiliter & primam, & ſecundam pomeridianam. Denique hora nona eccleſiaſtici officij: ambit & conſtringit horam tertiam, quartam, & quintam pomeridianas.

9 ❡ Porrò hora ſexta perſoluuntur deo quotidianæ laudes: in memoriam eximiæ illius charitatis qua pro noſtra
Ioan.19 redemptione ea hora cruci eſt affixus, quemadmodum di
Luc.23 cit Ioãnes. Erat autẽ paraſceue paſchæ: hora quaſi ſexta.
Matth.23 Et Lucas. Erat autem fere hora ſexta. Et tunc etiam ſubito obortæ ſunt (vt ait Matthæus & Lucas) tenebræ per vniuerſam terram ab hora ſexta vſque ad nonã, vt ſol pullus & ater ſuo lumine contracto: ſuum & omnium viſus fuerit eluxiſſe conditorem. Rurſum eadem ſacra annotatur hora, qua dominus noſter volens oſtendere noſtræ ſalutis deſiderium quo flagrabat: à muliere Samaritana aquam petiuit, & illi ſuæ ſalutaris doctrinæ (& per illam Samaritanis omnibus) fluenta communicauit, ſui cogni-
Ioan.4 tionem quòd eſſet vere ſaluator mundi: ipſis elargiens, atque ſub illorũ typo, ſe in ſexta ætate toti mũdo per ſuſceptam carnis diſpenſationem benignius manifeſtans: ſaluatorémque declarans. Non ſubticuit id diuinus euangeliſta Ioannes: cum ait. Erat autem ibi fons Iacob. Ieſus autem fatigatus ex itinere: ſedebat ſic ſuper fontem. Hora autem erat quaſi ſexta. Venit mulier de Samaria: haurire aquam Eadem denique hora beatiſsimus Petrus orationi intentus, viſionem habuit de populo gentium in vnum eccleſię ſinum per fidem cõgregando: cum vidit lintheum deſcendens de cælo pleno quadrupedibus, volatilibus & reptilibus, quemadmodum & acta apoſtolorũ teſtantur: Aſcendit (inquiunt) Petrus in ſuperiora vt oraret: circa horam ſextam.

10 ❡ Demùm hora nona quotidianis laudibus ſancta
Act.10 eccleſia deum cõcelebrat, in memoriam amariſsimæ mortis domini: quam illa hora pro nobis perpeſſus eſt. Nam
Matth.27 vt ſacri ſcribunt euangeliſtæ: circa horam nonam clamãs
Ioan.19 voce magna expirauit. Circa eandem etiam horam deſcendit

cendit ad inferna: vt ſanctos indè patres liberaret, & de principe huius mũdi triũpharet. Denique vnus militum circa eandem horam lancea latus eius aperuit:& cõtinuò exiuit ſanguis & aqua in remiſsionem peccatorũ noſtrorum. Eadẽ quoque hora diſcipuli domini ad orationem conuenire ſunt ſoliti:quemadmodum acta perhibent apoſtolica de Petro & Ioanne,quòd aſcendebant in templum ad horam orationis nonam, & tunc vir mendicus qui ab vtero matris ſuæ claudus fuerat:in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti ſecũdum Petri verbum illico ſanatus eſt, & rectè ambulauit:ad confirmandam fidem credentium, & ad conuerſionem incredulorũ. Porrò de myſteriis horæ tertiæ, ſextæ, & nonæ præclare quoque diſſerit venerabilis & eximius pater Ioannes Caſsianus in libro tertio de inſtitutis monachorũ capite ſecundo, permulta his quæ dicta ſunt conſimilia referens. Act. 3

De officio ueſpertino & completorij.

11 VEſperas dici plærunque autumant à veſpere ſtella:quę in crepuſculo apparere ſolet,& diei extremitatem nunciare,quoniam circa declinationem diei & finem: officium verpertinum celebrari eſt inſtitutum. Et id quidem in memoriam depoſitionis domini de cruce: circa illam horam à venerabili & pio Ioſeph atq; Nicodemo,permittente Pilato factam. Etiam in recordationem inſtitutionis ſanctiſsimi ſacramenti euchariſtiæ: quod veſpere facto poſt manducationem agni paſchalis typici, coram diſcipulis ſuis in vltima cœna dominus inſtituit,vt perhibent euãgeliſtæ. Præterea circa eandẽ horam duobus diſcipulis euntibus in Emaus apparuit dominus poſt reſurrectionẽ in ſpecie & forma peregrini: ſcripturarum interpretatione eos illuminauit,& demũ in fractione panis ſe illis exhibuit cognoſcendum. Mane (inquiũt illi ad dominum:iam eloquiis eius inflammati) nobiſcum domine: quoniam aduesperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Luc. 19 Matth. 26 Luc. 24

12 Completorium verò dictum putant:ꝙ in eo compleatur officium quotidianæ laudis,deo ab eccleſia exoluẽdæ, quandoquidẽ abſoluto completorio:nullũ aliud ſupereſt illius

illius diei peragendum orationis ſacrificium. Celebratur autem & id poſtremo loco: in memoriam ſepulturæ domini, quæ reuerenter & deuote illi exhibita eſt cum aro-
Matth. 27 matibus & ſindone munda circa ipſius diei terminũ: quẽadmodum teſtantur euangeliſtæ. Circa eandem etiam horam completorij dominus noſter deuicta morte iam redi uiuus, diſcipulis in domo ob metum Iudæorum clauſis apparuit: & ſuæ reſurrectionis teſtimonia certiſsima in oſtẽſione manuum & lateris, manducatione, locutione, & cæteris argumentis præbuit, quemadmodum ſcribit Ioãnes dicens. Cũ ſero eſſet die illo vna ſabbatorum, & fores eſ-
Ioan. 20 ſent clauſæ vbi erant diſcipuli cõgregati propter metum Iudæorum: venit Ieſus & ſtetit in medio, & dixit eis, pax vobis. Porrò ipſius completorij officium inchoatur præter morem cæterorũ, ab eo verſu pſalmi octogeſimiquar-
Pſal. 84 ti. Conuerte nos deus ſalutaris noſter: & auerte iram tuã à nobis, vt per illum in fronte huius completoriæ orationis petamus à deo ſi in diurnis actibus (qui iam propemodũ ſunt tranſacti & completi) ab eo ſumus auerſi per culpam, & cogitatu maligno verbo aut opere ipſum in die offendimus: nos iterum ad ſe conuertat, animum noſtrũ ſecularibus diſtractum curis, ac terrenis occupatũ negociis ad ſe reuocet & colligat: irámque ſuam quam meremur ob commiſſa in die peccata, à nobis benignius auertat ac moueat. Cæterùm hæc quæ de canonicarum horarũ ratione paucis perſtrinximus: diffuſius & latius pertractãtur in opere, quod inſcribitur rationale diuinorum officiorum. Cuius author in quinto illius voluminis libro amplam facit determinationem de ſeptem horum canonicarum officiis: omnium quæ in iis fiunt rationem exacte & particulatim reddens. Qui igitur plura de his quàm in pręſentia afferũtur noſcere cupit: ad eum recurrat locũ, ex quo & noſipſi multa hic deſumpſimus.

De uariis eorum denominationibus qui ad eccleſiam ſpectant: aut ab eius gremio ſunt ſeparati.

AT quoniam partim ſanctis literis, partim verò in ſacris authoribus qui piis operibus & ſcriptis ſuis eloquia domini elucidarũt paſsim occurrũt variis nomini-

nominibus nũcupati qui aliquod in eccleſię munus obeũt certúmque in ea gradum conſtituunt, aut qui ab eccleſiæ ſinu ob incredulitatem aut prauitatẽ ſunt reiectitij & ſeparati: age nunc illarum denominationum rationem vel perfunctoriæ reddamus, declaraturi (vt à nobis efflagitatum eſt) qui dicãtur catechumini, neophyti, energumini, apoſtatæ, pœnitentes, miniſtri, plebs ſancta, monachi, pagani, infideles, ſchiſmatici, hæretici, Iudæi, & Hebræi. *Catechumini.*

13 ¶ Catechumini dicũtur qui ſacræ fidei myſteria ſunt edocti, & quid credere debeant inſtructi. nondum tamen ſalutaribus vndis baptiſmi abluti, neque in Chriſto regenerati. Nempe in primitiua eccleſia cum adulti ſacramentum baptiſmatis ſuſcepturi erant: antè per aliquot tempora edocebãtur ſacræ fidei articulos, & quid piè de deo ſentiendum: ſecundum ſymboli apoſtolici regulam erudiebãtur. Quandiu igitur inſtituebantur his ſacris documentis antequam baptiſmum perciperent: dicebantur catechumini. Vt legitur beatus Martinus adhuc catechuminus: veſte pauperem, & in paupere Chriſtum contexiſſe. Venítque id græcum nomen à verbo catechizo, as, are: quod ſignificat doceo, inſtruo in fide, erudio, quo quidem beatus Paulus vtitur ad Galatas ſcribens: cum aít. Communicet autẽ is qui catechizatur verbo: ei qui ſe catechizat in omnibus bonis.

14 ¶ Neophyti dicuntur: qui de nouo ad fidem ſunt cõuerſi, & recens eius ſacramentis ſe addixerũt: quaſi nouũ fidei germen & noua planta, nouitérve plantati. Neos enim Græci nouũ dicunt: phyton verò plantam. Vnde Hieronymus contra Luciferianum. Neſcis & laicos & clericos vnum habere Chriſtum: nec alium neophytis, aliũ epiſcopis eſſe deum? Et apoſtolus ad Timotheum ſcribens: prohibet neophytum in epiſcopum ordinari. Non neophytum (inquit) ne in ſuperbiam elatus: in iudicium incidat diaboli. *Gala. 6* *Neophyti.* *1. Timot. 3*

15 ¶ Energumini dicuntur qui ab immundis ſpiritibus vexantur: & corporali afflictione torquentur, ita dicti ab euergeo verbo græco: quod agere ſignificat & mouere: Apud Latinos verò: arreptitij, laruati, ſiue (vt vulgari vtar nomine) dæmoniaci appellantur. Qualis fuit ille Corinthius, qui ob inceſtum ab apoſtolo traditus fuit Satha- *Energumini.* *1. Cor. 15.*

næ in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus fieret, quēadmodum Paulus ad Corinthios ſcribit. Quales & illi: quos dominus noſter in euangelio & diſcipuli eius à vexatione dæmonum virtute diuini nominis liberarunt.

Apoſtatæ.

16 ❡ Apoſtatæ ſunt, qui à fide quam profeſsi ſunt diſcedunt, ad infidelitatem aut horrenda flagitia dei legibus contraria publice prolapſi. Vt qui fidem Chriſti abnegāt: ad iudaiſmum aut Machometicam ſpurcitiam decumbentes, aut qui fœdis libidinibus aut cupiditatibus cæteris ſe contaminant, inceſtuoſi, notorij concubinarij, venefici, magici, vſurarij: & aliis grauibus criminibus palam implicati. Ita autem dicuntur nomine græco ab apoſtaſia: quæ deſertionem, defectionémque à fide ſignat, quaſi deſertores caſtrorum dei & ad hoſtiles acies transfugæ. Inde apoſtatare, eſt fidem Chriſti ſuſceptam deſerere & ab ea deficere: aut etiam à rectitudine æquitatis atque iuſtitiæ diſcedere. Vnde eccleſiaſticus. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes: & arguunt ſenſatos.

Eccl.19

Pœnitētes.

17 ❡ Pœnitentes ſunt qui à grauibus quæ antè cōmiſerunt peccatis pedem reuocantes: publicam in totius eccleſiæ conſpectu pœnitētiam agunt, petentes Chriſto reconciliari & rurſum eccleſiaſtico cœtui (à quo per nequitiam ſunt prolapſi) inſeri atque coniungi. Nempe in prima eccleſiæ conſtitutione plærunque ob enormia & infanda peccata, publica peccatoribus imponebatur pœnitentia: ad ſui humiliationem aliorúmque exemplum. Vt de beato Ambroſio memoriæ proditum eſt: quòd Theodoſium imperatorem Romanum eccleſiæ ingreſſu prohibuerit, donec dignam pro ſcelere perpetrato compleſſet pœnitētiam: quam ille humiliter, ſuſcepit & expleuit.

Miniſtri.

18 ❡ Miniſtri dicuntur qui ipſi pontifici aut ſacerdoti ſacra facienti aſtant ad ſancti altaris miniſterium: & quæ ad hoc aut aliorum ſacramentorum adminiſtrationē neceſſaria ſunt, pro ſuo quiſque officio ſubminiſtrant. Et hi à nobis diaconi dicuntur & ſubdiaconi: de quibus paulò pòſt amplior fiet determinatio. Quanuis & miniſtrorum nomine comprehendi etiam nonnunquā ſoleant in minoribus ordinibus conſtituti: hoſtiarij, acolythi, lectores, exorciſtæ, quòd ſuperioribus ordinibus in rebus ſacris etiam impendant miniſterium.

Plebs

19 ¶ Plebs ſancta, laicorũ eſt multitudo vt cõiugatorũ & vitam agentium ciuilem, qui non admittuntur ſecundum primariam eccleſiæ ſanctionem ad exhibẽdum altari ſancto miniſterium tamen ad ſacrorum myſteriorum contuitum ſimul & participationem recipiuntur. A fide enim quam ſunt amplexi nõ deſciuerunt, neque à diuina lege per publica ſcelera exorbitarunt: idcirco pro ſui ſtatus ratione ad ſanctam eccleſiæ communionem pertinent. *Plebs ſancta.*

20 ¶ Monachi ſunt qui vitam diuiduam & quæ in curis agitur ſeculi à ſe abdicarunt: & deo in cõtemptu mundi & ſemotione à publico hominum congreſſu ſeruiunt, ita dicti à ſolitudine: quòd ſolitariam & à vulgi ſtrepitu remotam vitam degunt. Habent & id nomen ab vnitate: quòd repudiata multiplicitate negociorum huius ſeculi, ad vnitatem ſe colligant & ſingulares ſe deo totos mancipent. Hi in primitiua eccleſia græco nomine therapeutæ: latine cultores dicti ſunt. Verùm de ſupradictis eccleſiaſticæ ſortis gradibus & nuncupationibus: beatus pater Dionyſius in libro de eccleſiaſtica hierarchia præſertim capite tertio, quinto, & ſexto, ampliſsimam habet & ſacratiſsimam determinationẽ, ad quam, exactius quàm nos præſtare poſſemus omnia diſcutientem: ex hoc loco lectorem remittimus. *Monachi.*

21 ¶ Pagani dicuntur gentiles, ſiue qui idola colunt: & nomine gentium in ſcriptura nuncupantur, vt in pſalmo, quoniam omnes dij gentium dæmonia: dominus autem cælos fecit. Auguſtinus in prologo libri de ciuitate dei. Interea cum Roma Gothorum irruptione agentium ſub rege Alarico, atque impetu magnæ cladis euerſa eſt, eius euerſionem deorum falſorũ mutuorúmq; cultores (quos vſitato nomine paganos vocamus) in Chriſtianam religionem referre conantes: ſolito acerbius & amarius deũ verũ blaſphemare cœperunt. Et paulò pòſt. Quorũ quinque primi eos refellunt, qui res humanas ita proſperari volunt: vt ad hoc multorũ deorũ cultum (quos pagani colere conſueuerunt) neceſſarium eſſe arbitrentur, & quia prohibentur, mala iſta exoriri atque abundare contendunt. Inde paganiſmus, paganorum ritus. Iidem à Græcis ethnici dicuntur, ꝙ ethnos gẽtem ſignificet vt apud Matthæum *Pagani.* *Pſal. 95* *Matth. 18*

thæum legimus. Quòd ſi eccleſiam nó audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Dicuntur autem pagani à pagis ſeu vicis ruſticis, ꝙ illos incolentes & ab vrbiũ frequẽtatione remoti rarius verę fidei doctrinam audire ac percipere fuerint ſoliti, quæ potiſsimum in vrbibus ac hominum frequentia tradebatur. Et idcirco tardius ab idolorũ cultu reuocabãtur, aut Chriſtiano ritu imbuti facilius ad priſtinam idolorum culturam relabebantur, cum non adeſſet qui errantes corrigeret.

22 ¶ Infideles ſunt, qui fidem catholicam non tenent, neque in deum credunt, ſicut ediuerſo fideles ſunt, qui rectam fidei confeſsionem ſeruant. Inde infidelitas: incredulitas. Ita enim vtroque vocabulo vtitur beatus Paulus ad Timotheum ſcribens. Speramus (inquit) in deum viuum: qui eſt ſaluator omnium hominum, maxime fidelium. Et rurſum. Qui autem ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet: fidem negauit & eſt infideli deterior. Eſt autem infidelium ratio: gneralis admodum & multos cõplectens, nam pagani: infideles ſunt. Agareni itidẽ & Turcarum populus infidelis. Iudæi quoque nunc adhuc ſuo ritui addicti: ſunt infideles. Soli autem Chriſtiani & qui legem Chriſti capeſſunt: fideles ſunt quia quam debẽt fidem amplectuntur.

Infideles. — 1. *Timot.* 4 — 1. *Timot.* 5

23 ¶ Schiſmatici ſunt qui vnitatẽ eccleſiæ ſcindere nituntur: & eius ſub vno ſummi paſtoris vicario collectionem, quemadmodum ij qui vero pontifice ſummo relecto: alium ſibi conſtituere anniterentur. Hinc ſchiſma dicitur ſciſſura ſeu diuiſio eccleſiæ: cum vna pars Chriſtianorum vnum ſequitur vt ſummum pontificem, & altera alterum. Vnde ſcribit beatus Paulus ad Corinthios. Rogo vt idipſum dicatis omnes: & non ſint in vobis ſchiſmata. 24 ¶ Hæretici ſunt qui pietati & rectitudini fidei cõtrariam poſitionem & ſectam pertinaciter defendunt, aut eam primum adinuenientes: quales fuerunt Arrhius, Sabellius, Eunomius & cætera nigræ cohortis turba, ſiue hæreſiarcharum nomine notatur, aut ab aliis adinuentam ſequentes: quales fuere Arrhiani, Sabelliani, Eunomiani, & cæteri, cum cæcis ducibus quos ſequebantur in errorum barathrũ præcipitati. Inde hæreſis eſt ſecta ſyncæritati fidei catholicæ aduerſa atque repugnans: quã tamen

Schiſmatici. — 1. *Cor.* 1 — *Hæretici.*

mē is qui fidei ſuſcepit ſignaculum pertinaciter defendit. Oportet (inquit apoſtolus) hæreſes eſſe: vt hi qui probati ſunt manifeſti fiant. Et rurſum. Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem deuita. *1. Cor. 11* *Titum. 3*

25 ¶ Iudæi dicuntur quicunque à Iacob deſcenderūt: à Iuda, præcipua duodecim tribuum ita nuncupati, qui & Iſraelitæ denominātur: quoniam ab Iſrael (qui & Iacob) ſumpſerunt originem. Iidem dicuntur etiam Hebræi ab Heber filio Seth: à quo per Abraham ſunt deducti. Aut etiam à nomine communi heber: quod transfluuialem ſiue tranſitorem ſignat eo quod Abraham veniens à terra & cognatione ſua in terram Chaanan: fluuium Eufratē trāſierit, & trans flumen habitauerit, vt dictum eſt in præcedente libro in expoſitiotione illius hymni. Gloria laus & honor tibi ſit: rex Chriſte redemptor. *Iudæi.* *Hebræi.*

De ſeptem ordinum eccleſiaſticorum nominibus eorumq; rationibus.

QVoniam autem ad rem eccleſiaſticam dinoſcendam, operæprecium eſt & ipſorum ordinum & dignitatum ad functionem ipſius pertinentium rationem exploratam habere: illam (vt à nobis hoc expoſtulatum eſt) breuibus hic conſtringere non prętermittamus, ampliorem ipſius determinationem ex aliis requirendam admonentes, & potiſsimum ex rationali diuinorum officiorum, cuius author totum ſecundum ſui operis librum abſoluit in huiuſmodi eccleſiaſticorum ordinum declaratione. Itaque impræſentiarum id explanare par fuerit: quid pontifex, ſacerdos, presbyter, diaconus, ſubdiaconus, acolythus, oſtiarius, lector, exorciſta.

26 ¶ Et imprimis pontifex is eſt: qui in eccleſia ſibi deſignata primatūm tenet, curámque ſpiritualium admininiſtrationum & directionem cum ſuprema authoritate gerit. Is à veteri Romanorum more (apud quos pontificibus ſuis cura demandata erat ſublicij pontis inſtaurādi) pontifex dictus eſt: manente etiam apud Chriſtianos vetuſto nomine. Significatiore tamen vocabulo à Græcis epiſcopus dicitur: id eſt ſuperintendens, & vigilem gerens curam atque conſiderationem in eorum ſalutem quibus *Pontifex.*

Timot. Diaconos ſimiliter pudicos. nõ bilingues, nõ multo vino deditos, nõ turpe lucrũ ſectãtes: habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi autem probentur primum: & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. 1. *Timot.* 3

30 ¶ Porrò ſubdiaconus (ſiue potius hypodiaconus: vt vtraque pars compoſitionis ſit greca) epiſtolam in officio miſſæ legit. diaconóque calicem, vinum etiam & aquam miniſtrat. Et is itidem ſacer eſt miniſter ſed diacono inferior. Inde ſubdiaconatus: eſt ordo & ſiue hypodiaconatus gradus hypodiaconi

31 ¶ Acolythus: miniſter quidem eſt ſed minor ſubdiacono. lumen templo ſubminiſtrat, & cæreos fert accenſos: cum offertur altaris ſacrificium. & latine cæreoferarius ſiue portitor luminis vulgo dicitur. At verò ſecundũ grecæ linguæ proprietatem: acolythus idem ſignificat quod famulus ſequens aut conſequẽs, quæ quidem denominatio rectè conuenit ei qui fert luminaria in templo: nam eos quibus famulatum exhibet, aut ordine loci aut ſaltem officio ſequitur. Cæterum ea dictio acolythus apud Grecos in tertia ſyllaba per *ου* diphthongon ſcribitur: quæ apud Latinos in u conuertitur. Itaque ſecundum græci ſermonis rationem dicendũ eſſet acoluthus. Conſuetudo tamen obtinuit vt dicamus acolythus mutata u in i longũ.

32 ¶ Lector ex ſuo miniſterio pſalmos cum ſacerdotibus concinit: & in officio eccleſiaſtico lectiones cum veteris, tum noui teſtamenti profert.

33 ¶ Oſtiarius ſiue ianitor: templi fores obſeruat, nequis prophanus aut cui ſacris interdictum eſt, illud ingrediatur: ſed ſoli admittantur illi qui digni ſunt tam ſacris ſpectaculis intereſſe.

34 ¶ Exorciſta autem is dicitur, qui miniſterium habet adiurandi ſpiritus immundos: & ab energuminis eos expellendi. Inde exorciſmus dicitur adiuratio: id eſt huiuſmodi forma & modus adiurandi ſpiritus nequam hominibus infeſtos. Et exorcizare verbum actiuum, eſt (vt inquit Auguſtinus in libro de vita beata) per diuina ſpiritũ immundum adiurãdo expellere. Huiuſmodi autẽ exorciſtæ non ſolum apud Chriſtianorum eccleſiam. ſed etiam apud Iudæos fuiſſe comperiuntur. vt innuit dominus

noſter in euangelio: dicens. Si ego in Belzebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? ſcilicet exorciſtæ. Et in actibus apoſtolorum legimus, Tentauerunt autem quidã & de circuneuntibus Iudæis exorciſtis, inuocare ſuper eos qui habebant ſpiritus malos: nomẽ domini Ieſu. Quinimmo quiſque ſeptem eccleſiaſticorum ordinum: in veteri lege aliquid habuit, officij ſimilitudine ſibi reſpõdẽs, ex quo in noua lege traductum eſt ſimile officium: & in maiore quidem perfectione. Erant enim tum ſacerdotes, leuitę, nathinnei vt leuitarũ miniſtri, luminũ portitores, oſtiarij, lectores exorciſtę. Quemadmodũ diligẽter annotant: qui ordines ipſos eccleſiaſticos latius explanãdos ſuſcipiunt, præſertim magiſter ſentẽtiarũ in quarto libro: diſtinctione viceſimaquarta. Et quoniã complures id ample & diffuſe factitarunt: non eſt ipſis declarãdis amplius inſiſtendum.

35 ¶ Omnes autem ſupradicti, & qui aliquo funguntur aſsignatorum ordinum: dicuntur clerici, id eſt in domini ſortem vocati, eiúſque addicti miniſterio, qui ſui clericatus profeſsionem, tonſura capillorũ in vertice capitis facta: exprimunt. Quicunque igitur tonſuram acceperunt tanquam ſignaculum eccleſiaſticæ ſortis, clerici dicuntur græca appellatione, à nomine cleros, quod ſortem partémque ſignificat: vt in præcedente libro etiam annotatũ eſt, in expoſitione hymni de ſancto Auguſtino. Magne pater Auguſtine. Reliqui verò qui ad peculiarem dei cultũ & altaris miniſterium non ſunt deſtinati, ſed vitam agunt ciuilem & negocioſam: dicuntur laici.

In die purificationis beatæ Mariæ uirginis: benedictio cæreorum: Oratio.

DOmine ſancte pater omnipotens æterne deus: benedicere & ſanctificare digneris ignem iſtũ, quẽ nos indigni ſuſcipimus per inuocationem unigeniti filij tui domini noſtri Ieſu Chriſti: quem hodie in templo præſentatum, iuſtum Simeonem diu expectantem in ulnis ſuſcepiſſe nouimus: & ſalutare tuum ante faciem omnium

omnium populorum eſſe, lumen ſcilicet gentibus & gloriam plebis tuæ Iſrael, prophetico ſpiritu docuiſſe. Te quæſumus domine benedicere digneris lumen iſtud: & omnibus illud manu geſtantibus verum lumen tuæ maieſtatis concede. vt te agnoſcentes, te diligentes, te quærentes: per viam virtutum ad te valeant peruenire. Per eundem dominum.

¶ Antiphona. Aue gratia plena, dei genitrix virgo. ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ: illuminans quæ in tenebris ſunt Lætare & tu ſenior iuſte, ſuſcipiens Ieſum in vlnas liberatorem animarū noſtrarū: & donantē nobis reſurrectionē.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne deus qui hodierna die vnigenitum tuum vlnis ſancti Simeonis in templo ſancto tuo ſuſcipiēdum præſentaſti. tuam deprecamur ſupplices clementiam: vt hos cæreos, quos nos famuli tui in tui nominis magnificētiam ſuſcipientes, geſtare cupimus luce accenſos: benedicere & ſanctificare, atque lumine ſupernæ benedictionis accendere digneris: quatenus eos tibi domino deo noſtro offerendo: digni, & ſancto igne tuæ dulciſſimæ charitatis accenſi: in tēplo ſancto gloriæ tuæ repræſentari mereamur. Per eundem.

4 ¶ Antiphona. Adorna thalamum tuum Sion, & ſuſcipere regem Chriſtum amplectere Mariam quæ eſt cæleleſtis porta, ipſa enim portat regem gloriæ noui luminis. ſubſiſtit virgo, adducens manibus filium: ante luciferum genitum. Quem accipiens Simeon in vlnas ſuas: prædicabat populis dominum eum eſſe vitæ & mortis, & ſaluatorem mundi.

Oratio.

5 *Domine deus omnipotens creator cæli & terræ, rex regum & dominus dominantium: exaudi nos famulos tuos orantes & clamantes ad te. Præcamur te domine ſancte pater omnipotens æterne deus qui omnia ex nihilo creaſti, qui iuſſu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem cærei venire feciſti: & qui hodierna die peti-*

petitionem iuſti Simeonis impleſti, te humiliter deprecamur ut has candelas ad uſus hominum & ſalutem animarum & corporum, ſiue in terra ſiue in aquis: per inuocationem tui ſancti nominis, & per interceßionem ſanctæ Mariæ uirginis genitricis filij tui (cuius hodie feſta deuoti colimus) & per preces omnium ſanctorum tuorum: benedicere & ſanctificare digneris. Vt hac plebs tua illas honorifice in manibus portans cantando teque laudando: à te pio domino exaudiatur de cælo ſancto tuo, & de ſede maieſtatis tuæ, propitiuſque ſis omnibus clamantibus ad te: quos redemiſti precioſo ſanguine filij tui. Qui tecum uiuit, &c.

6 ¶ Antiphona. Reſponſum accepit Simeon à ſpiritu ſancto: non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum domini. Et cùm inducerent puerum in templum, accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit deum & dixit. Nunc dimittis domine ſeruum tuum in pace.

Cratio.

7 *Benedic domine Ieſu Chriſte hanc creaturam ceræ ſupplicantibus nobis: & infunde ei per crucis tuæ ſanctæ uirtutem, benedictionem cæleſtem. Vt qui eam ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti: talem ſignaculo ſanctæ crucis tuæ fortitudinem & benedictionem accipiat, ut in quibuſcunque locis accenſa ſiue impoſita fuerit: diſcedat & contremiſcat ille malignus diabolus, & effugiat pauidus cum omnibus miniſtris ſuis de habitationibus illis: nec præſumat amplius inquietare ſeruientes deo. Proinde ſupplices quæſumus domine: ut emittas angelum tuum Raphaelem, ut qui euulſit & expulit à Sara & Thobia dæmonem mortiferum & infeſtantem: conterat illum & perdat de cunctis habitationibus colentium deũ,*

de

de baſilicis, de domibus, de angulis, de lectulis, de refectoriis, de cunctis locis in quibuſcunque deo famulantes habitant & requieſcunt, dormiunt, uigilant, ambulant, & conſiſtunt non ualeat amplius inquietare, uel pauorem immittere ſuper illos, quos tui chriſmatis unctio fecit eſſe inunctos. Benedico te creatura cæræ in nomine domini dei noſtri & ſanctæ trinitatis: ut ſis exterminatio diaboli & omnium contubernalium eius. Per eum qui uiuit & regnat deus.

Mutata uoce admodum præfationis:

8 *Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.* Dominus uobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. *Surſum corda. Habemus ad dominum. Gratias agamus domino deo noſtro.* Dignum & iuſtum eſt. *Præfatio.*

Vere dignum & iuſtum eſt: æquum & ſalutare, qui per ſereniſsimam ac placidiſsimam ſtellam, genitricem tuã (cuius ſacratiſsimum nomen per ineffabile & inenarrabile meritum: ſtella maris interpretatur) humanum genus illuminare dignatus es. Propter hoc maximo gaudio hodierna die ouantes, & ideo in noſtris manibus uenerabiliter candelas ferentes, & inceſſabili uoce clamantes quæſumus: pro dulciſsimo amore & clementiſsima interceſsione tuæ dignæ genitricis ſemperque uirginis, nos indignos, ſed tamen precioſo ſanguine tuo redemptos: te æterno lumine ac uero faciat clementer perfrui. Qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuis & regnas deus: per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Oratio.

9 *Omnipotens ſempiterne deus qui per Moyſen famulũ tuũ, puriſsimũ olei liquorem ad luminaria ante conſpectũ tuum iugiter continuanda præparari iuſsiſti: benedictionis tuæ gratiã ſuper hos cæreos benignus infunde, quatinꝰ ſic adminiſtrent lumẽ exterius: ut te donãte lumẽ ſancti ſpũs*

in

in noſtris non deſit cordibus interius. Per dominum noſtrum.

Qua finita: cantor incipiat.

10 *Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Iſrael.*

Verſus. Nunc dimittis ſeruum tuum domine: ſecundum uerbum tuum in pace. Antiphona. Lumen ad reuelationem gentium.

Verſus. Quia uiderunt oculi mei. Et ita alternando uſque in finem.

¶ Religioſa & pia ſanctione conſtituta eſt ab eccleſia catholica, in ſolennitate purificationis ſacratiſſimæ virginis Mariæ: cæreorum benedictio, quoniam dominus noſter cum offerretur in templo quadrageſimo poſt ſuam natiuitatem die (cuius oblationis memoriam recolit hæc ſolennitas) à Simeone iuſto prædicatus eſt eſſe lumen ad reuelationem gentium, & lumen quidem ſpirituale: effugans denſas noſtræ mentis tenebras. Idcirco per lumen ſenſibile cæreorum accenſorum tanquam eius ſymbolum: merito honoratur hoc die atque concelebratur. Sunt etenim in cæreo accenſo tria, magnum continentia myſterium: ſignificationemque eorum quæ domino noſtro verè inſunt. Primo cæra, ab apibus cum ſyncæritate formata, & puriſſimæ eius carnis ſignatiua. Secundo lychnus ſiue ellychniũ & funale illud interius vndique cæra circumlitum: ſacratiſſimam eius animam inſinuans in ſancta carne latitantē. Tertio verò ibidem eſt lumen quod cæræ: & lychno coniungitur: deitatem eius ſummam ſignificans, corpori & animæ ineffabiliter vnitam. Facta autem memoratur hæc cæreorum deferendorum in præſenti celebritate commēdabilis inſtitutio à Sergio ſummo pontifice: ad abolendam ſuperſtitionem ſacrilegam Romanorum, qui ex ritu gentilitio nondum tunc abolito neque eliminato, in principio menſis Februarij ſoliti fuerant vrbem luſtrare tædis & facibus in honorem Februæ matris Plutonis, & in venerationem Cereris quæ filiam ſuam Proſerpinam (vt fabulantur poetæ) raptam à Plutone facibus ad montem Aethnam

accenſis anxia quæritabat. Et quoniam diffi[illegible] erat aſſueta relinquere, aut repente hunc morem ſuperſtitioſum funditus extirpare: conſtituit prouidentiſſimus pontifex vt ritus ille in meliorem commutaretur obſeruationem, & in hodierna ſolennitate fideles in honorem ſacratiſſimæ virginis & matris dei cæreos deferrent: qui ſolenni benedictione ſanctificarentur atque conſecrarentur à ſacerdote. Cuius benedictionis forma ante poſita: paucis annotatiunculis (nam peruia ſatis eſt & captu facilis) pro more eſt elucidanda.

1 ¶ ANNOTATIONES. In prima oratione. Iuſtum Simeonem diu expectantem. Quòd diu expectauerit Simeon ardenti deſiderio aduentum domini in carnem: ex euangelio hodiernæ ſolennitatis aperte liquet, quod dicit ipſum accepiſſe reſponſum à ſpiritu ſancto, non viſurum ſe mortem donec videret Chriſtum domini. Quid autem fuit illud reſponſum: niſi interior inſpiratio ſuperboni & ſuauiſſimi ſpiritus? conſolationem illi dãtis & certificationem, quòd pium ipſius & feruens votum impleretur: quo exæſtuabat totuſque flagrabat, petens Chriſtum mundi ſaluatorem cito mitti ad redemptionem Iſrael. Expectabat igitur anxius ipſe illam Chriſti apparitionem in carne: à deo promiſſam à prophetis prænunciatam, multiſque figuris præſignificatam. Seque fœlicem exiſtimabat fore: ſi corporeis oculis antequam hinc emigraret, illum contueri poſſet. Comprobat hoc beatus Auguſtinus in ſermone præſentis ſolennitatis dicens. Intelligite fratres: quantum deſiderium habebãt antiqui patres videre Chriſtum. Sciebant quidem ipſum eſſe venturum, & omnes qui piè viuebant, dicebãt. O ſi hic me inueniat illa natiuitas. O ſi quod credo in ſcripturis dei: videam oculis meis. Vt ergo noueritis antiquos ſanctos & iuſtos deſideraſſe videre, quod cõceſſum eſt huic ſeni Simeoni: dominus noſter Ieſus Chriſtus ad diſcipulos loquens ait: Multi iuſti & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis: & non viderunt, & audire quæ auditis: & non audiuerunt. Et hoc illi tantum conceſſum erat iam decrepito: quaſi deſideranti, & ſuſpiranti, & dicenti quotidie in orationibus ſuis. Quando veniet? quando naſcetur? quando videbo? putas me hic inueniat illa natiuitas? putas oculi iſti videbunt illum: per quem oculi

Luc. 2.

Luc. 10.

oculi cordis reuelabuntur? Dicebat iſta in orationib' ſuis: & pro deſiderio ſuo accepit reſponſum, quòd non guſtaret mortem niſi videret Chriſtum domini. Hæc Auguſtinus.

2 ¶ In prima antiphona. Suſcipiens Ieſum in vlnas. Vlna totius brachij extenſio eſt: ab humeris vſque ad digitorum extremitatem, & pro ipſo toto brachio frequenter ſumitur: vt hoc in loco. Vnde & menſura ſecundum huiuſmodi protenſionem ſumpta: etiam vlna denominatur, ſicut digitus, pes, palmus, cubitus: nomina ſunt à partibus corporis ad æquas illis menſuras tranſlata. At verò in hac oratione propoſita & conſimilibus: nomen illud iam explicatum potius in accuſatiuo ponendum eſt cum prępoſitione in, quàm in ablatiuo, vt nonnulli habent libri. Nam ſuſcipere ſiue accipere, verbum: motum quendam ſignat magis quàm quietem. Vnde & Lucas in euangelio hodierno de Simeone loquens: ait. Ipſe accepit eum in vlnas ſuas: & benedixit deum. Vbi verò prætermittitur prępoſitio in: Lucæ 2I. rectè dictio illa cum verbo ſuſcipere in ablatiuo ponitur, vt in ſecunda oratione: quæ hanc proximè ſequitur antiphonam.

3 ¶ In ſecunda oratione. In templo tuo ſuſcipiendũ præſentaſti. Hæc oratio ad deum patrem dirigitur: vt ipſi' ſchema & forma loquendi ſatis indicat, qui quidem filiũ ſuum in templo præſentaſſe dicitur: quia & id multò ante prænunciauit per prophetas eſſe futurum, vt per Malachiam dicentem. Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator quem vos quæritis & angelus teſtamenti quem vos vultis. Inſuper & occulta inſpiratione ſacratiſſimam virginem Mariam & iuſtum Ioſeph virum ſuum deus pater per ſpiritum ſanctum edocuit, Chriſtum ſecundum cõſuetudinem legis quadrageſimo poſt ſuam natiuitatem die in templo eſſe præſentandum: quanuis ipſa ſacrata virgo legi purificationis non ſubiaceret. Præſentauit igitur Chriſtum in templo deus pater: quia vt præſentaretur in eo ordinauit atque admonuit, volens eum legem complere & ſub lege fieri, vt nos à legis ſeruitute & iugo redimeret. Præſentauit & ipſum Chriſtum beata mater eius: deferens eum in templum, vt humilitatis & obedientiæ nobis exemplum memorabile relinqueret.

4 ¶ In ſecunda antiphona. Adorna thalamum tuũ Sion. Hoc

Hoc loco per Sion intelligitur primum ſynagoga & collectio Iudæorum: qui tum frequentabant templum domini in monte Sion conſtitutum, quæ his verbis incitatur vt dominum Ieſum hodie in templo Hieroſolymitano præſentatum cum deuotione & gaudio ſuſcipiat. Secundo, eodẽ nomine intelligitur eccleſia fidelium & Chriſtianorum: quæ nuncupatione ipſius Sion in ſcripturis ſanctis ſæpius exprimitur. Nempe his verbis ſancta fidelium congregatio admonetur, vt ſe præparet per ornamenta bonorum operum: ad ſuſcipiendum dominum Ieſum in templo oblatum, & Mariam eius matrem eum offerentem, hoc eſt ad dignè & debitè celebrandum memoriam ſuſceptionis ipſius domini adhuc infantis in templo. Tertio nomine Sion intelligi poteſt vnaquæque fidelis anima, deum per fidem ſpeculans: quæ prouocatur hac voce eccleſiaſtica vt interiorem ſuum thalamum & penetralia cordis præparet, ad recipiendum dominum Ieſum in templo ſuo ſpirituali in hodierna ſolennitate: ſicut ipſe in templo materiali Hieruſalem præſentatus eſt, vt in vnoquoque Chriſtianorum id ſpiritualiter fiat: quod corporaliter geſtum eſt hodierno die templo ſenſibili.

5 ¶ In tertia oratione. Per opera apum hunc liquorem. Apes aut apis in nominatiuo ſingulari: genus muſcæ eſt ex floribus mel colligens & fauos conficiens, vnde demùm cæra componitur. Ouidius. Non apis inde tulit collectos ſedula flores.

Hoc autem nomen plęrique exiſtimant eſſe cõpoſitũ ab a quod eſt ſine: & pes, quod ſine pedib9 naſci videatur id muſcæ genus, dicente Vergilio. Trunca pedũ primo. Sed cum id vocabulum apes non ſeruet analogiã & ſimilem genitiui formandi regulam ſicut cætera compoſita nominis pes: vt bipes, edis, tripes, edis, compes, edis: potius ipſum ſimplex eſſe nomen cenſeri debet. Inſuper particula a, in græcis quidem dictionibus & earum compoſitione negatiua eſt: & ſignificat ſine, vt atheos: ſine deo, athanatos: immortalis, achronos: intemporalis. Sed in latinis dictionibus non habet locum illa cõpoſitio: aut ſignificatio particulæ a. Manifeſtũ eſt aũt: nomen pes, latinũ eſſe, quare potius commentitia aut fictitia putari debet illa (quæ modo adducta eſt) compoſitio. Creantur autem apes ex bobus: ſicut

ſicut crabones ex equis, fuci ex mulis, veſpæ ex aſinis: quē admodum in quarto libro Georgicorum oſtendit Virgilius: vbi de apib⁹ amplam habet determinationem. In eadem quoque oratione tertia cæreus nomen ſubſtantiuum, maſculini generis, ſecundæ declinationis: candelam ſignificat ex cæra confectam. Cum autem adiectiuum eſt id nomen: aliquid eſt ex cæra conflatum atque compactum.
Ouidius. Deuote abſentes: ſimulacráque cærea fingit. Hic autem, & in aliis huius benedictionis locis: illud nomen ſubſtantiue ſumitur.

3 In tertia antiphona. Niſi videret Chriſtum domini. In veteri teſtamento, ſacerdos ſummus qui conſecrabatur: dictus eſt Chriſtus domini, quod fuſo ſuper eum vnctionis oleo ſit ſanctificatus domino, vt propheta in pſalmo dicit. Nolite tangere Chriſtos meos: & in prophetis meis nolite malignari. Rex itidem qui olei ſuper ſe fuſione conſecrabatur apud Hebræos: eodem inſigniebatur nomine. Vt Dauid, ipſum Saul quod vnctus eſſet in regem à Samuele etiam vocauit Chriſtum domini dicens. Propitius ſit mihi dominus ne faciam hanc rem domino meo Chriſto domini: vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus domini eſt. Verùm hi ſolum figura erant & typus ipſius domini Ieſu: qui verus eſt & præcipuus Chriſtus domini, idem ſimul rex atque ſacerdos à domino deo conſtitutus, & vnct⁹
Pſal.44. à deo patre non oleo materiali ſed ſpirituali, abundantia
Act.10. ſcilicet diuinorum chariſmatum, vt ait pſalmus. Propterea vnxit te deus, deus tuus oleo lætitiæ præ cóſortibus tuis Et beatus Petrus in actibus apoſtolorum ad Cornelium Centurionem. Incipiens enim à Galilęa poſt baptiſmum quod prędicauit Ioannes Ieſum à Nazareth, quomodo vnxit eum deus ſpiritu ſancto & virtute. Idcirco per excellentiam quandam veritatis & ſingularem eminentiam, dominus Ieſus dicitur in ſacra ſcriptura Chriſtus domini. Alij verò idem ſortiuntur nomen, ſolum vt eius imago.

4 ¶ In quarta oratione. Qui euulſit & expulit à Sara &
Thob.3 Thobia. Ex ſacra Thobiæ hiſtoria conſtat, quòd dęmoniũ nomine Aſmodeus occidit ſubinde ſepté viros qui Saram filiam Raguelis duxerant vxorem, quòd non cum timore domini ſed carnalis potius concupiſcentię cauſa, eam expe-
Thob.8 tiuerant thori ſociam. Thobias verò iunior, hortatu ſancti

cti angeli Raphaelis quem habuit ſui itineris comitem & huius ſacri coniugij authorem: poſtquam Saram duxerat vxorem, partem ipſius piſcis in via capti poſuit ſuper carbones viuos ad extricandum eius fumo dæmonium, quẽadmodum fuerat ab angelo edoctus: & tribus noctibus vna cum vxore in continentia vocauit orationi. Raphael autem angelus apprehendit dæmonium illud: & religauit in ſuperioribus partib⁹ Aegypti. Itaque petit hæc ſupplex oratio vt ſicut per Raphaelem angelum fuit expulſus dæmon à domo illa: ita vbicunque fuerint accenſi cærei qui conſecrantur, ſiue in templis ſiue domibus habitationi humanæ extructis: expellatur inde Sathanas virtute diuina, & nullam ibidem habeat nocendi poteſtatem. Porrò baſilica, regiam ſiue regis domum ſignificat: quia vaſileon regem Græci dicunt. Sumitur autem in vſu vulgato idem nomen pro templo ſiue delubro: quoniam ea eſt ſummi regis domus & habitaculum.

8 ¶ In præfatione. Per ſereniſſimam & placidiſſimã ſtellam. Qui per lunam dicit illuminari aerem: non præiudicat ſoli neque derogat, clariſſimo ſuo fulgore totum orbẽ illuſtranti, quoniam idipſum quòd illuminet luna, à ſole mutuatur & accipit: à quo precariam ſibi vendicat claritatem. Ita ſanè qui per ſacram virginem Mariam dicit humanum genus illuminatum non imminuit dignitatem aut gloriam domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Nã Chriſtus ipſe, præcipuus eſt & primitiuus hominum illuminator: id munus ab alio non ſortitus. Sacratiſſima autem virgo Maria etiam honoris illius & nominis habet participationem: quoniam ex ea ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus deus noſter. Quare ſecundo loco, inferiore gradu, & poſt Chriſtum, ipſa ſacroſancta virgo verè dicitur humani generis illuminatrix: & huius maris ſpacioſi atque tempeſtuoſi ſtella præfulgida. *Ioannis 1.*

9 ¶ In quarta oratione. Qui per Moyſen famulum tuũ. Id ex 27. capitulo. Exodi ſumptum eſt: vbi dominus legitur dixiſſe Moyſi. Præcipe filiis Iſrael vt afferant tibi oleũ de arboribus oliuarum puriſſimum, piloque contuſum: vt ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij extra velum quod oppanſum eſt teſtimonio, & collocabunt eam *Exod. 27.*

Aaron & filij eius: vt vſque mane luceat coram domino:
Perpetuus erit cultus per ſucceſſiones eorum : coram filiis
Leui.24 Iſrael. Idem quoque habetur Leuitici viceſimoquarto capitulo his verbis. Et locutus eſt dominus ad Moyſen dicens. Præcipe filiis Iſrael vt afferant tibi oleum de oliuis puriſſimum ac lucidum: ad concinnandas lucernas iugiter extra velum teſtimonij in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron à veſpere vſque in mane coram domino: cultu rituque perpetuo in generationibus veſtris. Super candelabrum mundiſſimum ponentur ſemper in conſpectu domini. Siue igitur in præſenti oratione legeris, ad luminaria iugiter continuanda ſiue concinnanda : vt habet litera Leuitici, ad concinnandas, id eſt exornandas & diſponendas lucernas: nihil refert, & eadem ferè eſt ſententia, nam liquor ille olei ad vtrunque horum ordinabatur: & ad continuanda perpetuo cultu luminaria, & ad ea etiam concinnanda: ſiue præparanda. 10 ¶ Porrò canticum Simeonis quod decimo & poſtremo loco in hac benedictione ponitur, vltimo verſu alternatim aliis inſerto & ſubinde repetito cantandum: ſuperius expoſitum eſt inter cantica ſacra circa huius libri principium.

In die ſancto paraſceues, ſacratiſsimæ crucis adoratio: ſecundum ritum eccleſiaſticum.

¶ Duo acolythi præparati portent crucem velatam de ſacrario: ſequentibus presbyteris caſulis indutis, & cantantibus verſus ſequentes.

1 *Popule meus quid feci tibi, aut in quo contriſtaui te reſponde mihi, quia eduxi te de terra Ægypti, paraſti crucem ſaluatori tuo.*

¶ Poſtea duo cantores dicent.

2 *Hagios o theos, hagios iſchyros, hagios athanatos, eleiſon imas.*

¶ Deinde chorus reſpondeat.

Sanctus deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis.

¶ Item duo ſacerdotes tenentes crucem : cantent verſum ſubſequentem.

Quia

Quia duxi te per deſertum quadraginta annos, & manna cibaui te, & introduxi te in terram ſatis opimã: paraſti crucem ſaluatori tuo.

¶ Deinceps duo cantores dicunt. Hagios ò theos, & chorus reſpondeat. Sanctus deus: vt ſupra. Tertio deinde cantent duo ſacerdotes.

Quid ultra debui facere tibi & non feci? ego quidẽ plantaui te uineam meam ſpecioſiſſimam: & tu facta es mihi nimis amara, aceto nanque felle mixto ſitim meam potaſti: & lancea perforaſti latus ſaluatori tuo.

¶ Iterum duo cantores dicant. Hagios ò theos, & chorus reſpondeat. Sanctus deus, vt ſuperius. Tunc ſint ibi tapeta ſtrata, ſuper quæ proſternat ſe pontifex aut ſacerdos ſacrificans, diſcooperiatq́ue crucem: alta voce.

Ecce lignum crucis. Chorus proſequitur, in quo ſalus mundi pependit: uenite adoremus.

¶ Ter cantetur ſupradicta antiphona: ſine verſu. Et poſt tertiam decantationem ſubiungat chorus hunc verſum.

Beati immaculati in uia: qui ambulant in lege domini.

¶ Deinde dicitur antiphona.

3 *Dum fabricator mundi mortis ſupplicium pateretur in cruce: clamans uoce magna tradidit ſpiritum, Et ecce uelum templi ſciſſum eſt, monumẽta aperta ſunt, terræmotus etiam factus eſt magnus: quia mortem filij dei clamabat mundus ſe ſuſtinere non poſſe. Aperto ergo lancea militis latere crucifixi domini: exiuit ſanguis & aqua in redemptionem ſalutis noſtræ.*

¶ Antiphona.

4 *O admirabile precium, cuius pondere captiuitas redẽpta eſt mundi, tartarea confracta ſunt clauſtra inferni, aperta eſt nobis ianua regni.*

¶ Pontifex ſiue ſacerdos ſalutet poſtea crucem cum omni clero & populo: adorando eam & exoſculãdo. Poſtea duo diaconi accipientes corpus domini pridie reſeruatum, cum miniſtris & luminaribus ac thuribulo portent coram altari, hos verſus ſequentes cantando.

5 *Laudes omnipotens canimus tibi: dona ferentes*
Corporis immenſi,ſanguinis atque tui.

¶ Chorus deinde primum iſtorum repetat verſum. Laudes omnipotens.

Pangimus ecce tuam rector ſanctiſsime menſam:
6 *Tu licet indignis propitiare tuis.*

¶ Chorus ſecundum duorum primorum repetat verſum. Corporis immenſi.

7 *Angelus æthereis ſanctus deſcendit ab aſtris:*
Purificans corpus cor pariterq; prius.

¶ Chorus repetat primum verſum. Laudes omnipotens.

8 *Hæc medicina potens cæli nos ducat in arces.*
Interea terris dans medicamen opis.

¶ Chorus ſecundum repetat verſum. Corporis immenſi.

9 *Hoc pater omnipotens cum Chriſto ſuſcipe clemens.*
Spiritus atque potens :trinus & unus apex.

¶ Chorus repetat duos primos verſus integros: ſcilicet. Laudes omnipotens, & Corporis immenſi.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Popule me° quid feci tibi. Continet hic verſus & duo ſequentes eiuſdem ſchematis, modique loquendi: exprobrationem ingratitudinis Iudæorum in Chriſtum dominum, a quo tot & tanta veteris teſtamenti tempore ſuſceperant beneficia. Omnium tamen immemores: mala pro bonis retribuerũt, & mortem crucis ignominioſam illi intulerunt. Et hoc ipſum merito illis improperat dicens. Popule meus: qui feci tibi? Sumptáque ſunt hæc verba ex ſexto capite Micheæ: vbi per prophetam dominus ait. Popule meus quid feci tibi? aut quid moleſtus fui tibi: reſponde mihi, quia eduxi te de terra Aegypti: & de domo ſeruientium liberaui te, & miſi ante faciem tuam Moyſem, Aaron & Mariam. Secundi verò verſus ſententia, quòd eduxerit populum Iſraeliticum deus per deſertum quadraginta annis, & manna ipſos cibauerit: ex libro Exodi, Leuitici, Numeri & Deuteronomij

ronomij ſatis innoteſcit. Vbi totius itineris illius populi per deſertum: decurſus deſcribitur, & potiſſimum ex decimoſexto cap. Exodi: dicente. Filij autem Iſrael comederűt manna quadraginta annis: donec venirent in terram habitabilem, hoc cibo aliti ſunt: vſquequo tangerent fines terræ Chanaam. At verò tertij verſus præcedentibus reſpondentis ſententia, in ipſa fronte poſita: quid vltra debui facere tibi, & non feci? ex quinto capite Eſaiæ eſt deprompta: vbi dominus per prophetam ait. Nunc ergo habitatores Hieruſalem & viri Iuda: iudicate inter me & vineam meam. Quid eſt quòd vltra debui facere vineæ meæ: & nõ feci ei? an quòd expectaui vt faceret vuas: & fecit labruſcas? Vbi per vineam ſuam allegoricè intelligit dominus plebẽ Iſraeliticam: quam ſpeciali prouidentiæ ſuæ munere direxit ad ſalutem & dei agnitionem. Et eodem modo etiam ſumitur vinea, in ſecunda huius tertij verſus ſententia: ſcilicet, ego quidem plantaui te vineam meam, quę deſumpta eſt ex ſecundo Hieremiæ capite: vbi dominus per prophetam increpat populum Iudaicum his verbis. Ego autem plantaui te vineam electam: omne ſemen verum, quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum: vinea aliena? Cæterùm ſtatim nota eſt metaphora vineæ ad populũ illum: ex propenſa dei in eum cura atque ſolicitudine, & ipſius populi in deum maxima ingratitudine. Exo.16. Eſa.5.

2 ¶ In hymno triſagio, agios otheos. Hanc dei laudẽ ſacer Damaſcenus in tertio libro de fide orthodoxa capite decimo vocat hymnũ triſagium: quòd ea oda ter agios contineat, in expreſſionem trium ſummæ diuinitatis perſonarum, conſubſtantialium adinuicem & coæqualium. Vnitas verò diuinæ ſubſtantiæ, per verbũ ſingularis numeri ſubiunctum ſcilicet eleyſon inſinuatur: quod expreſſius in Latino ſermone apertiusque conſpicitur. Celeberrimus igitur & digniſſimus eſt hic hymnus: qui & diuinarũ perſonarum trinitatem, & ſimul indiuiduam deitatis vnitatem indicat atque in ſe complectitur. Quem & eodem loco aſſerit idem author reuelatione cælitus facta hominibus angelorum miniſterio innotuiſſe: atque in Calcedonenſi concilio ab vniuerſali eccleſia approbatum, & vt publice decantaretur inſtitutum fuiſſe. Porrò qui ſubnectitur verſus Latino contextu, ſanctus deus, ſanctus fortis omnino Hiere.2.

eandem cõtinet ſententiam, quinimmò & verba in ſermone Latino: ſicut præcedens verſus in idiomate Græco, eſtque Latinus ille verſus, ipſius Græci interpretatio atque ad verbum expoſitio. Verum tamen in Latino illo verſu: non debet interiecta eſſe coniunctio. Et, dictioni. Sanctus tertio loco repetitæ & dictioni. Immortalitatis, quam tamen connexionis particulam plærique interponunt. Tũ quòd in Græco, nulla inter hagios atque athanatos dictiones illis reſpondentes: ſita ſit coniunctio. Tum quòd poſt dictionem Sanctus primo poſitam loco, non ponitur coniunctio: neque poſt eandem ſecundo ordine collocatam, quare recta oſtendit analogia: neque tertio loco poſitæ dictioni Sanctus, ſubnecti debere copulatiuam coniunctionem: vt etiam annotauimus in ſupradicto Damaſceni loco Expungenda igitur & obliteranda eſt ea coniunctionis nota: vt quæ ſuperuacanea ſit, & dicendum omnino hoc modo: Sanctus deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis: miſerere nobis. 3 ¶ In prima antiphona. Dum fabricator mundi. Quoniam duæ naturæ diuina & humana, in vnam Chriſti perſonam verè & ſine confuſione ſunt vnitæ, idẽq; eſt verus deus & verus homo: frequenter in ſcripturis quę vnius naturæ ſunt propria, alteri per alternatione prædicationis & mutuam proprietatum attributionem atque cõmunicationem accommodantur. Vt hoc loco, pati mortis ſupplicium, quod ſolius humanitatis eſt proprium: diuinitati attribuitur, denominatiua voce expreſſæ. Nempe Chriſtus vt deus: eſt fabricator & factor mundi, tu (inquit pſalmus) fabricatus es auroram & ſolem. Ita beatus Paulus ad
Pſal. 73. Corinthios ſcribens: ait. Si enim cognouiſſent: nunquã do-
3. Cor. 2. minum gloriæ crucifixiſſent. Nihilo ſecius ipſa diuinitas: omnino fuit paſſionis in Chriſto & mortis expers.

4 ¶ In ſecunda antiphona. O admirabile precium. Liber apud me pro exemplo relictus: ad elaborandam eorum quæ in toto hoc opere continentur expoſitionem (nihil enim quod ad literam textumque pertineat, proprio adieci arbitrio aut ſententia, neque permutaui: ſed oblatum mihi textum ſola elucidatione ſtudui reddere patentiorẽ) is inquam liber habet in hac antiphona. O admirabile precium: cuius pondere captiuitas redempta mundi. Verùm ablatiuus pondere, non ſatis quadrare videtur huic loco: quòd

quòd ſignificatum non habeat præſentis ſententiæ conueniens. Siue enim pro, onere aut grauitate rei corporalis id nomen ſumpſeris: ſiue pro precio, momento & exiſtimatione rei, quomodo dicere ſolemus rem aliquam arduam magni eſſe ponderis: non bene cohæret ea dictio orationi propoſitæ. Itaque videretur aptior ſententiæ expreſſio: ſi illius loco poneretur dictio virtute, hoc modo. O admirabile precium: cuius virtute captiuitas redempta mundi. Omnia enim opera illa admirabilia quæ hic recenſentur: facta ſunt virtute ſacratiſſimi ſanguinis Chriſti, quod eſt precium noſtræ redemptionis. Et crediderim ſanè codicem apud me dimiſſum: hoc in loco mendoſum eſſe.

5 ¶ In primo carmine. Laudes omnipotens ferimus. Hic melius poneretur meo iudicio, verbum canimus: ne eadẽ dictio in eodem carmine bis poni videretur, ſemel in voce verbi & ſecundo in voce ſui participij. Et in ſecundo carmine, loco adiectiui immenſi: congruentius poni videretur epithetum, eximij. Nam ſacrum Chriſti corpus certis dimenſionum lineamentis clauſum: non dicitur rectè immenſum, niſi fortaſſe ob diuinitatem illi coniunctã: aut immenſitate atque infinitate virtutis ſpiritualis & efficaciæ. Verè autem eximium, excellens atque auguſtum eſt hoc domini corpus: templum diuinitatis, & hoſtia ſacra, pro totius mundi redemptione oblata.

6 ¶ In tertio autem carmine, menſam Chriſti vocat author (quiſquis is fuerit) ſanctiſſimum euchariſtię ſacramẽtum: continens cibum maximè omnium ſalutarem & potũ ſuauiſſimum. Cibo autẽ & potu inſtructa menſa: plena eſt, & ſplendide ornata. De qua quidẽ ſacratiſſima Chriſti mẽſa: loquitur propheta in pſalmo. Paraſti in conſpectu meo menſam: aduerſus eos qui tribulant me. *Pſal.* 22.

¶ At verò in ſexto carmine cor pro humana anima ſumitur: cum ibi fiat ſupplicatio quòd angelus ſummo demiſſus olympo expurget corpus noſtrum pariter & animã ab omni immundicia & ſorde peccati. Quinimmò in ſacra ſcriptura plærunque nomine cordis intelligitur anima: vt in eo loco pſalmi, viuent corda eorũ in ſeculum ſeculi. Et rurſum. Qui finxit ſigillatim corda eorum.

7 ¶ Deinceps in ſeptimo carmine, medicina potẽs dicitur ſacroſancta euchariſtia: quoniam omnem morbũ animi effi *Pſal.* 21 *Pſal.* 32.

cacia ſua & virtute valet propellere. Eſt enim in ea: fons totius bonitatis, omnem malitiam exterminans. ibi humilitas contra ſuperbiam, charitas contra inuidiam, manſuetudo contra iracundiam, ſedulitas contra pigritiam, ſufficientia contra pecuniæ cupiditatem, temperantia contra gulam, & ſumma puritas contra immunditiam. Et vt in ſumma res dicatur: illic eſt omnium apotheca virtutum, & contra omne vitiorum genus ſalutare antidotum. Non enim abreuiata eſt manus domini, neque imminuta eius virtus: quòd ſit immenſa. Qui ergo in terris diuerſat⁹ omnem corporis morbum etiam lege naturæ incurabilem ſolo verbi imperio propulſauit. & mortuos reuocauit ad vitam. cur non in ſanctiſsimo ſacramento idem omnino mirabiliter conſiſtés: omnem animi langorem immo & mortem potenter expel[illegible]t? modo aſsit nobis firma fides & feruens animi in deum noſtrum affectus atque deuotio. Re-uera & cæcos ſpiritualiter illuminabit, leproſos mundabit claudos itidem rectis incedere plantis præſtabit: & febricitantes graui ardore noxiæ concupiſcentiæ leuabit. quinimmo & mortuos peccatis ſuſcitabit ad vitam ſpiritualem hæc potentiſsima medicina: haud minus hac eadem præſtitit pro ſua bonitate ſanitatum beneficia iis qui corporalibus vexati morbis pientiſsimi medici opem humiliter implorabant. Obtimus enim eſt & animarum medicus.

8 ¶ Demùm octaui carminis ſententia eſt, quòd quandiu in terris diuerſamur, & præſentem incolimus vitam: petimus quòd hæc ſacroſancta euchariſtia det nobis ſubleuamen ſui auxilij, ad tranſigẽdum hanc difficilem viam. Eſtque ibi nomen opis, genitiui caſus ſingularis numeri: idẽ ſignificans quod adiutorium.

10 ¶ Poſtremo in decimo & vltimo huius metricæ modulationis carmine: trinus & vnus apex: id eſt culmẽ ſummitas & maieſtas dicitur ſuperſancta trinitas: trina in perſonis, & vna in ſubſtãtia. Eſt enim apex: cuiuſuis rei ſummitas, faſtigium & celſitudo. Quid autem ſuperſubſtantiali trinitate dabis excelſius & ſublimius: quæ ſuper omnem creaturarũ gradum & ordinem eminentiſsime collocata emicat?

In ſab-

In ſabbato ſancto paſcæ: benedictio noui ignis, à ſacerdote facienda, in hunc modum.

Oratio.

1 DOmine ſancte pater omnipotens æterne deus: in nomine tuo & filij tui domini noſtri Ieſu Chriſti, benedicimus hũc ignem & cum cæra & omnibus alimoniis eius ſanctificamus, & ſigno crucis Chriſti filij tui dei uiui atque altaßimi ſignamus, ut intus uel foris accenſus, non quod noceat incendat: ſed omnia ad uſus hominum neceßaria calefaciat, ſiue illuminet. Et quæ ex hoc igne fuerint conflata uel calefacta: ſint benedicta, & omni humanæ ſaluti utilia. Vt non cum Nadab & Abiu ignem tibi offerentibus alienum incendamur: ſed cum Aaron pontifice & filiis eius Eleazaro & Ithamaro hoſtias tibi pacificas: ſpiritus ſancti igne aſſatas immolare ualeamus, & ſemper eiuſdem ſpiritus ſancti igne uicia noſtra ure, cordaq; noſtra luce ſcientiæ tuæ illumina: & animas noſtras calore fidei clarifica. Per eundem dominum: in unitate eiuſdem.

Alia oratio.

2 Omnipotens ſempiterne deus mundi conditor, luminis ſyderúmque fabricator: per cuius ineffabilem potentiam omnis claritas ſumpſit exordium, te in tuis operibus inuocamus, aperi nobis quæſumus labia noſtra ad confitendum nomini tuo, & ad laudem gloriæ tuæ: ut digne celebrare mereamur ſacrum officium tuum, quia in hac ſacratißima noctis uigilia: de donis tuis cæreum tuæ ſuppliciter offerimus maieſtati. Per Chriſtum.

Alia oratio.

3 Deus qui per filium tuum, lapidem ſcilicet angularem, charitatis ignem fidelibus contuliſti: productum ex ſilice nouum hunc ignem ſanctificare digneris: & cõcede nobis

nobis ita per hæc feſta paſchalia cæleſtibus deſideriis inflammari: vt ad perpetua feſta purgatis mentibus pertingere valeamus. per eundem dominum.

Alia oratio.

4 *Domine deus pater omnipotens exaudi nos, lumen indeficiens: tu ſancte conditor omnium luminum, benedic quæſumus hoc lumen quod à te ſanctificatum atque benedictum eſt, qui illuminas totum mundum. vt ab eo lumine incendamur & illuminemur: ſcilicet igne charitatis tuæ, quo Moyſem illuminaſti, & hoc lumẽ tribue cordibus noſtris: vt ad vitam æternam peruenire valeamus. Per Chriſtum.*

Alia oratio.

5 *Domine ſancte pater omnipotens æterne deus: benedicentibus nobis hunc ignem in nomine tuo & vnigeniti filij tui dei ac domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſpiritus ſancti: cooperari dignare, & adiuua nos. Qui viuis & regnas cum eodem vnigenito tuo: in vnitate eiuſdem ſpiritus ſancti deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

¶ Tũc aſpergat ſacerdos ignem aqua benedicta, móxque accendantur candelæ. Deinde incenſum ſiue thus in cæreo ponendum idem benedicat: hanc dicendo orationem.

6 *Veniat quæſumus omnipotens deus ſuper hoc incenſum, larga tuæ benidictionis infuſio: & hunc nocturnum ſplendorem inuiſibilis regenerator accende. vt non ſolum ſacrificium quod hac nocte litatum eſt: arcana luminis tui admixtione refulgeat. ſed in quocunque loco ex huius ſanctificationis myſterio aliquid fuerit deportatum: expulſa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ maieſtatis aſſiſtat. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

¶ Redeuntibus autẽ ſacerdotibus & miniſtris in eccleſiã cantentur à duobus clericis iſti verſus hymni ſequentis.

In

7 *Inuentor rutili dux bone luminis: qui certis uicibus tempora diuidis, merſo ſole: chaos ingruit horridum lumen redde tuis Chriſte fidelibus.*

Et ita reliqui eius verſus ad finem vſque decantentur: vt in præcedente libro inter hymnos collocati ſunt.

1 ℂ ANNOTATIONES. In prima oratione. Vt non cum Nadab & Abiu. Nonnulli libri hoc loco habẽt, & potiſsimum codex exemplaris apud me dimiſſus vt nõ cum Dathan & Abiron ignem tibi offerentibus alienũ incendamur, ſed perperam meo iudicio, & mendoſè. Nam decimum ſextum caput libri Numeri refert, quòd Dathã & Abiron filij Eliab inſurrexerunt cõtra Moyſem & Aaron: volentes ſibi arroganter vendicare ſacerdotiũ. Propter quam inſolentiam abſorpti ſunt viui à terra: & dirupta ſub eorum pedibus humo, deſcenderunt in infernum. Nõ autem ex eo loco aut alio quouis colligere poſsis, ꝙ Dathan & Abiron alienum ignem obtulerint domino, aut emiſſo cælitus perierint incendio: vt oratio præſens enunciat. Cæterùm Leuitici decimum caput meminit, quòd Nadab & Abiu filij Aaron arreptis thuribulis impoſuerunt ignem & incenſum deſuper: offerentes coram domino, ignem alienum quod eis præceptum non erat Egreſſúſq; ignis à domino ſubito deuorauit eos: & mortui ſunt coram domino. Quare coniectura ducor hoc in loco potius ita legendum eſſe, vt non cum Nadab & Abiu ignem tibi offerentibus alienum incendamur & ab aliquo fortaſſe ſacræ hiſtoriæ ignaro, aut minus attendente ad propriã virorum nuncupationem: hæc nomina Dathan & Abiron, loco iſtorum Nadab & Abiu eſſe poſita Sed nunc cognito errore atque deprehenſo: ſatius fuerit hunc locum ad veritatem ſacrarum literarum caſtigare. At verò Eleazar & Ithamar etiam filij fuerunt ipſius Aaron, ſed placentes deo & rite ſuo fungentes officio, vt ex ſupradicto Leuitici cap. & aliis perſpicuum eſt. Et cum data nomina apud Hebræos in ar deſinant, vt in Latinorum nominum tranſeant formam: adiicitur ipſis ſyllaba terminalis us: & proferuntur ritu moréque Latino, Eleazarus & Ithamarus, quod in multis aliis nominibus Hebræis ſæpenumero vſu venit: vt ab Adam conſimiliter deducitur Adamus, ab

Num.16

Leui.10

ab Abraham Abrahamus, à Iacob Iacobus: & ita in reliquis. 2 ℭ In ſecunda oratione. Conditor luminis ſiderúmque fabricator. Primum Geneſos caput, huius rei
Gene.1 fidem facit. Nam in eo legitur deus primo die formaſſe lucem: & eam diuiſiſſe à tenebris. Quarto verò die creaſſe ſolem, lunam & ſtellas: præclariſque illis luminaribus cælos exornaſſe. Quare planum eſt omnem claritaté ſenſibilem, per immenſam dei virtutem ſumpſiſſe exordium: quandoquidem ea omnis, à ſole & aſtris in hæc inferiora deriuatur. Quòd ſi quis obiiciat ignis claritaté à ſole aut cælo non proficiſci. Eſto id: non tamen idcirco rectè colligas, igneam claritatem à deo non cœpiſſe exordiũ. Nã cum ignis ab ipſo deo creatus eſt (qui in Geneſi ſub terra intelligitur: eo quòd nomine terræ, elementa reliqua ibidem comprehenduntur) & claritas eius natura illi inſita, natiuáque ipſius qualitas etiam à deo efformata eſt atque profluit.

3 ℭ In tertia oratione Lapidem ſcilicet angularé: charitatis ignem. A corporalibus ad ſpiritualia, à ſenſibilibus ad intellectualia: hic apta eſt manuductio, & concinna proportio. Siquidem incuſsione ſilicis ad ferrum, excuditur ignis: & in humanũ vſum accommodatur. Et hic quidem lapis eſt materialis: & corporalis itidé ignis, qui inde progignitur. At Chriſtus, lapis eſt angularis: vt frequenter ſuperius teſtimonio Eſaiæ & pſalmi comprobatum eſt, & ex eo ſpiritualis ignis eductus eſt: ardentis ſcilicet & feruidæ charitatis, quem terræ immiſit: vt frigida hominum corda ſuccenderet. Ignem (inquit) veni mittere
Luc.12 in terram: & quid volo niſi vt accendatur? Cũ etiam diſ-
Ioann.15 cipulis dixit. Mandatum nouum do vobis vt diligatis in-
Matth.22 uicem: ſicut dilexi vos, & diliges dominũ deũ tuũ ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota mente tua, & proximum tuum ſicut teipſum: quid aliud niſi geminæ charitatis ignem ſuauiter ardenter, ex ſeipſo lapide viuo excuſſit vt nos inflammaret?

4 ℭ In quarta oratione. Quo Moyſem illuminaſti. Quòd igne charitatis ſe Moyſem illuminauerit deus: liquido conſtat argumento ex hiſtoria Exodi & ſequentiũ librorum Pentateuci. Magna certe charitate ſuccenſus Moyſes, pro populo poſt reatum vituli conflatilis orauit deum:

deum: dicens: Aut dimitte eis hanc noxam: aut dele me de libro vitæ in quo me ſcripſiſti. Rurſum laceſsitus contumeliis ab Aaron & Maria ſorore ſua, cum videret eam lepra à domino percuſſam: ſuppliciter pro ipſa dominum deprecatus eſt, pro cõuiciis reddens humilem ad deũ orationem. Sæpe etiam alias à populo rebelli & murmurante affectus iniuriis & probris impetitus: dominum pro eo deprecatus eſt, vt illatam pro peccatis plagam ab illo auerteret. Sed vnde hæc: niſi ex ſyncæra & affectuoſa charitate prodeunt? At verò quoniam igni non ſolum ardor ſed & ſplendor ineſt: legimus etiam Moyſem ſplendore diuinæ cognitionis illuminatum vſque adeo, vt exuberantia tantæ lucis redundaret in corpus, & promicantibus in vultu radiis inſtar cornuum mirificè clareſceret: vnde & facies eius viſa eſt populo cornuta. Nónne etiam idẽ prophetici luminis radio illuſtratus: & multo ante præterita & longe poſt futura cognouit? vt propter eximiam cognitionis illius excellentiam: ore ad os loqui cum domino ſit dictus. *Exod.32* *Num.12* *Num.16* *Exo.34*

5 ¶ In oratione ad benedictionem incenſi dicenda. Super hoc incenſum larga tuæ. Incenſum, nomen ſubſtantiuum neutri generis ſecundæ declinationis: dicitur thus, quòd incendatur vt odoriferum ſpiret vaporem: & ſuauẽ late diffundat odorem, quemadmodum dicit propheta in pſalmo. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Deinde in eadem oratione nocturnum vocat author ſplendorem lumen illud cæreorum accenſorum in nocte paſchali, in qua & noui ignis & cærei paſchalis fiebat olim benedictio: licet hęc omnia propter legitimam cauſam ex ordinatione eccleſiaſtica nunc in vigilia paſchæ & diurno fiant tempore, quemadmodum & nocturnę vigiliæ primitiuæ eccleſiæ: in ieiunia diurna ſunt commutatæ. *Nume.12* *Pſal.140*

Deinde ſacerdos uel diaconus: hanc cærei benedictionem decantet.

Exultet

EXultet iam angelica turba cælorum, exultent diuina myſteria: & pro tanti regis uictoria, tuba intonet ſalutaris. Gaudeat & tellus tantis irradiata fulgoribus, & æterni regis ſplendore illuſtrata: totius orbis ſe ſentiat amiſiſſe caliginem. Lætetur & mater eccleſia, tanti luminis adornata fulgoribus: & magnis populorum uocibus hæc aula reſultet.

2 Quapropter aſtantibus uobis fratres chariſsimi ad tam mirã huius ſancti luminis claritatẽ: una mecũ quæſo omnipotentis dei miſericordiam inuocate, ut qui me non meis meritis intra leuitarũ numerũ dignatus eſt aggregare: luminis ſui gratiam infundendo, cærei huius laudẽ implere perficiat. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ filium tuum: qui tecum uiuit & regnat in unitate ſpiritus ſancti deus. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Dominus uobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad dominum. Gratias agamus domino deo noſtro. Dignum & iuſtum eſt. Vere dignum & iuſtum eſt: inuiſibilem deum patrem omnipotentem, filiumq; eius unigenitum cũ ſpiritu ſancto, toto cordis ac mẽtis affectu & uocis miniſterio perſonare. 3 Qui pro nobis æterno patri, Adæ debitũ ſoluit: & ueteris peccati cautionẽ pio cruore deterſit. Hæc ſũt enim feſta paſchalia: in quibus uerus ille agnus occiditur, eiusq; ſanguine poſtes conſecrantur. Hæc nox eſt, in qua primũ patres noſtros filios Iſrael eduxiſti de AEgypto: quos poſtea rubrum mare ſicco ueſtigio tranſire feciſti.

6 Hæc igitur nox eſt: quæ peccatorũ tenebras, colũnæ illuminatione purgauit. Hæc nox eſt: quæ hodie per uniuerſum mundum in Chriſtum credẽtes à uiciis ſeculi ſegregatos & caligine peccatorum, reddit gratiæ, ſociatq; ſanctitati.

7 Hæc nox eſt: in qua deſtructis uinculis mortis: Chriſtus

ſtus ab inferis uictor aſcēdit Nihil enim nobis naſci pro-
fuit: niſi redimi profuiſſet. O nimia circa nos tuæ pietatis
dignatio. O ineſtimabilis dilectio charitatis: ut ſeruū redi
meres, filiū tradidiſti. 8 O beata nox quæ ſola meruit ſci-
re tēpus & horā: in qua Chriſtus ab inferis reſurrexit.
9 Hæc nox eſt, de qua ſcriptum eſt. Et nox ut dies illu
minatio mea in deliciis meis. Huius igitur ſanctificatio no
ctis fugat ſcelera, culpas lauat: reddit innocentiam lapſis,
& mœſtis lætitiam.
10 Fugat odia, concordiam parat: & cūruat imperia.

¶ Hic ponatur thus in cæreo in modum crucis: deinde à ſacerdote conſequenter dicatur.

11 In huius igitur noctis gratia, ſuſcipe ſancte pater
incenſi huius ſacrificiū ueſpertinum: quod tibi in hac cæ-
rei oblatione ſolēni per miniſtrorum manus de operibus
apum ſacroſancta reddit eccleſia. Sed iam columnæ huius
præconia nouim⁹ quā ī honorē dei rutilās ignis accēdit.

¶ Hic accendatur cæreus: deinde dicatur.

12 Qui licet diuiſus in patres: mutuati tamen luminis
detrimenta non nouit. Alitur liquentibus cæris: quas in
ſuſtantiam precioſæ huius lampadis, apes mater eduxit.
13 O uere beata nox: quæ expoliauit Aegyptios, dita-
uit Hebræos, nox in qua terrenis cæleſtia: humanis diui-
na iunguntur.
14 Oramus te domine, ut cæreus iſte in honorē nomi- Pſal. 138
nis tui conſecratus: ad noctis huius caliginem deſtruendā
indeficiens perſeueret, atque in odorem ſuauitatis accep-
ptus: ſupernis luminaribus miſceatur. Flammas eius: luci-
fer matutinus inueniat. Ille inquam lucifer: qui neſcit oc-
caſū, ille qui regreſſus ab inferis, humano generi ſerenus
illuxit. Precamur ergo te domine: ut nos famulos
tuos, omnem clerum & deuotiſſimum populum unà cum
famulo tuo papa noſtro.

N. atque

N.atq; antiſtite noſtro N. & glorioſiſſimo rege noſtro. N.cum omni familia: quiete temporū conceſſa, in his paſchalibus gaudiis conſeruare digneris. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum: qui te cum uiuit & regnat in unitate ſpiritus ſancti deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

1 ℂ ANNOTATIONES. Exultet iam angelica turba cælorum. In principio huius orationis quæ præmittitur ad benedictionem cærei paſchalis: primum inuitantur omnes ſpiritus cæleſtes ad gaudiū & exultationem in reſurrectione domini habendam, quam cæreus iſte paſchalis inſinuat. Secundo homines diuina celebrantes myſteria eccleſiaſticiis officiis atque inſtitutis, etiam inuitantur ad lætitiam. Sane diuina myſteria proprie dicuntur opera diuinæ benignitatis: ad noſtri redemptionem exhibita vt myſterium incarnationis, paſsionis domini & reſurrectionis. Et cum illis non poſsit aptè attribui exultatio: dicuntur ipſa nihilominus exultare, cum ea myſtico ritu colentes homines exultant. Rurſum vt in terreni regis victoria deuictis hoſtibus parta tubæ perſonant & buccinæ concrepant in argumentū lętitiæ, ita & in cæleſtis & ſummè potentis regis Chriſti victoria de principe huius mundi foras eiecto & ſuperata morte, iam adepta: vox fideliū decantans inſignem eius triumphum & laudes ipſius reſonās, vt altiſona tuba intonare debet. Tertio, totum genus humanum telluris nuncupatione hic expreſſum, quòd ex humo formatum ſit, etiam inuitatur ad gaudium, quia diuinæ gratiæ ſplendore coruſcum, peccati tenebris iam liberatum eſt. Quarto verò tota fidelium concio atque collectio ſimul prouocatur ad lætitiā: propter dominicæ reſurrectionis gloriam, vtque diuinitas celebret laudes magno deuotionis affectu: iterum atque iterū admonetur.

2 ℂ Quapropter aſtantibus vobis. Hoc loco, decātans hanc orationem: totum aſtantium cœtum hortatur ad diuini nominis inuocationem, vt illius auxilio, cęrei paſchalis laudes & ſacratiſsimæ noctis dominicæ reſurrectionis præconia: digne poſsit expromere. Cæterùm leuitæ in veteri teſtamēto dicti ſunt: quicunque de genere & tribu Le-

ui filij

ni filij Iacob,ſunt exorti. Et quoniã hi diuina ordinatione ad altaris miniſterium delecti ſunt mancipati præ cæteris filiis Iſrael: in nouo teſtamento etiam leuitæ dicuntur qui eccleſiaſtico deputati ſunt miniſterio, & diaconatus Num.8
ordinem ſortiti. At qui hæc oratio: aut á ſacerdote aut ſaltem diacono eſt ex inſtituto eccleſiaſtico proferēda. Recte igitur qui eam pronunciat: ſe diuina miſeratione intra numerum leuitarum aggregatum profitetur.

3 ¶ Qui pro nobis æterno patri. Relatiuũ in fronte poſitum: filium dei & dominum Ieſum refert. Is enim in ara crucis ſeipſum offerens deo patri hoſtiam ſanctam & beneplacentem in odorem ſuauitatis: pro Adæ præuaricatione & totius humani generis abunde ſatisfecit, delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti: quod erat Coloſ.2
contrarium nobis (vt ſcribit beatus Paulus ad Coloſſenſes) & ipſum tulit de medio affigens illud cruci, quoniam præcioſum ſanguinem ſuum effudit ad detergendam veterem peccati maculam, & ſoluendam obligationem æternæ mortis, qua aſtringebamur. 4 ¶ Hæc ſunt enim feſta paſchalia. Duodecimum Exodi cap. refert: quòd diuino iuſſu filij Iſrael ea nocte qua AEgypto erant egreſſu- Exo.12
ri, celebrauerunt phaſe & occiderunt agnum: cuius ſanguine ſuperliminare domus & vtrúmque poſtē ianuæ aſperſerunt, & ita liberati ſunt ab exterminatore primogenitorum AEgypti. Verùm hæc in figura illis contingerũt: ad ſignificandum Chriſtum verũ agnum paſchalem, pro ſalute mundi immolatum, cuius ſacratiſsimo ſanguine: poſtes viui & ſpirituales, animæ ſcilicet fidelium in bono firmæ, ſolidę & ſtabiles, cōſecrantur, illiusque aſperſione liberantur ab angelo percuſſore: ne præualeat in eas.

5 ¶ Hæc nox eſt in qua primum patres noſtros. Ex duo- Exo.12
decimo cap. Exodi conſtat, quòd ea nocte qua filij Iſrael immolauerunt agnum paſchalem: ipſi egreſsi ſunt AEgypto, liberati de duriſsima ſeruitute Pharaonis. Et deinde rubrum mare, aquis in murorum ſpeciem hinc & hinc cōſiſtentibus, & medium præbentibus iter aridum pertranſierunt incolumes. Verùm ea nox figura fuit noctis dominicæ reſurrectionis, in qua per immolationem veri agni & immaculati totũ genus humanum de ſeruitute diaboli per Pharaonē ſignati liberatum eſt, atq; ſalutari lauacro

baptiſmi (in quo demerſa eſt tota cohors dæmonica ? vt Pharao cum ſuis equitibus) ablutum: conſtituitur in deſer to præſentis peregrinationis, vt demùm perueniat ad terram viuentium illi repromiſſam. 6 ¶ Hæc igitur nox
Exo.14 eſt. Vt decimumquartum Exodi caput teſtatur, cũ AEgyptij perſequerentur filios Iſrael AEgypto iã egreſſos: angelico miniſterio columna poſt tergum ſtetit inter caſtra AEgyptiorũ & caſtra Iſrael. Et erat nubes tenebroſa & illuminans noctem: ita vt ad ſeinuicem toto noctis tempore accedere non valerent. Haud aliter, ſi figurã illam ſuæ veritati adaptare lubet: nox dominicæ reſurrectionis, nouæ gratiæ ſplendore totum genus humanũ illuſtrauit, & depulſa viciorũ caligine Chriſtianos omnes illuminatos reddidit & ſanctificatos. Planè operæprecium & hoc loco aliis hic adductis diligentius animaduertere, quàm apposite & accommodate afferantur hic ea quæ populo Iſraelitico in figura cõtigerunt, & in Chriſto atque populo eũ colente, in veritate deinde completa ſunt. Nam ex huiuſmodi figurarum ad ſuam veritatem adaptatione: inuenietur congruentiſsima illarum ad hanc proportio, reſpõſio atque concinnitas. 7 ¶ Hæc nox eſt in qua. Hic locus aperte indicat, ea quæ de hac nocte hactenus ſub inuolucro figurarum dicta ſunt: de nocte reſurrectionis dominicæ demũ intelligenda eſſe, in qua deſtructa morte nobis vitam Chriſtus reparauit. Et certè admodũ neceſſaria erat toti humano generi: hæc noſtræ ſalutis conſummatoria reſurrectio. Nã nõ profuiſſet illi ad ſaluté, Chriſti in carne natiuitas: niſi fuiſſet deinde illius facta redemptio per mortem & paſsionem Chriſti. Rurſum illa paſsio non tãtã habuiſſet efficaciam, neque à deo largam diuinorum numerum transfudiſſet exuberãtiam: ſi mortẽ Chriſti nõ fuiſſet ſubſecuta reſurrectio, ſpiritualis noſtræ reſurrectionis à peccato ad gratiam author ac index, & futurę in cõſummatione ſeculi reſurrectionis pignus ac exemplar. Quare ad complementum humanę perfectionis: maxime noſcitur illi conducere glorioſa Chriſti reſurrectio, vt conſummatrix omnium præcedentium myſteriorum.

Porrò in prima huius libri editione circa hunc locum annotaui in plæriſq; libris eccleſiaſticis interiectas eſſe pręſentis benedictioni has duas clauſulas. O certe neceſſariũ

Adæ

Adæ peccatum:quod Chriſti morte deletum eſt. O fœlix culpa: quæ talem ac tantum meruit habere redemptorẽ. Et illas ibidẽ improbaui,quaſi minus dignas quæ deo cõcinantur:in eo quidem ſenſu,quo peccatum Adę & culpa eiuſdem illic laudari intelligãtur & extolli præconio,tanquam per ſe bona & commẽdatione digna quòd illis adiiciantur eadem laudationis cum admirabunda exclamatione nota:quæ duabus ſententiis præcedentibus itidẽ & ſequenti,in quibus ſuaptè natura bona , vtpote dignatio diuinæ pietatis, dilectio ſupernæ charitatis & nox dominicæ reſurrectionis:rite meritóque laudantur, quòd ipſis item annectantur epitheta neceſſarium & fœlix:præclarũ quiddam & commendabile deſignantia diis ineſſe quibus aſciſcũtur. Enimuerò id ſine quo aliquid eſſe ſimpliciter, aut bene eſſ e non poteſt:nonne boni rationem præ ſe ferre cenſetur ? Illud autem in primaria acceptione neceſſarium vulgo dicitur.Quod præterea inſitam habet fœlicitatem,aut alteri per ſe illam affert : boni nequaquam eſt expers,Id verò:in proprio ſermonis vſu fœlix denominatur.Demũ quod ex ſua conditione:dignitatéque:præmio aliquo dignum eſt(id enim:mereri proprie ſignat)nónne etiam in bonorum numero reponi ſolet? Atqui neque dictarum duarum propoſitionum primus author (quiſquis is fuerit) neque ſacri ſcriptores, illas vt rebus diuinis dignas approbantes: eum prætendunt ſenſum iam dictũ, & ex vulgata conſuetáque dictionum ſignificatione primo occurſu ſeſe animo offerẽtem Neque eccleſia ſancta illas cõcinens propoſitiones:diuino officio eas adhibet in ſenſu modo aſsignato:qui vna omnium confeſsione, à veritate & pietate longe eſt alienus. Non igitur in ea ipſa improbatione, aut ſanctis authoribus aut eccleſiaſtico inſtituto ſum aduerſatus: quantum ad ipſam intellectus rationem, intelligendique modum , neque tum mihi animus fuit: illorum intelligentiæ refragrandi aut reclamandi. Quinimmo eum ſenſum in quo canit eccleſia dictas propoſitiones:tanquam verũ & religioſum amplector,quòd mihi ſit perſuaſum nihil ab eccleſia recipi aut admitti in vſum debere:quod pietatẽ nõ ſapiat,aut à religione ſãcta ſit abhorrẽs. Neq; his obuiãt ea,,quæ in apologetica mea diſceptatiõe,de neceſsitate peccati Adę& fœlicitate culpę

ſit:poſitis ibidem nequicquam cuſtodibus, qui illum vrbe egredi volentem obſeruarent & caperent. Alij verò dicũt veritatem ipſam nõ in omnibus debere ad ſuam figuram habere reſpõſum: & ergo ex illo Sanſonis egreſſu media nocte facto non validum ſumi argumẽtum, Chriſtũ quoque mediæ noctis puncto aut articulo à mortuis ſurrexiſſe. Quinpotius cẽſent hi poſteriores: Chriſtum ſub lucem atque in ipſo diluculo ad vitam immortalem rediiſſe. Et hæc ſecunda ſententia, ſacris literis eſſe videtur conformior: cum per prophetã dixerit Chriſtus in pſalmo, exurgam diluculo, & Marcus euangeliſta ſcribat: quòd ſurrexerit Chriſtus mane prima ſabati. Nocte tamen idem reſurrexiſſe dicitur: quòd in ipſius noctis extremitate & termino atque ſub auroram rediuiuus ſepulchro prodierit. Et qui depulſis ſpiritualib⁹ tenebris clarã veritatis ac gratiæ lucem, ſuæ reſurrectionis gloria inuexit mundo: voluit etiam nocturna abeunte caligine & claritate dei exoriente, immortalitatis ſuæ decus & ſplendorem nobis exhibere. 9 ¶ Hæc nox eſt: de qua ſcriptum eſt. In pſalmo ſcilicet centeſimo triceſimo octauo: vbi ait propheta. Et dixi, forſan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius ita & lumẽ eius. Qui quidem duo verſus congruenter adaptãtur hic ſacræ nocti reſurrectionis dominicæ: quoniam & pſalmi illius initium de reſurrectione domini loquitur, & in officio eccleſiaſtico ad introitum miſſæ illius ſolennitatis decantatur. Itaque nox illa ſacra qua dominus ab inferis rediit ad ſuperos, ſicut dies illuminata eſt: quoniã nouo reſurrectionis illius ſplẽdore mirifice refulſit. Eadem quoq; nox: illuminatio fuit domini Ieſu, in deliciis & gloria admirandę reſurrectionis eius: quoniam tunc amictus eſt lumine incorruptibilitatis, & claritate immortalitatis ſicut veſtimento. 10 ¶ Et curuat imperia. Nẽpe nox illa qua victor mortis Chriſtus ad vitam rediit perẽnem: imperium principis huius mundi confregit, ſicut & prius nox illa egreſsionis filiorum Iſrael, edomuerat Pharaonis imperiũ: qui cum toto ſuo equitatu obrutus eſt vndis maris rubri. Curuauit & eadẽ nox: imperiũ mortis. Nam quę prius in totum genus humanum immaniter graſſata

Indic. 16

Pſal. 56

Marc. 12

Pſal. 138

fuerat, nunc abſorpta eſt mors in victoria: & deſtructo illius imperio, victrix vita de morte triumphat. Demùm eadem nox curuat & imperia gentium, quoniam per apoſtolorum prædicationem trophæo crucis Chriſti per totũ mundum delato: & eius promulgata reſurrectione: gẽtes abiecerunt idola ſua, & prompte colla ſua iugo fidei ſubdiderunt.

11 ❡ Incenſi huius ſacrificium verſpertinum. Erat apud Hebræos duplex ſacrificium quotidianum & ſolenne
Leui.6 vnum matutinum: quod mane fiebat, & alterum veſpertinum: quod offerebatur veſperi, & in ipſo noctis crepuſculo. Hanc autem thuris cæreo impoſiti oblationem, hic ſacrificium vocat veſpertinum: quia nocturno tẽpore ex prima eccleſiæ conſtitutione fiebat hæc cærei benedictio & thuris impoſitio. Aut fortaſſe id dicitur hoc loco: vt al-
Pſal.140 ludat author ad illud verbum pſalmi. Intret oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Cæterùm cum paulò pòſt ſubnectit litera. Sed iam columnæ huius præconia nouimus: nomine columnæ, cæreus ipſe paſchalis intelligitur: quòd columnarẽ propemodum præ ſe ferat figurã: quãnis in ſummo pyramidalem magis formam gerat.

12 ❡ Qui licet diuiſus in partes. Ignis ipſe cærei in partes diuiditur: cum aliis qui ex ipſo deinde incendũtur cæreis quotcunque fuerint communicatur, atque hoc pacto quaſi in plures partes propagatur. Mutuati tamen luminis detrimenta non nouit ille ignis, quia quantumcunque diſpartitur in alia, nullam tamen indè ſuæ claritatis ſuſtinet imminutionẽ. Sicut & ſol ipſe per cõtinuam ſuæ lucis in totum mundum diffuſionem: nullum patitur ſuæ claritatis detrimentũ, & ſciẽtia ex ore præceptoris in diſcipulos transfuſa, nõ modo nõ diminuitur in animo magiſtri: ſed & augetur potius & fit cumulatior. Et in hac diuina proprietate: ignis ipſe & ſol & doctrina animi omnibeneficam dei imitantur bonitatem: quæ in omnia, ſuæ largitatis munera cuiq; pro ſuo captu profundit, abſque vlla tamen immenſæ ſuæ bonitatis diminutione. Quantumcunque enim communicauerit ſuę benignitatis in alios dona: manet tamẽ indiminuta, & nulla ex parte minor affecta aut cõtractior, eius bonitas. Eodem deinde loco precioſæ huius

huius lampadis nomine intelligitur cæreus ipſe paſchalis qui benedicitur, atque oculis ſubiectus habetur quem hic lampadem vocat author: quod cæræ adminiculo alimēta miniſtrat igni, haud aliter quam lampas olei alimonia flammam enutrit. 13 ¶ O verè beata nox. Duodecimū caput Exodi enarrat quòd filij Iſrael egreſſuri AEgypto, petierunt (vt dominus per Moyſem illis imperauerat) ab AEgyptiis vaſa argentea & aurea, veſtémque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram AEgyptiis vt commodarent eis: & ſpoliauerunt AEgyptios. Et ita nox illa egreſsionis filiorum Iſrael: expoliauit AEgyptios & ditauit Hebræos. Verum vt detecta figura, pateſcat veritas: nox illa exitus populi Iſraelitici de AEgypto, figura fuit (quemadmodum iam ante dictum eſt) illius ſacratiſsimæ noctis, qua Chriſtus ab inferis rediit victor ad ſuperas auras, & à regione tenebrarum, ſpiritualique AEgypto noſtrum remeauit in orbem. Sed & tunc AEgyptios vtpote dæmones ipſos ſpoliauit: cum animas ſanctorum patrum ibidem detentas eorum manibus eripuit, & in libertatem aſſeruit. Tunc etiam ditauit Hebræos: nam ſanctos illos patres æternæ gloriæ cumulauit bonis, dotauit muneribus, & donis locupletauit. Comprobat illud beatus Paulus, ſcribens ad Coloſſenſes: quòd Chriſtus expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſeipſo: Et ex hoc ſtatim perſpicuum euadit: quare in illa ſacra nocte dominicæ reſurrectionis, terrenis cæleſtia iunguntur & humana diuinis. Nam cæleſtis vita atq; immortalis, Chriſto & ſanctis patrib⁹ qui cū eo ſurrexerunt ad gloriam immortalitatis, eſt indulta: & totum genus humanum ad fœliciſsimam vitæ cæleſtis ſortem tunc eſt euecta atque traducta. quandoquidem (vt ait Paulus) deus pater cōreſuſcitauit nos cum Chriſto: & cōſidere fecit ſecū in cæleſtibus. 14 ¶ Vt cæreus iſte in honorē. Hic habetur ſermo de cæreo illo materiali: qui cōſecratur ad illuminādum dominicæ reſurrectionis noctē. Quem hæc oratio petit indeficientem perſeuerare: id eſt perpetua & indeficiēte claritate promicare vſque ad diei exortum, vt ſcilicet non deficiat neque extinguatur ante finem noctis illius. nam conſueuit cæreus ille tota ea nocte incenſus permanere. Orat itē vt ſupradict⁹ cæreus

Exo. 12

Ephe. 2

deo gratus ſit & acceptus in ſacrificium laudis:& ſupernis inſeratur luminaribus quantum ad officij & vſus ſimilitudinem, vt ſcilicet quemadmodum ſuperna luminaria ſol & luna continuũ deo peæbent in illuminationis functione miniſterium: ita & cæreus ille præbeat deo ſine intermiſsione obſequium. Deinde vt intelligamus cum prius petebatur quòd indeficiens perſeueret ipſe cæreus, illis verbis id poſtulatum eſſe quòd ad tempus vſque matutinum indeficienter luceat:ſubiungitur hæc petitio ꝙ iſtius cærei flammas & ignem adhuc vigentem lucifer matutinus inueniat,ſtella ſcilicet illa quæ ſolis ortum præuenit, vt videlicet prodeunte ad ortum lucifero: flamma illa cærei adhuc ardeat extincta. Verùm deinceps à lucifero materiali ad intellectualem & verum luciferum dominum Ieſum:traducitur ſermo,qui hoc nomine rectè celebratur,nam poſt atras noctis opacæ tenebras, cæcitatémque & ignorantiam:clarum mundo veritatis & iuſtitiæ lumen attulit,benigna ſui ad nos manifeſtatione: Nec ſolũ lucifer eſt:ſed & ſol iuſtitiæ.In corporalibus enim:illa diuerſa ſunt,in domino noſtro:eadem. In corporalibus itẽ: & lucifer & ſol ſuum ſuſtinent occaſum. Spiritualis autẽ lucifer & ſol iuſtitiæ:occaſum neſciunt nã perpetuo ſplẽdore micant:& lucem habent inextinguibilem. Senſerat quidem lucifer noſter & ſol ſpiritualis, triduo illo mortis domini:occaſum vitæ mortalis.Verùm nunc ad ortum reducti per glorioſam reſurrectionem: nullam poſtea ſuſtinere poſſunt occcaſus moleſtiam.

Benedictio fontis in ſabbato ſancto paſchæ.

¶ Ordinentur primum cruces & vexilla,& euãgelium & capſa,& ſãctum oleum & chriſma, & reliqua ad ipſam benedictionem fontis neceſſaria: expleta cærei paſchalis ſupradicta benedione faciendam. Deinde ſacra faciens ſacerdos cum cuncto clero & omni ornatu eccleſiæ procedat ad fontem: & duo cærei portẽtur ante eum quoſque omnia finiantur, litania videlicet & reliqua ſubinde cantanda. Ipſis autem euntibus ad fontem: cantetur ſequẽs hymnus.Et primum duo cantores incipiant.

Rex ſan-

R*Ex ſanctorum angelorum: totum mundũ adiuua.*
¶Chorus repetat. Rex ſanctorum &c.
2 *Ora primũ tu pro nobis, virgo mater germinis & miniſtri patris ſummi ordines angelici.*
¶Chorus repetat. Totum mundum.
3 *Súplicate Chriſto regi: cœtus apoſtolici ſupplicétque per magnorum ſanguis fuſus martyrum. Implorate confeſſores: conſonæq; virgines. quo donetur magnum nobis tempus indulgentiæ.* 4 *Omnes ſancti atque iuſti: vos precamur cernui. vt purgetur, crimen omne, veſtro ſub oramine. Huius Chriſte rector alme, plebis vota ſuſcipe. qui formaſti protoplaſtum & genus gignentium.*
5 *Mitte ſanctum nunc amborum ſpiritum paracletum: in hanc plebem, quam recentem fons baptiſmi parturit.*
6 *Fac in terra fontis huius ſacratum myſterium: qui profluxit cum cruore, ſacro Chriſti corpore.*
7 *Et letetur mater ſancta tota nunc eccleſia: ex profectu renaſcentis tante multitudinis.*
8 *Præſta patris atque nati compar ſancte ſpiritus: vt te ſolum ſemper omni diligamus tempore.*
¶Corus repetat.
Rex ſanctorũ angelorũ: totũ mundum adiuua.
¶Deinde ſacerdos dicat legendo.
Pater noſter. Credo in deum verſus. Quoniam apud te eſt fons vitæ. Et in lumine tuo videbimus lumen. Do*miminus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oratio.*
9 *Omnipotẽs ſẽpiterne deus, adeſto magnæ pietatis tuæ myſteriis, adeſto ſacramẽtis: & ad creãdos nouos populos (quos tibi fõs baptiſmatis parturit) ſpiritũ adoptionis admitte, vt quod humilitatis noſtræ gerẽdũ eſt myſterio: tuæ virtutis cõpleatur effectu. Per dominũ noſtrũ Ieſũ Chriſtũ filiũ tuũ: qui tecũ viuit & regnat ĩ vnitate ſpirit⁹ S. de⁹. Per omnia ſecula ſeculorũ Amẽ domin⁹ vobiſcũ Et*

cum

cum ſpiritu tuo. Surſum corda habemus ad dominum. Gratias agamus domino deo noſtro. Dignũ & iuſtũ eſt.

Præfatio.

Vere dignum & iuſtum eſt: æquum & ſalutare: nos tibi ſemper & ubique gratias agere domine ſancte, pater omnipotens, æterne deus: qui inuiſibili potentia, ſacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum.

10 *Et licet nos tantis myſteriis exequendis ſimus indigni: tu tamen gratiæ tuæ dona non deſerens, etiam ad præces noſtras aures tuæ pietatis inclinas.*

11 Deus *cuius ſpiritus ſuper aquas inter ipſa mundi primordia ferebatur: ut iam tunc uirtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet.*

12 Deus *qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis ſpeciem in diluuij effuſione ſignaſti: ut unius eiuſdemq; elementi miniſterio, & finis eſſet uiciis & origo uirtutibus.*

13 *Reſpice domine in faciem eccleſiæ tuæ, & multiplica in ea regenerationes tuas: qui gratiæ tuæ affluentis impetu lætificas ciuitatem tuam, fontemq; baptiſmatis aperis toto orbe terrarum gentibus innouandis: ut tuæ maieſtatis imperio ſumat unigeniti tui gratiam de ſpiritu ſancto.*

¶ Hic aquam manu tangat in modum crucis.

14 Q*ui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam, arcana ſui luminis ammixtione fæcundet: ut ſanctificatione concepta, ab immaculato diuini fontis utero in nouam renata creaturam progenies cæleſtis emergat, & quos aut ſexus in corpore, aut ætas diſcernit in tempore: omnes in unam pariat gratia mater infantiam.*

15 *Procul ergo hinc, iubente te domine, omnis ſpiritus immundus abſcedat: procul tota nequitia diabolicæ fraudis abſiſtat.*

16 *Nihil hic loci habeat contrariæ uirtutis ammixtio:*

non

non inſidiando circunuolet: non latendo ſurrepat, non inficiendo corrumpat.

¶ Iterum manu tangat aquam in modum crucis: deinde dicat.

Sit hæc ſancta & innocens creatura, libera ab omni impugnatoris incurſu: & totius nequitiæ purgata diſceſſu.

17 *Sit fons uiuus, aqua regenerans, unda purificans.*

18 *Vt omnes hoc lauacro ſalutifero diluendi: operante in eis ſpiritu ſancto, perfectæ purgationis indulgentiam conſequantur.*

18 *Vnde benedico te creatura aquæ, per deum uiuum, per deum uerum, per deum ſanctum, per deum qui te in principio, uerbo ſeparauit ab arida: cuius ſpiritus ſuper te ferebatur, qui te de paradiſo manare: & in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit.*

¶ Hic eiiciat aquam extra fontem, in modum crucis.

Qui te in deſerto amaram ſuauitate indita fecit eſſe potabilem: & ſitienti populo de petra produxit. Benedico te per Ieſum Chriſtum filium eius unicum dominum noſtrum: qui te in Chana Galilææ ſigno admirabili ſua potentia conuertit in uinum, qui pedibus ſuper te ambulauit: & à Ioanne in Iordane in te baptizatus eſt.

20 *Qui te unà cum ſanguine de latere ſuo produxit: & diſcipulis ſuis iußit ut credentes, in te baptizarētur, dicēs. Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti.*

¶ Hic mutet vocem quaſi legens lectionem.

Hæc nobis præcepta ſeruantibus, tu deus omnipotens clemens adeſto: tu benignus aſpira.

¶ Hic ſufflet in aquam ter: in modum crucis.

21 *Tu has ſupplices aquas tuo ore benedicito.*

¶ Hic iterum ſufflet in aquam: in modum crucis.

Vt præter naturalem emundationem quam lauandis poſſunt adhibere corporibus :ſint etiam purificandis men tibus efficaces:

¶ Hic ponat cæreum ardentem in aquam:dicendo ter.

D*eſcendat in hac plenitudinem fontis : uirtus ſpiritus ſancti.*

¶ Et vltimo teneat cæreum in aqua,quouſque ſub vocis eiuſdem tenore illam etiam dixerit particulam.

E*t totam huius aquæ ſubſtantiam:regenerandi fœcun det affectu.*

¶ Hic deponat cæreum extra aquam,& dicat.

22 *Hic omnium peccatorum maculæ deleantur , hic natura ad imaginem tuam condita,& ad honorem ſui reformata principij cunctis uetuſtatis ſqualoribus emundetur·Vt omnis homo hoc lauacrum regenerationis ingreſſus:in ueræ innocentiæ nouam infantiam renaſcatur.*

¶ Hic legendo dicat.

Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum: qui tecum uiuit & regnat in unitate eiuſdem ſpiritus ſancti,deus.Per omnia ſecula ſecu.&c.

¶ Hic mittatur chriſma à ſacerdote in fontem in modum crucis:dicendo.

In nomine patris & filij & ſpiritus ſancti paracleti: ſanctificetur & fœcũdetur de hoc oleo ſalutifero & chriſmate fons iſte:ad abluenda crimina & ad regenerandas animas in uitam æternam.Amen.

1 ¶ ANNOTATIONES.In hymno poſito ad principium benedictionis ipſius fontis.Rex ſanctorum angelorum.Hymnus iſte,nullo genere carminis conſtringitur : quod tamẽ ad propriam hymni rationem pertinere putatur,ſed certum complectitur numerum ſyllabarũ in vnoquoque verſu:accedentem ad rythmicam modulationem nulla tamen obſeruata in diuerſis verſibus ſimili deſinentia & exitu ſyllabarum.Nempe vnuſquiſque verſus rythmicus duas continet particulas:quarum prior octo cõplectitur ſyllabas,& earũ penultima ſemper longa,poſterior vero

verò: ſeptem perficitur ſyllabis, & earum penultima ſemper breuis. Vt liquido conſtat in hoc primo verſu. Rex ſanctorum angelorum: totum mundum adiuua. Cuius prior pars eſt: rex ſanctorum angelorum: poſterior vero, totum mundum adiuua. Et ita de ſequentibus dicendum. Continet autem præſens hymnus litaniam, id eſt ſupplicationẽ ſolennem in eccleſia fieri ſolitam ad omnes ſanctorũ gradus & ordines. Hic enim primum ad deum conuertitur ſupplicatio, ſecundo ad ſacroſanctam virginem Mariam, tertio ad ſpiritus angelicos, quarto ad apoſtolos, quinto ad ſanctos martyres, ſexto loco ad confeſſores, ſeptimo ad virgines, octauo ad omnes ſanctos & electos dei. Deinde particulares exprimuntur petitiones: quæ diriguntur ad Chriſtum, vt totius populi preces exaudiat, vt gratiam ſpiritus ſancti in renatos fonte baptiſmatis effundat, vt ſacroſanctum baptiſmi lauacrum ex latere ſuo militari lancea aperto, cum ſanguine profuſum: ſanctificet, vt denique ſanctã matrem eccleſiam: copioſę prolis ſuæ ex aqua & ſpiritu ſancto regenitæ prouentu ſpirituali & fructu lætificet, poſtremum vt gratiam nobis largiatur: deum ſuper omnia & ſemper diligendi. Porrò hæc oratio ſanctorum cuiuſque ordinis inuocatoria: Græcè litania dicitur, id eſt ſupplicatio, debetque ea dictio Græca à Latinis per i in prima ſyllaba proferri ac ſcribi: quoniam apud Græcos eo in loco habet iota, quod nunquam in e mutatur ſed ſemper manet immutatum.

2 ¶ In ſecundo verſu. Virgo mater germinis. Hic ſacratiſſima virgo Maria dicitur mater germinis, id eſt Chriſti filij dei, qui dicitur germen patris: quia ſecundum diuinitatem ex dei patris ſubſtantia ante ſecula eſt genitus. Quicquid enim ex alio enaſcitur: generali nomine germen appellare ſolemus. Et eo quidem vocabulo, filius dei apud prophetas plerunque nuncupatus inuenitur: vt apud Eſaiam. In die illa erit germen domini in magnificentia & gloria: & fructus terræ ſublimis. Rurſum apud eundem. Omnes iuſti in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meę opus manus meæ ad glorificandum. Et apud Hieremiam. Ecce dies veniunt dicit dominus: & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex & ſapiens erit.

Eſa.4
Eſa.60.
Hiere.23

¶ In

3 ¶ In ſexto verſu. Conſonæque virgines. Conſonæ hic dicuntur virgines: quaſi concordi voce cum ſanctis confeſſoribus etiam orantes deum pro noſtra ſalute. Id enim conſonum dicitur: quod cum alio conſpirat & conſentit. Quoniam igitur idem poſtulant pro nobis ſacratæ deo virgines quod ſancti confeſſores, vt ſcilicet nobis detur ſpacium pœnitentiæ: hoc loco conſonæ dici cenſentur.

4 ¶ In nono verſu. Veſtro ſub oramine. Nomen illud Oramen, ex arte & analogia potius quàm ex vſu Latinorum formatum: orationem & preces ſignificat. Verbale eſt. & à verbo oro, as, formatum, ſicut precamen à precor: & leuamen à leuo.

5 ¶ In vndecimo verſu. Et genus gignentium. Idem deſignare nobis crediderim genus gignentium: quod genus humanum, in quo parentes continua propagatione liberos progignunt: ad perpetuam generis illi⁹ ſucceſſionem. Apertior tamen fuiſſet ſermo, ſi dixiſſet author: & genus mortalium. Facilius enim & vſitatius, mortalium nomine quam gignentium: homines intelliguntur: quandoquidem mortales ſunt omnes homines: non autem omnes, alios ex ſe gignunt.

6 ¶ In duodecimo verſu. Nunc amborum ſpiritum. Spiritus ſanctus, amborum ſpiritus, patris ſcilicet & filij dicitur: quoniam ex patre & filio ineffabiliter & intima emanatione procedit. Eandem quoque ob cauſam in penultimo verſu: ſpiritus ſanctus dicitur compar patris & filij, aut ſi malis: patri & filio, quoniam vt ipſis ambobus conſubſtantialis eſt: ita omnino coæqualis & conſimilis in ęternitate, virtute, maieſtate, ſapiẽtia, bonitate & gloria. 7 In decimotertio verſu. Quã recẽtẽ fons baptiſmi parturit. Id dicitur ſecundum eccleſiæ primitiuæ ritum: quo in ſabbato ſancto paſchæ abluebantur ſalutaribus vndis baptiſmi, adulti: ſignaculum fidei ſuſcipientes & ad eccleſiæ catholicæ ſinum venientes, tanquam filij ad piæ matris gremium. Et illos fons baptiſmalis dicebatur regenerare Chriſto: quoniam miniſterio lauacri ſalutaris, tales renaſcebantur ex aqua & ſpiritu ſancto: & vt filij matris eccleſiæ, ſpirituali natiuitate ducebantur ad ortum. Hic aũt mos iã abrogat⁹ eſt ob rationabilem cauſam: & illius loco quotãnis eo die fit fontis benedictio.

¶ In

8 ¶ In decimoquarto verſu. Fac in terra fontis hui⁹. Hic oratio fit ad deum: vt myſterium fontis baptiſmalis conſecrare & hic ſanctificare dignetur ad abluẽdas animas, qui quidem fons profluxit ſacro Chriſti corpore cum ſanguine: quando Chriſti in cruce iam mortui vnus militum lancea latus aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua. Siquidem aqua illa: fontem baptiſmi ſignabat: ſicut & ſanguis ille, precium noſtræ redemptionis. *Ioannis* 19.

9 ¶ In oratione ſubiuncta hymno. Et ad creandos nouos populos. Per ſacramentum baptiſmi nouus populus creari dicitur: nõ quidẽ quãtũ ad eſſe, ſed ſecundũ bene eſſe: quia non ex ſanguinib⁹ neq; ex volũtate carnis, neq; voluntate viri: ſed ex deo naſcitur, & qui prius erant filij iræ: nũc fiũt filij dei, filij gratiæ & filij adoptionis. Fit autem huiuſmodi creatio & regeneratio, per ſpũm ſctũm, vt dicit pſal. Emitte ſpũm tuũ & creabũtur: & renouabis faciẽ terræ, ex quo pſalmi loco: hæc præſentis orationis particula deſumpta videtur. Sanè cũ emittit ſpũm ſuũ dominus in eos qui regenerantur per baptiſmum, tunc creantur illi: quoniam nouum gratiæ habitum ac ſtatum ſuſcipiunt, quo ferè de non eſſe ad eſſe progrediuntur: quandoquidẽ ipſi ſummo entĩ ſtrictius inſeruntur ac Chriſtum induunt. Eſt enim ea creationis ſignificatio: etiam apud ſacras literas vſitata, vt cum ait pſalmus. Et populus qui creabitur: laudabit dominum. Sicut & naſci, apud eaſdem: ſpiritualem interdum exprimit natiuitatem, vt cum dicit propheta in pſalmo. Annunciabitur domino generatio ventura: & annunciabunt cæli iuſtitiam eius: populo qui naſcetur quem fecit dominus. Tunc etiam, cum ſcilicet emittitur ſpiritus in eos qui fonte viuo baptiſmi abluuntur, renouatur facies terræ, quia anima hominis, terra quidem ſpiritualis, quæ pri⁹ erat inanis & vacua: nunc cæleſti imbre ſpiritus ſancti irrigata, fœcunda fit & fructifera. Fit enim tunc homo: noua in Chriſto creatura, vt ſcribit beatus Paulus ad Corinthios dicens. Si qua ergo in Chriſto noua creatura: vetera tranſierunt, ecce facta omnia noua. Idem quoque ad Galatas. In Chriſto enim Ieſu neque circunciſio aliquid valet neque præputium: ſed noua creatura. At verò adoptionis ſpiritus hic vocatur ſpiritus ſanctus: quoniam per illum adoptamur in filios dei, quandoquidem ſola dei bonitate

Pſal. 103. — 2. *Cor.* 5. — *Galat.* 6.

(quæ

(quæ ſpiritui ſancto attribuitur)nos in adoptionem filiorum dei aſciſcimur & aſſumimur. Quo etiam nomine, vberrimum totius bonitatis fontem & omni bonum atque ſuperbonum ſpiritum:nominat beatus Paulus,cum ſcribit
Rom.8. ad Romanos.Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore:ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum dei, in quo clamamus abba pater.

10 ¶ In præfatione.Deus cuius ſpiritus ſuper aquas. Id
Gen.1. ex primo Geneſeos capite ſumptum eſt:vbi deſcripto formationis mundi exordio,dicit ſcriptura. Spiritus autẽ domini ferebatur ſuper aquas. Et eo planè in loco ſacri doctores dicunt præſignatum baptiſmi myſterium, atque id præſignificatum:quòd per virtutem ſpiritus ſancti in reuelatione nouæ legis ſanctificandæ eſſent aquæ in lauacrum ſalutare & ablutionem peccatorum.

Gen.7. 11 ¶ Deus qui nocentis mundi crimina. Geneſi ſeptimum caput oſtendit,quomodo rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt: factáque eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctib⁹, ad expurganda peccata terræ quibus omnis caro corruperat viam ſuam. Et fuit etiam hæc inundatio aquarum, figura & typus baptiſmi in nouo teſtamento inſtituendi: per quem diluuntur peccata, & abſtergitur vetuſtas vitæ & induatur nouitas. Et in hoc pacto vnius & eiuſdem elementi ſcilicet aquæ myſterio: & finis factus eſt viciis in diluuio Noe, & origo virtutibus in baptiſmo nouæ legis. Immò & in ſacramento baptiſmi: etiam vtrumque horum coincidit & confertur. In eo nanque contracta vicia abſterguntur: & ſacræ virtutes, animæ recens hac ablutione purgatæ inſeruntur, perinde ac ſimul in aere tenebrarum fit depulſio & noui luminis infuſio: pariterque finis fit tenebris ac origo lumini.

12 ¶ Qui gratiæ tuæ affluentis impetu. Id ex pſalmo 45.
Pſal.45 depromptum eſt, vbi dicit propheta. Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei, ſanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus. In quibus ſanè verbis: ipſius baptiſmi exundationẽ & profluentiam innuit. Nam per impetũ fluminis intelligit ibidem largam gratiæ baptiſmalis effuſionẽ atque exuberantiã. Per ciuitatem verò dei: ſanctã eccleſiã de qua
Pſal.86. alio loco dicit pſalm. Glorioſa dicta ſunt de te: ciuitas dei.

Flu-

Fluminis igitur impetus ciuitatem dei lætificat: quia lauacri baptiſmalis affluentia ſanctam dei eccleſiam irrigans, gaudium illi & exultationem in domino facit.

13 ¶ Fontemque baptiſmatis aperis. Prædixerat hanc apertionem fontis baptiſmalis Eſaias propheta: ita in perſona domini loquens. Aperiam in ſupinis collibus flumina: & in medio camporum fontes, Ponam deſertum in ſtagna aquarum: & terram inuiam in riuos aquarũ. Ibi enim per ſupinos colles, & campos, gentes intelliguntur: primũ infructuoſæ & infœcundæ, diuinæque ſocietatis præſidio deſtitutæ: ob quod ibidem & deſertum nominantur & terra inuia. Per flumina verò & fõtes: lauacri baptiſmalis accipitur ſcaturigo: emanatio atque eruptio, quæ vbi diuino inſtituto exundauit: gentes à priſtinis ſordibus abluit, ſanctificauit & innouauit. *Eſa. 41.*

14 Qui hanc aquam regenerandis. Relatiuum illud in fronte poſitum: ſpiritum ſanctum (cuius: in calce proximè præcedentis ſententiæ: fuerat mentio facta) refert. Petitq; hæc oratio, vt ipſe ſpiritus ſanctus dignetur ſuæ gratiæ occulta infuſione aquam illam baptiſterij fœcundare: quo ipſa ad regenerandos homines idonea ſit & efficax. Sicut enim in generatione ſecundum naturam fœcunda debet eſſe terra quę ſemen ad proferẽdam ſegetem ſuſcipiat: & fœcunda mater quæ fœtum ædat prolemque pariat, ita & in hac ſacra regeneratione, diuino munere fœcunda eſſe debet aqua quæ filios dei gignat, quam quidem fœcunditatem cum ex ſe non habeat: de ſpiritu ſancto eam accipiat oportet.

15 ¶ Ab immaculato diuini fontis vtero. Verba hæc per analogiam ſpiritualis natiuitatis ad naturalem dicta intelligantur: nam per hanc, clarius illa dinoſcitur. Vt enim in natiuitate ſecundum carnem, ex vtero materno proles in lucem æditur, nouaque eſt naturæ fœtura, ita ex ſacro fonte quaſi vtero ſpirituali, noua ſoboles ſpiritu ſancto viuificata: in cæleſtem vitam educitur: atque noua fit per huiuſmodi regenerationem in Chriſto creatura, vt modo dictũ eſt, non quidem ſubſtantiæ mutatione. ſed noua ad deum habitudine per gratiam adoptionis & filiationem dei. Et de hac ſpirituali natiuitate dicit in euangelio dominus, oportere nos denuo naſci: ſi cupimus videre regnum dei, *Ioan. 3.*

quoniam niſi quis renatus fuerit (inquit) ex aqua & ſpiritu ſancto: non poteſt introire in regnum dei.
16 ¶ Et quos aut ſexus in corpore. In natiuitate ſecundũ carnem: ſexus in corpore diſcernit marem à fœmina, & ętas in tempore: puerum diſcernit à viro, & iuuenem à ſene. In ſpirituali verò natiuitate: qua qui renaſcuntur fiũt filij dei: neque ſexuum diſcretio eſt neque ætatum diſcrimen, ſed diuinæ gratiæ (quæ in baptiſmo ſuſcipitur) adiutorio: omnes in ſpiritualem formantur infantiam, non eam quidem quæ cognitionis & ſcientiæ inſinuet priuationem: ſed quæ innocentiæ puritatem indicet & ſine dolo ſimplicitatem. Ad quam ſanè infantiam nos hortatur beatus Pe-
1.Pet.2. trus: cum ait. Sicut modo geniti infantes rationabiles & ſine dolo: lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem.
1.Cor.4. Et Paulus itidem ad Corinthios. ſcribens. Nolite (inquit) pueri effici ſenſibus: ſed malitia paruuli eſtote.
Col.3. Quòd vero in ſpirituali regeneratione, nulla attendi debeat perſonarum aut conditionum diſcretio: oſtendit beatus Paulus, cum ait ad Coloſ. Induentes nouũ hominem, eum qui renouatur in agnitionem dei ſecundum imaginẽ eius qui creauit eum: vbi non eſt gentilis & Iudæus, circun-
Gal.3. ciſio & præputium, barbarus & Scytha, ſeruus & liber: ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Et ad Galatas ſcribẽs: idem comprobat cum ait. Quicunque in Chriſto baptizati eſtis: Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus neque Græcus, nõ eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina, omnes enim vos: vnum eſtis in Chriſto Ieſu.
Gen.1. 17 ¶ Qui te in principio, verbo ſeparauit: Primo Geneſeos capite tertiæ diei opus deſcribens: ait. Dixit verò deus congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt, in vnum locũ
Gen.7. & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit deus aridã, terram: congregationesque aquarum vocauit maria. Et paulo ante in eodem capite dicit ſcriptura. Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & ſpiritꝰ domini ferebatur ſuper aquas, vt ſuperius iam dictum eſt.
18 ¶ Qui te de paradiſo manare. Secundo Geneſeos capite dicit ſcriptura quòd fons aſcendebat è terra: irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ. Nihil autem prohibet, per hunc fontem myſticè intelligi ſalutare baptiſmi lauacrũ: quod ad totius humani generis irrigationem & fœcunda-
tionẽ,

ſionem,ex diuinæ bonitatis theſauris profluxit. Non enim ad vnius tantum populi ſalutem,emanauit hic fons viuus è latere Chriſti: vt olim circunciſio ſoli populo Iſraelitico demandata eſt:ſed ad omnium gentium & nationum emũdationem & ſanctificationem ſcaturiit. Et eodem in loco paulo pòſt ſubnectit ſacra hiſtoria. Et fluui⁹ egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum: qui inde diuiditur in quatuor capita ibidẽ deinde nominatim expreſſa,ex quibus ſcripturæ verbis:hic locus intellectui perui⁹ eſt,& captu facilis.

19 ¶ Qui te in deſerto amaram. Decimum quintum Exodi caput refert:quòd cum filij Iſrael peragrato trium dierum itinere per ſolitudinem & non inuentis aquis,demùm veniſſent in Marath,nec poſſent loci illius bibere aquas, eo quòd eſſent amaræ:clamauit Moyſes ad dominum, petens in vrgenti neceſſitate remedium. At ille oſtẽdit Moyſi lignum:quòd cum miſiſſet in aquas:in dulcedinem verſæ ſunt. Decimumſeptimũ verò caput Exodi meminit, quòd murmurante populo Iſrael contra Moyſem ob aquæ penuriam:iuſſu domini Moyſes virga percuſſit petram, & effluxit larga aquarum copia,vnde populus totus exatiat⁹ eſt. Idem quoque ſecundo factum memoratur: viceſimo libri Numeri capite. Exod.15. Exo.17.

20 ¶ Qui te in Chana Galilææ. Quòd aquam in vinum cõuerterit Chriſt⁹:ex ſecundo euangelij Ioan.cap.manifeſtum euadit. Quòd pedib⁹ ſuper aquas ambulauerit: facile ex 14.Mat.cap.conſtat. Quòd item à Ioanne in aquis Iordanis baptizatus eſt :tertiũ Mat.caput atteſtatur. Præterea quòd aquam cum ſanguine de latere ſuo produxerit Chriſtus:ex 19.Ioan.capite ſuperius eſt adductum. Poſtremum quòd apoſtolis præceperit Chriſtus in aqua gentes omnes baptizari:ex 28.Math.capite dilucidum eſt,cuius hic verba adducuntur in litera.

21 ¶ Tu has ſimplices aquas. Vocat ſimplices aquas litera præſens,aquas puras,meras & ſyncæras :nulli ſcilicet alteri liquori permixtas. Debet enim baptiſmi ſacramentum in ſimplici aquæ elemento tanquam materia propria miniſtrari ſine confuſione aut ammixtione alicuius alterius rei liquidæ,vt lactis aut vini. Et merito quidem aqua deſignata eſt:tanquam accommoda huius adminiſtrandi ſacra

menti materia, vt quemadmodum ſuapte natura vim habet abluendi corpora à ſordibus, & ad eum adhibetur vſum humanum: ita ſignet exterius: inuiſibilem dei gratiam abſtergẽtem interius maculas peccatorum ab anima.

22 ❡ Hic natura ad imaginem tuam condita: Ea eſt natura humana: cui ſoli congruit ablutio baptiſmi, & de qua dictum eſt in Geneſi quòd creauit deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: ad imaginem dei creauit illum. Atqui illa natura labe fœdauit natiuam pulchritudinẽ diuinæ imaginis ſibi inditam: & deformem eam reddidit, atque omnino diſſimilem ſuo principio. Sed per baptiſmi dilutionem deterſa omni labe antè contracta: reformatur ipſa humana natura ad decorem priſtinum & ſui principij (dei ſcilicet) ſimilitudinem, abolitaque vetuſtate peccati: nouam induit vitam virtutis. Haud ſecus quàm ſiquis faciem habens luto oblitam, & natiuæ formæ gratia priuatã ſi eam aqua abluerit, priſtinum recuperat vultus decorem. Aut ſi forma ſigilli impreſſa auro vel argento, immergatur luto: fit illa aliena à ſuo archetypo. Quòd ſi rurſum detergatur: reparata antiqua venuſtate, ad ſimilitudinem ſui reformatur principij.

Benedictio carnium: in die paſchæ.

DEus uniuerſæ carnis creator: qui agnum in Aegypto Moyſi & populo tuo in uigilia paſchæ comedere præcepiſti, in figura domini noſtri Ieſu Chriſti: cuius ſanguine omnia primogenita tibi de mundo redemiſti, & in nocte illa omne primogenitum in Aegypto percutere præcepiſti: ſeruans populum tuum agni ſanguine prænotatum. Dignare quæſumus benedicere & ſanctificare has carnes agninas, ut quicunque ex fidelibus populis tuis ex eis comederint: omni benedictione cæleſti & gratia ſaturati repleantur in bonis. Per eundem dominum.

Super carnes auium: benedictio.

Deus uniuerſæ creaturæ, qui inter cæteras diuerſas creaturarum ſpecies pro humani generis uſu etiam uolatilium genus ex aqua producere dignatus es, ex quibus Noe de arca egrediens: holocauſta tibi offerens placuit ex quibus etiam populum tuum ex Aegypto eductum: per Moyſem ſeruum tuum munda ab immundis ſegregans, edendi præceptum dediſti. Te ſupplices rogamus: ut has mundarum auium carnes benedicere & ſanctificare digneris: ut quicunque ex eis comederint: benedictionis tuæ abundantia repleantur, & ad æternæ uitæ gaudia peruenire mereantur. Per Chriſtum dominum noſtrum.

¶ Qui harum duarum benedictionum titulos legent: primo fortaſſe nominis eorum contuitu mouebuntur in riſum, nosque damnabunt ac improbabunt: quòd hæc etiam minitula & ſua forſan opinione abiecta ac leuia, cæteris benedictionibus eccleſiaſticis ſeriis & grauibus adiecerimus, cenſebuntque hæc potius prætermittenda fuiſſe: vt indigna quæ aliis annectantur atque admiſceantur. Quibus reſpondemus non ante hæc damnanda eſſe quàm perfecta ſint: & intellecta fuerit cauſa quæ nos ad hæc etiam reliquis ſubiungenda impulerit. Inter multas autem eaprimum ſibi vendicat locum cauſa: quòd præſcripta nobis ab eo cui labor noſter primum deſudat, lex eſt (quemadmodum antè etiam proteſtati ſumus) vt ea elucidemus quę in libro exemplari præſertim exponenda: ſcripta reliquerat & aſſignauerat: modo illa noſtro iudicio viderentur declarationem efflagitare. Cum itaque eo in libro & hæ continerentur benedictiones geminæ: non potuimus definitam nobis legem prætergredi, neque has ſine explanatione ſilentio prętererire, cum nequaquam aſpernandum complectantur ſenſum: ex ſacris literis deſumptum, quòd ſane vehementius nos perpulit, ne eas omnino ſupprimeremus. Quicquid enim ſanctam redolet ſcripturam aut ex illa defluxit: propter illam & magnifaciendum eſt & minimè cõtemnendum. Adde quòd ſecundum beati Pauli verba ad

Timotheum :omnis creatura dei bona eſt,& nihil reiicien
1. Tim. 4. dum eſt quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctifi
catur enim per verbum dei.& orationem. Cum igitur in ſolennitate paſchali & veſci carnibus liceat,& aues in cibum ſumere:cur non licebit eas antequam manducentur ſacra benedictione ſanctificare?Quòd ſi benedictio,carniũ & auium probanda eſt,vt & verè eſt:cur iure improbabitur illarum benedictionum declaratoria explanatio? qua & legentibus fiant patentiores:& ex ſacrorum eloquiorũ fontibus hauſtæ noſcantur.His itaque rationibus perſuaſi:operæprecium duximus & eas ſequentibus annotationibus enodare.

1 ¶ANNOTATIONES.In prima benedictione. Qui
Exo.12. agnum in Aegypto . Duodecimum Exodi caput huius rei fidem facit:vbi dominus ſcribitur dixiſſe Moyſi.Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael:& dicite eis.Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas,& ſeruabitis eum vſque ad decimãquartam diem menſis huius.Immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam,& ſument de ſanguine eius ac ponent ſuper vtrumque poſtem & in ſuperliminaribus domorum,in quibus comedent illũ. Veſpera aũt illa qua mãducarunt agnũ paſchalé filij Iſrael ſecundũ mãdatũ domini:proceſſit proximè noctẽ illã qua egreſſi ſunt Aegypto,quę quidé nox paſcha dicta eſt,ſiue phaſe id eſt tranſitus,quòd media illa nocte trãſierit dominus per Aegyptũ percutiens primogenita Aegypti,& quia filij Iſrael per egreſſum de Aegypto,tranſierunt de ſeruitute in libertaté. Idcirco dicũtur hic filij Iſrael manducaſſe agnum paſchalem,in vigilia ſiue veſpera paſchæ.Erat autem is agnus paſchalis,figura domini noſtri Ieſu Chriſti , qui pro totius mundi ſalute ac redéptione à captiuitate dæmonis ,immolatus eſt,& nos eripuit de poteſtate tenebrarum.

2 ¶Cuius ſanguine omnia primogenita tibi de mundo redemiſti.Dicitur ipſe deus ſanguine Chriſti redemiſſe omnia mundi primogenita,non quidem brutorum animalium & irrationalium,in quibus locum non habet redemptio ad ſalutem æternam,cum in ipſis non præceſſerit captiuitas,aut prolapſio à rectitudine ſuoque principio , ſed primogenita hominum , qui ſoli animalium,ſalutis & re-

demptionis ſunt capaces. Primogenita inquam, non ſecundum naturalem temporis ipſius natiuitatis in mundũ ordinem, ſed penes gratiæ & electionis habitudinẽ. Eſau enim ſecundum carnem primogenitus, legitur fuiſſe reprob⁹, & Iacob ordine naſcendi poſterior, electus. Neque apud deũ vt redẽptionis gratiã quis aſſequatur, refert, an primo ſecundũ temporis curſum aut poſtremo ſit æditus in lucem, ſed an gratię dei ſuſcipiẽdæ ſe præparet & prędſtet idoneũ. Quiſquis igitur ſe diſponit vt dei filius ſit per adoptionẽ, quicunque hominum enititur vt redemptionis gratiã aſſequatur, ſeque totum conuertit ad deum, is dei primogenitus eſt per electionem, & ſpecialem prouidentiæ curam, quemadmodum populus Iſrael peculiariter in dei cultum aſcitus, dictus eſt filius dei primogenitus. Quoniam enim primogenita ſecundum carnem, dignitatem & prærogatiuam ſuper alia poſterius genita, & quendam eminentiæ gradum habere ſolent, quæ etiam ſecundum ſpiritum prędſtantiora ſunt perfectiora & electiora, ob quandam rationis ſimilitudinẽ primogenita appellare licet, & ita hic vocantur. Redemit ergo deus ſanguine Chriſti omnia mũdi primogenita, ſecundũ ſpiritũ, & hoc qui iã dictus eſt modo ſumpta, id eſt omnes homines pio cultu deum honorantes illumque pro viribus imitantes, ſunt enim hi electione & gratia dei, primogeniti. Sumptũ autem videtur illud dictũ ex 13. cap. Exo, vbi de⁹ legitur præcepiſſe Moyſi quod ſanctificaret, diuinoq; cultui conſecraret omne primogenitũ de filiis Iſrael, tã de hominibus quàm iumẽtis in memoriã accepti beneficij quo ꝑ ſanguinis agni immolati aſperſionem fuerant præſeruata primogenita Iſraelitarum, interfectis Aegyptiorum primogenitis. Ita illam figuram ſuę veritati accõmodãdo, per effuſionem ſanguinis veri, redempta & conſeruata ſunt primogenita hominum (ſecundum ſenſum iam datum) ab æterno interitu, ac peculiariter deo redemptori mancipata.

Mal. 1.

Exod. 3.

Exod. 13.

3 ¶ Et in nocte illa omne primogenitum. Ex 12. Exod. cã illud perſpicuum eſt, vbi ſcribitur Moyſes præcepto domini vocaſſe omnes ſeniores filiorum Iſrael, & dixiſſe ad eos. Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate phaſe. Faſciculũ hyſſopi tingite in ſanguine qui eſt in lumine, & aſpergite ex eo ſuperliminare & vtrumque poſtem. Exod. 1.

Nullus veſtrum egrediatur hoſtium domus vſque mane. Tranſibit enim dominus percutiens AEgytios. Cúmque viderit ſanguinem in ſuperliminari & vtroq; poſte: trãſcendet hoſtium domus, & ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere. Et paulo poſt. Factum eſt autem in noctis medio, percuſsit dominus omne primogenitum in terra AEgypti: à primogenito Pharaonis qui in ſolio ei' ſedebat, vſque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere: & omne primogenitum iumentorum. 4 ¶ In ſecũda benedictione. Etiam volatilium genus ex aqua. Primum Geneſeos caput, id manifeſte prodit. vbi in deſcriptione operis quintæ diei: legitur dixiſſe deus. Producant aquæ reptile animæ viuentis: & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli. Creauitque deus cete grandia & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas: & omne volatile ſecundum genus ſuum. Et vidit deus quòd eſſet bonum: benedixitque eis dicens. Creſcite & multiplicamini & replete aquas maris: aueſque multiplicentur ſuper terram. 5 ¶ Ex quibus Noe de arca egrediens. Octauo Geneſeos capite. id atteſtatur ſcriptura: dicens quod poſtquã præcepto dei egreſſus eſt Noe de arca finito diluuio, ædificauit altare domino: & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocoſta ſuper altare. Odoratúſque eſt dominus odorem ſuauitatis: & ait ad eum. Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines. Quòd autem dicatur tibi deus odoratus fuiſſe odorem ſuauitatis: ſignificat ipſum pro bonitate ſua ſingulari acceptaſſe illud ſacrificium à Noe oblatum, gratúmque illud & acceptũ habuiſſe. Quæ enim ſuauis ſunt odoris: libenter proſequimur & acceptamus. Quare hic recte dicitur, quòd Noe offerens deo ſacrificia de volatilibus: illi placuit. 6 ¶ Ex quibus etiam populum tuum. Vndecimo Leuitici cap. oſtendit dominus Moyſi: quæ in animalibus terreſtribus, aquatilibus & volatilibus, filiis Iſrael manducari ſunt permiſſa: & quæ prohibita. Et de volatilibus quidem (de quibus hic eſt ſermo) ibidem ait. Hæc ſunt quæ de auibus comedere non debetis. Aquilam, & Gryphum, & Halyætum, & Miluum ac Vulturem iuxta genus ſuum. & reliqua auium genera: quæ nominatim proſequitur. Deinde ſubiungit. Om-

Gene. 1 *Gene. 8* *Leuiti. 11*

Omne de volucribusquod graditur ſuper quatuor pedes abominabile erit vobis. Quicquid autē ambulat quidē ſuper quatuor pedes, ſed habet longiora retro crura per quæ ſalit ſuper terram: comedere debetis, vt eſt bruchus in genere ſuo. Et ita de cæteris volucrum generibus: quæ ibidem nominat. Vnde munda dicuntur auium genera: quibus veſci, filiis Iſrael licitum erat. Immunda verò: quę manducare fas non erat, diuináq; ſanctione prohibitū.

In benedictione aquæ, diebus dominicis aſpergendo populo ſanctificandæ: primum fit exorciſmus ſalis hoc modo.

1 *Adiutorium noſtrum in nomine domini. Qui fecit cælum & terram.*

2

EXorcizo te creatura ſalis, per deum uiuum, per deum uerùm, per deū ſanctum, per deum qui te per Heliſæum prophetam in aqua mitti iuſsit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ, ut efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium: & ſis omnibus te ſumentibus ſalus mētis & corporis, & effugiat atq; diſcedat ab eo loco quo aſperſum fueris: omnis phantaſia & nequitia uel uerſutia diabolicæ fraudis, omniſq; ſpiritus immundus adiuratus. Per eum qui uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos: & ſeculum per ignem. Amen. Oratio.

4 *Immenſam clementiam tuam omnipotens æternæ deus humiliter imploramus: ut hanc creaturam ſalis quā in uſum humani generis tribuiſti, benedicere & ſanctifire tua pietate digneris, ut ſit omnibus ſumētibus ſalus mētis & corporis: & quicquid ex eo tactū uel reſperſum fuerit: careat omni immundicia, omniq; impugnatiōe ſpiritualis nequitiæ. Per Chriſtum dominum noſtrū. Amē.*

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ: in nomine dei patris omnipotentis,

nipotẽtis, & ĩ nomine Ieſu Chriſti filij eius domini noſtri: & in virtute ſpiritus ſancti. vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis ſuis apoſtaticis. Per virtutem eiuſdem domini noſtri Ieſu Chriſti: qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculũ per ignem. Amen. Oratio.

6 Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque ſacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propicius inuocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationib⁹ præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde. vt creatura tua myſteriis tuis ſeruiens: ad abiiciendos dæmones morbóſque pellendos diuinæ gratiæ ſumat effectũ. 7 Vt quicquid in domib⁹ vel in locis fideliũ hæc vnda reſperſerit: careat omni immũdicia, liberetur à noxa. Nõ illic reſideat ſpiritus peſtilẽs: nõ aura corrũpẽs, diſcedãt oẽs inſidiæ latẽtis inimici. Et ſi quid eſt quod aut incolumitati habitãtiũ inuidet aut quieti: aſperſione huius aquæ effugiat. vt ſalubritas per inuocationem ſancti tui nominis expetita: ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per dominum noſtrum.

¶ Deinde mittitur ſal in aquam, ita dicendo.

8 *Commixtio ſalis & aquæ pariter fiat: in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Amen.* Dominus vobiſcũ. *Et cum ſpiritu tuo.* Oratio.

9 Deus inuictæ virtutis author, & inſuperabilis imperij rex, ac ſemper magnificus triumphator: qui aduerſæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis ſæuitiã ſuperas, qui hoſtiles nequitias potẽs expugnas: te domine tremẽtes & ſupplices deprecamur ac petim⁹, vt hãc creaturã ſalis & aquæ dignãter accipias, benignus illuſtres, pietatis tuæ more ſãctifices. vt vbicũque fuerit aſperſa: per inuocationem ſancti tui nominis omnis infeſtatio immundi ſpiritus abiiciatur, terrórque venenoſi ſerpẽtis p-

procul pellatur, & præſentia ſancti ſpiritus nobis miſericordiam tuã poſcentibus ubique adeſſe dignetur. Per dominum Ieſum Chriſtum in unitate eiuſdem.

¶ Deinde aſpergit ſacerdos populum aqua benedicta: & cantatur hæc antiphona.

10 *Aſperges me domine hyſopo & mundabor: lauabis me & ſuper niuem dealbabor.*

¶ Pſalmus.

Miſerere mei deus: ſecundũ magnã miſericordiã tuam.

Et iterum.

Aſperges me domine.

Et ita continuatur alternatio. Poſt aſperſionem completam, dicit ſacerdos iam in chorum reuerſus,

Oſtende nobis domine miſericordiam tuam. Et ſalutare tuum da nobis: Oratio.

Exaudi nos domine ſancte pater, omnipotens æternæ deus, & mittere dignare ſanctũ angelũ tuum de cælis: qui cuſtodiat, foueat, protegat, uiſitet, & defendat omnes habitãtes in hoc habitaculo. Per Chriſtũ dominũ noſtrum.

Benedictio panis.

11 *Dominus uobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oratio.*

Benedic domine iſtam creaturam panis: ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut omnes guſtantes ex eo recipiãt tã animæ quã corporis ſanitatẽ. In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Amen.

¶ Deinde aſpergatur panis: aqua benedicta.

¶ Alia benedictio panis.

Adiutoriũ noſtrũ in nomine domini. Qui fecit cælũ & terrã. Dominus uobiſcum Et cum ſpiritu tuo. Oratio.

Domine ſancte pater omnipotens æternæ deus: benedicere digneris hũc panẽ tua ſãcta ſpirituali benedictione, ut ſit omnib⁹ ſumẽtib⁹ ſalus mentis & corporis: atq; contra omnes morbos & uniuerſas inimicorũ inſidias tutamen. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filiũ tuum: Qui tecum uiuit & re.

Ex

Ex conſtitutione Alexandri primi, inducta eſt benedictio aquæ diebus dominicis facienda, qua eccleſia altare
Exo.12 & populus aſpergatur: vt omnis ſpirituum immundorum ſpurcitia tam de habitaculo dei quàm de corporibus fidelium propellatur. Hæc ſiquidem virtus: aquæ exorcizatæ adeſt. Id prætерea fit, vt populi Chriſtiani baptiſmali lauacro abluti corpora, ita miniſterio aquæ muniantur contra hoſtem antiquũ: ſicut ſanguis agni à populo Hebraico ad repellendum percuſſorẽ in ſuperliminari & ſuper vtrunque poſtem. Vnde in canone Alexandri: hæc habetur ſententia. Aquam ſale aſperſam populis benedicimus: vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur & purificentur, quod & omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis
Heb.9 vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificauit ad emũdatio-
4.Reg. 2 nem carnis, vt ſcribit apoſtolus ad Hebræos: multo magis aqua ſale aſperſa diuiniſque precibus ſacrata, populũ ſanctificat atque emundat à peccatis venialibus. Et ſi ſale ſparſo per Heliſæum ſterilitas aquæ ſanata eſt: quãto magis diuinis precibus ſacratus ſal aquæ permixtus, ſterilitatem mentium aufert humanarũ, & coinquinatos ſanctificat & purgat & cætera bona multiplicat: inſidias diabo-
Cyprianus li auertit, & à phantaſmatum verſutiis homines defendit. Cyprianus item ait, quòd ideo homines aqua benedicta aſperguntur quia valet ad ſanctificationem. Vnde domi-
Ezech.36 nus per Ezechielem dicit. Aſpergam ſuper vos aquã mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris: & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponã in medio veſtri. Quanuis nonnulli, illa prophetæ verba: ad a-
Num.19 quam baptiſmi referenda tantum contendant.

Porrò ſumptus videtur hic ritus benedicendi aquam & aſpergendi in populum apud Chriſtianos: ex illo more Hebraico in libro Numeri deſcripto: quo conficiebatur aqua luſtrationis ex cineribus vaccæ rufæ extra caſtra cõbuſtæ, atque aſpergebantur quæ immunda erant: & tollebatur immundicia, ex contactu morticini alióve modo cõtracta dicit enim eo in loco ſcriptura. Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus: aſpergetur ex hac aqua die tertio & ſeptimo, & ſic mũ-
Ibidem. dabitur. Si die tertio aſperſus non fuerit: ſeptimo non poterit emundari. Omnis qui tetigerit humanæ animæ mor-

ticinum

ticinum & aſperſus ex hac commixtione non fuerit: polluet tabernaculum domini, & peribit ex Iſrael. Quia aqua expiationis non eſt aſperſus: immundus erit, & manebit ſpurcitia eius ſuper eum. Quanuis enim illa aſperſionis, ſiue expiationis, ſiue luſtrationis aqua: lauacrum baptiſmi rectè inſinuet, eiúſque ſit & typus & figura, non abſurde tamen etiam præſignare dici poteſt illam purificationis & aſperſionis aquam: quæ benedicta ex inſtitutione eccleſiaſtica ſpargitur in populũ fidelem. Siquidem in illa antiquæ legis aqua luſtrica & expiatoria: cinis ex combuſtione amarorem ac ſalſedinem contrahens, commiſcebatur aquæ. In hac verò noui fœderis ac teſtamẽti aqua purgatiua: ſal etiam amaritudinem habens ac ſalſuginem, aquæ permiſcetur, ad deſignandum abolitionem peccatorum quæ per aquam ſignatur: contritione ac amaritudine cordis eſſe comparandã. Inſuper proprium ſalis eſt à corruptione defendere quæcunque eo ſunt condita: & aſperſio aquæ benedictæ à peccati contagione conſeruat incolumes animos hominum, ad quam ſignandam proprietatem: & ſal adhibetur ipſi aquæ benedicendæ. Rurſum ſal: diſcretionis ac prudentiæ nota eſt ac ſignum. Ideóque dominus innuere volens in omni noſtrorum operum ſacrificio illi offerendo in primis obſeruandam eſſe diſcretionem: ait in Leuitico. Quicquid obtuleris ſacrificij, ſale cõdies: nec auferes ſal fœderis dei tui de ſacrificio tuo In omni oblatione: offeres ſal. Atqui in abraſione peccatorũ & ſacrificio pœnitentiæ deo offerendo, quod aqua ipſa benedicta deſignat: ſummopere opus eſt diſcretione mentis, ad ſeipſum rectè diiudicandum & examine diligenti diſcutiendum: Non ab re igitur & ſal adhibetur ad ſanctificationem aquæ aſperſionis. Et quoniam amaritudo cordis & diſcretio exactæ diſcuſsionis præcedere debent ipſam peccati deletionem ac abſterſionem: rite eccleſiaſtica ſanctione cautum eſt ſal ipſum prius oratione ſacrati debere, quàm aquam exterminationis peccatorum indicem ac ſignificatiuam. Leui. 2

1 ❡ ANNOTATIONES. Adiutorium noſtrum in nomine domini. His generat impræmiſsis pro materiæ ſubiectæ clariore intelligentia: nunc ad ipſius benedictionis particularem explanationem deſcendendũ, in cuius fronte, ac

te ac initio profertur verſus diuini adiutorij inuocatorius: ex pſalmo centeſimo viceſimotertio depromptus, ad profitendum ac conteſtãdum nos viribus noſtris aut operibus iuſtitiæ nequaquam confidere vt hoc aggrediamur
1. Reg. 17 benedictionis munus, ſed ſolo dei auxilio præſidióque niti: in quo tota noſtra ſpes ac fiducia eſt repoſita. Goliath enim gigantea proceritate horrendus, ſpem ſuam in viribus ac armis ſuis collocans, lapide funda contorto frontique illiſo proſtratus eſt humi. Dauid verò inermis, & in nomine domini exercituum non in gladio & haſta illi occurrens: victor euaſit. Maledictus (inquit Hieremias) homo, qui confidit in homine: & qui ponit carnem brachiũ ſuum. Quare nobis aſſidue cum propheta dicẽdũ ad deũ.
Hiere. 17
Pſal. 43 In te inimicos noſtros ventilabimus cornu: & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus nõ ſaluabit me. Et ſolet hic verſus: ferme in exordio cuiuſque noſtri operis præmitti, quo proteſtemur nos nihil confidẽtiæ in nobis ipſis habere ad conficiendum id opus: ſed in ſolo dei adiutorio, quod virtute nominis ipſius affuturum nobis ſperamus, & vt aſſit ſupplices exoramus.

2 ¶ Qui te per Heliſæum prophetam. Id ex quarto libro Regum, depromptum eſt exemplum, vbi huius rei ita cõ
4. Reg. 2 texitur hiſtoria. Cum poſt Heliam curru & equis igneis ſubuectum in cælum, Heliſæus propheta habitaret in Herico: dixerunt ad eum viri ciuitatis. Ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt: ſicut tu ipſe domine perſpicis, ſed aquæ peſſimæ ſunt: & terra ſterilis. At ille ait. Afferte mihi vas nouum: & mittite in illud, ſal. Quod cum attuliſſent: egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait. Hęc dicit dominus. Sanaui aquas has: & non erit vltra in eis mors neque ſterilitas. Sanatæ ſunt ergo aquæ vſque ad diem hanc: iuxta verbum Heliſæi quod locutus eſt. Dicitur autem hic ſterilitas aquæ, nõ ab inhærentia, ſed à cauſalitate. Non enim aquis ipſis inerat ſterilitas: vt affectio quædã accidentaria, fœcunditatiſve priuatio, ſed quoniã amarulentæ erant aquæ illæ Hiericontinæ & ſalſuginoſę: ſteriles reddebant terras quas irrigabant. Idcirco ipſis aquis ſcribitur ſterilitas: quæ ab illis enaſcebatur. Pronomen item demonſtratiuum in præſenti oratione poſitum:

non

nó id ſal quod præſéns adeſt ſacerdoti exorcizanti, ſecundum ſubſtãtiam numerúmque demonſtrat quando quidẽ illud nequaquam ab Heliſæo miſſum eſt in aquã, ſed idẽ ſecũdum ſpeciem ac naturam, quæ quidem indiuiduæ rei eiuſdem ſecundũ ſpeciem demonſtratio: plærunque in ſacris literis vſu venit. Sed id: vel mediocriter grãmaticis rudimẽtis inſtituti: norunt. 3 ¶ Vt efficiaris ſal exorcizatũ. Quid exorcizare dicatur & exorciſta, ſimiliter & exorciſmus: in hoc ſecundo libro dictum iam eſt, vbi de ſepté ordinũ eccleſiaſticorum nominibus eorúmque rationibus: facta eſt determinatio. Ex quo quidem loco planum eſt, ſal exorcizatum hic dici: quod ſacris imprecationibus ſanctificatum eſt, & ſanctis precibus adiuratum atque ſacratum. Porrò ſal vt condimentum ciborum ſignat, quóve in condiendis cibis vtimur: apud probatos authores nunc in maſculino genere nunc neutro ponitur, vt apud Catoné. Ex ſale qui apud Carthaginenſes fit. Et Saluſtium in Iugurth. Neque ſalé, neque alia gulæ irritamenta habemus. In ſacris verò literis: pro eodem ſignificato id nomen ferè ſemper in neutro genere collocatum inuenitur, vt in loco illo, ex quarto libro Regum deprompto: quem ſuperior numerus citauit. Similiter in Marco. Bonum eſt ſal. Quòd ſi ſal inſulſum fuerit: in quo illud condieris? habere in vobis ſal: & pacem habere inter vos. Et in Luca. Bonum eſt ſal. Si autem ſal euanuerit. in quo cõdietur? Quẽ ſcripturæ morem, & hic locus præſentis benedictionis ſequitur: ſimiliter & ille paulò pòſt poſitus. Et effugiat atq; diſcedat ab eo loco quo aſperſum fueris: omnis phantaſia & nequitia. Vbi potius fueris, quàm fuerit, legendum eſt: quoniam in tota illa oratione dirigitur ſermo ad ſalé per verba ſecũdæ perſonæ, aut pronomina idipſum ad quod ſermo habetur demonſtrantia, quare & hoc in loco accómodatior eſt locutio per ſecundæ perſonæ verbum. *Marc. 9* *Luc. 14*

4 ¶ Omnique impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Spiritualem nequitiam vocat hic author: ipſum ſerpenté antiquum & dæmonem, qui propter abundantiam malitiæ qua ſcatet, & in quam aſſidue molitur alios inducere: haud ab re nequitia appellatur, & ob naturæ incorporeę atque immaterialis cõditionem: ſpiritualis dicitur, quòd ſpiritus ſit & non corpus, ſubſtantiáve corporea. Et ſum-

pta

Ephe.6 pta videtur ea denominatio ex illo verbo beati Pauli ad Epheſios. Nõ eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinem: ſed aduerſus principes & poteſtates: aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, cõtra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.

5 ℭ Cum angelis ſuis apoſtaticis. Qui apoſtatæ dicantur: quid apoſtaſia, & apoſtatare: in ſuperiore huius ſecundi libri loco iam explicatum eſt, cum de variis eorum denominationibus qui ad eccleſiam ſpectãt, aut ab eius gremio ſunt ſeparati: habitus eſt ſermo. Ex quo loco plane liquet apoſtaticum eum dici: qui rebellis eſt, & ab eo deſciſcit quem colere & obſeruare debet. Qualis eſt ille princeps apoſtaſiæ & draco antiquus, qui deo rebellis, cũ tota ſua cohorte cælo decidit. De quo dictum eſt in Apocalypſi. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, (Apoc.12) qui vocatur diabolus & Sathanas, & ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum eo miſsi ſunt. Vbi angelorum nomen immundis etiam ſpiritibus, & malignis attribuitur, ſicut & hoc in loco, propter angelicam ſpiritualémque ſubſtantiam atque naturã, in eis per lapſum minime deperditam. Quod & ſæpe alias in ſcriptura obſeruatum comperitur, vt in eo loco pſalmi ſeptuageſimiſeptimi. (Pſal.77) Miſit in eos irã indignationis ſuæ, indignationem & iram & tribulationẽ, immiſsiones per angelos malos.

6 ℭ Maxima quæque ſacramenta, in aquarum ſubſtantia condidiſti. Non hic ſacramenta, ſumuntur pro eccleſiaſticis ſacramentis, numero ſeptenario digeſtis, quibus tanquam columnis ſeptem exciſis ſuffulta eſt domus domini. (Prouerb.) Nempe illorum ſolus baptiſmus, reliquorum veſtibulum ac introitus, in aquarum ſubſtantia conditus eſt. Neque quiſpiam rectè ſenſerit ſanctiſsimæ euchariſtiæ ſacramentum aquã habere vt materiæ ſubſterniculum, ob ipſum quòd in altaris auguſtiſſimo ſacrificio pauxillum aquæ vino ex inſtituto eccleſiaſtico in calice commiſcetur. Sed latiore ſacramentorum acceptione, apud ſanctos etiam ſcriptores vſitata, hic ſacramenta dicuntur ſigna viſibilia, alicuius inuiſibilis myſterij atque gratiæ ſignificatiua. (Gene.7) Qualia in ſacris literis quã plurima occurrunt in aquarum ſubſtantia conſtituta. Enimuerò ſecundum hanc

rationem,

rationẽ, diluuiũ illud vniuerſale in diebus Noe, ſacramẽ
tum erat: ꝙ totius mundi expurgationem à peccatis aqua Exod.14
rũ miniſterio ſignabat. Sed & mare rubrũ à populo Iſrae-
lico incolumi pertrãſitũ dimerſis Aegyptiis, erat ſacramẽ
tum ſecundũ propoſitã ſignificationẽ: quoniã ſalutem po-
puli Chriſtiani per lauacrũ baptiſmi, dimerſa peccati ve-
tuſtare dęmonicáq; cohorte, inſinuabat. Inſuper aqua Ma
rath amariſsima impoſitione ligni à domino Moyſi oſtẽſi
dulcorata, etiã nomine ſacramenti hic rectè cõprehendi- Exo.15
tur: ꝙ myſtice ſignificet omnẽ mũdi præſentis amaritudi-
nẽ conſideratione ſanctiſsimæ crucis dominicæ, eiúſq; cõ
mixtione in dulcedinẽ verſum iri. Sed quid Iordanis flu-
uius, in quo ſepties lotus iuxta verbũ prophetæ, Naaman
Syrus: à lepræ contagione protinus eſt mundatus? nónne
aptè deſignat animã peccati colluuiõe inquinatã: ablutio-
ne baptiſmi ab omni prorſus labe purgari, & eã ob rẽ ſub
generali ſacramẽtorum ambitu hic continetur? Nónne &
natatoria Siloe, ad quã miſſus eſt à natiuitate cæcus à do- 4. Reg. 5
mino & ſaluatore noſtro, vt oculos luto oblitos ablueꝛit:
etiã hic rectè ſacramentum nuncupatur? ob idipſum, ꝙ ge
nus humanũ in exordio fere primorũ parẽtũ obcæcatum
peccato: per aduentũ domini noſtri Ieſu Chriſti in carnẽ
& baptiſmi myſteriũ ab eo inſtitutũ, ſignet fuiſſe illumi- Ioan.9
natũ. Denique & piſcina illa probatica quinque porticus
habẽs: in quã omniũ primus deſcendẽs poſt motionẽ eius
ab angelo domini, quacunque detinebatur infirmitate ꝓ-
tinus curabatur: nónne ſymbolum erat & typus rei ſacræ,
baptiſmalis ſcilicet fluenti? cuius ablutione: ab omni cõta
gio, & morbo peccati ſanatur anima, & idcirco abſurde ſa Ioan. 5
cramentũ dici debuit. At hæc omnia ſpiritualiũ rerũ ſigna
iã enumerata: in aquarũ ſubſtantia erant cõſtituta, vt ma-
nifeſtũ eſt. Rectè igitur hic dicuntur maxima quæque ſa-
cramenta in aquarũ ſubſtantia eſſe condita: ꝙ in veteri &
noua lege ardua rerũ ſacrarũ myſteria per aquarũ ſubſtã
tiã nobis ſunt repræſentata. 7 ¶ Vt quicquid in domib⁹
vel in locis fideliũ. Aqua benedicta, ſacerdotalique impre
catione ſanctificata: nõ ſolũ illi paratur vſui, vt in templo
ædéque ſacra diſpergatur in altaria & populũ, verũ etiam
vt ad domos priuatas delata (quod maxime vſu venit:
poſt ſolẽnẽ fontiũ eccleſiaſticorũ benedictionẽ) ſua aſper

gine, cubicula penitioráque domus loca in quibus diuerſantur homines irroret. Et commendanda eſt admodũ illa fidelium deuotio: qui contra tẽpeſtates & fulgura, occurſúſque nocturnos aſperſione aquæ benedictæ ſeipſos & domum ſuã cõmuniunt. Itaque expetit hæc oratio, quicquid reſperſione ipſius aquæ fuerit contactũ: omni impuritate vacare, liberariq; ab omni peccato pariter & nocumento. Vtrunque enim: noxæ nomen ſignificat. Peccatũ quidẽ: apud Vergilium. Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei. Nocumentum verò: apud Ouidiũ: cũ ait. Nocte nocent potę: ſine noxa luce bibuntur. 8 ❡In nomi-
Matth. 28 ne patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Magnæ dignitatis ac virtutis eſt præſens oratio: quæ verã confeſsionẽ ſanctæ trinitatis in vnitate, & vnitatis in trinitate expreſſæ cõtinet. Quia enim nomine: vnitatis numero dicit, non nominib⁹: vnitatẽ dei deſignat: vnica virtute ac poteſtate definitam. non enim nomen ibi pro vocabulo aut appellatione ſumitur: cum trium diuinarum perſonarum nõ ſit eadẽ nuncupatio, ſed tres diuerſæ, deinde ſubiunctæ, quin potius pro potentia ac virtute diuina: quæ vnum etiã deum vna demonſtrat. Tres verò ſuperbeatæ perſonæ ſubinde nominatæ, diuinarũ Hypoſtaſeõ triadem atque ternariũ plane indicant. Adhibetur & hęc oratio: fere omni ſacramentorum adminiſtrationi, vt nullũ penè dederis eccleſiaſticũ ſacramentũ: quod efformato crucis ſignaculo cũ huius orationis pronunciatione nõ adminiſtretur. Applicatur & benedictionibus: cũ priuatis tũ ſolennibus, vt cũ ſacra benedictio aut in populum aut in rem quãpiam ferenda ſit: claudatur ipſa plærunque hac terminali & poſtrema ſanctæ trinitatis inuocatione. Sanè in veteri teſtamẽto, cum necdum eſſet propalatũ mundo ſuperdiuinæ trinitatis myſterium: in nomine domini tãtum fiebat benedictio ſuper
Num. 6 populum & ſacrificium. Siquidem in libro Numeri præcepiſſe legitur dominus ipſi Aaron & filiis eius. Sic benedicetis filiis Iſrael: & dicetis eis. Benedicat tibi dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat dominus faciem ſuam tibi: & miſereatur tui. Cõuertat dominus vultũ ſuũ ad te, & det tibi
Ioan. 2 pacẽ. Deinde cõtinuo ſubnectit litera, hæc domini verba ad Moyſen, de ipſo Aaron & filiis eius. Inuocabúntq; nomen meũ ſuper filios Iſrael, & ego benedicã eis. In noua

verè

verò lege, quoniam vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit altiſsimum illud & ſublime myſterium diuinæ vnitatis in trinitate, quantum mortalibus cognoſcere expedit, in ipſius ſãctiſsimæ trinitatis nomine celebratur ac perficitur omnis ſacra benedictio. Demùm videmus in cuiuſque humani operis exordio hanc præmitti orationem, diuiæ virtutis inuocatoriã, vt in nomine ſacratiſsimæ trinitatis inchoata quæuis operatio noſtra, adiutore deo fœlici claudatur exitu, optatóque fine perficiatur.

9 ¶ Deus inuictæ virtutis author. Dei virtus, inuicta haud dubie eſt & infracta, quoniam immenſa, infinita, atque interminata. Huius tamẽ (ſi accommodate loqui volumus & appoſite) ipſe author proprie non eſt nec cauſa, quoniam ipſe ſua eſt virtus, poteſtas, & fortitudo. Nihil autem, ſeipſum producit. Creaturæ verò rationalis virtus, vt angelica & humana, finita eſt, & certo determinata limite, proinde à valentiore virtute vinci poteſt, niſi deus aſsit adiutor & propugnator. Itaque humanam virtutem (vt interim de angelica taceamus, de qua tamen idem eſt iudicium) ſuaptè natura fragilem ac imbecillã, neque parem fortitudini ſerpẽtis antiqui, hoſtis ſemper infeſti (de quo dictum eſt à beato Iob, quòd non eſt poteſtas ſuper terram: quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret) deus ſuo adiutorio præſentéque gratia ita corroborat: vt contra aduerſarium tantum & talem pugnans, in ſpirituali certamine tentationum euadat victrix, & ſit inuicta virtus humana dei auxilio: quæ ſuæ naturæ derelicta, facilè vinceretur. Quocirca rectè hic dicitur deus inuictæ virtutis author. Inſuper ipſius dei imperiũ quod in cælo & terra gerit, inſuperabile vere dicitur: quoniam nulla virtute extera edomari poteſt. Deberet enim ea virtus ſuperatrix diuini imperij: eſſe maior ac potentior quã diuina virtus, illius regni gubernatrix, vt Aſſyriorum imperium: validioribus Perſarum viribus eſt attritum. At ipſa omnipotenti virtute, quæ ſolius dei eſt: quàm aſſignabis valentiorem virtutem? Demùm dicitur ipſe deus magnificus triumphator, quoniam de hoſtibus ſpiritualibus nos infeſtantibus magnifice triumphat: quoties eius auxilio deuincimus eos & côterimur. Ipſe enim in nobis quòd pro nobis pugnat; ipſe itidem in nobis vin-

Iob. 4

cit, vt nobis haudquaquã victoriæ gloriã aſcribamus: ſed illi ſoli, per quem & pugnare nobis datur & vincere. Rurſum quoties manu ſua protectrice nos tutari dignatur cõtra hoſtes inuiſibiles: nihil illi nobis incõmodare poſſunt
Rom. 8 aut nocumentum inferre. Si enim deus pro nobis: quis cõtra nos? Quare de hoſtib⁹ illis ſpiritualib⁹, nos more leonũ deuorare cupiẽtibus, ipſe deus etiã ſic glorioſe triumphat: reprimens illorum in nos molimina, conatus, ac nocendi ſtudia. 10 ¶ Aſperges me domine hyſopo: & mundabor. Hic verſus: ex pſalmo quinquageſimo deſumptus eſt, & cum aquę benedictæ fit in populũ aſperſio: rectè ex ordinatione eccleſiaſtica decantatur, quoniã id expetit in nobis ſpiritualiter præſtari: quod ſenſibilis ipſa & corporalis aquæ aſperſio inſinuat, nos videlicet irrigari diuinæ gratiæ rore, qui noſtrorum peccatorũ maculas abſtergat, & corda noſtra purificet. Neque ab re, hiſopo eo in loco
Leui. 14 meminit propheta. Nã in veteri lege, ſãguine paſſeris immolati intincta hyſopus: iubetur ſepties aſpergi, ſuper leproſum, vt emundetur à tabe lepræ. Et quidẽ figura erat, ſignificans genus humanũ lepra peccati grauiter labefactũ: aſperſione ſanguine Chriſti immolati in cruce, à peccati macula purgandum. Præterea hyſopus, herba humilis & exigua: hæret petræ radicibus, aufértque pulmonis inflationẽ. Is itaque aſpergitur hyſopo myſtice, qui radice charitatis infixus in humili Chriſto: ſuperbię tumorem humilitate depellit, & hac gratia abluitur à peccato. Aſti-
Hiero. pulatur huic ſententiæ Hieronymus: in pſalmi quinquageſimi interpretatione dicens. Sicut hyſopũ terrenũ, curandis pulmonibus aptum eſt: vt auertat inflationẽ, ita homo cæleſti quis reſperſus hyſopo, id eſt humilitate cordis: ab omni ſuperbiæ malignitate purgatur. Vbi hyſopũ terrenum dicit Hieronymus in primo caſu. Nam eo in loco, nominandiq; caſu: & hyſopus fœminini generis dicitur, & hyſopũ neutri, debétque ea dictio, cum aſpiratione & y græco in prima ſyllaba ſcribi: in ſecũdą verò, per ſimplex ſ. quanuis nonnulli eruditione præſtantes: cenſeant eam geminato ſſ ſcribi debere.

11 ¶ Sicut benedixiſti quinq; panes in deſerto. Tradũt authores ꝓbati & graues, in primitiua eccleſia cõſuetudinẽ primũ fuiſſe: ꝙ omnes fideles qui miſſarum celebrationi intererant,

intererant, ſingulis diebus ſumere euchariſtiam de manu ſacerdotis ſolebãt, quod ex actis apoſtolicis, & iis quæ in miſſæ officio legũtur: haud obſcure deprehendi poſſe cõtendunt. Poſtea verò creſcente multitudine credentiũ, & obtepeſcente in eis feruore deuotionis: inſtitutũ ſecundo loco ferunt, vt ſingulis diebus dominicis tantum, communionem euchariſtię ſuſciperent. Quã conſtitutionem ſatis approbat Auguſtini verbum dicentis. Quotidie euchariſtiæ communionem ſuſcipere: nec laudo nec vitupero, omnibus tamen dominicis diebus: communicãdum hortor. Cum autẽ amplius increſceret torpor humanarũ mentiũ, & elãgueſceret deuotionis in deũ affectus: tertio ſãcitũ eſt loco, ꝙ ter in anno ſaltẽ omnes Chriſtiani in legitima ætate conſtituti ſacrã ſumerẽt euchariſtiam: vtpote in feſto paſchæ, pentecoſtes, & natiuitatis dominicæ. Quod adhuc multi laici, feruentius in deũ affecti, quotãnis obſeruant. Demùm cũ propter abundantiã iniquitatis adhuc magis refrigeſceret charitas multorũ, & propemodũ extingueretur ignis ille ſpiritualis in cordibus fideliũ, conſtitutum eſt laicos ſaltẽ ſemel in anno vt puta in feſto paſchæ, ſacroſanctã euchariſtiã ſumere debere. Et in hac tẽporũ cõditione, nunc degimus. Sicut igitur loco quotidianæ communis primũ inſtitutæ, in quadrageſima (vt cenſent iidẽ ſcriptores) dicitur in fine miſſę oratio ſuper populũ ſingulo quoque die, cui præmittitur illa exhortatio. Humiliate capita veſtra deo, ita pro cõmunione quæ ſingulis diebus dominicis fieri ſolebat per ſecundã modo dictã cõſtitutionẽ, datur ex ordinatione eccleſiaſtica nunc ſingulis diebus dominicis panis benedictus, ſanctę cõmunionis vicarius, illámque referens ac repræſentãs. Itaque panis illius ſolidi ac integri, in ſingulos fruſtratim diſpartiendi diebus dominicis, hic gemina ponitur benedictio, poſt aquæ benedictionẽ fieri in tẽplis ſolita. Quarũ vtraque, & clara ſatis eſt & dilucida, nec explanationis egẽs, hoc vno tantum excepto, ꝙ de benedictione quinque panũ in deſerto facta à Chriſto, cum alij euangeliſtæ, tũ Ioannes aperte meminit, vbi refert illis quinque panibus & duobus piſcib⁹ diuina virtute multiplicatis, ex ſaturata fuiſſe quĩque milia hominum, & deinde ſublatos duodecim cophinos fragmẽtorũ, quæ ſuperauerunt iis qui mãducauerãt.

Auguſt. (margin)

Ioan. 6 (margin)

Benedictio palmarum: in ultima dominica quadrageſimæ. Oratio.

1 DEus cuius filius pro ſalute generis humani de cælo deſcendit ad terras: & appropinquante hora paßionis ſuæ, Hieroſolymã in aſino uenire, & à turbis rex appellari ac laudari uoluit, benedicere dignare hos palmarũ cæterarumq; frondium ramos, ut omnes, qui eos laturi ſunt ita benedictionis tuæ dono repleãtur: quatenus in hoc ſeculo hoſtis antiqui tẽtamẽta ſuperare, & in futuro cum palma uictoriæ & fructu bonorũ operum tibi ualeant apparere. Per eundem Chriſtum dominum noſtrum. Amen. Oratio.

2 Omnipotens ſempiterne deus, qui diſperſa congregas & congregata conſeruas: qui populis tuis obuiã Ieſu ramos portantibus benedixiſti. Benedic etiã hos ramos palmarũ & cæterarum frondiũ: quos tui famuli ad honorẽ nominis tui & benedictionẽ ſuſcipiunt. Vt quocũque introducti fuerint: tuæ benedictionis cõſequãtur effectũ, ut omni aduerſa ualetudine effugata: dextera tua protegat quæ nos redemit. Per Chriſtũ dominum noſtrũ. Amen.

Oratio.

5 Deus qui tẽporibus Noe famuli tui, per colũbã ramum oliuæ uirentibus foliis in ore deferentẽ poſt diluuij effuſionẽ, pacẽ hominibus redditã nũciari uoluiſti, & qui unigenito tuo domino noſtro Hieroſolymã properanti: pueros Hebræorũ cum ramis palmarũ obuiã uenientes, laudesq; concinentes, Oſanna clamare uoluiſti: Benedicere & ſanctificare digneris hos palmarum, diuerſarumq; frondiũ uel florum ramos, ut accipientes in manibus noſtris: cum palma uictoriæ & fructu bonorũ operum tibi placere ualeamus, atque ad reſurrectionis gloriam te largiẽte peruenire mereamur. Per eundẽ dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum filium tuum. Qui tecum uiuit & re.

❡ In ſparſione ramorum: cantatur antiphona ſequens

4 *Pueri Hebræorum tollentes ramos oliuarum: obuiauerunt domino clamãtes & dicentes, oſanna in excelſis.*

❡ Alia antiphona.

5 *Pueri Hebræorum veſtimenta proſternabant in via & clamabant dicentes:* Oſanna *filio Dauid: Bedictus qui venit in nomine domini.*

❡ In procedẽdo ad proceſsionem antiphona.

6 *Cum audiſſet populus quia Ieſus venit Hieroſolymam: acceperunt ramos palmarum & exierunt ei obuiã, & clamabant pariter dicentes. Hic eſt qui venturus erat pro ſalute populi: hic eſt ſalus noſtra redemptio Iſrael. Hic eſt rex Iſrael & Emmanuel: genus Dauid & mundi ſaluator. Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit tibi ſedens ſuper pullum aſinæ, ſicut ſcriptum eſt. Salue rex fabricator mundi: qui veniſti redimere nos.*

❡ Antiphona.

Ante ſex dies ſolentitatis paſchæ, venit ciuit atem Hieruſalem: & occurrerunt ei pueri in manibus portantes ramos palmarum, & clamabant voce magna dicentes. Oſanna in excelſis, benedictus qui venit in multitudine miſericordiæ: oſanna in excelſis.

❡ Secundum Matthæum. Matth. 21

7 *In illo tẽpore. Cũ appropinquaſſet Ieſus* Hieroſolymis, *& veniſſet Bethphage ad montẽ oliueti: tunc miſit duos diſcipulos, dicẽs eis. Et reliqua. Reſponſoriũ.* Ioannis 11

8 Collegerunt *põtifices & phariſæi conciliũ: & dicebant. Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. ſi dimittimus eũ ſic: oẽs credent in eũ.* Ne *forte veniant Romani: & tollãt noſtrũ locũ & gentẽ. Verſus.*

Vnus autem ex ipſis Chaiphas nomine, cum eſſet pontifex anni illius: prophetauit dicens, expedit vobis vt vn⁹ moriatur homo ꝓ populo: & nõ tota gens pereat. ab illo ergo die cogitauerũt interficere eũ: dicẽtes. Ne forte.

¶ Deinde à pueris cantatur hic hymnus.

Gloria,laus,& honor tibi ſit:rex Chriſte redemptor.
Cui puerile decus prompſit oſanna pium.

¶ Et ita deinceps cæteri verſus:cum alterna primi huius verſus iã poſiti repetitione, qui oẽs ſuo ordine:in primo hui⁹ operis libro habẽtur diſpoſiti. Deinde ſequitur reſp.

9 *Ingrediente domino in ſanctam ciuitatem: Hebræorum pueri reſurrectionem uitæ pronunciantes.Cũ ramis palmarum oſanna clamabant in excelſis.*

¶ Verſus.

Cum audiſſet populus quia uenit Ieſus Hieroſolymam: exierunt obuiam ei.Cum ramis.

¶ Antiphona.

Aue rex noſter fili Dauid *redẽptor mundi:quẽ prophetæ prædicauerunt ſaluatorem domui Iſrael eſſe uenturum,te enim ad ſalutarem uictimã pater miſit in mundum,quem expectabant omnes ſancti ab origine mundi: & nunc,oſanna filio Dauid.* *Oratio.*

7 *Omnipotẽs ſempiterne deus,qui tua gratuita pietate: tuorum corda fideliũ & uota clemẽter laudeſq; ſuſcipis, præſta quæſumus,ut hic populus qui fideliter huc conuenit,cũ benedictione & ſalute Hebræorũ puerorũ repleri:& cum palma uictoriæ & fructu bonorũ operum in æterna ſecula ualeat apparere. Per dominum.&c.*

1 ¶ ANNOTATIONES. Benedicere dignare hos palmarum,cæterarúmque frondium ramos. Eccleſiaſtica ſanctione laudabiliter inſtitutum eſt,ramos palmarũ cæteráſque frondes à populo Chriſtiano ad templum deferri: atque à ſacerdote ſolenniter benedici,in poſtrema dominica quadrageſimæ:in cõmemorationẽ honoratiſsimi occurſus,eodẽ die Chriſto exhibiti à populo Hebræorũ,obuiante illi quando inſidẽs aſinæ intrauit ciuitatem Hieruſalem:cum ramis oliuarum & palmarum, aliiſque virentibus frondibus.Officioſam enim illam & plauſibilẽ exceptionem quã tunc ſemel Hieroſolimitæ impenderunt domino:fidelis populus quotãnis refert, feſtarum frõdium, viridan-

viridantiũmque ramorum delatione ad templum, conſimili die facta. Itaque in prima oratione od huiuſmodi benedictionem ſpectãte: palmarum ramos à domino ſacerdos benedici expoſsit, quoniam euãgelico teſtimonio cõſtat turbã cũ ramis palmarũ Chriſto Hieroſolymã veniẽti obuiã iuiſſe. Eſt autẽ palma, arbor dactylifera, quã Græci Phœnicẽ vocant: à ſimilitudine palmæ manus .i. plani illi⁹ & cõcaui man⁹ humanæ ꝙ in digitos deſinit, ita nuncupata: quòd comam in cacumine habeat circũextenſam, & ramos in digitorũ modũ ꝑtenſos. Cuius natura peculiaris & cõditio eſt, ꝙ nõ cedit põderi, ſed illi cõtranititur ac obluctatur, donec ipſũ excutiat. Ideo victorib⁹ traditur in præmiũ: ꝙ nõ ceſſerint labori pugne, ſed pertinaces in bello perſtiterint. Vnde & ponitur plærũmque apud authores ꝑ victoria: vt palmã alteri cõcedere dicitur is, qui victoriã illi aſcribit. Plutarchus. In certaminibus, palmã ſignũ eſſe placuit victoriæ: quoniã ĩgenij eiuſmodi lignũ eſt, vt vrgẽtib⁹ opprimẽtibúſque nõ cedat. Proĩde ꝓpheta virũ iuſtũ palmæ cõfert in pſalmo: cũ ait. Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedr⁹ libani multiplicabitur. Et in Apocalypſi de ſãctis ipſis ex omni tribu, populo & lingua collectis dicit B. Ioãnes. quod erãt ſtantes ante thronũ & in cõſpectu agni, amicti ſtolis albis. & palmæ in manibus eorum. Hinc etiã in præſenti oratiõe & ſequẽtibus cõprecatur ſacerdos, quòd fideles religioſa douotiõe ramos benedictos hic geſtãtes: in futuro cũ palma victoriæ & fructu bonorũ operũ domino valeãt apparere. Quid diſperſa cõgregas & cõgregata cõſeruas. Boni propriũ eſt: multa in vnũ cogere & conſeruare, ſicut mali: diſpergere ac diſsipare. Deus autẽ ſũme bonus, immo nemo bonus niſi ſolus De⁹ Itaque bonitatis ſuæ benigniſsimo indultu diſperſa cõgregat atque in vnũ collecta cõſeruat: vt diſpeſionẽ gentium multiplici cultus idolorũ ritu ac ſpurcitia per totũ orbem diuulſarũ: in vnã coegit ſanctæ fidei ꝓfeſsionẽ: conſeruátque dextere ſuæ munimine & eccleſiaſticis ſacramẽtis. De qua collectiõe ait Chriſtus Dominus in euãgelio. Et alias oues habeo quæ nõ ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere: & fiet vnũ ouile & vnus paſtor. Rurſũ in alio loco idẽ ad Iudæos. Quotiẽs volui vos cõgregare, ſicut gallina cõgregat pullos ſub alas ſuas, & noluiſtis. Et apud Lucã-

Pſal. 91
Apoc. 7
Ioan. 11
Marci 10
Ioann. 10
Matth 23
Luca 11
Ioannis 11

cã. qui nõ colligit mecũ, diſpergit. Demùm B. Ioãnes ſcribit de Caipha põtifice Iudæorũ: ipſũ pphetaſſe quòd Ieſus moriturus erat p gẽte, & nõ ſolũ p gente: ſed vt filios
Gene, 8. dei qui erant diſperſi, congregaret in vnum. 4 ¶ Per columbam ramum oliuæ virentibus foliis in ore deferẽtem. In libro Geneſeos ſcriptum eſt, quòd poſt effuſam diluuij inundationem ſuper vniuerſam terram, cum inciperent aquæ decreſcere ac imminui: dimiſit Noe ſecundo columbam ex arca, quæ reuerſa eſt ad eum veſperi: portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo, quòd plane indi-
Gene. 9. cium fuit pacis à deo hominibus redditæ, initæque reconciliationis: quam latius eo in loco explicat ſcriptura, commemorans à deo conſtitutum in nubibus cæli arcum pluuialem: in ſignum pacti & fœderis inter ipſum & homines deumque iterum atque iterum conteſtatum eſſe: quòd nequaquam vltra malediceret terræ propter ipſos homines, neque cataclyſmum amplius induceret in hominum perniciem ac interitum. Et rectè quidem per ramum oliuæ: pax terris reddita eſt ſignificata. Nam oliua apud antiquos: pacis erat inſigne. Et quoties in exteram regionem legati ſe contulerunt, nihil hoſtile aut inimicum molientes: ramum frondentis oliuæ manibus prætendere ſunt ſoliti, quo ſignificarent ſe pacem expetere: & nihil contra placida pacis fœdera in ea terra meditari. 5 ¶ Tollentes ramos oli-
Ambroſi⁹. uarũ. Olea & oliua, pro arbore: apud Latinos dicitur. Ambroſius. Quis alius tales fructus ferret olearum: non curueſcentium vbertate baccarum? Idem. Ideò Ieſus ad montẽ venit olíueti: vt nouellas oliuas in ſublimi virtutũ plantaret. Pro fructu itidem illius arboris: olea & oliua rectè dicitur. Quo circa pro liquore ex eo fructu expreſſo: aptè oleum & oliuum dicimus, oleum ab olea deductum: & oliuum ab oliua. Horatius. Quali profundat piſces ſecur⁹ oliuo. Hic autem pro arbore nomẽ ipſum ſumi: nemo eſt qui ignorat. Cuius ramos tuliſſe, pueri Hebræorum hic accõmodè dicuntur: quod miſericordiæ tempus iam aduentaſſe diuinæque miſerationis, ea ramorum delatione myſticè ſignarent. Eſt enim oliua, ſicut & oleum omnibus ſupernatans, vulneráque ſalutari fomento leniens: miſericordiæ, benignitatis & miſeratricis gratiæ ſymbolum. Et iuſtus miſericordiæ operibus affluens, bonorumque operum incre-

mentis

mentis abundans·de ſeipſo mẽte recti conſcia, dicit in pſal mo: Ego autem: ſicut oliua fructifera in domo domini: ſperaui in miſericordia dei in æternum & in ſeculum ſeculi. *Pſal.5.*

¶ Oſanna filio Dauid. Qui ſignificet Hebraica dictio oſanna: latius explicatum eſt in præcedente libro, cum occurreret hic hymnus exponendus. Gloria, laus, & honor tibi ſit: rex Chriſte redemptor. Id vnum tamen hic adiiciendum, quòd interdum ea dictio, verbi deprecatorij habet ſignificationem tantundemque valet atque ſalua obſecro, vt cũ in præcedente antiphona dicitur Oſanna in excelſis, id eſt ſaluifica quæſo: non in in terrenis ſed cæleſtibus habitaculis, atque in altiſſimis. Interdum verò eadem dictio tranſit in vim nominis: idemque ſignat quod ſalus ſiue ſaluatio, vt in præſente antiphona, oſanna filio Dauid, vbi prædicta vox in primo conſtituitur caſu, cum verbo ſubaudito ſit: cui annectitur datiuus ille continuo ſequens. Itaque illius orationis hic eſt ſenſus. Oſanna filio Dauid, ſalus ſit ipſi filio Dauid, non quidem ſalus ſecundum paſſiuam rationẽ qua ipſe ſaluetur: quandoquidem ſaluatione aliunde accepta non indiget, ſed ſecundum actiuam: qua nos ſaluos faciat, & ſalutis beneficio donet. Quare huiuſmodi ratio, oſanna filio Dauid: in hanc cognatæ ſententiæ poteſt aptè reſolui. Salutis participes non reddat filius Dauid, noſq; ſaluificet. Vbi manifeſte vtranque Chriſti naturam, pueri Hebræorum ſpiritu ſancto afflati confitentur. Diuinam quidem: in hoc verbo oſanna Nam ſolius dei eſt munus: *Pſal.66.* homines æterna ſalute donare, & vt ait propheta in pſalmo, Dominus noſter, dominus ſaluos faciendi. Humanam vero: cum Chriſtum filium Dauid confitentur, eumque ſecundum carnis propaginem ex ſtirpe Dauid originem duxiſſe. Cæterùm quod modo dictum eſt, nomen ſalutis interdum ſecundum actiuam acceptionem ſumi: apertè conſtat ex illa laude ſanctorum, ad deum in Apocalypſi ſcripta. Salus deo noſtro qui ſedet ſuper thronum: & agno. *Apoc.22.* Quis enim adeò deſipiat: vt dicat deum ſalutis ab alio accipiendæ indignum? Cui ſanè orationi, ſalus deo noſtro: perſimilis eſt & cognata hæc oratio quæ nunc explanatur oſanna filio Dauid, & ex vnius intelligentia: protinus altera eluceſcit ac fit manifeſta.

6 Hic eſt qui venturus erat pro ſalute populi, Præclara po pulus

quitur, vbi ait propheta. O domine ſaluũ me fac, o domine bene ꝓſperare: benedict⁹ qui venit in noĩe domini. Quem verſum audiẽtes Phariſæi à turba domino noſtro decãtari in ciuitatis ſanctę ingreſſu intellexerũt ipſam eo ipſo perhibere illi teſtimoniũ, ꝙ verè eſſet Chriſt⁹ & Meſſias à ꝓphetis pręnũciat⁹: & ex hoc grauiore ſtimulabãtur inuidia atq; indignatione. Porrò nonnulli: in eo ſupradicti pſalmi loco legẽdũ cõtendunt. Benedict⁹ qui ventur⁹ eſt in noĩe domini, & ita plęriſq; in lib. eccleſiaſti. verſum illũ ſcriptũ perſpexim⁹. Moueri aũt illos ea ratione, coniectare licet, quoniã cũ propheta pſalmum illũ cõpoſuit: necdũ venerat Chriſt⁹ in carnẽ, ideò ꝙ futurũ adhuc erat: futuri verbi enunciatione putãt proferẽdũ. Sed inualida eſt hęc ratio, & eorũ qui neſciũt hũc frequentẽ eſſe morẽ ꝓphetarũ: vt ꝙ futurũ eſt tanꝗ pręſens aut pręteritũ enunciẽt, propter rei futuræ à deo prędiffinitæ certitudinẽ. Quẽadmodũ Eſaias longo tẽpore ante Chriſti natiuitatẽ: dixit. Paruul⁹ natus eſt nobis: & fili⁹ dat⁹ eſt nobis. Lõgo itidẽ tẽpore ante Chriſti paſſionẽ: per verbũ pręteritũ de ea vaticinat⁹ eſt dicẽs. Oblat⁹ eſt, quia ipſe voluit: & nõ aperuit os. Et cũ ſceleratis reputatus eſt, & ipſe pctã multorũ tulit: & ꝓ trãſgreſſorib⁹ rogauit. Quare emẽdandi ſunt illi libri: qui in prædicto verſu futurũ habẽt participiũ ventur⁹ eſt, & loco illi⁹: verbũ venit ponẽdũ, ſicut in euãgelio Math. ponitur: & in quotidiano miſſæ officio decantatur. In multitudine verò mĩæ dominũ veniſſe: popul⁹ Hebręorũ hic prędicat. Nẽpe mĩę domini: quia nõ ſum⁹ cõſumpti, quia nõ defecerũt miſerationes eius, & nõ ex operib⁹ iuſtitię quę fecim⁹ nos ſed ſecundũ mĩam ſuã ſaluos nos fecit. Tunc enim exurgẽs per incarnationis ſuſceptę beneficiũ, miſert⁹ eſt Sion, quia tempus miſerendi ei⁹: quia venit tẽpus. 8 Collegerũt põtifices & phariſęi cõciliũ. Quẽadmodũ pręcedẽs euang. ex Math. 21. cap. deprõptũ eſt: vbi & eius quęrenda expoſitio, nõ hic afferenda, ita hoc reſpõſoriũ cũ ſuo verſu, ex 11. euãg. Ioã. cap. eſt deſumptũ: vbi Phariſęorũ ob Lazari reſuſcitationẽ exacerbatorũ deſcribitur in Chriſtũ cõſpiratio. Quare ex eo loco expetẽda eſt eius declaratio, & in adiectis quatuor intermediis libris ad Cyrili cõmẽtarios in Ioãnẽ: eundẽ euangelij locũ lati⁹ enucleauimus. Porrò poſt decantatum hymnũ illũ ſolẽnẽ in publica ſupplicatione ante fores templi

Eſa. 9.
Eſa. 53.
Thre. 3
Titum. 3
Pſal. 101.
Pſal. 23.

pli obſeruatas: in quibuſdã eccleſiis ſacerdos poſtrema atque ima crucis parte portas eccleſiæ feriens, dicit alta voce. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ. Cui reſpõdent pueri, intra templum cõſiſtentes. Quis eſt iſte rex gloriæ? Sacerdos ſecundo fores cruce pulſans, ſubiungit. Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. Attollite portas principes veſtras & eleuamini portæ ęternales, & introibit rex gloriæ. Rurſum interrogãt pueri. Quis eſt iſte rex glorię? Quibus ſacerdos tertio ianuam pulſans ait. Dominus virtutũ: ipſe eſt rex gloriæ. Attollite portas principes veſtras & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Poſtremo pueri eundẽ percontantur. Quis eſt iſte rex glorię? & protinus fores reſerant, ingrediturq; ſacerdos cum clero decantante ſequens reſponſorium, ingrediente domino in ſanctam ciuitatem. ¶ Quod quidem myſterium, ſanè prȩclarum & ſanctum, primo nobis ſignificat ipſius Chriſti beneplacitum, quo ciuitatem Hieruſalem cũ laudibus populi diuinitatem eius cõfitentis voluit ingredi, & lętum puerorum occurſum, admirantium cũ exultatione virtutem eius & poteſtatem. Secundo idem nobis reprȩſentat deſcenſum Chriſti ad inferna, confractionemque portarum carceris quo detinebantur antiqui patres, obſtupentibus ad ingreſſum eius cum virtute & potentia, ſpiritibus immundis, quos ſubegit ſua morte & proſtrauit. Tertio denique idem eccleſiaſticum inſtitutum nobis refert triumphalem Chriſti ad cælos aſcenſum, & glorioſum eius in æthereas manſiones introitum, cum ingenti lætitia occurrentibus illi ſanctis angelis, & magnificentiam illius ac maieſtatem admirantibus, eximiaque laude proſequentibus. Neque abſurda eſt hæc tertia ſignificatio. Nam prædicti verſus tam à ſacerdote quàm pueris alternatione quadam adducti, ſumũtur ex pſal. 23. qui ad literam de glorioſa Chriſti aſcenſione loquitur. 9 ¶ Ingrediente domino in ſanctam ciuitatem. Ciuitas ſancta hic dicitur Hieruſalem, quoniam cultui diuino peculiariter erat dedicata propter templum domini in ea conſtructum, vbi ſolum Iudæis licitum erat offerre ſacrificia. Quo etiam nomine Matthęus in 4. cap. ſui euangelij & rurſum 27. eandem appellat. Cæterum pueri Hebræorum (vt habet hoc reſponſorium in ipſo templi ingreſ-

ingreſſu cantari hoc die ſolitum)ferentes manibus ramos palmarum,reſurrectionem vitę pronunciabant. Nam cum palma(vt iam dictum eſt)victoriæ ſit,index,nota & ſignũ ipſi pueri illarũ palmarũ deportatione victoriam Chriſti de morte & diabolo præſignificabant,erantque palmæ illæ,ſymbolum quoddam præclarę illius de vtroque noſtro hoſte victoriæ,quam per ſuam paſſionem in foribus tum exiſtentem eſt aſſecutus. Huiuſmodi autem virtus funeſtæ mortis exterminatrix & principis huius mundi propulſatrix,atque victoria Chriſti,per palmas puerorum ſignata:maximè in reſurrectione dominica(quamuis,in morte eius & paſſione fuerit parta,& efficacia illius ſolide cõparata)mundo innotuit & declarata eſt,in qua, vita mortis victrix & triumphatrix emicuit. Igitur vltima primis nectendo,palmæ illæ puerorũ,reſurrectionis Chriſti gloriam præferebant. 10 Quem expectabant omnes ſancti ab origine mundi,& nunc,In Apocalypſi dicitur agnus ab origine mundi occiſ⁹, quoniã ab ipſa mundi conſtitutione, mors Chriſti figuris diuerſis & imaginibus eſt præſignata, vt per cędẽ Abel iuſti,ab inuido fratre perpetratã per immolationem Iſaac & arietis pro ipſo oblationẽ,per ſacrificiũ Noe quo deus terræ eſt recõciliat⁹.Huiuſmodi aũt figuras & inuolucra,non ſolũ quãtũ ad ſubſtantiã ſed etiam quãtũ ad rei ſignatæ intelligentiã,cognouerũt ſcti viri ea tẽpeſtate degẽtes,& inſpirãte deo illuminati,intellexerunt ea velamẽta & vmbratiles notas præſignare ſalutarẽ illam victimã,quã à deo mittend⁹ redẽptor mũdi ſpõte ſua erat exhibiturus ꝑ hoĩm ſalute.Illũ igitur redẽptorẽ qui oblatur⁹ erat ſeipſum deo ſaluificã hoſtiã in odorẽ ſuauitatis, ardẽtiſſimo deſiderio expectabãt ſcti ab ipſo mundi exordio,eiusq; aduẽtũ in carnẽ anxiè pręſtolabãtur, vt ſatis inſinuãt illa ſuſpirabũda ꝓphetarũ vota. Emitte agnũ domine dominatorẽ terrę. Vtinã dirũperes cęlos:& deſcẽderes. Oſtẽde nobis domine mĩam tuã, & ſalutare tuũ da nobis. Domine deus virtutũ cõuerte nos,& oſtẽde faciẽ tuã & ſalui erimus. Idem quoque comprobat illud ſummæ veritatis verbum ad Iudæos. Abraham pater veſter exultauit vt videret diẽ meũ,vidit & gauiſus eſt. Vbi de die incarnationis ſuę Chriſtus loquitur. Tunc etiam cũ turbæ occurrerent Chriſto, & in eius laudem ora deuota ſoluerent (nam

*Apo.*2 Ge.4.& 22.& 9.

*Eſa.*19. Pſal.84. & 79.

*Ioan.*8.

ad illud tempus,aduerbium illud:præſens tempus indicãs refertur)ipſi ſancti patres redemptoré mundi expectabãt non quidem, vt in mundum veniret: qui iampridem venerat noſtrę carnis forma indutus,ſed vt ſeipſum pro redemptione mundi victimam ſalutarem immolaret: cuius oblatione ipſi in libertaté affererentur diuturno ergaſtulo exempti cui⁹ etiam munere ac beneficio,mortis vinculis abſoluti:vita donarentur perpetua. Porrò ſunt & aliæ benedictiones eccleſiaſticæ:frequenti vſu in officio diuino obſeruatæ, vt benedictio nouorum fructuum : ſcilicet pomorum, vuarum, & cæterorum id genus, benedictio ſponſi & ſponſæ:connubiale fœdus ſimul ineuntiũ,benedictio peregrẽ proficiſcentium:& plerẹque aliæ. Verùm illæ omnes conſimili modo(vt hic explicatæ benedictiones) ex locis ſacræ ſcripturæ quibus reſpondent,& qui ſedulo eas perquirentibus facilè occurrent ſunt elucidandæ: & ad iſtarũ quæ tanquam exempla prepoſitæ ſunt:ad idem in aliis faciendum)ſimilitudinem enucleandæ.Idcirco de ipſis ſpeciatim declarandis hic eſt ſuperſedendũ,& huic libro nũc finis imponendus. Pro cuius abſolutione:ſit deo laus , honor,& gratiarum actio,in ſecula ſeculorum.Amen.

ELVCIDATORIVM ECcleſiaſticũ: cuius Primus liber, Hymnos Eccleſiaſticos,tum de Tempore,tum de Sanctis, Secundus verò nõnulla Cantica, Antiphonas, Reſponſoria, & Benedictiones Eccleſiaſticas, facili declaratione depromit.

F I N I S.

EXCVDEBAT
Anthonius Iurianus.

ELVCIDATORII ECCLESIASTICI

LIBER TERTIVS ET QVARtus diligenter expoſitus cũ eorum argumentis inferius expoſitis.

Tertius, ea quæ ad miſſæ pertinent officiũ, præſertim præfationes & ſacrum canonem, breuiter explicat.

Quartus, proſas quæ in ſancti altaris ſacrificio ante Euangelium dicuntur, tam de tempore quàm de ſanctis facili annotatione dilucidat.

QVARTA AEDITIO.

PARISIIS,

Apud Poncetum le Preux, in via S. Iacobi, ſub interſignio Lupi, è regione Maturinorum.

1548.

INDEX EORVM QVAE tertio elucidatorii eccleſiaſtici libro continentur.

AD quos ſpectat tertij libri huius operis lectio, & quid nomen miſſa ſignat 1
De templi ac altaris cõſecratione, & ſitu ad orientẽ 3
De veſtibus & indumentis ſacerdotalibus, quid ſignificẽt 11
De ſacerdotibus, quod caſtè viuere debeãt, ac eorum myniſterio 20
Eorum quæ in ſancto altaris ſacrificio gerũtur: breuis & ſuccincta narratio 134
In nouena ſupplicatione, Kyrie eleiſon geminas eſſe dictiones: itidem & Chriſte eleiſon 30
Hymni angelici (cuius initiũ eſt, gloria in excelſis deo) literalis expoſitio 35
Symboli Niceni cũ ſymbolo apoſtolorum collatio atque conciliatio 38
Eiuſdẽ ſymboli Niceni ꝑ ſingulos articulos expo. 40
Præfationis quotidianæ, explicatio 56
Angelici ſimul & humani hymni (cuius prĩcipiũ eſt Sãctus, ſanctus, ſanctus, domin9) literalis explanatio 61
De natiuitate domini, epiphania & quadrageſima: præfationes 64. & 65
Propriæ de reſurrectione, aſcenſioneque domini & die ſancto penteceſtes: præfationes, cum earũ expoſitionibus 70. & 71
Peculiares de ſũma trinitate, ſancta cruce, beata virgine Maria, & de apoſtolis, prẹfationes cum illarum explanationibus 74. & 75
Quare pars miſſæ ſecretior: vulgo canonis nomine nuncupatur 80
Pro quibus generatim fit in miſſa per ſacerdotem ſacra facientem ſupplicatio 88
Quiſnã ordo in commemoratione viuorũ fit 94
Sãctorũ apoſtolorũ & martyrum prima pèr nominũ expreſsionem expoſitio 102
Eorũ quæ in canone petũtur à domino per eccle. 109
Ritus cõſecrationis ſacroſancti panis 113
Modus itidem conſecrationis ſancti calicis 118
Cõſecratorũ munerũ deuota ad deũ patrem oblatio: 124
Diuinæ benedictionis, ſup-

plex poſtulatio 131. & 132
Pia defunctorum ante deum commemoratio: cum imprecatione refrigerij & quietis ipſorũ in regno cælesti 139
Conſortij cũ ſanctis apoſtolis & martyribus ſecũdo nominatis, petitio 136
Summæ deitatis cũ triũ perſonarum diuinarũ inſinuatione, inuocatio 140
Quanta ſit orationis dominicæ ſupra cæteras omnes orationes excellentia 148
Cur in exordio orationis dominicæ: deũ, patrem noſtrũ appellamus ibidem
Septem petitionum in oratione dominica contentarũ explanatio 153
Suffragij ſanctorum tertio loco facta imploratio: cum poſtulatione miſericordiæ & pacis à domino 166
Cur Chriſtus in oratione tec à ſacerdote prolata poſt hoſtiæ ſacræ diuiſionẽ: agnus dei dicatur 167
Orationes à ſacerdote ſacrificium offerente ante cõmunionem dicendæ 176
Illius orationis, domine nõ ſum dignus vt intres ſub tectũ meum: ſingularis & propria expoſitio, excitans ad deuotionem 178
Quæ orationes in ipſa cõmunione, & quæ poſt communionem dicendæ ſunt 184
Quibus verbis ſacerdos valedicit populo: & abeunti benedicit 185
Vnde ille benedicendi ritus: ſumpſit originem 193

INDICIS TERTII ELVCIDATOrij eccleſiaſtici libri finis.

INDEX PROSARVM ECCLESIAſticarum, quæ quarto habentur libro, ordine alphabetico digeſtus.

AD honorem tuũ Chriſte 441
Animetur ad agonem 384
Aue præclara maris ſtella 518
Aue ſpes mundi Maria 567
Aue ſydus lux dierum 567
Aue verbi dei parens 463
Aue virgo ſing. 511

B

Benedicta ſemper ſancta 313

C

Celſa pueri concrepent 236
Cæli enarrant gloriam dei 468
Cæli ſolem imitantes 620
Clare ſanctorum ſenatus 622
Concentu parili hic te 400
Cõgaudentes exultemus 358
Congaudentes angelorũ chori 501
Corde, voce pulſa cælos 397
Corde, voce, mente pura 531
Corde puro, mente munda 600
Corona D. ſanctitati s 408
Dies iſte celebretur 363
Diem feſtũ Bartholomei 535

E

Ecce dies celebris 283
Ecce dies præoptata, 393
Eia voce prædicemus 210
Eia recolemus laudibus 207
Epiphaniã domino canamus 250
Exultemus & lætemur 254
Exultent filiæ Sion 231

F

Feſta Chriſti omnis Chriſtianitas 245

G

Gaudet Hiſpania 478
Gaude prole Græcia 588
Gaude Roma caput mundi 452
Gaudés ſuperna ciuitas 480
Gaude Sion & lætare 367
Gaude Sion quæ diem recolis 607
Gaude Siõ quòd egreſſus 610
Genouefæ ſolennitas 372
Gratulemur ad feſtiuum 229

H

Hanc concordi famulatu 218
Heri mundus exultauit 220
Hieruſalem & Sion filiæ 337

I

Interni feſti gaudia: noſtra 577
Ioannes Ieſu Chriſto multũ 1026
c undare plebs fidelis 572

Læta-

L

Lætabundus exultet fidelis 211
Lætabunda pſallat plebs 540
Lauda Sion ſaluatorem 327
Laudes crucis attollamus 410
Laudemus omnes inclyta 537
Laus tibi Chriſte patris 234
Laus tibi Chriſte, qui es 474
Laus ſit regi gloriæ 589
Laus & honor Trecoriæ 424
Laus erumpat ex effectu 578
Laurenti Dauid magni 489
Lignum vitæ quærimus 525
Lucernæ nouæ ſpecula 555
Lux illuxit dominica 280
Lux iocunda, lux inſignis 305
Lux aduenit veneranda 403
Lux illuxit triumphalis 428

M

Mane prima ſabbati 261
Margaritam glorioſam 473
Mittit ad virginem 199
Mundi renouatio 265

N

Nato canunt omnia domino 205
Natiuitas Mariæ virginis 361
Nouæ laudis attolllamus 445

O

O beata beatorum 626
O Maria ſtella maris 508
Omnes vnâ celebremus 333
Omnes ſancti ſeraphim 585

P

Petre ſumme Chriſti paſtor 449
Pia voce prædicemus 377
Plebs fidelis iocundetur 357
Præcurſoris & baptiſtæ 435
Præcurſorem ſummi regis 551
Profitentes vnitatem 322
Promat pia voce corpori 558
Primus datũ admiremur 491
Pſallat eccleſia mater 335
Pſallat chorus corde mundo 586

Q

Quã dilecta tabernacula 344
Quem inuiſibiliter ſequitur 256
Qui procedis ab vtroque 316

R

Regẽ Regũ veneremur 543
Rex omnipotens die hodierna 274
Repræſentet eccleſia 485
Roma Petro glorietur 457

S

Sacerdotem Chriſti Martinũ 604
Sacroſancta hodiernæ 352
Salus æterna indeficiens 195
Salue mater ſaluatoris 504
Salue crux arbor vitæ 569
Sãcti ſpiritus aſsit nobis 464
Sancti baptiſtæ Chriſti 433
Sãcti ſpiritus aſsit nobis 297
Sanctiſsimæ virginis votiua 615
Simplex in eſſentia 313
Si vis verè gloriari 496
Soſpitati dedit ægros 561

Spe mercedis & coronæ 624
Splendor patris & figura 239
Summi triumphũ regis 393
Summi regis archangele 576
Supernæ matris gaudia 597

V

Veni ſanĉte ſpiritus 302
Veni mater gratiæ 466
Verbum dei:deo natum 418
Verbum bonum & ſuaue 565
Victimæ paſchali laudes 255
Virgini Mariæ laudes 258
Virginalis turma ſexus 590
Virginis venerandæ 634
Vox ſonora noſtri chori 617

INDICIS EORVM QVAE HOC IN opère continentur: finis

ELVCIDATORII EC-
CLESIASTICI LIBER TER-
tius: de iis quæ ad miſſæ ſpectant officium, pertractans.

AD QVOS SPECTAT
huius tertij libri lectio: & quid nomen Miſſa ſignificat.

IN hoc tertio libro pro pollicitatione noſtra declaraturi quæ ad celebrationis ipſius miſſæ pertinent miniſterium :imprimis obteſtamur & monemus omnes ſollicitè,ne ea quæ hic diſſeruntur quiſpiam lectitare aut euoluere audeat:niſi iam ſacris initiatus & eccleſiaſtico gradui addictus atque conſecratus. Non quidé,quòd noxia ſint aut ſcitu indigna:quæ inibi tradũtur,ſed quòd ad eos qui altaris ſancti non funguntur miniſterio,nequaquam attineat eorum lectio:quæ in venerando ſuperſanctæ euchariſtiæ ſacrificio ex inſtituto eccleſiaſtico proferuntur, ob illorum dignitatem,præſtantiam & ſublimitaté. Itaque huius operis tres libros,primum:ſecundũ & quartũ,perlegant quicũq; volunt:& quoduis vitę genus fuerint amplexi. At verò hunc tertiũ librũ & præſertim eam partem eius quæ ſacrũ miſſæ canoné expromit,nemo aggrediatur legere:niſi is cui idipſum ob ſuſceptos ſacros ordines & altaris officiũ indultum eſt. Nempe tam ſacra,anguſta,& digna habentur ſancti ipſius canonis(vt vocãt)verba:quòd cũ reliquę ipſi⁹ miſſę partes alta ꝓferãtur voce à ſacerdote,& quę à circũſtãtib⁹ excipi,intelligiq; poſſint,hęc ſola ſuppreſſi⁹ ſubmiſſioréq; dicũtur ſermone:ꝙ nõ liceat ea in publicũ efferri,ſed vt cęteris lõgè ſacratiora:occultari,ſilẽtioq; p̃mi debeãt. Quòd ſi quiſpiã me roget,cur igitur illa ſacri canonis verba hoc in opere ꝓfers ĩ aptũ,quę tãtopere cõtẽdis ſecreta haberi debere,abditaq; ſeruari? Facis enim ipſe ꝙ ab aliis fieri vetas. Rationé illi mei ĩſtituti reddo:quoniã ex ſuſcepta ꝓuincia hic elucidare annitar ea quę ad ſacroſanctũ al-

taris ſpectant ſacrificium, inter quæ:& illa ſacri canonis verba præſertim continentur. Sed quonam pacto explicabuntur illa ſacratiſſima verba:niſi nominatim & ſuo contextu atque ordine adducantur? quo item modo ſenſum illorum explanare queam: niſi ea afferantur verba quorũ ſententia exquiritur? Erũt igitur & hic deſcripta illa ſecretioris myſterij verba:ſed ſolis illis legenda quibus id impunè licet. Verùm cum hoc prælocutorio ſermõe communefacimus omnes ſacrorum ordinum expertes,ne ea verba ſilentio honoranda & velamine veneranda percurrere oculis aut verſare tentent:quantum poſſumus illa abſtrudim9, & pro ſua maieſtate inuiolata ſeruamus. Et libenter omnes qui ſancti altaris non ſunt dedicati miniſterio: hiſce noſtris monitis(vt ſperamus)acquieſcent. Nempe ſi à rerum ſacrarum vt calicis ſanctificati contactu relioſè & piè manus continent qui non ſunt ordinibus ſacris inſigniti: cur non ſimili ratione abſtinebunt à ſacrorum verborum lectione aut prolatione? cũ nihilo magis ad ipſos attineat huiuſmodi verborum pronunciatio: quàm rerum cõſecratarum contactus. Meminiſſe item debent. Oſa morte repentina percuſſum fuiſſe à domino:quòd temerario auſu manus in arcam iniecerit,quam contingere illi ex officio nõ licuit. Bethſamitæ itidem proſtrati leguntur & ingenti plaga affecti:quòd arcam domini cum à Philiſteis reduceretur ad Iſrael viderint nudam,& minore quidem quàm decuerit reuerentia contuiti fuerint. Haud aliter ſuæ temeritatis præſumptioniſque pœnas ſe daturos timeant,qui his commoniti exemplis nihilo ſeci9 auſi fuerint ſacratiſſima necnon ſecretiſſima canonis miſſæ verba præter ſuum officiũ lectitare. Cæterùm his acceſſorij ſermonis atq; præambuli loco præmiſſis:quid miſſæ nomen ſignet, in ipſa præſentis libri fronte ante omnia patefaciendum eſt. Sanè id nomen plærique latinum putant, vt celebrationem ſacrificij altaris ſignat,nam ea ſola acceptio:huic loco eſt accommodanda. Et huiuſmodi ritum conficiendæ conſecrandæque euchariſtiæ,miſſam dici autumant, quod ſalutaris hoſtia oblatioque illa ſanctiſſima mittatur ad deum patrẽ, vt nobis ſit propicius,& quæ petimus cæleſtia dona elargiatur. Verùm cum id nomen in eo ſignificatu apud probatos authores latinos neutiquam inueniatur, ſubſtantiuè quidem

quidem ſumptum & in fœminino genere, quandoquidem rarus eſt ab adiectiuis formatorum talium ſubſtantiuorũ vſus: rectius mea quidem ſententia dicunt, qui id nomen miſſa, hebræum eſſe cenſent, & tantundem ſignificare atq; officium, ſacrumque myſterium, quod Græci liturgiam vocant. Eſt enim ea ſignificatio admodum congruens rei propoſitæ, longéque accommodatior, quàm altera. Hanc igitur amplectentes, dicimus miſſam idem ſignificare: quod ſacrum altaris miniſterium & ſacrificium.

¶ Cæterum antequam ad ea quæ in auguſtiſſimo altaris ſacrificio decantantur explananda nos accingamus: nonnulla generatim præmittere fuerit operæprecium, ad ipſi' miniſterium attinentia, complectentiaque aliquantam eorum declarationem ſine quibus ipſa ſalutaris hoſtia ritè offerri non poteſt, vt quibus in locis illa ſecundum eccleſiaſticam ſanctionem debeat immolari: quibus item ac ornamentis indumentis, & à quibus miniſtris. Hæc ſiquidem & ſimilia ſi ignorentur: non parum dignitatis detrahunt ſacerdotali authoritati, impedimentoque ſunt quò minus rectè exerceatur altiſſimum illud celebrationis diuinorum myſteriorũ officium.

De *templi ac altaris conſecratione.*

ANte omnia autem illud obſeruandum ex orthodoxa conſtitutione antiquorum patrum: ne miſſam celebrare quis attentet: & ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacrificium deo offerre, niſi in eccleſia deo cõſecrata, diuinoque deputata miniſterio. Si enim in veteri lege non licuit vnquam offerre ſacrificium ex communi & regulari ordinatione, niſi eo in loco vbi erectum erat domini tabernaculum, aut conſtructum dei templum: quantò magis in hac lege gratiæ & veritatis haudquaquam conceſſum eſt vnicam illam & omnium maximè ſalutarẽ ſacrificare hoſtiam: niſi in templo pontificali conſecratione dedicato, vt dignitati & excellentiæ ſacrificij reſpõdeat honeſtas ac reuerentia loci: adaugeatque populi aſſiſtentis deuotionem: Haud tamen negauerim vrgente graui neceſsitate, aliis in locis vt in domibus interdum aut priuatis oratoriis, tentoriisve ſub diuo conſtitutis, rectè fieri poſſe ipſius miſſæ ſacrificium: vbi ipſius epiſcopi authoritas

thoritas id permiſerit,ob inſtantem neceſſitatem ad id con cedendum impulſi. Conſulerem tamen id quàm rariſſime fieri poſſet & concedi aliis & fieri,ne ex facili eiuſce rei pmiſſione,& frequenti celebratione in domibus, locisque priuatis:vileſcat ipſius ſacrificij dignitas,minoriq; in precio habeatur:dum paſſim vbique ferè locorum ipſum offerri ſinitur:ſine debita(quam efflagitat)veneratione &reuerentia.Eamque ob cauſam redduntur plerunque homines ad frequentanda dei templa & ſuam parochialem eccleſiam tardiores ac ſegniores:cum nullo detenti impedimento domi ſuæ audiant miſſæ ſacrificium. ad quod audiendum alij ad eccleſiam conueniunt, cõmunem orationis locum. Attamen vbi cauſa legitima affuerit audiẽdi,faciendique ſacra in oratoriis domeſticis,aut cubiculis : non abnuerim id rectè fieri poſſe,vbi acceſſerit conſenſus atque approbatio ipſius epiſcopi. Hęc planè ſententia eſt. Fœlicis ſummi pontificis:ita ſcribentis omnibus orthodoxis. Sicut non alij quam ſacrati deo ſacerdotes : debent miſſas celebrare,nec ſacrificia niſi ſuper altare offerre, ſic nõ in aliis quam in domino conſecratis locis,id eſt in tabernaculis diuinis precibus à pontificibus deliburis,miſſas cantare aut ſacrificia offerre licet:niſi ſumma coegerit neceſſitas. Satius eſt ergo miſſam non cantare,aut non audire : quàm in iis locis vbi fieri non oportet, niſi pro ſumma neceſſitate contingat:quoniam neceſſitas legem nõ habet. Vnde ſcriptum eſt:vide ne offeras holocauſta tua in omni loco quẽ videris:ſed in omni loco quẽ elegerit dominus deus tuus. Hæc ille. Ex concilio etiam Aurelianenſi:illud depromptũ legitur. Vnicuique fidelium,in domo ſua oratorium licet habere,& ibi orare:miſſas autem ibi celebrare non licet.

De conſec. diſt. 1. ſicut non.

Deut. 12.

De conſecr. diſtinct. 1. clericos.

Cæterum ex ſexta ſynodo :moderatior huiuſce conſtitutionis atque benignior habetur interpretatio: quæ ita rem ipſam definit. Clericos qui miniſtrant in oratoriis quæ intra domos ſunt:cum conſenſu epiſcopi loci illius hoc facere præcipimus. Si quis verò hoc non obſeruauerit : deponatur. Accedit illi & decretum concilij Agathenſis:hoc modo contextum. Si quis etiam extra parochias in quibus legitimus eſt ordinariusque conuentus,oratorium habere voluerit:reliquis feſtiuitatibus vt ibi miſſam audiat propter fatigationem familiæ,iuſto ordine permittimus. Paſcha

De conſec. diſtinct. 1. ſi quis etiã.

ſcha vero, natali domini, epiphania, aſcẽſione domini, pentecoſte & natali ſancti Ioannis Baptiſtæ & ſi qui maximi dies in feſtiuitatibus habentur: non niſi in ciuitatibus, aut parochiis audiant. Clerici verò ſi in his feſtiuitatibus quas ſupra diximus (niſi iubente aut permittente epiſcopo) ibi miſſas celebrare voluerint: à communione priuentur.

4 ¶ Porrò conſecratur eccleſia pontificali miniſterio: dedicaturque deo, primum: vt immundus ſpiritus & omnes eius noxia poteſtas inde appellatur. Quoniam enim locus *Num.* 35. ille primum fuerat prophanus & nunc diuino mancipatur officio, ſi quid poteſtatis dei permiſſu prius illic habuerat malignus: id omne per conſecratoriam illam loci benedictionem tollitur, & antiqua ſede ſua hoſtis noſter deturbatur. Secundo, vt locus ille conſecratus, aſylum ſit & refugium cõfugientibus ad illum: pro immunitate & tutela eccleſiaſtica obtinenda. Quemadmodum in veteri lege con- 3. *Reg.* 2 ſtitutæ fuerunt diuino iuſſu ciuitates refugij, ad quas ſe recipientes qui fortuito homicidium perpetrarant: tuti erãt nec indè euelli poterant. Et Ioab princeps militiæ cũ mortem ſibi intentari intelligeret à Salomone, fugiſſe legitur in tabernaculum & apprehendiſſe cornu altaris. Tertio fit ipſa templorum conſecratio, vt propter loci ſanctificationem orationes fideliumà deo benignus exaudiantur, qui per prophetam dicit. Domus mea, domus orationis vocabitur. Quocirca ipſa eccleſia in dedicationis templi ſolen- *Eſaiæ* 56. nitate ita deo preces fundit. Concede, vt omnes qui huc 3. *Reg.* 8. deprecaturi conueniunt, ex quacunque tribulatione conſolationis tuæ beneficia conſequantur, Quod & Salomon in templi à ſe extructi dedicatione ſolenni oraſſe legitur. Eadem quoque fit templorum conſecratio, ad laudes ibidem deo quotidie exoluendas, & diuina perſoluenda officia, certis horis determinata vt decantentur à choro. Et hoc pacto ſint æmula illa loca, typumque referant illius ſupernæ ciuitatis. Hieruſalem, de qua dicit propheta in pſal *Pſal.* 83. mo. Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Demùm conſecrantur eccleſiæ ſolenni celebritate & benedictione, vt eccleſiaſtica ſacramenta ibidem populo fideli miniſtrentur, & potiſſimum illud omnium digniſſimũ euchariſtiæ ſacramẽtum offeratur à ſacerdotibus, & aliis communicetur. Siquidem maior ha-

betur reuerentia & veneratio ad ipſam ſacramentorũ administrationem ac ſuſceptionem, quando ea fit in loco ſacro peculiariter ad dei cultum deſignato. ¶ Conſimilibus penè rationibus & altare conſecratur vnctione chriſmatis pontificalique benedictione, ex conſtitutione eccleſiaſtica. Primum quidem, ad ſacrificium in eo offerendum domino, quemadmodum poſt ceſſationem diluuij, ſacra refert hiſtoria: quòd ædificauit Noe altare domino, & tollens de cunctis volucribus & pecoribus mundis: obtulit ſuper altare, & odoratus eſt dominus odorem ſuauitatis.

Gen.8. Hoc autem ſacramentum quod in altari offertur: eſt corpus & ſanguis Christi, vt in dominicæ paſſionis memoriã immoletur inſtitutum. Secundo: ad nomen domini in eo inuocandum. Vt de Abraham in Geneſi legimus, quòd æ-

Gen.12 dificauit altare deo qui apparuit ei: & inuocauit ibi nomẽ domini. Illa autem diuini nominis inuocatio quæ fit ſuper altare: proprio ſpecialique nomine miſſa dicitur. Demùm fit & ipſa altaris conſecratio atque ſanctificatio: ad decantandas circa ipſum diuinas laudes, quemadmodum de rege Dauid dicit Eccleſiaſticus. Dedit illi contra inimicos potentiam, & ſtare fecit cantores contra altare: & in ſono eo-

Eccl.47. rum dulces fecit modos. Et certè maior habetur reuerentia & veneratio ad ipſa ſacra myſteria quæ in altari celebrantur: quando ipſius præceſſerit ſanctificatio per quam vſui eccleſiaſtico & diuinarum rerum, duntaxat accommodantur & applicantur. Quis autem ſit ritus eccleſiæ conſecrandę, itidem & altaris, quid etiam myſticum & ſpirituale ſignant ea quæ fiunt in vtraque conſecratione: non eſt opportunum in præſentia referre. Nam particulatim & amplè digeruntur illa & explicantur in rationali diuinorum officiorum, libro primo, neque opus eſt illic diffuſe dicta hic repetere, ne actum rurſum agi videatur. 5 ¶ Ceterũ ipſius eccleſiæ conſecrandæ exemplum: multifariam ex veteris inſtrumenti lectione ſumitur. Siquidem in Geneſi le-

Gen.28. gimus, ipſum Iacob poſt myſticum ſomnium quod noctu eidem apparuerat: conſurrexiſſe, ac cum pauore & tremore dixiſſe. Verè dominus eſt in loco iſto: & ego neſciebam. Et rurſum, quàm terribilis eſt locus iſte: Non eſt hic aliud niſi domus dei: & porta cæli. Deinde tulit idem lapidẽ quẽ ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum: fundens oleum deſu-

deſuper. Quo quidem facto, & Chriſtum (qui lapis eſt angularis) largo ſpiritus ſancti chriſmate inſinuauit inungendum: vt ait Auguſtinus. Simul & formam dedit ac exemplum: loca ad dei cultum exædificata ſanctis precibus conſecrandi. Vnde vt figura ad veritatem ſuam referatur: id memorabile ipſius Iacob opus & verbum, in cuiuſque templi dedicatione ſolenniter recolitur ac decantatur. Prꝗterea Moyſes cum erexiſſet tabernaculum atque compaginaſſet, cum menſa & altari eius, æreis vaſis & vtéſilibus ad diuinum cultum explendum: iubente domino ea omnia conſecrauit ac ſanctificauit inſuper & ſancti olei vnctione perfudit ac inunxit. Erat autem tabernaculum illud in deſerto conſtructum: imago quædam & repræſentatio templi in lege euangelica & in hoc peregrinationis ſtadio domino conſtruendi. Quare & illius ſanctificatio ac inunctio: deſignauit templa ſancta conſecrari debere deo, & ſanctis precibus illi dedicari. Rurſum rex Salomon poſt magnificum templum ſplendidiſſimo cultu diuino nomini conditum: ſolenni celebritate illud dedicauit, præſente florentiſſimi regni ſui copioſa populi multitudine. Cumque illo à Caldæis exuſto, poſt captiuitatis Babylonicæ calamitatem, inſtauratum eſſet alterum templum Zorobabel duce populi & cæteris, qui reduces à Babylone venerant: & illud feſta ſolennitate conſecratum domino & dedicatum fuiſſe ſub Eſdra legitur. Deinde cum gentilitiis ritibus & idolorum ſpurcitiis idem prophanatum foret ab impio Antiocho rege Syriæ: operaque & ſtudio incliti ducis virique fortiſſimi Iudæ Machabæi, poſtea à ſordibus ac immunditiis repurgatum: iterum conſecratum eſt & denuò dedicatum.

Exod. 40

3. Reg. 8.

1. *Eſdræ.* 6.

Mach. 4

Has autem dedicationes ſibi gratas eſſe & acceptas nõ modo declarauit dominus manifeſta ſuæ gloriæ oſtenſione in ſignum approbationis (quæ & in tabernaculi ſanctificatione & templi à Salomone magnificentiſſima dedicatione, cum numeroſa hoſtiarum multitudine ſupplicique prece: impleuiſſe ſcribitur domum domini) verumetiam præſentiæ ſuæ corporalis exhibitione. Nam quando in terris viſus eſt & cum hominibus conuerſatus: ipſi dedicationis feſto Hieroſolymis adeſſe dignatus eſt dominus noſter, ſicut ſcribit euangeliſta. Facta ſunt encænia in Hieroſolymis, & hyems erat: & ambulabat IESVS in porticu Salomo-

nis. Quem locum exponens venerabilis Beda: ſic inquit.
Ioannis 10 Audiuimus ex lectione euāgelica fratres chariſsimi, quia
facta ſunt encænia in Hieroſolimis. Encænia autem vo-
Beda. cabantur ſolennia dedicationis templi: quæ populus dei
ex antiqua patrum traditiōe per annos ſingulos celebra-
re conſueuerat. Quorum veſtigia nos hodie iuxta morem
Chriſtiani orbis ſequentes: annuam dedicationis eccleſiæ
noſtræ diem diuinis laudibus & vigiliis ſtuduimus agere
ſolennem. Et hanc nos feſtiuitatem eo maiore deuotione
celebrare oportet, quo eam redemptori noſtro gratiſsi-
mam eſſe cognouimus. adeo vt in illa ipſe templū ingre-
di, & ſermonem facere ad populum: ac diuinitatis ſuæ ſa-
cramenta pandere dignatus ſit. Facta ſunt (inquit) encęnia
in Hieroſolymis, & hyems erat: & ambulabat Ieſus in tē-
plo, in porticu Salomonis. Si ergo voluit in templo ambu
lare, in quo caro & ſanguis brutorum animalium offere-
batur: multo magis noſtram orationis domum vbi carnis
ipſius & ſanguinis ſacramenta celebrantur, viſitare gau-
debit. Hæc ille. Et non modo viſitare eam dignabitur: ſed
& diuinæ ſuæ virtutis protectione defenſſare ac tutari.
queādmodū Heliodorus durā circa ſe dei manū expert⁹
quòd vi tēplū domini ſpoliare tentaret, ait regi Antiocho
2. Mach.3. a quo ad hoc ſcœlus perpetrandum erat miſſus. Verè vir-
tus dei quædam: eſt in loco. Nam ipſe qui habet in cælis
habitationem: viſitator & adiutor eſt loci illius. Ex eodē
De conſecr. quoque euangelij loco oſtendit beatus Gregorius, anni-
diſtinc. 1 uerſariam dedicationis templi diem ſtudioſe eſſe celebrā-
ſolennitates dam, ita ſcribens Solennitates Eccleſiarum dedicationum
& ſacerdotum, per ſingulos annos ſolēniter ſunt celebrā-
dæ, ipſo domino exemplum dante. Qui ad feſtum dedica-
Ioann. 10. tionis templi, omnibus id faciendi dans formam, cum re-
liquis populis eandem feſtiuitatem celebraturus venit. ſi-
cut ſcriptum eſt. Facta ſunt encænia in Hieroſolymis, &
hyems erat: ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salo-
monis. Quod autem octo diebus encænia ſint celebrā
da: in libro Regum perfecta templi dedicatione reperies.
Hæc Gregorius. 6 ¶ Vnde eccleſia ipſa materialis ra
tionabiliter conſecratur, ad repræſentādum ſanctificatio-
nē ſpiritualē, qua eccleſia fideliū cōſecrata eſt per paſsio-
nem domini noſtri, inſuper & ad ſanctitatē ſignificādam:

quæ

quæ requiritur in iisqui ſacraméta eccleſiaſtica miniſtra-
re, ſimiliter & ſuſcipere ibidem debent, vt eo reuerentius
tractét huiuſmodi myſteria: quo locus ipſe religioſior eſt Heb.13
& veneratior. Per altare verò ſignificatur ipſe Criſtus: de
de quo dicit apoſtolus ad Hebræos. Per ipſum offeramus
hoſtiam laudis deo. Et ipſa conſecratio altaris, deſignat i-
pſius Chriſti perfectiſsimam ſanctitatem: de qua dixit an-
gelus ad ſacroſanctam virginem. Quod enim ex te naſce Luc. 1
tur ſanctum: vocabitur filius dei. Quoniam autem eccle-
ſiæ catholicæ ſanctimonia: ex Chriſti ſãctitate deriuatur
& pendent (nam hęc: fons eſt primarius totius eccleſiaſti-
cę ſanctificationis) idcirco nunquã eccleſia ſine altari con
ſecratur. E diuerſo tamen interdum conſecratur altare cũ
reliquiis ſanctorum in eo reconditis (quemadmodũ & ip-
ſorum beatorum vita: in Chriſto eſt abſcondita) ſine con
ſecratione eccleſiæ. Hinc etiam in eccleſia ſine altari: nun
quam offertur ſacrificium nouæ legis, & communionis ſa
cramentum. Contra verò in altari extra eccleſiam, nónun
quam licet hoc ſacramentum offerre: quando id expoſcit
neceſsitas, erectæque tabulæ ſuperponitur altare portati-
le conſecratum, cum cæteris ad decentiam tanti myſterij
requiſitis. Et quoniam Chriſtus petra eſt, ac lapis angula-
ris: antiqua patrum traditione cautum eſt, cuiuſque alta-
ris ſupremam tabulam eſſe debere lapidem. Quæ ſi deeſt, 1. Cor. 10
aut ſi altare conſecratum non fuerit: ſuperpoſito illi alta- Eſa.28
ri portatili conſecrato, celebratio ſacrificij in eo rite fie-
ri poteſt. Hæc & multo plura de eccleſiarum ac altarium
conſecratione & cultu, latius pertractantur in ea decreti
antiquorum patrum parte, quæ denominatur de conſe-
cratione diſtinctione prima, vbi ſummorum põtificum &
conciliorum conſtitutiones eam determinãtes materiam:
diffuſe recenſentur.

7 ¶ Sed neque illud hic prætermittendum, quòd eccle
ſiæ ipſæ fidelium ex ordinatione ac traditione apoſtolo-
rum & virorum apoſtolicorum ad orientem conſtituun-
tur: ſimiliter & altaria: vbi id accõmode fieri queat, quo-
niam in noua lege adoratio ad oriẽtem rationabiliter eſt
inducta fieriq; iuſſa: tanquam congruentior & nobis cõ
uenientior. Sanè in antiquæ legis ſtatu præcepta fuit
& introducta ad occidentem adoratio, in cultu idolorum
exclu-

excluſionem ac deteſtationem : quòd eorum cultores in reuerentiam ſolis quem deum exiſtimabant, adorent ad
Ezech. 8 orientem. Vnde Ezechiel propheta domini inter ſcelera quæ committebantur à populo Iſraelitico : & illud commemorat. quòd quidam viri habuerunt dorſa contra templum domini, & facies ſuas ad orientem, adorarúntque ad ortum ſolis. Et ad excludẽdum hunc ritum gentilium: tabernaculum Iſreliticum habebat ſancta ſanctorum ad occidentem, vt verſus eam partem Iudæi deum adoraturi ſe conuerterent. Verùm cum figuralis illa lex & vmbratilis commutanda eſſet in legem veritatis & libertatis, & nullũ amplius eſſe periculum incidendi in mores gentilium aut imitationem eorum, propter conſimilem adorationis locum : conſtitutum eſt à primis eccleſiæ catholicæ fundatoribus, adorationem fieri debere ad orientem. vt ea in re, ſicut & in aliis pleriſque: diſcreparent nouæ legis cultores à vetere. Quòd autem rationabilis fuerit ea conſtitutio: ex eo liquet. quoniam in orientali cæli parte virtus primi mouentis qui deus eſt, primum redditur conſpicua quòd ab ea plaga inchoetur primus cæli mot⁹, lux matutina primum effulgeat, ſol noſtrum conſcendat hemiſpherium, & ſydera vertigine cæli rotata ſuum ſumãt exortũ. Cum igitur opera diuinæ adminiſtrationis & gubernationis, qua totum moderatur mundum mirabili prouidentia ac ſapientia: nobis primum eluceſcant in oriente. par eſt & ad eam nos partem conuertere : cum ipſum mundi factorem & rectorem volumus in ſpiritu & veritate adorare Huic accedit, quòd ea cœli pars inter cætera eius plagas eſt preſtantiſsima & digniſsima: quòd principium ſit cæleſtis circumgyrationis diurnæque lucis, meridies verò eius medium, & accidens finis curriculi diurni, ſeptentrionis verò punctum, nocturnæ opacitatis medium dirimit ſpacium. Quæ autem perfectior eſt reliquis & nobilior cæli pars: adorationi deo exhibendæ potius eſt aſsignanda & attribuenda. Ad hæc, corporalis illa cæli plaga potius erat diligenda ad adorationem : quæ ſpiritualem dei gratiam nobis propinquius exprimit, & benignum ipſius ad nos in carne aduentũ apertius refert. Atqui humaniſimã illã viſitationem, qua noſtræ ſubſtantiæ forma indutus viſitauit nos oriẽs ex alto : propiùs inſinuat pars cæli oriẽtalis,

quàm

quàm quæuis alia. Prodiit enim ad nos Chriſtus humana carne indutus, vt lux mundi clariſsima: ad effugandas ignorantiæ & peccatorũ tenebras. Ego inquit ſum lux mundi: qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Venit item ad nos vt ſol iuſtitiæ, radios ſuæ benignitatis in omnes vibrans, & cunctos illuminans. Et hoc nomine à propheta nuncupatur: cum ait. Vobis timẽtibus nomen meum: orietur ſol iuſtitiæ. Lux autem diurna & ſol ſuum habent in noſtrum horizonta exortum ab oriente, eáque parte prodeunt. Rectius igitur oriens quã cæteræ mundi partes, adorationi erat deputandus: vt cuius denominatio etiam domino noſtro attributa legatur á propheta dicente. Ecce vir, oriens nomen eius. Idque à priſcis patribus optime conſtitutum fuit eo præſertim tẽpore: quo oriens ſplendor lucis æternæ & ſol iuſtitiæ, nube carnis obiectus venerat in hunc mundum, vt illuminaret populum ſuum ſedentem in tenebris & vmbra mortis. Plura ſuper hac re diſſerit eximius pater Ioannes Damaſcenus: in quarto libro ſuo de fide orthodoxa, cap. decimotertio: cui adiectus à nobis commentarius: diffuſionem facit eiuſdem materiæ pertractationem.

Ioan. 8

Malac. 4

Zacha. 6

De ueſtibus & indumentis ſacerdotalibus.

AD celebrationem autẽ diuini ſacrificij ritè faciendam: quæ ad illud pertinent miniſterium vt calix cum attinentibus ad ipſum, pallæ altaris, & ſacerdotalia induméta, antè ſacerdotali benedictiõe (vt quódque illorum expoſcit) ſunt ſanctificanda, quàm ad vſum eccleſiaſticum accommodentur. Siquidẽ Moyſes nõ modo tabernaculũ domini & altare diuinis precibus ſacraſſe legitur: ſed & cũcta vaſa miniſterij benedixiſſe. Si itaq; Iudæi qui figuris & futurorũ vmbræ deſeruiebãt: hæc ſecũdũ domini iuſsionẽ faciebãt, quãto magis nos quib9 veritas per Chriſtũ patefacta eſt: idẽ agere debemus ad maiorẽ ſacrorũ myſteriorũ reuerentiã ac venerationẽ? At verò cõſecratio calicis & ornamẽtorũ eccleſiaſticorũ nõ eã fit ob cauſam, ꝙ illa ſint gratiæ diuinæ ſuſceptiua: cũ ſint inanima, ſicut & templa materialia & altaria, ſed vt per huiuſmodi conſecrationem & benedictionem, diuino cultui peculiariter applicentur: ſicut & homines cum ſacris

Exo. 40

cris initiatur, & idcirco maioris reuerétiæ ac veneratio-
nis habeantur: tanquam a prophanis ſeparata deique mi-
niſterio ſpecialiter addicta. Hominibus autem præter hoc
per cōſecrationem & benedictioné: amplior gratia à deo
infunditur. Vnde canonica ſanctione cautū eſt, huiuſmo-
di ſacra vaſa & veſtimenta benedictione ſacerdotali ſan-
De conſe. diſ. 1. in ſanct. ctificata: non niſi à ſacratis deo hominibus contingi debe
re, neq; ad alios vſus quàm eccleſiaſticos accommodari.
Sicut perhibet Sixtus papa, ita definiés. In ſancta apoſto-
ſtolica ſede ſtatutum eſt vt ſacra vaſa non ab aliis quàm à
ſacratis dominóque dicatis hominibus contractentur, ne
pro talibus præſumptionibus dominus iratus plagas im-
ponat populo ſuo: & ij etiam qui non peccauerūt pereãt,
& perit iuſtus ſæpiſsime pro impio. Cui aſtipulatur & Ste
phanus papa: ita ad amicum ſcribens. Veſtimenta eccleſię
quibus domino miniſtratur: & ſacrata debent eſſe & ho-
neſta, quibus aliis vſibus non debent frui: quàm eccle-
ſiaſticis & deo digni officiis quæ nec ab aliis debent con-
tingi aut offerri: niſi à ſacratis hominibus, ne vltio quæ
Balthaſar regem percuſsit: ſuper hoc tranſgredientes ve-
niat, & corruere eos faciat ad ima. Rurſum ex concilio
Aurelianéſi id depromptum eſt decretum. Ad nuptiarum
ornatum: diuina miniſteria non præſtentur, ne dum im-
proborum tactu vel pompa ſecularis luxuriæ polluūtur:
ad officium ſacri miniſterij videantur indigna.

9 ¶ Cæterùm prætermiſſa nunc determinatione dé ca-
lice ex qua materia confici debeat, & quid myſticum no-
bis inſinuat: déque reliquis ornamentis altaris, ad debitã
ſacrificij nouæ legis oblationem ſpectantibus: quòd ſatis
ſupérque & in decretis patrū & aliis authoribus ſunt re-
Exo. 28 ſerata, paucis agendum eſt de veſtimentis ſacerdotalibus:
quibus indutus ſecundum traditionem eccleſiaſticam ſa-
cra deo faciat. Teſtantur planè ſacrarum literarum monu
menta: pontificem Iudæorum octo habuiſſe indumenta,
quibus adopertus accedere conſuerat ſanctuarium vel al
tare. Primo veſtem lineam, ſecundo tunicam hiacinthinã:
in cuius extremitate verſus pedes pendebant per gyrum
tintinabula & mala punica alterno ordine diſpoſita. Ter
tio habuit ſuperhumerale quod tegebat humeros: & an-
teriorem partem corporis vſque ad cingulū, & ſuper hu-
meros

meros eminebant duo lapides onychini habentes inſculpta nomina duodecim filiorum Iſrael. Quarto, rationale, quadratũ: quod ponebatur in pectore, annectabatúrque ſuperhumerali & adornabatur duodecim lapidibus precioſis per quatuor ordines diſtinctis: quibus ſingulis inſculpta erant ſingula nomina filiorum Iſrael decorabatúrque præterea doctrinæ & veritatis inſcriptione: iuſſu domini facta. Quinto habuit pontifex Habræorum baltheũ i. cingulum, quatuor coloribus contextum quo præcingebatur. Sexto cyndarim ſiue thyaram, i. mitram ex abyſſo contextam. Septimo laminam auream in fronte defixam: cui inſcriptum erat nomen domini. Octauo fœminalia linea: quibus operirentur eius veréda, quando aditurus erat ſanctuarium aut altare. Ex his autem octo veſtimentis, minores ſacerdotes tantum quatuor habebant: ſcilicet tunicam lineam, baltheum, thyaram & fœminalia. Et hęc omnia indumentorum genera myſticum aliquid ſignabãt & ſpiritualem præferebant intelligentiam, in fine tertij libri, rationalis diuinorum officiorum latius explicatam. Nónne igitur in noua lege (quæ lõge perfectior eſt & eminentior) & pontifices ſuum habẽt ornatum ac cultum, quo decenter inſigniantur, & minores etiam ſacerdotes ſua ſortiuntur indumenta, quibus amicti ſacrificium laudis deo offerant? Nónne etiam pontificalibus ornamẽtis, caligis ſandaliis ſuccinctorio, poderi tunicæque talari dalmaticæ, chirothecis mitræ, annulo, baculo paſtorali: adhibẽtur myſticæ ſignificationes, in loco iam citato diffuſius annotatæ? quemadmodũ etiam minorum in noua lege ſacerdotum ſex indumenta: amictus capitis, tunica linea, zona, manipulus, ſtola, & caſula, ſuo nõ vacant myſterio, ſignificationéque ſpirituali, de qua nunc aliquantulũ eſt diſſerendum.

10 ¶ Itaque amictus quem primo loco ſibi deſumit ſacerdos, & capiti ſuperponit, fortitudinem ſignat animi ad debellandum hoſtem antiquum, quę ita ſit in animæ protectionem ac tutelã, ſicut galea ærea vertici impoſita munimentum eſt capitis. Idcirco cum adaptat ſibi amictũ ſacerdos aſtans altari, his dominum verbis precatur. Pone domine galeam ſalutis in capite meo, ad expugnandas omnes diabolicas fraudes. De hac ſpirituali galea ad pro-

deundum

deundũ in pugnam cõtra hoſtes inuiſibiles, loquitur apo-
Ephe.6 ſtolus ad Epheſios dicens. Et galeã ſalutis aſſumite, quod
eſt verbum dei. Ad hanc itidem armaturam nos hortatur
dominus his verbis. Eſtote fortes in bello & pugnate cũ
antiquo ſerpente, & accipietis regnum æternum. At verò
ſicut caput nobiliſsima eſt corporis humani pars quę ocu
lis pateat, ſimul & eminentiſsima. Quinque ſiquidem ſen
ſuum organis eſt prædita, & vitam deriuat atque profun-
dit in cętera membra. Haud aliter in anima, fides firma &
intentio operis recta: duo ſunt præcipua, quæ miniſteriũ
ſacerdotis deo ſacra offerre volentis, acceptum gratúmq;
domino reddũt. Amictũ igitur capiti imponit ritè ſacer-
dos: qui fortitudinẽ habet in firmitate fidei & rectitudine
intentionis, quę duo: caput ſunt omnis bonæ operationis.
Et his duobus integumẽtis animæ cõtectus ſacerdos, tan-
quã caſside ærata protectus: intrepide in conflictũ contra
hoſtẽ antiquũ progredietur, victoriã de eo glorioſam re-
portaturus. Quare ſolida fide armetur, & recto ſui operis
propoſito fine: quiſquis ſpiritualiter amictum in ſacrificij
altaris initio vult aſſumere. Repræſentat etiã amictus ille
operimentum: quo Iudæi in domo Caphæ velabãt ſacram
Matth. 26 Chiſti faciem, poſtquam ab illis fuit morte condemnatus,
illudentes illi, & incuſsis colaphis dicentes Prohetiza no-
bis Chriſte, quis eſt qui te percuſsit.

11 ¶ Secundo loco à ſacerdote induitur alba, ſiue tuni-
ca linea: ad talos vſque defluens, & totum operiens cor-
pus, quæ puritatem ac caſtitatẽ corporis, ſuo candore no-
bis inſinuat, à ſacerdote ſummopere obſeruandam: ſecun-
dum illud ſapientis monitum. Omni tempore ſint veſti-
Eccl.9 mẽta tua candida. Vbi non de veſtimentis laneis aut li-
neis habetur ſermo: quæ circumponuntur corpori, ſed de
corpore quod indumẽtũ eſt animæ: & membris eius quæ
ſunt quaſi tegmenta noſtri ſpiritus. Hæc certe veſtimẽta,
corpora ſcilicet noſtra & membra: monet ſapiens eſſe de-
bere ſemper candida, ne vnquã aliqua impuritatis carna-
lis labe contaminentur, quod cum omnes homines tũ ma
xime ſacerdotes ſtudioſe debent obſeruare? Hinc rectè li-
nea dicitur illa tunica: ex lino contexta. Sicut linum, can-
dorem quem ſuaptè natura non habet: multis tonſionibus
& labore conquirit per artem, ita corpus hominis mundi-
ciam

ciam quam non obtinet per naturam: multis caſtigationibus maceratum & bonorum operum frequenti exercitio aſſuefactum, demum ſortitur per gratiam. Sacerdos ergo ſecundum apoſtolicum documentum caſtiget corpus ſuũ 1.Cor.9
& in ſeruitutem redigat: ne forte cum aliis prædicauerit: ipſe reprobus efficiatur. Et quoniam ad talos vſque protenditur eadem tunica, qui finis ſunt corporis: ea ratione perſeuerantiam quoque ſignificat in omni bono opere habendam. Non enim ſufficit inchoare quippiam boni: Matth.10
ſed ad finem vſque in eo perſeuerare neceſſe eſt, ſi coronam iuſtitiæ conſequi à domino volumus, qui ſalubriter auribus noſtris ſæpius illud inculcat monitum. Qui perſeuerauerit vſque in finem: hic ſaluus erit, qui etiam futurum ludibrio omnibus admonuit eum: de quo prætereuntes dicant. Hic homo cœpit ædificare: & nõ potuit cõ- Luc.14
ſummare. Nónne & idem conteſtatus eſt quòd nemo mit- Luc.9
tens manum ſuam ad aratrum & aſpiciens retro: aptus eſt Luc.17
regno dei? nóſque memores eſſe debere vxoris Loth, ad- Gene.19
hortatus eſt: quę cum Sodomis egreſſa, cõtra domini iuſ- Leui.3
ſionem poſt tergum reſpexiſſet: in ſtatuam ſalis eſt conuerſa. Quid & illud in veteri lege ſignat: quòd domino non caput tantum hoſtiæ, ſed & cauda offerri iubetur? niſi vitæ noſtræ non tantum initium: ſed & finem dedicandum: & ad exitum vſque vitæ in bono perſiſtendũ. Quid enim prodeſt in ſtadio ardenti animo curſum incœpiſſe: ſi antequã meta contingatur, fatiſcat currens & in medio itinere laſſatus ſubſiſtat? Quid iuuat militem in acie fortiter decertaſſe: ſi ante finem pugnæ aut fugiat ex acie, aut ignauus hoſti ſuccumbat? Quid denique lucri id affert, quòd nauta per mille pericula maris tempeſtatéſque ſonoras nauem deduxerit incolumem: ſi antequam ſubducatur in portum aut illidatur ſcopulis aut inſanis obruatus aquis? Petamus ergo à domino tunicã polymitã (qualem dedit Iacob Ioſeph filio ſuo) variáque virtutum diſtinctione adornatam, & talarem: finémque vitæ in bonis operibus fœliciter cõcludentẽ, cum non tam à principio & medio, quàm fine, ſalus noſtra pendeat. Repræſentat etiã tunica illa candida totũ adoperiens corpus: veſtem illam albam, qua induit Chriſtum Herodes, illique vt inſipienti illuſit cum nullum ex eo habuiſſet eorum quæ interrogarat Gene.37

terrogarat reſponſum, eóque amictu ludibrio habitũ: remiſit ad Pilatum, vt ſcribit Lucas.

12 ¶ Deinde tertio loco à ſacerdote ſacra facturo & illi miniſterio ſe accingente, cingulum ſumitur: quo tunica illa linea arctius cõſtringitur, ne laxius defluat & greſſum impediat. Significat autem id cingulum: continentiam, libidinis fluxum cohibentem, qui potiſsimũ in renibus do-
Luc.12 minatur & ſedem tenet: quos Zona illa conſtringens coercet. Vnde dominus in euangelio viam ſalutis nos edocens: inquit. Sint lumbi veſtri præcincti: & lucernæ ardẽtes in manibus veſtris. Quem locũ exponens beatus Gregorius ait. Lumbos præcingimus: cum carnis luxuriã per continentiam coartamus. Et apoſtolus ad Epheſios ſcribens: idem admonet dicẽs. State ſuccincti lumbos veſtros in veritatte. Inſuper Hebræi agnum paſchalem ante exi-
Ephe.6 tum de Aegypto manducaturi, iuſsi ſunt à domino renes
Exo.21 habere accinctos, ad ſignificandam corporis & mentis ca
Matth.3 ſtimoniam: quæ ad illius typici agni manducationem ex-
4.Reg.1 petebatur, & inſuper ad tradendum nobis documentum:
Prouerb.31 quòd verus ille agnus paſchalis ſumi tãtum debet in azymis ſynceritatis & veritatis. Ioannes item baptiſta & Helias propheta Zonam pelliceam habuiſſe circa lumbos referuntur: vt conſtricta omni voluptate carnali, ſynceri caſtitatis & mundiciæ cultores fuiſſe ſubinſinuentur. De-
Ioan.19 mùm & fortis illa mulier quã Salomon in prouerbiis de-
Matth.11 ſcribit, accinxiſſe fortitudine lumbos ſuos dicitur: quoniã titillantes carnis illecebras vigore pudicitię ac continentiæ reſtrinxit. Secundum aliquorum autem ſententiam, etiam cingulum illud ſacerdotale duas habens extremitates ad ima cum nodatum fuerit porrectas: refert nobis & ſignat flagellum, quo Pilatus iuſsit cedi Chriſtum: vt ſcribit Ioannes in euangelio ſuo.

13 ¶ Poſtea ſacerdos ſtolam collo ſuo circumponit: & in modum crucis circa pectus, partes eius in tranſuerſum collocat, cingulóque innectit. Stola ipſa, iugũ præceptorum domini ſignat: ſuaue & leue, vt ipſe apud Matthęum teſtatur. Tollite (inquit) iugum meum ſuper vos: & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt: &
1.Ioa.5 onus meum leue. Et beatus Ioannes in prima ſua epiſto-
la

la dicit: quod mãdata domini grauia nõ ſunt. Illã autẽ collo circumponit ſacerdos, vt iugũ domini libenter & ſpõte ſe ſuſcepiſſe demonſtret, prõptámque profiteatur obedientiam ad id onus ferendum pariter & exequendum. Eandem quoque in forma crucis circa pectus inflectit: vt cor ſuum mediatione paſsionis Chriſti & memoria crucis munitum & armatum indicet, ſecundum illud beati Petri verbum. Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatiõe armamini, quod maxime ſacerdos elaborare debet, cum ſacris aſtat altaribus, miſſarũ ſolennia celebrans. 1.Pet.4

Nec deſunt qui per ſtolam illam ſacerdotalem, innocentiæ gratiam ſignari dicunt, in baptiſmi quidem ſancti ſuſceptione primum receptam, & quoties per pœnitẽtiæ remedium anima deo reconciliatur, denuo recuperatam. Vnde pater ille miſericors cum filiũ ſuum poſt multos errorum anfractus & viciorum deuia ad ſe reuerſum, oſculo & amplexu paterno ſuſcepiſſet: ſtolam primam afferri illi inter cætera iuſsit, qua innocentiæ puritatem ipſi ex illa reſipiſcentia reſtitutam inſinuauit. Itaque ſacerdos ſtolam induens, deterſa viciorum labe, innocentiæ decorem ſibi adeſſe debere prædicat: quo idoneus efficiatur tã ſublimi myſterio rite perficiẽdo, vt deinde inueniatur dignus æternæ gloriæ ſtola indui cum ſanctis illis: qui viſi ſunt ante thronum dei ſtare amicti ſtolis albis, cuius ſtolæ glorioſæ demũ obtinendæ: hæc ſtola ſacerdotalis, ſymbolum eſt atque nota. Ideóque ipſam collo circũponens ſacerdos plæriſque in locis, his verbis imprecatoriis ad deũ vtitur. Stola gloriæ indue me domine: & ab omni pollutione peccati purifica mentem meam. Demùm per ſtolam materialem (vt nonnulli ſentiunt) ſignantur & illa ligamina atque vincula: quibus dominus noſter columnæ alligatus eſt: cum à Pilato iuberetur flagellari. Apoc.7 Ioan.19

14 ¶ Deinceps quinto loco ſacerdos: ſiniſtræ manui manipulum apponit, qui laborandi diligentiam & ſedulitatẽ rectè operandi ſignat, expultricem deſidiæ ac torporis ignauit plerunque mentibus diuino miniſterio mancipatus ſoliti obrepere, altúmque inducere ſomnum: queadmodum dicit pſalmographus. Dormitauit anima mea præ tedio. Vt igitur profundus ille ſopor ac inertia mentis, excutiatur per vigilantiam in ſtudio bonæ operatio-

nis:appẽditur ſiniſtræ ſacerdotis manipulus, excitans aſ-
Eſaie 34 ſiduè ad opus domini magna ſolicitudine exercendũ. Ad
Heb.12 quod & Eſaias exhortatur omnes:dicens. Cõfortate ma-
nus diſſolutas:& genua debilia roborate. Dicite. Puſilla-
nimes cõfortamini:& nolite timere. Paulus etiam ad He-
bræos ſcribens : idem admonet his verbis. Propter quod
remiſſas manus & ſoluta genua erigite: greſſus rectos fa-
Eccl.9 cite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret : magis
autem ſanetur. Conſonat illis Eccleſiaſtes: ita quemq; ad
ſanctũ laborans excitans. Quodcunque facere poteſt ma
nus tua: inſtãter operare, quia nec opes, nec ratio, nec ſa-
pientia, nec ſcientia:erunt apud inferos, quo tu properas.
Idcirco rectè alligatur manipulus ſiniſtræ parti, quæ vitã
præſentem ſignat:ſicut & dextra futuram. Nam in hac vi
ta duntaxat, laboris & operandi tempus conceditur. Exi-
Pſal. 103 bit enim homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam:vſ
Matth. 20 que ad veſperã, vitæ ſcilicet præſentis. Et cum ſero factũ
eſſet:iuſsit dominus vineæ vocari operarios, & reddi cui-
que mercedem ſuam. Et in Apocalypſi ſcriptum legimus.
Beati mortui: qui in domino moriuntur. A modo iam di-
cit ſpiritus : vt requiſcant à laboribus ſuis. Opera enim il
Apoc.14 lorum:ſequuntur illos. Primo autem præſentis vitæ cur-
ſu qui hic deſudarunt in lobore certaminis:bonorũ ſuorũ
operum aceruum deo læti offerrent, vt inde recipiant di-
gnam mercedem, ſicut ait diuinus pſaltes. Euntes ibant &
Pſal. 125 flebant:mittentes ſemina ſua. Venientes autem veniẽt cũ
exultatione:portãtes manipulos ſuos. Signat inſuper ma-
nipulus ſacerdotalis funem : quo Chriſtus à Iudæis com-
prehenſus, ligatus eſt, vt meminit Ioannes. Comprehen-
derunt (inquit) Ieſum: & ligauerunt eum. Et rurſum alij
Ioan. 18 euangeliſtæ perhibent : quòd vinctum eum perduxerunt
ad Pilatum.

Matth.27 15 ¶ Poſtremum & ſexto ordine ſacerdos caſulã induit:
cæteriſque iam dictis ſupponit indumentis, quæ veſtẽ illã
nuptialem ſignat:eis neceſſariam, qui ad diſcubitum cõui
uij nuptialis æterni regis ſine repulſa aut reiectiõe admit
Matt.22 ti expetunt, ne audiãt id graue improperium cuidam ob-
iectum. Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem
nuptialem? neque duram illam ſententiam:in eiuſdem ca-
put prolatam, ligatis manib⁹ & pedibus, proiicite eum in
tenebras

tenebras exteriores: vbi erit fletus & ſtridor dentiũ. Hanc porrò veſtẽ nuptialẽ interpretantur ſacri authores charitatẽ: quæ operit multitudinẽ peccatorũ, & omnia legis diuinæ mandata ſuo ambitu ſinúque complectitur quemadmodum dicit apoſtolus. Qui diligit proximum, legẽ impleuit, plenitudo ergo legis, eſt dilectio. Hac autem virtute decoratum debere ſacerdotem: cum ſacram hoſtiã deo immolaturus accedit altare: oſtẽdit plane beatus Paulus, cum admonet omnia opera noſtra in charitate exercenda eſſe, cum etiam teſtatur ſine charitate nulla virtutem officia bonarúmque actionum genera ad ſalutem nobis prodeſſe: neque diuinarum rerum ſciẽtiam: neque fidem, nec paſsionum tolerãtiam, nec largitatem in pauperes. Idem etiam haud obſcure demonſtrat dominus in euangelio dicens. Si offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinquæ ibi munus tuum ante altare, & vade prius recõciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Ecce nõ vult dominus offerri munus terrenũ & corporale in altari: cũ animo exulcerato in fratrem & alieno à charitate, quãto magis in oblatione ſupercæleſtis illius muneris, quod deſuper nobis eſt indultum: expoſcit nihil indignationis aut quod fraternam lædat charitatem, in corde offerentis delitescere. Quod & in ænigmate veteriſq; legis inuolucro, deſignauit dominus in Leuitico: cum inquit. Ignis autem altari ſemper ardebit: quem nutriet ſacerdos ſubiiciens ligna magne per ſingulos dies. Et paulò pòſt. Ignis eſt iſte perpetuus qui nunquam deficiet in altari. Illic enim ignis nomine, ſi myſticus exquiratur ſenſus: charitas ſignificatur, quæ in altari cordis noſtri ſemper ardere debet in deum & proximum flagranti æſtu: neque vnquam aut tempore deficere & extingui, ſi modo gratum deo ſacrificium in penitiſsima illa cordis noſtri ara volumus offerre. Rurſum per caſulam nonnulli rectẽ intelligi ſentiunt opera iuſtitiæ: vt vniuerſalis eſt virtus, & virtutes omnes ſuo ambitu complectens, qua vt ornatiſsimo animæ amictu ſacerdos decorari debet ac ſuperneſtiri: cum in conſpectum ſui regis, munus illi oblaturus, procedit, ne aut nudus appareat, aut ſordidis veſtimentis ſqualidus: & Idcirco oculis ſummæ maieſtatis merito diſpliceat.

Iacob. 5 *Rom. 13* *1. Cor. 16* *1. Cor. 13* *Matth. 5* *Levi. 6*

B ij Quod

Pſal. 131 Quod & pſalmographus cōfirmat dicens. Sacesdotes tui induantur iuſtitiam:& ſancti tui exultent. Et id donum, ſacerdotibus qui digni fuerint, ſe præſtiturum dominus pollicetur: inquiens. Sacerdotes eius induam ſalutari:& ſancti eius exultatione exultabunt. Omni ergo virtutis genere adornatum eſſe decet ſacerdotem, ſplēdidóque illius cultu tanquam veſte precioſa effulgere: ſi velit eum ornatum interius habere in penetralibus animæ: qui per caſulam exterius ſignificatur in corpore. Demùm ipſa caſula Ioan.19 purpureū ſignificat veſtimentum: quo Ieſum flagellis cęſum milites Pilati circumdederunt.

De ſacerdotibus ac eorum miniſterio.

SIcut templa & loca ſacra, ſancto altaris ſacrificio peculiariter ſunt deputanda ac deſtinanda: quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt. Sicut etiam veſtimenta & alia ornamēta eccleſiaſtica: peruigili ſtudio ſpeciatim ſunt adhibenda eidem miniſterio, vt ſecundo hic dictum eſt loco, ita & miniſtri certo quodam delectu ac ordine conſti- Num.8 Exo.28 tuendi ſunt: qui id altaris officium rite exequantur, vt nō paſsim ac promiſcue quiuis ſe ingerant: ad tam arduū munus temerè obeundum, ſed ij ſoli, qui à vulgo ſeparati: ad id ſanctificati ſunt ac conſecrati. Nempe in libro Numeri legitur dominus præcepiſſe Moyſi, quòd tolleret Leuitas de medio filiorum Iſrael: & conſecraret eos atque ſepararet ad diuinum cultum, ipſiúſque tabernaculi miniſterium, quod etiam ibidem à Moyſe factū eſſe narratur. Rurſum in exodo ſcribitur dominus dixiſſe Moyſi. Applica ad te Aaron fratrem tuum cū filiis ſuis de medio filiorum Iſrael: vt ſacerdotio fungantur mihi. Cuius ſane diuini præcepti executionem per Moyſem factam: Leuiticus Leui.8 1.Pet.2 ipſe commemorat, Si igitur in veteri teſtamēto Leuitę peculiariter erāt electi ad altaris officium: & de ſtirpe Aarō progeniti ad ſacerdotale miniſterium, nónne decuit & in noua lege clericos particulatim deſumi ex medio populi numero ad dominici tabernaculi ſeruitium: & ſacerdotes etiam ſpeciali quodā delectu ſecerni ad diuini cultus famulatum? vt genus dei electū merito dicantur & habeantur, quinimmo tāto potius & æquius idipſum decuit: quāto nouæ legis ſtatus ſublimior eſt, & præſtabilior ritu veteris

teris inſtituti, quandoquidem vt lex vna ad alteram ſe habet legem: ita miniſtri altaris vnius legis miniſtros alterius. Idcirco pontificali conſecratione benedicuntur ſacerdotes, inſtitũntúrque miniſtri altaris & ſacrificij in eo offerendi: certis quibuſdam gradibus ordinum ac promotionum ad ſortem eccleſiaſticam, quarum faſtigiũ & culmen: eſt ipſe ſacerdotalis ordo. quo perfecte conſummatéque ad regis ſupercœleſtis famulitium aſciſcuntur atque deſignantur. Quocirca decet eos & ſacra eruditione cæteros antecellere, vitæque integritate & ſanctimonia: ſicut & dignitate eccleſiaſtica reliquos anteeunt, quemadmodum in opuſculo de vita & moribus ſacerdotum, ſuperioribus annis à nobis ædito: latius oſtendimus. Vbi de ipſorum dignitate, auguſtáque authoritate: quibus item efful- *Leui.* 21
gere debent ornamentis animi, ſcientia inquam & virtute: & quibus eſſe præditi moribus, diffuſe diſſeruimus.

17 ℭ Id vnum tamen hic obiter eſt adiiciendum, ꝙ cum veteris teſtamẽti ſacerdotes iubentur eſſe ſancti deo ſuo: longe valentiore ratione & legis euangelicæ miniſtros ſacerdotalis ordinis, ſanctos eſſe decet ſuo & omnium domino. Dicitur autẽ ſanctum ſecundũ vnã acceptionem in ſacris literis protritam: quod domino conſecratum eſt, & ab iis quæ prophana ſunt ſegregatum, vt veſtes ſanctæ, loca ſancta, calices ſancti. Secundum quam rationem, nouæ legis ſacerdotes ſanctos eſſe planum eſt. quoniã dicati ſunt diuino miniſterio: & à laicorum cœtu ac plebe, profeſsione diſſeparati. Quod cum ita ſe habeat: par eſt eos etiã à frequenti & quotidiano laicorum contubernio penitus eſſe debere alienos, ne ex aſsidua cum illis conuerſatione in compotationibus, ſympoſiiis & ludis: imbuantur ſacerdotes laicorum moribus omnino ſecularibus, & ſpiritualia odio habeant exercitia. Vnde & eccleſiaſticus ordo contemptui habeatur à cæteris: vertatúrque in ſibilum, irriſionem, & ludibrium. Scriptum vtique eſt in pſalmo de filiis Iſrael. Commixti ſunt inter gentes & didicerunt opera eorum. At non pro ſolis illis ſcriptum eſt: ſed & pro nobis, vt exemplo illorũ cognoſcamus, quòd ſicut ipſe Chananæis contra domini mandatũ commixti, conſortio eorũ pertracti ſũt ad ſpurcitias cultus idolorũ, ita viri eccle- *Pſal.* 105
ſiaſtici ſi crebrã habuerint cũ laicis in conuictu familiari-

tatem:facile ex huiuſmodi conſuetudine contrahét ſordidos ac improbos illorum mores, ab honeſtate dedicatorum tẽpli miniſterio virorũ longe abhorrentes, animúmque induent ſecularem moribus illis reſpondentẽ. Vt igitur hoc modo, integrè & verè ſãcti ſint deo ſacerdotes noui teſtamenti, ſicut & eſſe debent: laicorũ ſocietatem frequentémque conuerſationẽ, iura ipſa ſanctionéſq; patrũ viris eccleſiaſticis diſtricte prohibent, nã quos ſtudiorum diſparitas ſeparat: morum quoque ſimilitudo debet ſeiungere Quippe. 16. Quæſ 7. ca. in nouo. dicit Hiſpalenſe cõcilium. Cohærere & coniungi nõ poſſunt: quibus vota & ſtudia ſunt diuerſa. Et in vno eodémque officio (mutuæ ſcilicet cõgreſsionis ac cõſuetudinis) nõ debet diſpar eſſe profeſsio. Quod etiã diuina lege prohibetur. dicẽte Moyſe. Nõ arabis in boue ſimul & aſino, id eſt homines diuerſæ profeſsionis: in vno officio (familiaritatis inquã quotidianæ & ſodalitij) non ſociabis. Rurſum dicit eccleſiaſticus. Omne animal diligit ſimile ſibi: ſic & omnis homo p̃ximum ſibi. Omnis caro ad ſibi coniungetur: & omnis homo ſimili ſui ſociabitur. Sicut cõmunicabit lupus agno aliquando: ſic peccator iuſto. Quæ cõmunicatio ſancto homini ad canẽ, aut quę pars bona diuiti ad pauperẽ? Cũ igitur diuerſi generis animalia nullã dinoſcuntur adinuicem habere ſocietatem: vt cygnus ad coruum, agnus ad aſinũ, equus ad bouem: mirũ ſanè eſt ſacerdotes ipſos ita à natura edoctos, eorum conſortio iungi qui omnino alienæ ſunt profeſsionis atque vocationis à ſorte ac dignitate, & eam ob rem nequaquã ſanctos eſſe deo ſuo: vt deberent.

16. q. 7. in noua.

Deut. 22

Eccl. 13

17 ❡ Præterea ſecundum alteram ſignificationẽ etiã ſanctæ ſcripturæ domeſticam & conſuetam: ſanctum illud dicitur, quod incoquinatum eſt & ab omni impuritatis labe alienum. Secundum quã nuncupationem: ſæpius inculcat auribus populi Iſraelitici domin⁹. Sancti eſtote: quoniam ego ſanctus ſum. Et hoc etiã modo ſanctos eſſe ſummopere decet ipſos ſacerdotes domini nouæ legis miniſtros: quandoquidem neceſſe eſt ipſos eſſe incontaminatos ab omni carnali ſpurcitia, & mundos. Quemadmodũ in Leuitico de ſacerdotibus illius veteris ritus loquens dominus ait: Sancti erunt deo ſuo: & non polluent nomẽ eius. Incenſum enim domini & panes dei ſui offerunt: & ideo

Leui. 19

Leui. 21

ideo ſancti erunt. Rurſum eodem loco legitur dominus ad Aaron dixiſſe. Homo de ſemine tuo per familias qui habuerit maculam : non offeret panes deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius. Si corporis itaque macula quæ citra culpam plærumque obuenit, prohibuit Leuitas altaris officio: quanto magis animi labes & carnalis immundicia, in hac nouæ legis ſyncæritate ac puritate vetare debet hominem timoratum: ne ſe ingerat ad offerendum panem viuum qui de cælo deſcendit. Iterum ſequenti eiuſdem libri capite : perhibetur dominus filiis Leui dixiſſe. Omnis homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quę conſecrata ſunt & quæ obtulerunt filij Iſrael domino, in quo eſt immundicia: peribit coram domino. Ecce corporis immundicia prohibet acceſſum ad ea quæ oblata ſunt ab hominibus, ipſi deo. Nónne igitur potiore iure, inquinatio carnis debet vnumquemque prohibere ad immolatione ſupercæleſtis hoſtiæ. Ad hanc autem ſanctitatẽ & mundiciam à ſacerdotibus integrè comparandam, nihil æque conducit: atque mulierum cohabitationem & conſortia prorſus deuitare, quoniam ſi palea igni propinquauerit: facile concipit incendium, quod procul ab igne poſita euadit incolumis. Teſtatur hoc plane Gregorius octogeſima prima diſtinctione, cap. oportet, ita ſcribens. Neque hoc ſilere debeo: quod cum graui animi triſtitia & amaritudine dico, ſacerdotes cum fœminis habitare conſpicio: quod nefarium eſt dicere vel audire, & contra ſanctorum canonum ſancita. Vbi enim talis fuerit commoratium habitatio antiqui hoſtis ſtimuli non deſunt, ideóque admonendi ſunt: vt non antiqui hoſtis decipiũtur fraude, quatenus iuxta apoſtoli vocem non vituperetur miniſterium noſtrum. Cauere enim oportet nos fratres ab illicitis : vt mundas valeamus manus ad dominum leuare. Scriptum eſt enim. Sãcti eſtote: quoniã ego ſanctus ſum. Si quis verò præſumpſerit aliter agere: ſacerdotij ſui honore priuetur. Vnde omni modo cauendũ eſt fratres, ne fallamus populũ: & illud prophetę dictũ impleatur in nobis. Sacerdotes mei contaminãt ſancta: & reprobãt legẽ: quos & alius propheta increpauit dicens. O vos ſacerdotes, qui fallitis nomen meum. Et dixiſtis. In qua refallimus nomen tuum? Quibus reſponſum eſt. Offerentes ad altare

Leui.22

81. diſtinc. oportet.

2. Cor. 6
Leui. 19
Sopho. 3
Mala. 1

meum panem pollutum. Non eſt mihi voluntas in vobis & ſacrificium non accipiam de manibus veſtris, quia polluti eſtis. Hæc Gregorius. Cõſimilia his perhibet & Innocentius octogeſima ſecunda diſtinctione. ca propoſuiſti, ita ſcribens. Incontinens in officiis poſitu talibus, diaconij ſcilicet & presbyterij omni honore eccleſiaſtico priuentur, nec admittantur ad tale miniſterium: quod ſola continentia oportet compleri. Et paulò pòſt eodem loco. Paulus ad Corinthios ſcribit dicẽs. Abſtinete vos ad tempus: vt expeditius vacetis orationi. Et hoc vtique laicis præcepit. Multo magis igitur ſacerdotes, quibus & ſacrificandi & orandi iuge officium eſt: ſemper debebũt ab huiuſmodi conſortio abſtinere: quia ſi contaminatus fuerit carnali concupiſcentia: quo merito ſe poſſe exaudiri credit? cũ dictum ſit. Omnia munda mundis, coinquinatis autẽ & infidelibus nihil eſt mundum: ſed coinquinata eſt eorũ mens & conſciẽtia. 19 ¶ Ad idem quoque cõprobandũ quod modo propoſitum eſt, vtpote fugiendam eſſe ſummopere cohabitationem fœminarum ſacerdotibus: qui ſeipſos deos ſanctos, ſecundum hanc poſteriorem ſancti rationẽ, exhibere (vt debent) volunt maiorem in modum confert libellus ſancti Cypriani Carthaginenſis epiſcopi & martyris: de ſingularitate clericorum inſcriptus, apprimè præclarus & vtilis, in quo conteſtatur circa exordium, ſibi à domino fuiſſe reuelatum & cum ſeueritate iniunctum, vt clericos ſtudioſè commonefaceret: ne cum fœminis commune haberent contubernium aut domicilium. Sed ne velut ſomniatorem eum quiſquã irrideat: ſicut ſanctum Ioſeph fratres eius irriſerunt dicentes. Ecce ſomniator venit, quod per reuelationem à domino acceperat: per ſacra ſcripturarum teſtimonia, ante à dominum idem iuſſiſſe oſtendit. Et latiſſimo ſacrarum literarum campo, liberis habenis deſpaciatus, multifariã commonſtrat: quàm noxius ſit ſacerdotum cum mulieribus conuictus, quanta inde emergunt pericula animæ, & ſalutis imminent diſcrimina, quanta denique ſcandala inde naſcantur: & aliis ingerantur offendicula. Rationes etiã illorũ qui contendunt non eſſe illicitam nec animę exitialem clericorum cum fœminis cohabitationem: admodum luculenter & acriter confutat, illorum frontem Dauidicæ fundæ iactu fortiter

82. diſtinct. propoſuiſ.

Titum. 1

Gene. 37

eliděs: & ex lympidiſsimo ſcripturæ ſanctæ torrente colle-
ctum lapidem, validis lacertis in eos contorquens. Ve- 1. Reg. 17
rùm vt libato exiguo vino: quale ſit totum vas, modico
hauſtu percipiant pitiſſantes: nonnulla eorum quæ in eo
opuſculo dicit, in præſentia offeram⁹. Aduerſa eſt (inquit)
confidentia: quæ periculis vitam ſuam pro certo commē-
dat. Et lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſaluari
ſe ſperat. Incerta victoria eſt: inter hoſtilia arma pugnare.
Et impoſsibilis liberatio eſt: flammis circundari nec arde- Cyprianus
rere. Quod Salomō abnegat dicēs. Quis alligabit in ſinu
ſuo ignem: veſtimenta autem ſua non comburet? Sic qui
introierit ad vxorem proximi ſui: non erit immunis, ne- Prouer. 6
que omnis qui tangit eam. Ipſi ergo nos fallimus, quotiēs
inordinaliter credimus, æſtimantes per fidem noſtram le-
gis præcepta mutari: vt inter maſculos & fœminas ſpere-
mus paſsim caſtitatem immobilem cuſtodiri. Dificile quis 1. Corin. 17
venenum bibet, & viuet. Verendum eſt dormienti in ripa:
ne cadat. cum dicit apoſtolus. qui ſe putat ſtare, videat ne
cadat. In hac parte expedit bene timere, quàm male fide-
re. Et vtilius eſt, infirmum ſe homo cognoſcat vt fortis e-
xiſtat, quàm fortis videri velit & infirmus emergat. De Gala. 6
qua re præſumptores obiurgat apoſtolus dicens. Siquis
putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit: ſeipſum implanat. Pro
certo implanator proprius animam ſuam decipit: qui non
cauendo contraria, noxiis rebus ſemetipſe commiſerit. Il-
le autem tutius ſibi conſulit: qui circa malos ſemper infi-
dus, ſpecies quaſcunque noxias extimeſcit. Quorum di- Prou. 14
ſtatiam. Salomon diſſeruit dicens. Sapiens timendo de-
clinabit ab omni malo: inſipiens autem confidens ſui miſ
cetur iniquo Magnum ſapientiæ diuinæ conſilium inuen-
tum eſt: vbi timoris auxilio liberemur, Magna compen-
dia prouidentiæ: vt aliquando fiat virtus & victoria per
timorem. Magna remedia dominus contulit ad ſalutem:
vt habeat & timidus laudem. ſicut Salomon repetit di- Eccle. 25.
cens. Beatus vir qui veretur omnia per metum. Eſtote
ergo timidi: vt ſitis intrepidi. Et licet timor in certamine
infirmitas eſſe videatur: tamen ſecundum verbum apo- 2. Corin. 2
ſtoli, virtus in infirmitate perficitur. Separamini depre-
cor, ſeparamini à cōtagiōe peſtifera. Quātumcūq; fuerit
vnuſquiſque longi⁹ ab aduerſis: tantū nō ſentit aduerſa.

Minus voluptatibus ſtimulatur: qui non eſt vbi frequentia eſt voluptatum. Et minus auaritiæ moleſtias patitur: qui diuitias non videt. Deinde paucis interiectis ſubnectit. Tempus luctaminis adhuc geritur: & mors per fœminã adhuc vſque graſſatur. Mentior: ſi non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales epiſcopi & clerici ſimul & & laici, poſt confeſſionum victoriarumque calcata certamina poſt magnalia & ſigna vel mirabilia vſquequaque monſtrata: noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe: cum voluerunt in naui fragili nauigare? Quantos leones domuit vna infirmitas delicata: quæ cum ſit vilis & miſera,
Prouer. 6 de magnis efficit prædam. Quod Salomon loquitur: dicẽs. Precium meretricis, quantum eſt vnius panis: mulier autẽ precioſas animas capit. Ante nos iſta tractantur: & nullis terroribus coercemur. Quid faceremus: ſi opinionibus tantummodo geſtas hiſtorias audiremus? Sed hæc eſt ſemper incredulitas humanæ duritiæ: vt non ſolum audiendo ſed etiam videndo non credat alteros interiſſe, niſi & ſeipſam viderit interire. Nec ſociorum motibus quatitur: dum illos promeritos aut inualidos opinatur. Se autem multum mereri, aut multum valere, fiducialiter putat: neſciens præberi cunctis exempla, cum fuerint quibuſdam irrogata ſupplicia. Demùm aliquantò poſt ſubiungit. Semel dixerim, omnis inconueniens ſodalitas mulierum: glutem eſt deli-
Eccl. 9. ctorum, & viſcum toxicatum quo diabolus aucupatur. Incongrua eſt ſodalitas fœminarum. Quarum ſodalitatem: ita nos rurſum Salomon docet in omnibus prçcauere. Cũ aliena (inquit) muliere ne ſedeas omnino & ne alterceris cum illa in vino ne fortè declinet cor tuum in illam: & ſanguine tuo labaris in perditionem. Hæc ille. Verùm ſatius eſt fontem ipſum vberrimum adire: & pleno illius hauſtu proluere labia, quàm ex interciſis riuulis inde deductis mo dicam aquam lambere: pauciſque guttis ora tingere. Libellum ergo illum totum tam prçclari authoris, à vertice ad calcem vſque legant ſacerdotes ſanctitatis amatores: maximum certè & plurimùm fructum ex ea lectione percepturi. 20 ¶ Cæterùm his per quandam digreſſionem ad cõmonefaciendos ſui officij ſacerdotes adductis: inceptũ repetamus iter & noſtrum inſtitutum proſequamur, de miniſterio ipſorum quod in miſſæ celebratione exercẽt, aliqua genera-

generatim proponentes. Sanè quoniam in illo totum noſtræ ſalutis myſterium comprehenditur: ideò cum maiori ſolennitate quàm cætera ſacramenta, ipſum altaris ſacrificium merito peragitur. Quod immolaturus ſacerdos, ſacris indutus veſtibus primum peccata ſua publicè confitetur: quoniam iuſtus in principio accuſator eſt ſui, & huiuſmodi humiliatione ante conſpectum dei: ſe diſponit ad gratiam conſequendam. Deinde inchoat ipſius miſſæ officium à laude diuina: quæ fit in introitu, ſumpto plerumque ex pſalterio, vt plurimum enim alicuius pſalmi verſus cantatur ad introitum: & deinde eiuſdem pſalmi principiũ ſubnectitur, cum laude ſuperdiuinæ trinitatis, quoniam vt author eſt beatus Dionyſius in libro de eccleſiaſtica hierarchia: in pſalmis comprehenditur per modum laudis, quicquid in ſacra ſcriptura continetur. Subiungit illi continuò commemorationem præſentis miſeriæ: cum dei miſericordiam expoſcit, dicendo ter kyrie eleiſon ad patrem, ter Chriſte eleiſon ad filium, & demùm ter kyrie eleiſon ad ſpiritum ſanctum: contra triplicem miſeriam huius mundi ſcilicet ignorantiæ, culpæ, & pœnæ. Cui protinus ſacerdos ſubnectit cæleſtis gloriæ mentionem: ad quam tendũt homines per præſentem miſeriam, concinens ſuauem illum hymnum angelicum: gloria in excelſis deo, qui in illis canitur feſtis: in quibus cæleſtis gloriæ fit commemoratio, prætermittitur autem in officiis lugubribus & luctuoſis: quæ ad miſeriæ noſtræ ſpectant declarationem. Poſtea orationem facit ſacerdos pro ſeipſo & populo: vt digni habeantur tantis myſteriis percipiendis & audiendis. Et hæc omnia hactenus dicta, præparatoria ſunt ipſius ſacerdotis ad digne agenda ea quæ conſequuntur: ſecundum illud Eccleſiaſtici dictum. Ante orationem præpara animã tuam. Poſt modum in ipſius miſſæ ſacrificio traditur fidelis populi inſtructio: in iis quæ ad fidem pertinent: & illa fit introductorie ac præparatione quadam per doctrinam prophetarum ac apoſtolorum: quæ in eccleſia legitur loco epiſtolæ per lectores & ſubdiaconis. Poſtquam lectionem cantatur graduale: quòd ſpiritualem ſignificat exultationem, vel tractus in officiis luctuoſis, ſignificans ſpiritualem gemitũ, quòd hæc duo ex prædicta doctrina epiſtolari debeant ſequi in populo. Perfectè autem inſtruitur fidelis populus per doctrinã Chriſti in euãgelio cõtẽtã: quæ

Dionyſ.

Eccl. 18.

à ſupremis legitur miniſtris, ſcilicet diaconis. Deinde vt rectæ fidei documentis inſtituantur omnes: cantatur ſymbolum fidei, quo & ipſe populus: cum doctrina euangelica ſoliditatem ſuæ fidei profitetur. Cantatur autem illud ſymbolum in feſtis Chriſti præſertim, & beatæ virginis ac apoſtolorum qui hãc fidem præcipuè plantarunt & fundauerũt. Inſtructo autem his modis populo: fit deinceps oblatio ſacrificij, in qua primum exprimitur laus populi in cantu offertorij, per quod ſignatur offerẽtium lætitia ac hylaritas. ſecundo fit oratio ſacerdotis: à deo expoſcentis vt illa populi oblatio ſit deo accepta Circa conſecrationem verò ſacrificij deinde faciendam: primo excitatur ipſe populus ad deuotionem in præfatione, moneturque corda ſurſum habere ad dominum. Qua finita: laudat fidelis populus diuinitatem Chriſti cum angelicis virtutibus dicens. Sanctus, ſanctus, ſanctus, & eiuſdem humanitatem cum pueris Hebræorum: ſubdens. Benedictus qui venit in nomine domini. Poſtea ſacerdos ſecreto cõmemorat primo quidẽ illos, pro quibus id offertur ſacrificium: vtpote pro eccleſia catholica & iis qui in ſublimitate ſunt cõſtituti, & peculiariter quoſdam nominat qui offerunt id munus vel pro quibus offertur. Secundo commemorat ſanctos, quorum patrocinia pro prædictis implorat & expoſcit: cum dicit. Cõmunicantes & memoriam venerantes. Demùm petitionem ſuam abſoluit: cum dicit. Sit hæc oblatio iis pro quibus offertur ſalutaris. Poſtea ſacerdos ipſam accedit cõſecrationem. In qua primum expetit conſecrationis effectum: cùm ita precatur. Quam oblationem tu deus. Secundo conſecrationem peragit per verba Chriſti: ſuper panem & calicem prolata, in ea parte. Qui pridie quã pateretur. Tertio præſumptionem ac temeritatem in eo opere excuſat: per obedientiam ad mandatum Chriſti, cũ ſubiungit. Vnde & memores domine. Quarto petit id ſacrificiũ iam peractũ eſſe deo acceptum: cum ſubdit. Supra quæ propitio. Poſtremo poſtulat huius ſacrificij & ſacramenti effectum aliis concedi. Primo quidem quantum ad ipſos ſumentes: cũ orãs ait. Supplices te rogam⁹. Secundo quãtũ ad vita perfunctos: qui iam amplius id myſterium ſumere nõ poſſunt, cũ ſub-

Lucæ II. iungit Memento etiam domine. Tertio particulatim quantum ad ipſos ſacerdotes offerentes: cũ ſubiicit. Nobis quoque

que peccatoribus. Deinceps de ſacramenti perceptione fit pertractatio: ad quam priuſquam fiat, præparatur popul⁹, primo per orationem communem totius populi, ſcilicet dominicam: in qua petimus omnes panem noſtrũ quotidianũ nobis dari, & etiam per orationem priuatã, quam peculiariter ſacerdos offert pro populo: ſubnectẽs dictæ orationi. Libera nos quæſumus domine. Secundo ad eã perceptionẽ præparatur populus per pacẽ: quæ exhibetur illi poſt trinam prolationẽ huius orationis. Agnus dei qui tollis peccata mundi. In miſſis autem quæ celebrãtur pro defunctis: pax non offertur ſed prætermittitur, quoniam in illis nõ ꝑ pace præſenti, ſed pro requie mortuorum ſacrificium offertur. Poſtea fit ipſa ſacramenti perceptio: primo percipiente ſacerdote, & poſtmodum aliis dante, quoniam vt beatus ait Dionyſius in lib. de Eccleſiaſtica hierarchia qui aliis diuina tradit myſteria, primo debet illorum eſſe particeps. Dionyſ.

21 ¶ Verum ritus ille quo ſacerdos ſacra faciens, aſtantibus laicis tradat euchariſtiæ ſacramẽtum, quotiens ea celebrat myſteria: antiquus eſt, & primitiuæ eccleſiæ cõſuetudini conformis, qua fideles quotidie communionem euchariſtiæ ſumebant, ſecundũ illam Calixti papę ſanctionẽ, de conſecratione diſtinctione ſecunda expreſſam. Peracta conſecratione, omnes cõmunicent: qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim etiã apoſtoli ſtatuerũt: & ſancta Romana tenet eccleſia. Et in huius moris repræſentationem, adhuc quotidie pax in miſſa populo aſtanti datur: quæ quodammodo vicaria eſt illius quotidianæ cõmunicationis: deinde ſancitum traditur ab eccleſia: quòd ſingulis diebus dominicis fideles acciperent euchariſtiam, quod & Auguſtinus approbat: vt in libro pręcedente circa panis benedictionem dictum iam eſt. Succeſſit illi tertia eccleſię conſtitutio, quòd ſaltem ter in anno laici ſuſciperent euchariſtiæ ſacramentum: vtpote in paſcha, pentecoſte, & natali domini. Quam ſic explicat Fabianus papa. Et ſi non frequẽtius, ſaltem in anno ter homines communicent: niſi fortè quis maioribus quibuſlibet criminibus impediatur, in paſcha videlicet, & pentecoſte & natali domini. Demùm poſtremo loco quarta conſtituta eſt ordinatio, quòd ſaltẽ ſemel in anno laici ſanctam cõmunionem euchariſtiæ ſumant: vtputa in feſto paſchæ, quemadmodũ Innocenti⁹ 3. lib.

De conſecr. diſtinct. 2. peracta.

De conſec. diſt. 2. etſi non.

lib. 5.decretaliũ,titulo de pœnitentiis & remiſſionib⁹ cap. Omnis vtriuſque ſexus,apertè cõteſtatur. Sed de his etiã ſupra habitus eſt ſermo. Vt aũt ad ꝓpoſitũ noſter reuocetur ſermo,poſtremũ tota miſſæ celebratio ĩ gratiarũ actionẽ deſinit:populo exultãte ꝓ ſumptione myſterij, ꝙ deſignat cantus poſt cõmunionẽ,& ſacerdote per orationẽ gratias offerẽte.ſicut & Chriſtus exhibita diſcipulis cõmunione hymnũ dixiſſe à Math.deſcribitur. Ecce totã celebrationis miſſę ſacerdotaliſque miniſterij rationẽ:cõpẽdio quodã & breuib⁹ cõſtrictã,q̃ qui diffuſi⁹noſcere cupit,ꝑuoluat totũ 4.lib.rationalis diuinorũ officiorũ,vbi horũ oĩm diffuſiorẽ inueniet determinationẽ. Sed nũc ad aliqua quę in miſſę dicũtur officia:particulatim explicãda,eſt accedẽdũ.

Matth. 26.

De nouena ſupplicatione.

1 *Kyrie eleiſon.*	4 *Chriſte eleiſon.*	7 *Kyrie eleiſon.*
2 *Kyrie eleiſon.*	5 *Chriſte eleiſon.*	8 *Kyrie eleiſon.*
3 *Kyrie eleiſon.*	6 *Chriſte eleiſon.*	9 *Kyrie eleiſon;*

21 ¶ Poſt miſſę introitum nouena ponitur ſupplicatio:ad imitationem nouem ordinum angelicorum, & myſticã ſuperſanctæ trinitatis tertio repetitę repræſentationẽ. In qua primum ter profertur. Kyrie eleiſon, ſecũdo loco:ter Chriſte eleiſon,rurſum tertio loco:ter kyrie eleiſon. Et hęc diuinæ miſericordiæ,poſtulatoria oratio à Græcis primum ſumpta.etiam apud Latinos Græco ſermone profertur: vt omnis lingua confiteatur deo,& eius depromat laudem. Significat autem Kyrie eleiſon:domine miſerere, & Chriſte eleiſon:Chriſte miſerere,vt kyrie , vocatiuus ſingularis ſit nominatiui kyrios,ſicut domine vocatiuus eſt ſingularis huius nominatiui dominus Eleiſon:verbum eſt Græcum imperatiui modi,ſecundæ perſonæ temporis, ſingularis numeri: haud aliter quàm miſerere apud Latinos. Ex quo protinus euadit perſpicuum: kyrie eleiſon , geminas eſſe dictiones ſemperque diuiſim atque ſeparatim ſcribendas & proferendas,ſimiliter & Chriſte eleiſon : duas eſſe voces ſubiunctim ponendas. Neque ferenda aut imitanda eſt illorum inſcita atque imperitia:qui coniunctim proferenda putant hæc vocabula,itidem & ſcribenda,hoc pacto Kyrie eleiſon,Chriſte eleiſon,nam ea coniungunt per ineptã cõpoſitionẽ ne dicam confuſionẽ, quę nequaquã poſ-

ſunt in vnam dictionē coaleſcere. Quis enim obſecro vnquam nomen vocatiui caſus aptè annexuerit verbo imperandi in vna eademque dictione: & ex hiſce duabus vocibus vnam conflauerit vocē? Certè nō minus refugium mutuam adinuicē cōpoſitionē hæ duæ dictiones kyrie eleiſon apud Græcos, quàm hæ duę dictiones domine miſerere, apud Latinos. Et Chriſte eleiſon apud Græcos: quàm Chriſte miſerere, apud Latinos. Atqui nullus adeò ineptire credendus eſt: vt dicat haſce duas dictiones, domine miſerere: vnam fieri dictionem per compoſitionem: aut Chriſte miſerere, adinuicē vnam conſtituere vocem cōpoſitam. Neque igitur æquiualentes illis voces Græcæ, Kyrie eleiſon: neque Chriſte eleiſon adinuicem admittunt cōpoſitionē.

Quòd ſi quis obiectauerit hanc rationem eſſe inualidā: quoniam vnius linguæ vt Græcæ, dictiones interdum annectuntur ad inuicem ad integrandam tertiam: ex eis coalitam, & tamen Latinæ dictiones illis reſpōdentes in ſignificatione: non recipiunt in Latino ſermone compoſitionem ſicut ediuerſo aliquæ dictiones apud Latinos ad inuicem cōponuntur: & tamen conſimilis ſignificati Græcæ dictiones, recuſant in lingua Græca compoſitionis nexum ac copulam, & ita in propoſito id vſu venire: cauillator contendet. Non inficias imus, vtrique dictarum linguarū ſuā eſſe in compoſitione proprietatem, naturā ac conditionem, & quæ dictiones in vna earū rectè cōponuntur, interdum in altera non niſi ineptè connecti poſſe. Verùm nullam eſſe illarum dictionum etiam apud Græcos compoſitionem, & illud conuincit: quòd Latini inter illas ponunt interdum integras ſententias, complectentes myſteria redemptionis humanæ à Chriſto factæ: hoc modo.

1 Kyrie, fons bonitatis pater ingenite: à quo bona cūcta procedunt, eleiſon.

2 kyrie, qui pati natum mundi pro crimine (ipſum vt ſaluaret) miſiſti, eleiſon.

3 kyrie, qui ſeptiformis das dona pneumatis: à quo cælū terra replentur, eleiſon.

4 Chriſte, vnice dei patris genite: quem de virgine naſciturum mirificè ſancti prædixerunt prophetæ, eleiſon.

5 Chriſte, hagi: cæli compos regiæ: melos gloriæ cui aſtās ſemper pro crimine, angelorum decantat apex, eleiſon.

Chri-

6 Chriſte, cœlitus adſis noſtris precibus, pronis mentibus quem in terris deuotè colimus: ad te pie Ieſu clamantes, eleiſon.

7 Kyrie, qui baptizato in Iordanis vnda Chriſto effulgẽs ſpecie columbina apparuiſti, eleiſon.

8 Kyrie ſpiritus alme: cohęrens patri natoque: vnius vſię conſiſtendo flans ab vtroque, eleiſon.

9 Kyrie, ignis diuine, pectora noſtra ſuccende: vt digni pariter proclamare poſſimus ſemper, eleiſon. Ecce pia fidelium deuotio, duabus illis dictionibus Græcis vocatiuo ſcilicet & verbo interiecit plenas & perfectas orationes ac ſententias: diuinæ maieſtatis inuocatorias & tribus illis ſuperbeatis perſonis certo quodam ordine accommodatas. Nam tres primæ: deo patri applicantur, illique particulatim pia vota ferunt. Tres vero mediæ: filio dei, & domino noſtro Ieſu Chriſto. Tres autem poſtremæ: ſpũi ſancto, & ad illum ſolum verba dirigunt. Atqui huiuſmodi interiectione & intermedia dictarum clauſularum collocatione: vocatiuus kyrie itidem & Chriſte, integra eſt dictio, in e literam terminalem deſinens, & verbum eleiſon, etiam ponitur in calce cuiuſque datarum nouem ſententiarum, vt dictio perfecta ac completa habens vocalem e, ſuarum literarum primam & in fronte poſitam. Igitur ſublatis illis ſententiis interſtitibus quæ à Latinis ſunt adiectitiæ: illæ dictiones Græcæ kyrie eleiſon Xp̃e eleiſon etiam ſunt duæ & diſtinctæ dictiones. Nempe illa ſententiarum Latinarũ interpoſitio: vnam dictionem in duas non potuit aptè dirimere, neque illarum ſublatio atque ſubtractio: duas dictiones in vnã per compoſitionem poterit cõglutinare. Quinimmò ſiue interſtes illis Græcis vocabulis quippiam ponatur, ſiue nihil interhiet alienum: ipſa ſuapte natura ab inuicem diſcludi debent & ſeiunctim proferri. Porrò quemadmodum in hac oratione Latina, & cum ſpiritu tuo, reſponſoria ad hanc ſacerdotis ſacra facientis ſanctam imprecationẽ, dominus vobiſcum, duæ illæ dictiones ſpũ & tuo, omnino diuerſæ ſunt abinuicem: quamuis eadẽ literis & ſono ſyllaba, tu (quæ bis eſt proferẽda) ſit finis vnius dictionis & principium alterius, neque illæ duæ dictiones coaleſcunt in vnam & eandẽ dictionẽ: quemadmodũ proferũt imperiti linguæ Latinæ, dicẽtes, & cũ ſpirituo, quoniã propter

pter inſcitiā & ignorantiam intelligentię non pronunciāt ſyllabam tu ſemel & iterum: vt deberent, & idcirco ineptè confundunt duas illas dictiones in vnā. Haud ſecus in hac oratione Kyrie eleiſon, duæ ſunt omnino inter ſe diuerſæ dictiones: diſtinctæ proferendæ neque in vnam vnquam confundendæ, quamuis cōſimilis litera e ſit finis vnius datarum dictionum, & principiū alterius, diuerſa tamen ſecundum numerum. Propter quam eiuſdem ſecundum ſpeciem literæ e identitatem, inducta eſt præſertim illa confuſio duarum illarum dictionū Græcarum in vnā. quòd putaretur illa litera ſemel tantū proferri debere, cum ſit bis pronuncianda: ſemel ſcilicet in fine prioris dictionis, & ſemel in principio alterius: cū intermedia pauſatione prolationis. Vnde nō minus abſurdum putari debet ac ineptū duas illas dictiones Græcas coniunctim pronunciare per vnicum e, hoc pacto kyrieeleiſon, Chriſteleiſon: quàm ad hanc ſacerdotis vocem dominus vūbiſcū: reſpondere confuſis in vnā duabus dictionibus, & cum ſpirituo. qua quidem reſpōſione nihil ineptius aut magis ridiculum. Idem enim prorſus & cōſimilis eſt vtriuſque prolationis error & ex eodem emanans fonte craſſa ſcilicet ignorantia ſermonis tum Græci tū Latini. Secundā autē prolationem illam: Latini refutant omnes. AEqua igitur ratione pariq; iudicio: & primam repudiare debent, quod intendimus: Quocirca ſeiunctim proferendæ ſunt illæ dictiones: vt diuerſæ, & magno adinuicem diſcrimine ſeiunctæ, quarum prior, nomē eſt: poſterior verò verbum, & ex illis integra formatur oratio deprecatiua: & diuinæ miſericordiæ imploratoria. Quod ſi ex ipſis (vt putant vulgares) vna cōtexitur dictio impoſita: velim eos ſciſcitari quidnā ſignificet ea dictio, & quomodo perfectā poſsit conſtituere ſententiā cōpleat: ſed verbi adiecti indigeat adminiculo. At verò kyrie eleiſon: perfecta eſt oratio, & pleni perfectiq; ſenſus ſignificatiua: tantundem ſignans atque domine miſere. Sic & Chriſte eleiſon: abſoluta eſt & cōpleta oratio, idem ſignans quod Chriſte miſerere. ¶ Demùm obiiciat quiſpiam antiquæ cōſuetudini eſſe innitendum, illámque pro authoritate habendam, quæ dictiones illas coniunctim ſemper protulit, & ſcribēdas exibuit. Admitto equidem rectam conſuetudinem & rationi doctrinali conſen-

taneam:in iis ,quæ ad cognitionẽ literariam ſpectant eſſe ſequendam,non autem eam:quæ nulla ratione ſuffulta ex errore primum inducta eſt,& recti ſermonis imperita. Immò verò neque conſuetudo illa appellanda eſt ,'ſed error vetuſtus & craſſa ignorantia:quæ prorſus elimanda eſt & explodenda. Nemo igitur adeò deſipiſcat,vt potius illi cõſuetudini antiquariæ ſtare velit: quàm ipſam veritatẽ amplecti,quæ vbi primùm agnoſcitur:relicta vetuſtate erronea,ſemper obuiis(vt aiunt)manibus eſt capeſſenda. Neque mihi ea in re velim credatur,ſed linguæ Græcæ peritis:qui ex ipſa Græci ſermonis proprietate & natura ita proferendum & ſcribendum(vt ſuadere nitimur)] docent. Et ſanè Græca à Græcis ſunt requirenda:neque poteritLatinus rectè de Græcis dictionibus diſſerere,quoniam modo ſcribi proferrive debeant aut quid ſignificent : niſi ex Græci ſermonis fontibus id hauriant.Quòd ſi Græcam edoctos linguam conſulant Latini,vt debent:ſublata protinus erit omnis hac de re controuerſia.Cæterùm quo ſummorum pontificum authore,hæc nouena ſupplicatio inſtituta eſt in vnoquoque ſancti altaris ſacrificio dici debere: & ſequentis itidem celebrationis ipſius miſſæ partes ſunt inductæ:ex opuſculo Berno.de officio miſſæ & compendiario & apprime vtili:liquido conſtat,quod cum iampridem in lucem ſit emiſſum facilè & à quouis haberi & legi poterit.

Hymnus angelicus.

GLoria in excelſis deo. Et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoram' te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi: propter magnam gloriam tuam. Domine deus rex cæleſtis: deus pater omnipotens. Domine fili unigenite: Ieſu Chriſte.

¶ Spiritus& alme orphanorum paraclite.

24 *Domine deus agnus dei filius patris.*

¶ Primogenitus Mariæ 'virginis matris.

Qui tollis peccata mundi: miſerere nobis. Qui tollis peccata

cata mundi ſuſcipe deprecationem noſtram.

¶ Ad Mariæ gloriam.

Qui ſedes ad dexteram patris: miſerere nobis. Quoniã tu ſolus ſanctus.

¶ Mariam ſanctificans.

Tu ſolus dominus.

¶ Muriam gubernans.

Tu ſolus altiſſimus.

¶ Mariam coronans.

Ieſu Chriſte cum ſancto ſpũ: in gloria dei patris. Amen.

23 ¶ Hæc dei laus dicitur hymnus angelicus: denominatione ſumpta ab eius principio, quòd in natiuitate domini angeli poſt apparitionem factam paſtoribus concinuiſſe ſunt auditi, vt teſtatur Lucas dicens. Et ſubito facta eſt cum angelo, multitudo militiæ cæleſtis: laudantium deum atq; dicentium, gloria in altiſſimis deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Reliqua verò præſentis hymni præconia, à Symmacho papa adiecta referũtur: pietatis in deũ & religionis pleniſſima. Quoniã enim angelica voce, gloria deo exibenda eſſe prædicatur: idcirco ſancta eccleſia totáque fidelium congregatio, quintuplici laude proteſtatur ſe gloriam deo impendere, dicens. Laudamus te, benedicimus te, glorificamus te, gratias agimus tibi: propter magnam gloriam tuam. Et quoniam hæc omnia, ad deum ſingulariter ſermonem dirigentia, ad inſinuandam diuinæ ſubſtantiæ pertinent vnitatem, idcirco ſubiungitur vnius dei inuocatio, tribus perſonis communis, in his verbis. Domine deus rex cæleſtis. Non enim ea denominatio, aut patri propria eſt, aut filio, aut ſpiritui ſancto, ſed ipſis omnibus indifferens. At quoniam cum vnitate diuinæ naturæ confitenda eſt etiam ſuperſanctarum perſonarum trinitas, ipſa proprius deinde nominibus expromitur. Patris quidem perſona, cum ſubiungit hymnus iſte adauctus. Deus pater omnipotens. Filij verò, cum ſubnectit. Domine fili vnigenite, Ieſu Chriſte. Denique ſpiritus ſancti innuitur perſona, cum in calce huius hymni id adiicitur, cum ſancto ſpiritu. Cætera verò omnia poſt expreſſam filij perſonam & ante ſpiritus ſancti nuncupationem hic po-

ſita preconia:ad ſolum diriguntur filium dei,duplicemque illius naturam & diuinam & humanam indicant.Diuinam quidem,cum ipſe Ieſus Chriſtus dominus,deus,& filius patris vnigenitus prædicatur,& peccata mundi tollere dicitur,quod ſolius dei eſt proprium:cum dicat deus per pro-
Eſa.43. phetam.Ego ſum,ego ſum ipſe:qui deleo iniquitates tuas.
Marc.2. Et in euangelio apud Marcum.Quis poteſt dimittere peccata:niſi ſolus deus?Humanam verò,cum agnus dei nuncupatur,& ad dexteram patris cõſidere perhibetur. Secundum humanam enim naturam: immolatus eſt pro ſalute mundi Ieſus Chriſtus,& ſedet ad dexteram patris. Rurſum diuinæ naturæ propria attribuuntur filio dei:cum ipſe deinde ſolus ſanctus,ſolus dominus, & ſolus altiſſimus eſſe nunciatur. In quibus quidem tribus filij dei celebrationibus,particula ſolus non excludit reliquas duas perſonas diuinas,patrem inquam & ſpiritum ſanctum: quin potius eas includit,cum illa tria prædicata ſanctus,dominus,altiſſimus:ſint eſſentialia,& diuinitatis concernant ſubſtantiã. Eſt enim & pater,ſanctus,dominus,& altiſsimus,nec min⁹ ſpiritus ipſe dei:ſanctus,dominus,& altiſſimus. Nempe filius ad patrem in euangelio loquens:ait. Pater ſancte,ſerua eos in nomine tuo:quos dediſti mihi. Idem etiam apud prophetam de patre verba faciens:inquit. Et nunc domin⁹
Eſa.48. miſit me:& ſpiritus eius. Denique in pſalmo dicit prophe-
Pſal.96. ta ad deum. Quoniam tu dominus altiſſimus ſuper omnem
Luca 1. terram:nimis exaltatus es ſuper omnes deos. In euangelio quoque angelus ad ſacroſanctam virginem dicit. Et virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Quæ duo poſtrema ſcripturæ teſtimonia ac eloquia:de deo etiam patre haud perperam intelliguntur. Neque difficile fuerit hæc eadem tria etiamde ſpiritu ſancto dici in ſcripturis:oſtendere. Ex quo protinus euadit dilucidum,particulam illam ſolus: natura alias à diuina vt angelicam & humanam, hic excludere.

Non enim angelus aut homo ſecundum eam rationem ſanctus eſt:qua dicitur deus ſanctus,quandoquidem deus eſt abſolute ſanctus,dominus,& altiſſimus:natura ſanctitatem habens,dominatum & altitudinem,& ex ſe. Angelus autẽ & homo,non ſuaptè natura neque ex ſe ſanctimoniam habet,dominium & celſitudinem:ſed participatione & ſola gratia,quadámque à deo dependentia,perinde atque aer

&

& aqua claritatem mutuantur à ſole:per ſe lucido.
24 ¶ Porrò vltra ſupradictas particulas in omni ferè miſſarum celebratione ſecundum eccleſiæ catholicæ ritum dici ſolitas:adiectæ ſunt a ſequentibus Symmachum ſummis pontificibus,& à poſteritate receptæ particulæ quædam, huic hymno angelico ita adaucto inſertæ:ad omniſanctam virginem Mariam peculiariter attinentes, & cum de ipſa celebratur officium miſſæ:ex conſtitutione eccleſiaſtica etiam addi conſuetæ,quæ hic ſuis locis:minutiorib⁹ literis ſunt conſcriptæ. Vt ea particula,ſpiritus & alme:orphanorum paraclite,poſt filij dei nominationem ſuperaddita eſt ad complendam continuò trium diuinarum perſonarum nuucupationem,quæ ſine illius adiectione: primum in fine præſentis hymni completur. Dicitur autem ſpiritus almus ſiue ſanctus,paraclitus,id eſt conſolator: quia homines humano orbatos ſolatio & tribulationibus oppreſſos dulciſſima ſuæ gratiæ infuſione interius conſolatur. Eſt enim deus totius conſolationis:qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Secunda verò particula adiectitia:vtputa primogenitus Mariæ virginis matris proprietatẽ ſingularem Chriſti hominis exprimit:quòd ſecundum naturam humanam ſuæ benedictæ matris & quidem virginis primogenitus ſit,quoniam ante eum nullus alius ab ea eſt progenitus. Simul etiam dominus noſter Ieſus Chriſtus, vnigenitus eſt virginis matris:quòd poſt eum nullus alius ab ea ſit genitus,quemadmodum ſecundum diuinitatem ipſe & primogenitus eſt dei patris & vnigenitus. Demùm tertia particula ſuperadiecta,ad Mariæ gloriam expetit noſtram à Ieſu Chriſto deprecationem ſuſcipi, ad honorem & gloriam ſuæ ſacratiſſimæ matris. Poſtremùm tres reliquæ particulæ,reſpondent tribus diuinis filij dei denominationibus,hic expreſſis, Vt quoniam ſolus ſanctus eſt,ipſe Mariam eſt ſanctificans. Proprium enim ſancti eſt ſanctificare,ſicut lucidi illuminare,& calidi calefacere. Sanctificans inquam Mariam,id eſt ſanctam conſeruans, & ne labem primæuę contraheret originis, gratuita pręuentione cuſtodiens. Non autem ſanctificans,id eſt à labe iam cõtracta expurgans,vt fortè dicerent aduerſarij puritatis cõceptionis ſuper ſanctę virginis Marię, quorum ſententia & expoſitio hac in re nõ eſt recipienda. Sanctificauit enim

2.Cor.5.

pater filium ſuum & miſit in mundum,vt dicit ipſamet veritas in euangelio,non quidem quòd eum ſorde peccati labefactam emũdauerit,qui ſanctus ſanctorum eſt,ſed quòd ſanctum ipſum genuerit,& coæterna ſanctitate reddiderit inſignem. Verùm de hoc,alio in loco dictum eſt. Cæterùm quoniam dei filius,ſolus eſt dominus. Mariam dilectam matrem ſuam gubernat,quandoquidem ipſi⁹ domini eſt,prouidentiſſima cura ac ſolicitudine ſubiecta omnia moderari & prudenter regere. Filius autem dei admirabili ſuæ ꝓuidentię ratione,inter cętera ſuam glorioſam matrem ſingulariter gubernat. Demùm quoniam altiſſimus eſt dei filius,eximiam ſuam matrem ſuæ celſitudinis reddit conſortem,eámque corona gloriæ ſuper omnes angelicorum ſpirituum choros & ordines ſanctorum decorauit,longè cæteris præclarius,glorioſius & excellentius. Sanctificat quidem,gubernat & coronat ſuperbenedictus dei filius etiam ſanctos angelos & beatos omnes cæleſtis ciuitatis habitatores. Verùm ea ſanctificatio,gubernatio & coronatio , longè inferior eſt & minor quàm ea , qua ſuperdilectam matrem ſuam ſanctificat , gubernat , & coronat,quemadmodũ cæleſtes ſpiritus & ſancti omnes,ipſa ſacra virgine ſunt dignitate inferiores atque minore in gradu gloriæ conſtituti,vt propter eminentiam ſingularem & præſtantiam exuberantiſſimæ ſanctificationis, gubernationis pręcipuæ , & glorioſę coronationis ſuper cęteros merito de ea hic peculiariter dicatur quę ſola ſupergreditur vniuerſos, quòd Ieſus Chriſtus dei filius,eſt Mariam ſanctificans,gubernãs & coronans. Sed & de hoc alias dictum eſt.

1 *Symbolum Nicænum.*

CRedo in unum deum patrem omnipotentem , factorem cæli & terræ,uiſibilium omnium & inuiſibilium.

2 *Et in unum dominum Ieſum Chriſtum,filium dei unigenitum,& ex patre natum ante omnia ſecula , deum de deo ,lumen de lumine,deum uerum de deo uero genitum non factum,conſubſtantialem patri , per quem omnia facta ſunt.*

Qui

3 Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria uirgine & homo factus eſt.

4 Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato paſſus & ſepultus eſt.

5 Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas.

6 Et aſcendit in cælum: ſedet ad dexteram patris.

7 Et iterum uenturus eſt cum gloria iudicare uiuos & mortuos, cuius regni non erit finis.

8 Et in ſpiritum ſanctum: dominum & uiuificantem, qui ex patre filióque procedit, qui cum patre & filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per prophetas.

9 Et unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiã.

10 Confiteor unum baptiſma in remiſsionem peccatorũ

11 Et expecto reſurrectionem mortuorum.

12 Et uitam uenturi ſeculi. Amen.

¶ Symbolum iſtud, Nicenum dicitur, quòd in concilio Nicęno à trecentis octodecim patribus fuerit ordinatum, & à Marco illius tempeſtatis ſummo pontifice publicè in eccleſia decantari inſtitutum. Nonnulli tamen iſtud Conſtantinopolitanum vocant ſymbolum, ipſúmque dicunt à centum quinquaginta patribus in ſynodo Conſtantinopolitana poſt Nicęnam celebrata fuiſſe collectum, atque à Damaſo ſummo pontifice poſt Marcum quarto ſecundum ipſius concilij decretum certis quibuſdam diebus in officio miſſę pronunciari debere conſtitutum. Prior tamen ſententia vulgatior eſt, & ſecundum illam denominatio frequentior atque receptior, quandoquidem ferè ab omnibus ſymbolum Nicęnum dicitur, à paucis verò Cõſtantinopolitanum. Verùm id parum refert, quoniam quod Nicęna ſynodus primum compoſuit & collegit deinde ſequens Conſtantinopolitana patrum contio approbauit, aut fortaſſe particulas aliquas ob emergentes de nouo & inſur-

inſurgentes hæreſes reſecandas, adiecit. Quare vtraque ſententia cum veritate facile conſtat: & vtraque denominatio, ſiue Nicæni ſiue Conſtantinopolitani ſymboli eſt recta. Quoniam enim vna vtriuſque cōcilij eſt fides catholica in hoc ſymbolo expreſſa: non debet de nomine ipſius grauis eſſe controuerſia. Diuiditur autem hoc maius (vt vocant) ſymbolum in duodecim articulos: ſpecialéſque particulas: aliquam orthodoxæ fidei ſentētiam peculiariter exprimentes: ſicut ſymbolum apoſtolorū (quod minus vocant: quia breuius eſt & conſtrictius) duodecim etiam complectitur articulos, reſpondentes duodecim apoſtolis, quorum ſinguli ſuum articulum illi colligendo adiecerunt. Reſpondent autem certo ordine cōfirmitatéque ſententiæ: articuli huius ſymboli articulis ſymboli apoſtolorunt. Primus ſcilicet vnius, cum primo alterius eandem enuncians ſententiam: & ſecundus cum ſecundo, & ita deinceps. Idque ſolum inter ea duo eſt diſcrimen, quòd huius Nicæni ſymboli articuli longiores ſunt & prolixiores. quoniam ob improbam hæreticorum importunitatem oportuit deinceps multa particulatim exprimere: quæ in exordio naſcentis eccleſiæ erant ſuppreſſa. & ad hanc faciundam declarationem pro confutandis hæreſibus, opus fuit complura addere, prius nō expreſſa. Vtriúſque autē dictorū ſymbolorum concordia & cōciliatio per ſingulos articulos, mutuúſque reſponſus: ſequenti deſcriptione pateſcit.

Articuli duodecim

Concordia ſymbolorum.

Symbolū Apoſtolorū.	*Symbolū Nicænū.*
PETRVS	
1 ¶ *Credo in deū patrem omnipotentē, creatorem cæli & terræ.*	¶ Credo in vnum deū patrem omnipotentē, factorem cæli & terræ: viſibilium omnium & inuiſibiliū.
ANDREAS.	
2 ¶ *Et in Ieſū Chriſtum, filium dei vnicū, dominum noſtrum.*	¶ Et in vnū dominū Ieſum Chriſtum filium dei vnigenitum: & ex patre natū ante omnia ſecula, deū de deo lumen de lumine, deū verū de deo vero genitū, nō factū cōſubſtātialē patri, ꝑ quē oīa facta ſunt.
IACOBVS	

3 ¶ *Qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto: natus ex Maria virgine.*	¶ Qui propter nos homines & ꝓpter noſtrã ſalutẽ: deſcẽdit de cælis & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria virgine, & homo fact⁹ eſt
IOANNES.	
4 ¶ *Paſſus ſub pontio Pilato: crucifixus, mortuus & ſepultus.*	¶ Crucifixus etiã pro nobis ſub Pontio Pilato: paſſus & ſepultus.
PHILIPPVS.	
5 ¶ *Deſcendit ad inferna: tertia die reſurrexit à mortuis.*	¶ Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas.
BARTHOLOM.	
6 ¶ *Aſcendit ad cælos: ſedet ad dexteram dei patris omnipotẽtis.*	¶ Et aſcendit in cælum: ſedet ad dexteram patris.
THOMAS.	
7 ¶ *Indè vẽturus eſt iudecare viuos & mortuos.*	¶ Et iterum vẽturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos: cuius regni non erit finis.
MATTHAEVS	
8 ¶ *Credo in ſpiritũ ſanctum.*	¶ Et ſpiriritum ſanctũ dominum & viuificantem, qui ex patre filióque procedit, qui cum patre & filio ſimul adoratur & conglorificatur qui locutus eſt per prophetàs.
IACOBVS.	
9 ¶ *Sanctam eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem*	¶ Et vnam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam.
SIMON.	
10 ¶ *Remiſsionem peccatorum.*	¶ Confiteor vnum baptiſma in remiſsionem peccatorum.
THADEVS.	
11 ¶ *Carnis reſurrectionem.*	¶ Et expecto reſurrectionẽ mortuorum.
MATTIAS.	
12 ¶ *Vitam æternã.*	¶ Et vitam venturi ſeculi. Amen.

ANNOTATIONES. In primo articulo. Credo in vnū deum. Hic primum credenda proponitur, vnitas deitatis ad excludendam deorum pluralitatem: quàm per idolorum cultum antiquus humani generis hoſtis inducere tentauit. Et hanc quidem diuinæ ſubſtantiæ vnitatem: etiam Moyſes populo Iſraelitico inſinuat, cum ait. Audi Iſrael, dominus deus tuus. deus vnus eſt. Et complures alij ſanctæ ſcripturæ loci: huic indiuiduæ vnitati dei aſtipulantur atque conſentiunt. Ad quoniam in vnitate diuinitatis etiã profitéda eſt diuinarũ perſonarum trinitas, etiam hæc deinde explicatur propriis nominibus. primum patris hoc in loco. & paucis interiectis, filij. & paulo pòſt: ſpiritusſancti. Cum autem præſens ſymbolum deum patrem vocat omnipotentem, factorem cæli & terræ, factorem etiam viſibilium omnium & inviſibilium: non ſunt ab illis denominationibus ſecludendi filius & ſpititus ſanctus. quoniã communes ſunt & promiſcuæ omnibus diuinis perſonis: diuinámque concernentes naturam ſiue virtutem. Eſt enim etiam filius, omnipotens & factor cæli & terræ. & ſpiritusſanctus itidem omnipotens: & cæli terræque creator. quoniam diuinarum perſonarum ad extera profuſa operatio: vna eſt & eadem, ſicut & virtus & ſubſtantia. Nem-
Pſal. 101 pe ad filium dei dicit pſalmus. Initio tu domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli. Et Paulus
Coloſſ. 1 ad coloſſences dicit de eodem. In ipſo condita ſunt vniuerſa ĩ cælis & in terra, viſibilia & inuiſibilia. At verò de
Pſal. 103 ſpiritu ſancto dicit pſalmus. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ. Et Iob de eodem.
Iob 33 Spiritus dei fecit me: & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me. Demùm de filio & ſpiritu ſancto dicit pſalmus.
Pſal. 23 Verbo domini, cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum. Porrò hic cæli & terræ factor dicitur deus: ad damnandam Manicheorum impietatem dicentium inuiſibilia quidem & ſpiritualia entium genera vt mentes angelicas, à deo eſſe creata. viſibilia verò & ſenſibilia corpora: à malo principio & dæmone tenebrarum principe ad ortũ eſſe deducta. cõtra quos eſt illud pſalmi verbũ. B. cuius de⁹ Iacob adiutor eius ſpes ei⁹ in domino
Pſal. 145 deo ipſius: qui fecit cælũ & terrã, mare & omnia quę in eis ſunt. Dicitur autem factor, qui non ex propria ſubſtantia,

ſed

ſed aliunde aliquid produxit, vt ex nihilo aut extrinſeca materia. Vt architectus facit domum & eius dicitur opifex: quoniam ex materia præſubſiſtente eam cõſtituit. Et deus, factor dicitur cæli & terræ, quoniam ex nihilo cælũ terrámque produxit. Idcirco ſpecialiori appellatione, in ſymbolo apoſtolico creator cæli & terrę dicitur. Eſt enim creator, qui ex nihilo quippiam deducit ad ortum. Quare qui creator eſt, idem eſt & factor: non autem conuerſim retroagitur. Sicut qui creat facit: nõ autem ediuerſo quicunque facit creat. Et homo quidẽ facit opus arte, & factor dicitur. Solus autem deus, creator eſt, & creare, ipſius proprium. 2 ¶ In ſecundo articulo. Et in vnum dominũ. Hic ſecunda exprimitur diuinæ trinitatis perſona ſcilicet filius dei, in quem credere debeamus. Qui & dominus hic nuncupatur, ad impietatem illorum elidendã: qui filiũ perfectiõe & authoritate minorẽ eſſe patre, & quaſi ſeruum atque ſubiectum illi oblatarũt, quod vtique locũ habere nequaquam poteſt, ſi vt pater dominus eſt, ita & filius domin⁹. Qui enim æquam cum altero habet dominationis nuncupationem & authoritatem: quomodo minor aut inferior eo poterit haberi? Neque ſine ſcripturæ teſtimonio, ipſum domini nomen filio hic aſcribitur. Scribit nanque ad Corinthios Paulus. Et vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Idẽ quoque, filius dei vnigenitus hic dicitur, quòd ſolus ex ſubſtantia patris eſt genitus. Illi verò de quibus dicit euangeliſta. Quotquot autẽ receperunt eum: dedit eis poteſtatẽ filios dei fieri, iis qui credunt in nomine eius, filij quidem dei ſunt nũcupatione, participatione, adoptione, & gratia, nõ autem ſubſtantia neque natura. Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus, dei filius eſt ſubſtantia atque natura, & ſolus quidem, ideo hic merito dicitur filius dei vnigenitus, ſicut etiam de ipſo teſtatur euangeliſta, cum ait. Et vidimus gloriã eius: gloriã quaſi vnigeniti à patre. Et paulò pòſt, vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit, Eadẽ quoque ratione in ſymbolo apoſtolorũ, vnicus dei filius hoc in articulo appellatur. ¶ Reliquæ autem huius articuli particulæ, ad extirpandam hæreſim Arrhianorum (quę in concilio Nicæno potiſsimum eſt damnata) ſunt adiectæ. Quoniam enim illi filium dei non ex ſubſtantia patris

1. Cor. 8

Ioan. 1

Ioan. 1

natum

natum eſſe dicebant, ſed ex non extantibus productum, neque patri coæternum confitebantur, ſed longo durationis interuallo poſt patrem & intempore ad eſſe productũ fides catholica eis omnino aduerſa filium dei hic profitetur ex patre id eſt ſubſtantia patris natum: & ante omnia quidem ſecula ſiue ſpacia temporalia, vt hoc verbo, deo patri coæternus eſſe inſinuetur. Et quidem ex ſacris etiã
*Pſal.*109 depromptum eſt eloquiis, in quibus ad filium pater dicere legitur. Ex vtero ante liciferum genui te. Et rurſum.
*Pſal.*2 Filius meus eſt tu, ego hodie genui te. Vbi particula hodie, nota eſt æternitatis. Inſuper æterna dei ſapientia quæ
*Eccl.*24 filius dei eſt, de ſeipſa idem cõteſtatur dicens. Ego ex ore altiſsimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam,
*Prouer.*8 Nondum erant abyſsi, & ego iam concepta eram ante omnes colles ego parturiebar. & multa alia in hanc ſententiam, apud Salomonem in prouerbiis leguntur. Præterea negauerunt Arrhiani filium eſſe deum, cum creaturam ipſum eſſe contenderint. Fides verò orthodoxa hic eum confitetur deum eſſe de deo gentium, vt omnino intelligatur conſimilis eſſe eiuſdẽmque naturæ cum deo patræ gignente. quemadmodum in perfectis rerum naturalium generationibus videmus ignem gegni de igne, oliuam de oliua, equum de equo, & hominem de homine. vt tota naturæ vniuerſitas proclamet ſuo partu & fœtura licet improportionaliter inferiore: filium dei eſſe verum genimẽ patris, & deum de deo genitum. Sed ne quis autumet hãc filij à patre generationem, corporalem eſſe, & per diuiſionem ſubſtantiæ diuulſionẽmve fieri, quomodo corporum fiunt generationes, ſubiungit ſymbolum Nicenum, filium dei natum ex patre, vt lumen de lumine: ſpirituali ſcilicet immo ſuper ſpirituali & ſuperintellectuali generatione. Videmus enim lucem ſiue lumen (nam illa duo hoc in loco pro eodem ſumuntur) producere de ſe natiuum ſplendorem ſine aliqua ſui diminutione aut diſſectiõe ſuæ ſubſtantiæ. Ita ſanè filius ipſe dei ex ſuſtantia patris ſine paternæ ſuſtantiæ imminutione aut partitione ineffabiliter prodit, Porrò ad inſinuandam hanc admirabilem generationem. magno interſtitio productiones omnes corporum longe tranſcendentẽ, ipſe dei filius in ſacris eloquiis nunc lumen apellatur, nunc lux, interdum candor, nunnunquam

nunquam ſplendor, & cæteris nominibus cõformis ſignificationis. Lumen, Ioannes primo capite. Hic venit inteſtetimonium: vt teſtimonium perhiberet de lumine. Non erat ille lux: ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. vbi nomine luminis: vtroque in loco filius dei ſignatur. Et propheta in pſalmo. Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. Lux. Ioannes primo capite Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundũ. Et propheta in pſalmo. Emitte lucem tuã & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in taberuacula tua. Vbi nuncupatione lucis, vtrobique dei filius indicatur. Candor. Sapientiæ ſeptimo cap. de æterna ſapientia: quæ dei filius eſt Vapor eſt virtutis dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis dei ſyncæra: & ideo nihil inquinatum in eã incurrit. Candor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula dei maieſtatis. Splendor, Paulus ad Hebræos. Qui cum ſit ſplendor gloriæ patris: & figura ſubſtantiæ eius. Neque ab re, lumen de lumine, ſiue lux de luce dicitur hic dei filius, quoniam in rebus ſenſibilibus nulla eſt productio propinquior atque vicinior illi æternæ generationi filij à patre (quæ eſt inenarrabilis, vt ait propheta) neque vlla ad hanc ſuperdiuinam generationem exprimendam accommodatior eſt, quàm generatio ſplendoris de lumine Et præterea quoniam Arrhiani & Eunomiani illis impietate non diſpares. inter execrandas blaſphemias ſuas euomuerunt & hanc, quòd dei filius non verus eſſet deus, neque natura. ſed ſola nuncupatione & communione nominis diceretur deus quemadmodum etiam de hominibus dicit Pſalmus. Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. ad confutandam hanc veſaniam, fides catholica cõfitetur hic ipſum dei filiũ eſſe verũ deũ, natũ de patre deo vero. quẽadmodũ naturali ꝓductiõe naſcitur homo verꝰ de homine verò, & verꝰ flos de verò flore. Inſuper cõfixerunt Arrhiani filiũ dei factũ eſſe, & ex nihilo à deo patre formatum: idcirco poſuerunt ipſum diuerſam à patre habere ſubſtantiam, penitúſque diuiſam. Orthodoxa verò fides profitetur eum genitum ex ſubſtantia patris, & ipſi gignenti omnino natura conſimilem. Negat autem eum factum à patre: quoniam factura neque ex facientis eſt ſubſtantia, ne-

que

Ioann. 1
Pſal. 35
Ioann. 1
Pſal. 42
Sapi. 7
Hebre. 1
Eſaiæ 53
Pſal. 81

que naturæ cognatione illi reſpondens,non eſt etiam ipſi facienti coæua, neque naturali productione ſed ſola voluntatis ipſius factoris libertate prodit ad ortum. Fatetur etiam ſyncæra fides dei filium conſubſtãtialem eſſe patri, eiuſdémque penitus eſſe ſubſtantiæ cum patre:ſecundũ illud domini noſtri verbum de ſeipſo. Ego & pater vnum ſumus. Demùm & illud adiicitur hoc loco,quòd per filiũ dei facta ſunt omnia, quemadmodum euangeliſta Ioannes de ipſo dei verbo dicit: quòd omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil. Neque ex eo rectè quis collegerit, quoniam omnia per ipſum dei filiũ facta ſunt: & ipſum quoque factum eſſe,nam omnium nomine,duntaxat creaturæ omnes comprehenduntur: non autẽ deus ipſe qui eſt ſuper omnia,& omniũ ambitu atque vniuerſi
*Ioan.*10 tate nequaquam comprehenditur. Nam ſi factum dixe-
*Ioan.*1 ris filium dei cũ omnia per ipſum facta ſint,& ipſe per ſe ipſum ſiue à ſeipſo factus eſſet, quod veritati omnino eſt diſſonum,nihil enim ſuiipſius eſt principium:& nihil vnquam ſeipſum producit aut facit. Sunt autem omnia per ipſum dei filium facta: non quidem vt per inſtrumentum extrinſecum quo vſus fuerit deus pater in mundi productione,vt cooperatorio & adminiculario ad rerum productionem,quemadmodum dixerunt Arrhiani, ſed tãquam per internam & naturalem patris virtutem & ſapientiam: illi intimam, eaſſentialem,& propriam. Omnia enim (vt ait pſalmiſta) in ſapientia fecit deus. Ideo & paulus dicit: quòd per filium dei pater fecit & ſecula. Eſt enim ipſe: virtus & ſapientia patris.

3 ¶ In tertio articulo. Qui propter nos homines. Hic articulus & ſequentes vſque ad octauum:ea proponũt credenda quæ ad Chriſti pertinent humanitatem, naturámque humanam ab eo aſſumptam. Et præſens quidem articulus incarnationem domini continet: eius primum depromens cauſam,quod ſcilicet facta eſt propter nos homines & propter noſtram ſalutem, quod & dominus noſter
*Luc.*19 in euangelio cõprobat:dicens. Venit filius hominis quæ-
1. *Timot.* 1 rere, & ſaluum facere quod perierat. Et beatus Paulus ad Timothæum ſcribens: ait. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus: quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundũ, peccatores ſaluos facere. Quem locum exponens Auguſtinus:

guſtinus, ait. Nulla cauſa veniẽdi fuit Chriſto, niſi vt peccatores ſaluos faceret. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt cauſa medicinę. Sed venit de cęlo magnus medicus: quia magnus per totum orbem terræ iacebat ægrotus. Ipſe ęgrotus, genus humanum, quod totum perierat, ex quo peccauit vnus in quo erat totum. Sed venit vnus ſine peccato: vt ſaluos faceret omnes à peccato. Hæc Auguſtinus. Demùm angelus idem confirmat, dicens ad Ioſeph de filio dei iam concepto. Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum à peccatis eorum. Deſcendit autem de cælis dei filius, non quidẽ quod per incarnationem cælos dimiſerit, aut ante incarnationem in terris nõ fuerit, qui per prophetam ſe cælum & terram implere cõteſtatur. Et in terris degens, ait ad Nicodemum. Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo. Et rurſum ad Philippum. Non credis quia ego in patre, & pater in me eſt? Sed de cælis deſcendiſſe ſe dicitur filius dei, quia per ſuſceptionẽ noſtræ naturæ, nouo exiſtẽdi modo in terra eſſe incepit, ſcilicet per vnionem hypoſtaticam, diuinitatisq́; cum humanitate in vna perſona coniunctionem, ſecũdum quem modum antè non fuerat in terris. Hoc autem loquendi ſchema, ex euangelio deſumptum eſt, vbi dominus noſter dicit de ſeipſo. Deſcendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me patris. Et iterum. Hic eſt panis viuus, qui de cælo deſcendit. Cæterùm quòd de ſpiritu ſancto incarnatus eſt, ex Maria virgine, oſtẽdũt verba angeli ad ipſam ſacroſãctam virginẽ Spiritus (inquit) ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obũbrabit tibi. Ipſius item verba ad Ioſeph virum Mariæ. Quod in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt. Denique cum in pronunciatione huius ſymboli dicitur illa particula, & homo factus eſt, & in euangelio ſancti Ioannis ea particula, eandem aliis verbis exprimens ſententiam, & verbum caro factum eſt, commendanda ſane & ſtudioſe ſemper obſeruanda eſt à quouis proferente humilis genuum flexio atque inclinatio ad terram, ex ritu eccleſiaſtico religioſe inſtituta in repræſentationem & venerationem illius eximiæ humilitatis, qua exinaniuit ſeipſum & humiliauit filius dei: formam ſerui accipiens, & habitu inuentus

Matth. 1 *Hiere. 23* *Ioan. 3* *Ioan. 14* *Ioan. 6* *Luc. 1* *Matth. 1* *Philip. 2*

vt

vt homo. Inclinauit enim tunc cęlos & deſcendit in terras: cui & nos humili inclinatione conformari ac reſpondere debemus.

4 ¶ In quarto articulo. Crucifixus etiã pro nobis. Hic articulus crucifixionem Chriſti & paſsionem exprimit: ſimul & ei⁹ ſepulturam, quæ omnia ex ſacra quatuor euãgeliſtarum narratione dilucide conſtant. Porrò quòd pro nobis & pro noſtra ſalute atq; redemptione crucifixus eſt Chriſtus, vt præſens dicit locus: atteſtatur beatus Petrus dicens. Chriſtus paſſus eſt pro nobis: vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Qui peccata noſtra
1.Pet.2 ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignũ, vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati eſtis. Et idem alio in loco. Chriſtus ſemel pro peccatis mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis: vt nos offerret deo mortificatos quidem car-
1.Pet.3 ne, viuificatos autem ſpiritui Et multis aliis in locis idem perhibetur.

5 ¶ In quinto articulo. Et reſurrexit tertia die ſecũdum ſcripturas. Reſurrectionis Chriſti à mortuis myſterium: in præſenti articulo reſeratur. In quo non ocioſe neque ab re appoſita eſt illa particula: ſecundũ ſcripturas, quoniã reſurrectio Chriſti à mortuis (quòd ſuprà naturæ leges ſit & iura) difficilius cæteris noſtræ redemptionis myſteriis & tardius recepta atque perſuaſa fuit mentibus humanis. Vnde & diſcipulis poſt multas manifeſtationes Chriſti à mortuis ſuſcitati ipſis factas, poſt multa itidẽ argumenta ſigna & indicia quibus præbuit ſeipſum illis viuum: adhuc ſubdubitarunt de illius reſurrectione: vt iam in cælum aſcenſurus Chriſtus exprobrauit illis incredulitatem illorum: & duriciam cordis ad credendum. Athe-
Marc.16 nienſes item audita reſurrectione mortuorũ à beato Pau
Act.17 lò, cum ſtans in medio Aereopagi verba vitæ & ſalutis æternæ ipſis annunciaret: irriſerunt eum. Itaque vt omnis collatur occaſio ambiguitatis atque materia: adiecta illa particula ſignat Chriſti reſurrectionem in ſcripturis prę-nunciatam eſſe, vt in pſalmis & euangeliis, & eo modo quo prædicta eſt à ſcripturis: eam eſſe completam. Cum itaque ſcripturis ſanctis indubitatò credendum ſit: abſque vlla hæſitatione & Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe
1.Cor.15 (vt perhibent ſcripturæ) credendum eſt: Cæterùm con-

iectari

ſectari facile poteſt ea particula, qua de re verba facimus, ex Paulo eſſe deſumpta: qui in prima ad Corinthios epiſtola eam ſimiliter expreſsit, hoc pacto. Tradidi vobis imprimis quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit: tertia die ſecundum ſcripturas.

6 ¶ In ſexto articulo. Et aſcendit in cælum. Hic articulus, aſcenſionis Chriſti in cælum cõtinet aſſertionemq́: quã ſancti euangeliſtæ Lucas & Marcus: itidem & acta apoſtolorum luculenter expromunt. Cęterùm obiter & illud hic annotandum eſt, quod in medio ferè curſu prætermiſſum fuerat, ſymbolum ſcilicet apoſtolicum præcedenti articulo de reſurrectione Chriſti adieciſſe etiã deſcenſum Chriſti ad inferna: cuius in ſymbolo Nicæno non fit expreſſa mentio. Non tamen minus credi debet ille Chriſti ad inferos deſcenſus: quàm ſi hic etiã fuiſſet expreſſus, quoniam ex ſcripturæ teſtimonio perſpicuè colligitur: vt ex eo verbo domini noſtri ad Iudæos. Sicut fuit Ionas tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti: ſic filius hominis tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ. Quippe Cetus typum gerit inferorum & dæmonis, inſatiabili voragine animas deglutientis. Cor autem terræ: ipſius eſt meditullium & mediaſtimus locus: in quo omnium ſententia infernus carcer eſt conſtitutus. Fuit ergo filius hominis tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ: cum tanto temporis curriculo ſcilicet triduo ſuæ mortis & ſepulturæ ſacratiſsima ipſius anima apud inferos ſubſiſtit. Neque poteſt aptè locus ille euangelicus accommodari ad ſepulturam Chriſti, per quam corpus ipſius emortuum triduo fuit terra conditum. Nam cum ipſum fuerit repoſitum in ſepulchro exciſo in petra & nõ alte humo infoſſum: non rectè dixerit quiſpiam ipſum in medio terræ fuiſſe collocatum. Quare neque ratione corporis ſui ipſe filius hominis verè diceretur fuiſſe in corde terræ: ſed ratione animæ, quæ deſcendit ad infæros, vt iam dictum eſt. Complura eiuſdẽ deſcenſus Chriſti ad inferos teſtimonia, alias à nobis adducta: hic conſulto prætermittimus, ne in re clara citemus teſtes minus neceſſarios.

Matth. 12

7 ¶ In ſeptimo articulo. Et iterum venturus eſt cum gloria. Aduentus Chriſti ad iudicium in conſummatione ſeculi in hoc articulo denunciatur: futurus quidem cum gloria & maieſtate, ſicut prior eius aduentus in mundum fuerat cum humilitate & exinanitione. Perhibet illud ſæpius ipſe dominus noſter in euangelio: vt cum ait apud Matthæum. Filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis: & tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius. Et apud Lucam. Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate. Et multis aliis in locis ſcripturæ, idem exprimitur. Porrò quòd regni ipſius Chriſti non erit finis: perhibet angelus ad ſacratiſsimam virginem, dicens de Chriſto. Et dabit ei dominus deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob inæternum, & regni eius non erit finis. Aſtipulatur illi & Daniel propheta: ita de regno Chriſti loquens. In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit deus cæli regnum: quod in æternum non diſsipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem & conſumet omnia regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum. Et idem alio in loco. Aſpiciebam in viſione noctis & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat: & vſque ad antiquum dierum peruenit & in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem & honorem & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas eius, poteſtas æterna quæ non auferetur: & regnum eius quod non corrumperetur.

Matth.16 *Luc.2* *Luc.1* *Danie.21* *Danie.7*

8 ¶ In octauo articulo. Et in ſpiritum ſanctum, dominum & viuificantem. Hic tertia ſummæ trinitatis perſona exprimitur cum ſuis proprietatibus: tum eſſentialibus tum ſingularibus. Debet autem hic ſubaudiri verbum, credo: in principio quidem huius ſymboli poſitum: & hoc in loco repetendum. Nam in ſymbolo apoſtolorum idem verbum hoc loco exprimitur. Cæterùm ſpiritus ſanctus, hic dominus credi debere aſtruitur: ad explodendam hæreſim Macedonianorũ ponentium ſpiritum ſanctum eſſe creaturam, patre & filio minorem & quaſi vtriuſque ſeruum, ambobúſque ſubiectum. Quæ ſane impia deliramenta prorſus reiiciuntur: cum ſicut pater dominus eſt & filius dominus, ita & ſpiritus ſanctus eſſe dominus creditur,

ditur, vt per eandem dominatus authoritatem, æqua ipſis eſſe virtus, poteſtas & maieſtas intelligatur. Neque ſine ſacrorum eloquiorum teſtimonio: ſpiritus ſanctus eſſe dominus aſſeueratur. Dicit nempè de eo Paulus: in prima epiſtola ad Corinthios. Diuiſiones gratiarum ſunt: idem autem ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem dominus. Et diuiſiones operationum ſunt: 1.Cor.2
idem autem deus, qui operatur omnia in omnibus. Ecce quem primo loco ſpiritum vocat: ſecundo dominum dicit, & tertio deum. Eſt inſuper ſpiritus ſanctus, viuificans: præſertim animas, ſicut ſpiritus humanus vegetat corpora. Spiritus eſt (inquit euangelicus ſermo) qui viuificat. Et de filio quidem dicitur, quòd ſicut pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ita filius quos vult viuificat. Haud aliter pari ratione de ſpiritu ſancto piè confitēdum eſt: quòd quos vult ipſe quoque viuificat. Iterum de filio dicit euangelium, quòd ſicut pater habet vitam in ſemetipſo: ita dedit & filio vitam habere in ſemetipſo. Certè Ioan.5
conſimili omnino iure de ſpiritu ſancto dicendum eſt: Ioan.6
quòd pater & filius illi dederint etiam vitam habere. Quòd ſi vitam in ſemetipſo habet, quomodo non viuificabit? cum proprium vitæ ſit viuificare, ſicut illucidi illuminare & callidi calefacere. Inſuper de ſpiritu ſancto id proponitur etiam hic credendum, quòd ex patre filióque procedit, ad condemnandam hæreſim Græcorū pertinacius aſtruentium ſpiritum ſanctum à patre ſolū procedere & nequaquā à filio. Qui vtique ſi diligenter ſcrutarentur ſcripturas, ex eis facili dinoſcerent ſpiritum ſanctum non à patre ſolum ſed à filio æterna proceſsione emanare. Cur enim apoſtolus ſpiritum ſanctum vocat ſpiritum filij, à patre miſſum in corda noſtra, & alio loco Gala.4 Rom.8
ſpiritum Chriſti, ſi nullam ſpiritus ſanctus ad filiū habet proceſsionis habitudinem? Cur item filius ſpiritum ſanctum apoſtolis poſt reſurrectionem daturus, inflaſſet in eos dicens, accipite ſpiritum ſanctum, niſi hoc corporalis Ioan.20
flatus indicio ſignificare voluiſſet, à ſe quoque ſpiritum ſanctum procedere, ſicut halitus ab itimis exiit præcordiis? Præterea de ſpiritu ſancto loquens apoſtolis Chriſtus ait. Cum venerit paracletus: quem ego mittam Ioan.15

vobis à patre, ſpiritum veritatis. Ecce miſſurum ſe ſpiritum ſanctum promittit filius: & quod antè promiſerat, ſuo tempore expleuit. Sed qui hoc fiet: niſi etiam à filio ſpiritus ſanctus proceſsibiliter prodeat? Poſtremo de eodẽ ſpiritu ad apoſtolos verba faciens dominus noſter ait. ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Atqui de eo quod Chriſti eſt: accipere non poterit ſpiritus ſanctus: niſi ab eo quoq; diuina proceſsione intelligatur proficiſci, vt ab eodem & ſubſtantiam accipiat & ſapientiam. Verum hæc in primo libro Ioãnis Damaſceni de fide orthodoxa, latius ſunt pertractata. Quarto loco hic de ſpiritu ſancto credẽdum proponitur: quòd cum patre & filio ſimul adoratur & conglorificatur, ad ſuſtollendam illorum impietatem (vt Arrhianorum & Macedonianorum) qui ſpiritum ſanctum eſſe deum negarunt:
Ioan.16
creaturam ipſum eſſe aſſerentes, & patri filióque inæqualem. At cum hic ſpiritus ſanctus, cum patre & filio ſimul adorandus prædicatur: protinus conſequens eſt ipſum eſſe deum, quandoquidem propria adoratio ſoli deo debetur & exhibenda eſt. Ad hæc, ſine controuerſia pater in diuina trinitate deus eſt: itidẽ & filius eſt deus. Spiritus autem ſanctus vna eadémque adoratione cum ipſis colitur: vt dicit huius articuli prima pars. Igitur & Spiritus ſanctus eſt deus, non enim poteſt creatura eodem honorari cultu quo deus. Cum item conglorificandus, eadémque glorificatione qua pater & filius, honorandus hic dicitur ſpiritus ſanctus: omnino patri & filio, perfectione, virtute & maieſtate æqualis eſſe conuincitur. Quibus enim idẽ debetur cultus honor & gloria: vt omnimodam habeant poteſtatis, diuinitatis, & perfectionis æqualitatem neceſſe eſt. Quinto demùm loco de ſpiritu ſancto præſens articulus credendum offert: quod locutus eſt per prophetas, ad retundendam illorum inſaniam qui dixerunt prophetas ipſos quaſi arreptitios & mente captos enunciaſſe ſua oracula & diuina myſteria, vt ea impia aſſertione detraherent verbis propheticis fidem atque authoritatem: & perſuaderent hominibus ipſos prophetas nequaquam intellexiſſe ea ſacra oracula quæ protulerũt, ſed more inſanorũ & non bene mẽte conſtantiũ illa eructaſſe. Verũ vnus & idẽ ſpiritus qui dedit ipſis eloqui diuina ſa ramẽ

ta:

ta:contulit ipſis etiam eorum quæ enunciabant intelligen tiam, & interna reuelatione in longe poſt ventura tempora proſpectum. Quod & beatus Petrus comprobat: cum ait in ſecunda ſua epiſtola. Non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed ſpiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti dei homines. *2.Pet.1*

9 ❡ In nono articulo. Et vnam ſanctam catholicam. Eccleſia dicitur tota fidelium & in Chriſto regenitorum congregatio: quæ corpus eſt Chriſti myſticum, & Chriſtus eius caput, ſicut dicit apoſtolus: quòd deus pater dedit Chriſtum caput ſuper omnem eccleſiam. Hæc autem primum vna eſt & vnica: non plures, ſicut & vnica fuit arca Noe in qua ſalui facti ſunt homines à diluuio: quæ typum gerebat eccleſiæ, & in vna domo manducari iuſſus eſt agnus paſchalis: quæ etiam figurabat eccleſiam, & in canticis vna ipſius ſponſi dicitur eſſe columba: & vnica amica atque ſponſa, non enim plures ſpõſas ipſe verus & æternus ſponſus amplectetur vnquam. Secundo ipſa eccleſia dicitur hic ſancta: id eſt munda ab omni inquinamento peccati: quoniam precioſo Chriſti dilecti ſponſi ſui ſanguine eſt ſãctificata, ſicut ſcribit apoſtolus ad Epheſios. Viri (inquit) diligite vxores veſtras: ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea vt illam ſanctificaret: mundans eã lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentẽ maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi: ſed vt ſit ſancta & immaculata. Tertio eccleſia dicitur hic catholica, id eſt vniuerſalis: quoniam per totum orbem diſperſa, vniuerſum genus hominum deberet complecti, & aliquando quidem complexa eſt: quando ſcilicet apoſtolorũ voce prædicatum eſt euangelium omni creaturæ, quando iti dem in omnem terram exiuit ſonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum. Sed nunc (proh dolor) immanis illa beſtia (Mahumetum dico) totam Aſiam & Aphricam atque per magnam Europæ partem Chriſto abſtulit, & ſacrilego ſuo ritu ab eccleſia reuulſit: vt videatur nũc eccleſia Chriſti in extremum orbis angulum, anguſtúmque redacta. Verum orandus eſt benignus & miſericors dominus: vt dilectiſsimæ ſponſæ ſuæ fines amplificet: & terminos dilatet, quo tandem verè cum propheta cantare il

Ephe.1 Gene.7 Exo.12 Can.6 Ephe.5 Marc.16 Pſal.18 Pſal.65 Pſal.71 Pſal.85

lí poſsimus. Omnis terra adoret te deus & pſallat tibi: pſalmũ dicat nomini tuo. Et adorabunt eũ omnes reges: omnes gentes ſeruient ei. Omnes gentes quaſcunque fe ciſti venient, & adorabunt coram te domine: & glorifica bunt nomen tuum. Quarto verò eccleſia Chriſti hic dicitur apoſtolica : quia prædicatione apoſtolorum & fundata eſt & ſtabilita, qui poſt Chriſtum fuerũt ipſius eccleſiæ architecti & fundatores. In omnibus ſiquidem eccleſiæ filiis id locum habet & veritatem: quod apoſtolus ſcri
Ephe. 2 bit ad Epheſios. Iam non eſtis hoſpites & aduenę, ſed eſtis ciues ſanctorũ & domeſtici dei: ſuper ędificati ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ędificatio perfecta creſcit in templum ſanctum : in domino. Porrò eccleſia ſancta ſacramentorum nouæ legis virtute ac efficacia eſt ſuffulta: illiſque vegetatur ac roboratur. Idcirco vnam confitentes eccleſiam : debemus etiam confiteri ſacramenta eccleſiæ, à Chriſto inſtituta, & à viris apoſtolicis poſteritati tradita. Horum autem omnium dignisſimum atque excellentiſsimum eſt ſacramentum euchariſtiæ: cuius integram fidem & ſynceram nos tenere profitemur, cum in ſymbolo apoſtolorum ſub iſto dicimus articulo, ſanctorum communionem. Eſt enim communio ſanctorum: ſacratiſsimi corporis & ſanguinis Chriſti (quę vere ſunt ſancta & incontaminata myſteria) communicatio atque participatio : per quam ipſi inſerimur & vnum cum ipſo efficimur. Qui manducat (inquit) meam carnem & bibit meum ſanguinem: in me manet & ego in eo.
Ioan. 6

10 ¶ In decimo articulo. Confiteor vnum baptiſma in remiſsionem peccatorum. Vnum vocatur baptiſma: quia ſemel tantum eſt percipiendum, neque quoquo pacto circa eundem iterandum. Et ita nominatur à beato Paulo: cum ſcribit ad Epheſios. Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma. Vnus deus & pater omnium: qui eſt ſuper omnes, per omnia, & in omnibus nobis. Illud autem ſalutare
Ephe. 4 lauacrũ, in peccatorũ remiſsionẽ ordinatur: quia ritè ipſũ ſuſcipiẽti omnia abluũtur & abolentur peccata antè contracta. Vnde B. Paulus ad Epheſios ſcribit : ꝙ Chriſtus
Ephe. 5 mundauit eccleſiam lauacro aquæ in verbo vitæ. Lauacrum autem aquæ, ſacramentum eſt baptiſmi. Sub hoc vti

que

que articulo comprehendi debet cæterorum ſacrāmentorum eccleſiaſticorum fides & confeſsio: vt ſacramenti cōfirmationis, pœnitentiæ, ordinis, & cæterorum. quoniam & hæc ad peccatorum remiſsionem & gratiæ impetrationem, mirificè & efficaciter conferunt. 11 ❡In vndecimo articulo. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Hic articulus, reſurrectionem in fine mundi futuram aſtruit, quam plurimis & veteris & noui teſtamēti comprobatam teſtimoniis, hic velle ſacrorum eloquiorum authoritate munire, ſuperuacuum merito cenſeretur. Symbolum autē apoſtolorum, carnis reſurrectionem dicit, quia corporum tantum erit reſurrectio, non autem animarum. Nempè id reſurrecturum eſt in nouiſsimo die, quod per mortuos incidit in interitum. Animæ autem humanæ per mortem corporis non ſuſtinent interitum: ſed manent ſuperſtites, corpora verò hominum & ſentiunt obitum: & diſſolutionem in puluerem. Rectè igitur creditur reſurrectio carnis futura: quæ eadem eſt & reſurrectio mortuorum.

12 ❡In duodecimo articulo. & vitam venturi ſeculi. Vēturum ſeculum dicitur duratio poſt hanc temporaneam & mortalē vitam futura. ſiue animarum à corpore ſeparatarum: & ante diem iudicij, immortalem in regione cæleſti viuentium vitam. ſiue exacto die iudicij iuſtorum omnium: qui anima rurſum corpori vnita, terram viuentium perpetuo incollent Nompè & illarum vita, itidem & horum: alterius eſt generis quàm ſit hæc noſtra mortalis ſortis conditio, & alterum ſpectat ſeculum, nobis quādiu hic degimus ignotum & inexploratum. Et hæc venturi ſeculi vita (vt dicit ſymbolum apoſtolorum huic loco reſpondens) vita eſt æterna, quoniam neſcia finis & intermina. Quod etiam dominus noſter in euangelio oſtendit: cum dicit apud Matthæum. quòd finito vniuerſali iudicio mali ibunt in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam. Et apud Lucam. Illi verò qui digni habebuntur ſeculo illo & reſurectione ex mortuis neque nubent neducent vxores, neque vltra mori poterunt. Ad quem quidam vitam æternam: nos ſua bonitate atque benignitate perducat deus benedictus in ſecula. Amen.

Matth.26

Lucæ 20

modoq; loquēdi, in qua ſæpi⁹ legitur boni hæc imprecatoria ſalutatio. Vt libro Iudicum angelus domini dixit ad Gedeon. Dominus tecum: virorum fortiſsime. & in libro Ruth, Boos vir Bethleemita ſalutãs meſſores ſuos: ait illis. Dominus vobiſcum. qui reſponderunt ei. benedicat tibi dominus. Similiter beatus Paulus vas electionis, eis ad quos ſcribit valefaciēs: ita ſuam interdum claudit epiſtolã. gratia domini noſtri Ieſu Chriſti: vobiſcũ. amē. Et alio ĩ loco. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cũ ſpiritu veſtro Amen. Tertio profertur à ſacerdote oratio admonitoria eleuationis cordium in deum, vt pote. ſurſum corda Cui reſpondet populus fidelis. Habemus ad dominum. ad inſinuandum quòd tam ſacerdos ipſe celebrans quàm aſsiſtētes ſacris myſteriis, debent relictis terrenorum negotiorũ cogitationibus tunc animos ſuos ad deum erigere. & cœleſtia duntaxat ac ſpiritualia meditari. ſecundum illud apoſtoli monitum ad Coloſſences. Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextra dei ſedens. quæ ſurſum ſunt ſapite, non ſuper terram, Ne ſi corda noſtra non habeantur ad dominum ſed potius ad ea quæ ſunt mundi: locum in nobis habeat quod conqueritur dominus per prophetam Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me. Porrò hanc cordis ad deum eleuationem à nobis habendam eſſe, potiſsimum cum ſacra miſſarum ſolennia celebrantur: admonet ſanctus Cyprianus his verbis, quæ recitantur in decretis canonicis, de conſecratione diſtintione prima cap. quando autem ſtamus. Quando (inquit) ſtamus ad orationem fratres dilectiſsmi: inuigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio carnalis hominis & ſecularis abſcedat, nec quicquam tunc animus aliud quam id ſolum cogitet quod precatur. Ideo & ſacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo. Surſum corda. vt dum reſpondet plebs. Habemus ad dominum. admoneatur nihil ſe aliud quàm dominum cogitare debere. Claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli deo pateat, nec ad ſe hoſtem dei tempore orationis venire patiatur. Hæc Cyprianus. Quarto denique loco pronunciatur à ſacerdote exortatoria oratio ad gratias deo agendas pro ſuſceptis ab eo amplißimis beneficiis. ſcilicet. gratias agam⁹ domino deo noſtro. Cui reſpó-

Iudicum 6

Ruth 2

1. Teſſa. 5

Philipp. 4

Coloſ. 3

Eſaia 29

reſpōdet chorus. Dignū & iuſtū eſt. nos. ſ. domino deo noſtro gratias agere. Nihil enim æquitati magis conſonum aut rationi conſentaneum: quàm benefactori pro acceptis muneribus & donis gratiarū actiones perſoluere. Demùm hanc reſponſionē fidelis populi approbans ſacerdos: cōtinua oratione ſubiungit toti⁹ præfationis cōtextū, & ſermonem ſuum ad deū patrē cōuertit dicēs. Verè dignū & iuſtū eſt, æquū & ſalutare: nos tibi ſemper & vbique gratias agere: domine ſancte, pater oīpotēs, æterne de⁹. Et rectè quidē profitetur ſacerdos ęquū eſſe, nos ſemper & vbique deo gratias agere: quoniā ſemper & vbiq; ſua nobis dona elargitur. Nullū enim tēporis momentū dederis ab exortu noſtro vſque ad obitum: in quo deus indeficienter ſuis nos beneficiis non proſequatur & cumulet, & ſuæ bonitatis manum nobis non aperiat. Quòd enim cōſeruamur in ipſa naturæ integritate, quòd ſua aſſiduè gubernamur prouidentia: nónne ipſius eſt munus. In ipſo enim (vt ait Paulus) viuimus, mouemur & ſumus. Nullus etiam eſt locus, diſtributionis diuinorum bonorū expers: nā ſuæ benignitatis & beneficētiæ radios totū diffundit in orbē. Merito igitur id nobis faciundū: ꝙ propheta monet in pſalmo. Benedicā dominū in oī tēpore: ſemper laus eius in ore meo. Et iterū. In omni loco dominationis eius benedic anima mea domino. Porrò ſubiungitur in præfatione iis quæ ante dicta ſunt ea particula, per Chriſtū dominū noſtrū, referenda quidem ad præcedentia. deſignánſque deo patri nos gratias agere debere per Chriſtum dominum noſtrum, per quem (vt ait Paulus) acceſſum habemus ad patrem. Nemo (inquit) venit ad patrem: niſi per me. Et per eundem, fiduciam habemus ac viam agendi deo patri debitas gratiarum actiones vt mediatorem noſtrum & patronum. Aduocatum enim habemus (vt ſcribit Ioannes in epiſtola) apud patrem Ieſum Chriſtū iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris non pro noſtris autem tantum: ſed etiam totius mundi, qui interpellat pro nobis & exauditur pro ſua reuerentia. Per eum itaque quaſi per mediatorem laudes offerimus: per eū quaſi per aduocatum, deo patri gratias exoluimus.

Act.17. *Pſal.33.* *Pſal.102.* *Ephe.2.* *Ioan.14.* *Ioan.2.* *Roma.8.* *Heb.5.*

2 ¶ Neque nos ſolum, ſed & angelici ſpiritus, per eundē dominū noſtrum dei patris laudant maieſtatem: quemadmodū ſequens oſtendit oratio, ſcilicet, per quē: maieſtatem

tuam

tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates. Per eum vtique paternam maieſtatem laudant: angeli: per quem à deo patre creati ſunt & formati. Per ipſum autem dei verbum facta ſunt omnia: quare & omnes ordines angelici. Rectè igitur & per dei filium, ipſi diuinas deo patri laudes depromunt, illum adorant & cum tremore venerantur. De quo tremoris genere & cuiuſmodi ſit: in præcedente libro facta eſt mentio, in explanatione vnius antiphonarũ ad octauas epiphaniæ domini pertinentiũ. Cæterùm quãuis hoc loco non omnes cæleſtiũ ſpirituũ ordines nominatim exprimantur: attamẽ per expreſſos cæteri ſunt intelligendi, vt per angelos, infimum poſtremæ hierarchię cõplectentes ordinẽ: archãgeli & principatus, duo ſcilicet reliqui illius ſacræ diſtinctionis ordines etiam ſunt accipiendi. Mediæ autem hierarchiæ tres ordines hic ſpeciatim nominantur: vtpote dominationes, poteſtates & virtutes, niſi quis velit potius per virtutes cælorum generatim quoſcunque ſpũs cæleſtes accipere: ſumpto cõmuniter & large eo nomine virtutũ, vt ſuo ambitu angelicas omnes cõplectatur ſubſtantias quemcunque conſtituant ordinem. Nam & in ea vniuerſali ratione: frequens eſt eius nominis vſus in ſacris eloquiis, vt in pſalm. Benedicite domino omnes virtutes eius, miniſtri eius qui facitis voluntatẽ eius. Et apud Lucam. Nam virtutes cælorum mouebuntur, quod gloſa exponens ait. Angelicæ poteſtates tremunt aduentum iudicis. Neque abſona videretur ea generalis, huius nominis acceptio: quandoquidem & cæli hic vniuerſali notione ſupercæleſtes omnes angelicáſque ſubſtantias ſignant, quòd cælorum ſint habitatores & incolæ. Non enim cum nominantur cæli cælorúmque virtutes: per cælos rectè intellexeris ipſos orbes globóſque cæleſtes, quoniam illi ſocietatem non habent cum ſpiritibus ipſis angelicis in celebranda laude diuina. Neque hic nominatis hinc & inde ſupernarum ſubſtantiarum ordinibus, congruè intermiſceri videtur ſermo de ſenſibilibus, & materialibus cælis: qui omnino alterius ſunt generis ab angelorum natura, & gradum poſt illos longè inferiorem ſortiti. Haud tamen cenſuerim inconueniens, angelicos ſpiritus hic nũc ſpeciali ordinum nomine ſignificari: vt cũ nominantur angeli, dominationes & poteſtates, nunc verò generali nuncupatione

Ioan.1 *Pſal.102* *Luc.21.*

cupatione & hierarchias omnes atque ordines cõprehendente hic exprimi, vt cum cęli, virtutéſque cęlorũ appellantur. Nam in ſcripturis & ſermonibus diuinis nunc à ſpeciali ad generale quippiam fit progreſſio, nunc verò rurſum ac promiſcuè à generali ad proprium quicquam & ſpeciale regreſſ᷒. Quod & hoc in loco obſeruari cenſetur, vbi poſt cęlos virtutéſque cęlorum poſtremo loco nominãtur ſeraphim, quę ſupremum ipſius ſummę primęque functionis cęleſtium ſpirituum conſtituunt ordinem. Et ſub illis, duo reliqui eiuſdem ſupremę diſtinctionis ordines, vtpote cherubim & throni comprehenduntur. Commune nanq; ſupernorum ſpirituum omnium (quemcunque conficiunt ordinem) eſt officium: aſſidua ſempiternáque laude diuinã maieſtatem celebrare, quemadmodum dicit propheta in pſalmo. Adorate eum omnes angeli eius. Et alio. in loco. Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes vir-
Pſal.96. tutes eius. Et in Eſdra ſcriptum legimus. Exercitus cęli te
Pſal.148. adorat. At verò pro latini ſermonis ratione, id vel in tranſ
Nee.9. curſu annotandum: nomen illud hebræum ſeraphim, nunc in neutro genere poni ſolere, vt hic locus oſtendit, nunc verò in maſculino: vt apud Eſaiam. Volauit ad me vnus de ſeraphim. Et iterum. Seraphim clamabant alter ad alterum: & dicebant. Eadem tamen ſiue in hoc ſiue illo genere col-
Eſa.6. locetur, manet illius nominis ſignificatio: qua eminentiſſimum angelicarum ſubſtantiarum ordinem ſignat. Demùm quoniam longè præſtantioris ſunt & excellentioris naturæ: ipſi ſpiritus angelici quàm homines, illíque à nobis eo diſpeſcuntur conditionis ac ſortis interſtitio: quo cæli à terra, & ſol ipſe perlucidus à fęculenta materiæ craſsitie, laudes etiam angelicæ quibus deum omnipotentem celebrãt perfectiores ſunt & multò diuiniores quàm humanæ. Sunt enim illæ, iuges & aſſiduæ intentiſſima in deum mente ac feruentiſſimo ſpiritu depromptæ, ſunt itidem ſyncerę ac puræ: nihil terrenæ contagionis admixtum habentes. Noſtræ verò ad deum laudes, multis intermiſſionibus ſunt interciſæ: ob vitę mortalis varias neceſſitates, cum euagationibus crebris & tepore animi plærunque prolatæ, permixtæque rerum ſecularium cogitatibus: ſe cum preces ad deũ
Sap.9. fundimus animo noſtro importune ingerentibus. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam & terrena habi-

tatio

tatio deprimit ſenſum multa cogitantem, vt ait Sapiens. Ad hæc, laudes noſtræ (quibus vtcunque deum prædicam' & colimus) ob inquinamenta peccatorum quibus labefactamur & pro infirmitate noſtra ſæpe prolabimur à recto (in multis enim offendimus omnes) minus gratæ ſunt diuinæ maieſtati & acceptæ. Non eſt enim ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et iniquitatem ſi aſpexi in corde meo: non exaudiet dominus. Quis autem hominum ſe peccatorem nõ fateatur? Quis item poteſt dicere. mundum eſt cor meum, & purus ſum ego à peccato? Angelicorum verò ſpirituum laudes, ipſi ſummæ diuinitati iure ſunt acceptiſſimæ: quòd omni peccato liberi ſint, nullaque malitiæ ſentiant contagia, immò tanta firmitate ipſi bono adhæreant: vt ab illius ſtabilitate & rectitudine decidere neutiquam poſſint. Quare ſuperbum id & inſolens merito putari poſſet: ſi noſtras ipſorum preces dignas iudicaremus quę altiſsimis supernarum virtutum coniungerentur & puriſſimis laudibus. Verùm quia humiliter de nobis ſentientes, iure exiſtimamus (vt debemus) laudationes noſtras ex ſe id dignitatis & meriti non habere: idcirco ſuppliciter petimus diuina dignatione & bonitate eas admitti cum laudibus angelicis, & ſola inducti diuinæ benignitatis fiducia, hácque confidentia freti: celeberrimum illum angelorum concinimus hymnũ laudatiſſimúmque cantum qui ſequitur.

Iac. 3.
Eccl. 15.
Pſal. 65.
Prou. 20.

3 *Angelicus ſimul & humanus hymnus.*

Sanctus, ſanctus, ſanctus: dominus deus Sabaoth. Pleni ſunt cæli & terra. gloria tua. Oſanna in excelſis. Benedictus, qui uenit in nomine domini. Oſanna in excelſis.

3 ¶ Hic diuiniſſimus hymnus: partim ex angelica laude in cælis deo exhiberi audita, partim ex humana ipſi Chriſto in terris decantata componitur. Angelica quidem laus: ea eſt. Sanctus, ſanctus, ſanctus: dominus deus Sabaoth. Pleni ſunt cæli & terra: gloria tua. Reliqua verò ad finem vſque: laus eſt humana, & ab hominibus domino noſtro proclamata. Sanè illa angelorũ celebratio, ex Eſaię ſexto cap. Eſa. 6.

cap.ſumpta dinoſcitur: vbi ait ꝓpheta de duob⁹ ſeraphim.
Et clamabant alter ad alterum: & dicebant. Sanctus, ſanct⁹,
ſanctus dominus deus exercituum. Plena eſt omnis terra:
gloria eius. Apocalypſis item quarto capite de quatuor
Apoc.4. myſticis animalibus dicit. Et requiem non habebant die ac
nocte dicentia. Sanctus, ſanctus, ſanctus: dominus deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt. In illa autem ſupradicta angelorum laude, primo inſinuatur myſterium trinitatis diuinarum perſonarum: cùm ad earum numerum ter repetitur nomen ſanctus, vt primum: deo patri reſpondere intelligatur, ſecundum: filio, tertium verò, ſpiritui ſancto. Idem verò nomen tertio repetitum, innuit nobis omnimodam ipſarum perſonarum æqualitatem ac ſimilitudinem in naturalibus & ſubſtantialibus proprietatibus: potentia, ſapientia, bonitate & æternitate, eandémque earum ſanctitatem. Secundo ſignificatur ibidem vnitas diuinæ ſubſtantiæ: cum in numero ſingulari ſubiungitur, dominus deus ſabaoth. Nomen enim illud ſingulare dominus deus: diuinitatis indicat vnitatem. Quemadmodum autem in ſuperioribus locis iam dictum meminimus, in explanatione ſcilicet cantici ſanctorũ Auguſtini & Ambroſij (cui hic angelorum hymnus fermè integrè inſeritur & ibidem etiam eſt expoſitus) ſabaoth vnum eſt ex ſpecialibus dei nominibus, tantundem valens atque exercituũ. Itaque dominus deus ſabaoth dicitur: quia exercituum cæleſtium angelicorúmque agminum dominus & princeps
eſt, de quorum numeroſitate & turba dicit Daniel. Millia
Dan.7. millium miniſtrabant illi: & decies centies centena millia
aſsiſtebant illi. Eſtque illa denominatio qua deus dicitur
dominus exercituum, frequentiſsime apud prophetas &
ſæpius iterata: vt ea vox prophetica diuinæ poteſtatis am-
Pſa.23. plitudinem & magnitudinem virtutis mentibus humanis
inſinuet. Alio quoque loco, eadem penè ratione dicitur dominus virtutum, vt in pſalmo. Dominus virtutum ipſe eſt
rex gloriæ. Et iterùm. Domine deus virtutũ conuerte nos,
& 79 & oſtende faciem tuam & ſalui erimus. Tertio diuinæ plenitudinis expanſio, diffuſióque deſignatur in verbis illis angelicæ laudis. Pleni ſunt cæli & terra: gloria tua quibus & per cælorum amplitudinem & terræ ſpacioſitatem oſtenditur ſupereffuſa diuinæ magnitudinis plenitudo. Quod

& dominus per prophetam indicat: cum dicit. Cælũ & terram ego impleo, & pſalmographus. Quo ibo à ſpiritu tuo: *Hiere.23*
& quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum: tu illic *Pſal.138.*
es, ſi deſcendero in infernum: ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo: & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua. Neque tamen perperam hunc locum intelliget: qui per cęlos ſpiritus angelicos: & per terram, homines hic acceperit, vt vſitatus eſt ſanctæ ſcripturæ mos. Nam & cæleſtes ſpiritus & homines dei gloria implentur, illi quidem: præſenti glorificatione, hi verò in ſpe & præuia diſpoſitione. Neque alia ſunt creaturarũ genera: diuinæ glorię plenitudine participantia. Cæterùm humana voce depromptum Chriſto præconium: ſcilicet. Oſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine domini, oſanna in excelſis, ex euangelio deſumptum eſt, vbi Matthæus deſcribens ingreſſum Chri- *Matth.21*
ſti inſidentis aſinæ, in Hieruſalem: dicit. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur: clamabant dicentes. Oſanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine domini. Eſt autem oſanna, dictio hebræa: compoſita ex verbo Oſi quod ſignificat ſalua, & dictione Anna: quæ obſecrantis eſt interiectio, affectúmque deprecantis exprimit. Abiecta autem poſtrema litera prioris partis: per earum duarum dictionum vnionem & coaleſcentiam in vnam integram dictionem, dicimus Oſanna, id eſt ſalua obſecro: ſiue ſaluum me fac obſecro. Vnde planè dinoſcitur illa vox turbæ ad laudandum Chriſtum diuinitus incitatæ: ſumpta eſſe
ex pſalmo centeſimo decimoſeptimo, vbi dicit propheta. *Pſal.117.*
O domine ſaluum me fac: ò domine bene proſperare, benedictus qui venit ie nomine domini. Quibus verbis perhibuit populus diuino ſpiritu edoctus, teſtimonium de Chriſto quòd verus eſſet Meſſias in lege & prophetis promiſſus: cum hunc verſum de ipſo dictum & in ipſo iam completum concordi clamore proteſtatur. Porrò illa laus, humana voce deprompta, quæ hunc abſoluit & complet hymnum: ſacrum dominicæ incarnationis explicat myſterium, & id quidem bifariam. Primo, quia ſaluatorem mundi Chriſtum eſſe demonſtrat: cum ſemel & iterum ad exprimendum maiorem deprecationis affectum dicit. Oſanna in excelſis: id eſt, ſalua nos obſecro in cęlis quandoquidem

doquidem in terris conſummata ſalus & ſuprema haberi non poſſit. Quo etiam verbo conteſtatur eum cui hanc acclamat laudem turba, eſſe verum deum: cum ipſius ſolius proprium ſit æternam & cæleſtem dare ſalutem. Domini
Pſal. 3. enim eſt ſalus: vt ait propheta in pſalmo. Et dominus no-
Pſal. 97. ſter: dominus ſaluos faciendi. Alij verò putant orationem illam. Oſanna in excelſis, in hoc loco bis eſſe poſitam: ad expoſtulandam geminam ſalutem, & animę ſcilicet & corporis, tandem in cælis complendam, vt orationis illius ingeminatio: ſignum ſit & nota duplicis ſalutis à deo petendę, & non ſolum animam in cælo ſaluatum iri: ſed & corpus noſtrum in reſurrectione nouiſſimóque die, ſalutis æternę pro ſuo captu ac modo particeps fore orandum eſſe. Secundo ſignificatur per illam populi vocem ipſe Chriſtus à deo patre eſſe miſſus ad ſalutem mundi, ſecundum oracula prophetarum: cum ſubnectit hic hymnus. Benedictus qui venit in nomine domini. Quod de ſolo Chriſto intelligendum eſt, & in eo ſolo completum. vt de ſe teſtatur in euangelio dicens. Ego veni in nomine patris mei: & non me recepiſtis. Alius veniet in nomine ſuo: & illum recipietis. Et ſæpius id coram Iudæis conteſtatus eſt. Ego à meipſo non veni: ſed ille (pater inquam) me miſit. Et opera quę ego facio in nomine patris mei: ipſa teſtimonium perhibent de me. Quod quidem teſtimonium veritatis nos libenter amplexi: læta mente & ſyncæro corde illi iugiter concinamus. Benedictus qui venit in nomine domini. Amen.

De *natiuitate domini præfatio.*

Aeterne deus. Quia per incarnati uerbi myſterium: noua mentis noſtræ oculis lux tuæ claritatis infulſit. Vt dum uiſibiliter deum cognoſcimus: per hunc, inuiſibilium amore rapiamur.

2 *Et ideo cum angelis & archangelis, cum thronis & dominationibus: cumque omni militia cæleſtis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus: ſine fine dicentes.*

Infra actionem.

Com-

4 *Communicantes & noctem (uel diem) ſacratiſſimam celebrantes: qua beatæ Mariæ intemerata uirginitàs huic mundo ædidit ſaluatorem. Sed & memoriam uenerantes imprimis eiuſdem gloriæ, ſemperque uirginis Mariæ, genitricis eiuſdem dei & domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed & beatorum apoſtolorum.*

In epiphania domini præfatio.

5 *Aeterne deus. Quia cum unigenitus tuus in ſubſtantia noſtræ mortalitatis apparuit: noua nos immortalitatis ſuæ luce reparauit. Et ideo, ut ſuprà de natiuitate domini.*

Infra actionem.

6 *Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo unigenitus tuus in tua tecum gloria coæternus in ueritate noſtræ carnis uiſibiliter corporalis apparuit.*

In quadrageſima: præfatio.

7 *Aeterne deus. Qui corporali ieiunio uicia comprimis mentem eleuas uirtutem largiris & præmia, per Chriſtũ dominum noſtrum. Per quem maieſtatem, ut ſuprà in præfatione communi.*

¶ Quę paulo ſuperi⁹ poſita eſt & declarata præfatio, quotidiana & cõmunis vulgato nomine dici ſolet, ꝙ ferè quotidie & in communibus ſolennitatibus vt dierum dominicorum, & diebus itidem non ſolennibus: proferatur in officio miſſæ & decantetur. Cæterùm præter illam aliæ ſunt decem præfationes ſpeciales, & alicui peculiari feſto aut tempori addictæ: propter maiorem diei celebritatem aut propriam temporis ad arctiorem diſciplinam, applicationem. Harum autem nouem nominantur à Gelaſio papa in ſanctione canonica, de conſecratione diſtinctione prima, cap. inuenimus, conſtituta: hoc modo. Inuenimus has nouem præfationes: in catalogo tantummodo recipiendas. Vnam in albis paſchalibus, aliã in die aſcenſionis domini, tertiam die pentecoſtes, quartã de natali domini, quintam

venit lumẽ tuũ:& gloria domini ſuper te orta eſt. Et ambu labunt gentes in lumine tuo:& reges in ſplendore ort⁹tui.

2 ¶ Per hunc inuiſibilium amore rapiamur. Propria & congenea eſt noſtro intellectui via cognoſcendi:quę à ſenſibilibus ad intelligibilia conſcendit:& per viſibilia quaſi ſubſternicula quædam ac adminicula,ad inuiſibilium notionem amorémque erigit & ſubuenit. Cum igitur viſibiliter apparuit deus mundo,in terris quidem viſus & cũ hominibus conuerſatus:per ipſum,ſplendore miraculorum, doctrina cæleſti,& multiplici teſtimonio ſuam deitatẽ approbantẽ,cõuenienti medio& quaſi vehiculo quodã prouehimur, vt in amorẽ inuiſibilium & ſupernorũ bonorũ incitemur & accendamur. Eò enim omnis ipſius tendebat actio & ſermo,vt relicto huius mundi deſiderio: ad æterna & cæleſtia bona auidiſſimè aſpiraremus. Porrò hoc in loco legendum eſt,per hunc inuiſibilium amorem rapiamur,vel per hunc,inuiſibilium amore rapiamur ,vt genitiuus ille inuiſibilium,vnica ſit dictio:habens primã ſuæ compoſitionis partem,particulam in,priuatiuam ſiue negatiuam. Nam ſi quis ſeiunctim legeret hoc modo,per hũc in viſibilium amorem rapiamur:ſenſum ipſum & rectam orationis intelligentiam corrumperet. Quoniam cũ deo viſibili dei cognitione habitus fuerit ante ſermo : nunc de rerum inuiſibilium amore mentionem fieri exigit orationis contextus,vt à viſibilibus ad inuiſibilia fiat aſſurrectio & noſtræ mentis ſubleuatio. Præterea non vult deus vt in rerum viſibilium ſiue ſenſibilium rapiamur amorem : qui per dilectum nobis ſuum diſcipulum præcepit. Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo ſunt.

Baruch.21

1.Ioan.2.

3 ¶ Sine fine dicentes. Sine fine:ſine ceſſatione,ſine requie,ſine intermiſſione,per quod ſignificatur iugis & aſſidua illius excellentiſſimi hymni,ſanctus ,ſanctus ſanctus: dominus deus ſabaoth,à nobis eſſe decantatio facienda. Quod cũ in hac mortali vita perfectè à nobis expleri non poſſit:hoc verbo tacitè & per ſubinſinuationẽ quandã expetitur æternæ beatitudinis conſortium nobis demùm concedi,in qua angelicis cõiuncti choris ſacra laudatione poſſimus hunc hymnum ſine fine ac perpetuò decantare, quemadmodum & ipſæ ſupernæ virtutes atque angelicæ poteſtates hymnum hunc gloriæ domini ſine fine cõcinũt:

Pſal.83. ſecundum illud verbum pſalmi. Beati qui habitant in domo tua domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te.

4 ¶ Et noctem vel diem ſacratiſſimam celebrantes. Cuique præfationi habenti propriam peculiarémque orationem quæ in canone miſſæ ante primam ſanctorũ memoriã eſt dicenda, hoc loco ſubiungitur ea oratio, pronuncianda quidem infra actionem, id eſt inter verba ipſius canonis: qui actio etiam nominatur à ſacris authoribus, quòd in eo diuina aguntur conſecrantúrque & conficiuntur myſteria. Et quanuis ad ſacrum miſſæ canonem pertineant huiuſmodi orationes: hic tamen vnaquæque ſuæ ſubnectitur præfationi ad euitandam confuſionem, & rectiorem ſeruandũ ordinem, qui digeſtior videtur & diſpoſitior: cum cuique quod ſuum eſt adaptatur ac aſciſcitur. In hac autem canonis portiuncula modo adducta, per diſiunctionem ponitur vterque accuſatiuus noctem vel diem: vt alterum tantum eorum nominum dicatur, ſecundum temporis quo fit celebratio miſſæ rationem & exigentiam. Si enim media nocte natiuitatis dominicæ, fit miſſæ ſacrificium, celebrans ſacerdos duntaxat noctem eo in loco nominare debet. Sin verò in die natiuitatis domini, aut aliquo die octauarum eius peragatur de ſolennitate diei natalitiæ officiũ miſſæ: ſolũmodo diem ibidem nominet. Quod & in conſimili particula canonis paſchæ & pentecoſtes: obſeruandum eſt, vt in vigilia illorum feſtorum celebrans: noctem tantummodo nominet, in die verò feſto aut aliquo die octauarum: ſolum proferat diem. Sed hæc ſtatim peruia ſunt.

5 ¶ Quia cum vnigenit⁹ tuus. Filius dei benignitate ſua de noſtro accepit: vt de ſuo nobis conferret. Accepit enim verè, noſtræ mortalitatis ſubſtantiam: & in illa hodierna die. Magis ſtella duce quaſi primitiis electionis gentium apparuit ac demonſtratus eſt. Suæ verò immortalitatis participationẽ & conſortiũ nobis tradidit: cũ nos per nouã dignitatis ſuę lucẽ nube fulgida carnis adumbratã, in priſtinã dignitatẽ reparauit. Cæterùm latinę linguę ratio exigit hic potius omittendã eſſe præpoſitionẽ in: quàm adiiciendam ad ablatiuum, ſicut quamplurimi eam ſuperflue adiũgunt, dicentes in noua nos immortalitatis ſuę luce reparauit. Nam reparo primæ coniugationis verbũ, recuſat præpoſitionem ad ablatiuum ſibi additum: potiúſque eandem

ad

ad accuſatiuum poni poſtularet, ob quãdam motus ſignificationem quam includit. Quare magis dicendum foret: in nouam nos immortalitatis ſuæ lucem reparauit, quàm in noua luce. Verùm ſi per ablatiuũ ſine præpoſitione fiat ſermo: & apta eſt ſententia, & ſermo accommodus, quare hoc modo potius quàm aliis legendum eſt.

6 ¶ Quo vnigenitus tuus, in tua tecum gloria coætern'. Quẽadmodũ in præfatione huius ſolennitatis epiphaniæ domini modo declarata, ſermo totius eccleſiæ catholicę ad deum patrem dirigitur: & duplex domini noſtri Ieſu Chriſti indicatur natura, humana ſcilicet, per ſubſtantiã noſtræ mortalitatis, & diuinã: per lucem ſuæ immortalitatis, ita & in hac portiuncula canonis illi reſpondente: ad deum patrem etiam conuertitur oratio, & gemina filij eius declaratur ſubſtantia, ſcilicet diuina: cum dicitur in gloria patris coæternus, nam ſecundum diuinitatem, id ſolummodo locum habet, & humana, cum in veritate noſtræ carnis viſibiliter corporalis apparuiſſe prædicatur. Vbi veritas noſtræ carnis nominatur in Chriſto, contra impios hæreticos qui dixerunt ipſum ſecundum apparentiam tantum & phantaſiam hominem eſſe factum, & non verum corpus humanũ ſed duntaxat phantaſticum aſſumpſiſſe. Sed quomodo verè factus homo dici poſſet, viſibiliſque & corporalis apparuiſſe iis quibus manifeſtatus eſt, ſi hæc tantum ſecundum opinionem & nõ verè geſta ſunt? Itaque verbum apparuit hic poſitum, non phantaſticam dicit apparentiam aut fictitiam in Chriſto quandam oſtentationem, ſed veram ſui manifeſtationem, qua in anguſto Bethleem oppido latitans, & paruo clauſus tugurio, lucidæ ſtellæ indicio, Magis ab oriente profectis monſtratus eſt, & nouo cælitus oſtenſo ſigno mirificè exteris gentibus declaratus. Mat. 2.

7 ¶ Qui corporali ieiunio vitia comprimis. Tria hic exprimuntur animi bona, quæ per ieiunium ritè obſeruatum deo largitore obtinentur. Primum hoc ſalutari remedio cõprimuntur vitia præſertim carnis, & libidinum reſtinguuntur incendia, perinde atque aqua ſuperfuſa elangueſcit ignis, aut ſubtracto ligno à foco extinguitur. Vt enim teſtatur Salomon in prouerbiis, cum defecerint ligna, extinguetùr ignis. Et author quidã non ignobilis, eandem hoc carmine expreſſit ſententiam. Subtrahe ligna foco, ſi vis ex- Prou. 26.

tinguere flammam. Quod & Hieronymus his cõfirmat verbis. Ieiunio (inquit) ſanantur peſtes corporis, & oratione venena mentis. Secundo, ieiunio mens liberior eleuatur in deum per orationem & diuinorum meditationem, quaſi agilior facta & expeditior vt ad ſuperiora nitatur. Comeſſatione enim & epulationibus crebris mens ipſa deprimitur atque degrauatur: quemadmodum innuit dominus noſter in euangelio cum ait. Attendite vobis, ne fortè grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate & curis huius vitę. Quare ex oppoſito per abſtinentiam & ieiunium mens humana redditur eleuatior atque erectior in deum: quaſi liberata mole ac pondere corporis peſſum trahente. Tertio virtutes animi adaugẽtur obſeruatione ieiunij: & demùm æternæ vitæ præmia acquiruntur. Coniungitur enim conſequio quodam ipſi ieiunio puritas & mundicia vitæ, ſanctimonia & caſtitas: quæ cæteras protinus virtutes omnes ſibi comites aſciſcit, quibus adornata anima cæleſtem demùm requiem aſſequitur. Hæc omnia, ſacræ ſcripturæ teſtimoniis & exemplis facilè comprobari poſſent: niſi id ſuperuacuum hic & minus neceſſarium videretur.

Luc. 21.

De reſurrectione domini: præfatio.

AEquum & ſalutare: te quidem domine omni tempore, ſed in hac potiſſimum die glorioſius prædicare: cũ paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtꝰ. Ipſe enim uerus eſt agnus: qui abſtulit peccata mundi. Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit: & uitam reſurgendo reparauit. Et ideo cum angelis & archangelis, ut ſupra.

Infra actionem.

9 Communicantes & diem (uel noctem) ſacratiſſimum celebrantes reſurrectionis domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum carnem. Sed & memoriam uenerantes imprimis glorioſæ ſemperq; uirginis Mariæ: genitricis eiuſdem dei & domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed & beatorum apoſtolorum.

Hanc

Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ,ſed & cunctæ familiæ tuæ: quam tibi offerimus pro iis quoque quos regenerare dignatus es ex aqua & ſpiritu ſancto,tribuẽs eis remiſſionem peccatorum: quæſumus domine ut clementer accipias.

In aſcenſione domini: præfatio.

10 *Aeterne deus: per Chriſtum dominum noſtrum. Qui poſt reſurrectionem ſuam omnibus diſcipulis ſuis manifeſtus apparuit: & ipſis cernentibus eſt eleuatus in cælum, ut nos diuinitatis ſuæ tribueret eſſe participes.* Et ideo cũ *angelis,ut ſuprà.*

Infra actionem.

11 *Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes: quo dominus noſter unigenitus filius tuus unitam ſibi fragilitatis noſtræ ſubſtantiam,in gloriæ tua dextera collocauit. Sed & memoriam uenerantes imprimis glorioſæ ſemperq; uirginis Mariæ genitricis eiuſdẽ dei & domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed & beatorum.*

In die pentecoſtes: præfatio.

12 *Aeterne deus: per Chriſtũ dominũ noſtrũ. Qui aſcendẽs ſuper oẽs cælos,ſedẽsq; ad dexterà tuã: promiſſũ ſpũm ſctũm hodierna die in filios adoptionis effudit. Quapropter profuſis gaudiis: totus in orbe terrarũ mundus exultat. Sed & ſupernæ uirtutes atque angelicæ poteſtates,hymnum gloriæ tuæ concinunt: ſine fine dicentes.*

Infra actionem.

13 *Communicantes & diem ſacratiſſimum pentecoſten celebrantes: quo ſpiritus ſanctus apoſtolis in linguis igneis apparuit. Sed & memoriã uenerãtes imprimis glorioſæ.*

1 ¶ANNOTATIONES. Cùm paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Hoc ex beato Paulo ſumptum eſt: dicente ad Corinthios. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Et ſignificanter addit noſtrum: ne quis de paſcha 1. Cor. 5.

Iudæorum putet hic ſermonem haberi. quod erat agnus legalis atque figuralis, Moſaico ritu immolatus & manducatus. Verùm illud paſcha erat ſolum figura veri paſchæ Chriſtianorum: & agnus ille typicus vmbra fuit & imago Chriſti veri agni, ad tollenda mundi peccata in ara crucis
Ioan.1 oblati. de quo ait Ioannes Baptiſta. Ecce agnus dei: qui tollit peccata mundi. Prætera agnus ille Hebræorum, ſui ſanguinis aſperſione liberauit populum domini ab exterminatore primogenitorum Aegypti: exemitque dura ſeruitute Pharaonis. Chriſtus autem illius agni veritas, mor-
Osee.13 te ſua noſtram mortem deſtruxit: ſecundum illud dictum propheticum. Ero mors tua, O mors: morſus tuus ero inferne. Et reſurrectione ſua glorioſa vitam noſtram reparauit: non modo animæ ſed & corporis, quod exemplo reſurrectionis Chriſti in conſummatione ſeculi ad immortalitatem eſt reſurrecturum. 9 ¶ Pro iis quoque quos regenerare. Quoniam in vigilia ſolennitatis paſchæ itidē & pētecoſtes in primitiua eccleſia adulti abnegata gentilitate aut Iudaiſmo, Chriſtianæ fidei ſignaculū ſuſcipere volentes, ex inſtituto eccleſiaſtico abluebantur ſacro baptiſmi lauacro: idcirco in vtraque dictarum celebritatum & octauis earum adiicitur canoni miſſæ hæc oratio, qua ſancta mater eccleſia peculiariter orat deū pro filiis ſuis neophytis: & tuuc primum in Chriſto regenitis. Quanuis autem mos ille adminiſtrandi prædictis diebus baptiſmum adultis ſit abolitus, quòd non occurrat amplius conſimilis materia & occaſio quæ tum offerebatur: illa tamē oratio adhuc in officio miſſæ diebus illis dicitur, ſicut & fontium fit conſecratio, in memoriam illius commendabilis & antiquę obſeruatiōis. Nihil autem prohibet illam orationem & nunc fieri pro omnibus, etiam in ætate infantili baptizatis quandoquidem in eis omnibus id locum habet, quòd eos tunc deus regenerare dignatus eſt ex aqua & ſpiritu ſancto, tribuitque ipſis remiſsionem omniū peccatorum. Et ad idipſum referri poteſt pia ipſius celebrantis intentio. 10 ¶ Qui poſt reſurrectionē ſuā. Quòd omnibus diſcipulis ſuis domin⁹ noſter poſt reſurrectionē ſuā
1. Corin. 15 manifeſtus apparuit: euangeliſtæ oēs multifariā declarant
Act.1 & Paulus in prima ad Corint. epiſtola idem ſcribit, & denique acta apoſtolorum circa principium etiam perhibēt, quòd

quòd ſcilicet apoſtolis ſuis præbuit ſeipſum viuũ poſt paſſione ſuã in multis argumentis,per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno dei. Quòd verò ipſis cernentibus ſit eleuatus in cælum,ſanctus Lucas in fine ſui euangelij & initio actuum apoſtolorum dilucide narrat. *Luc.24*
Denique quòd in cælum eleuatus eſt vt nos ſuæ diuinitatis tribueret eſſe participes, innuit beatus Paulus cũ ſcribit ad Epheſios,quòd Chriſtus aſcendit ſuper omnes cælos vt adimpleret omnia,id eſt vt omnes homines ſuæ di- *Ephe.4*
diuinitatis participatione glorificaret atq; repleret. Rurſum eodem loco Paulus. Aſcendens Chriſtus in altum:captiuam duxit captiuitatem,dedit dona hominibus. Illorũ autem donorũ exuberãti elargitione:nobis quoque (cuique pro ſuo captu & modo) ſuæ diuinitatis indulſit conſortium. 11 ℂ Vnitam ſibi fragilitatis noſtræ ſubſtantiam. Noſtræ fragilitatis ſubſtantia,natura eſt humana: in nobis quidem mortalem hanc adhuc degentibus vitã fragilis & infirma, & in Chriſto diſpenſatoria quadã dignatione vt offerretur in precium noſtræ redeptionis, etiam vſque ad mortem fragilitati & infirmitati ſubiecta. Poſt *2.Cor.13*
reſurrectionem verò ſuam hæc noſtra ſubſtantia manſit quidem & manebit ſemper illi vnita:non tamen amplius fragilitatis obnoxia,quia decorem iam indutus eſt dominus per gloriam reſurrectionis : indutus eſt fortitudinem & præcinxit ſe virtute. Crucifixus eſt enim ex infirmitate:ſed reſurrexit ex virtute dei,vt ait beatus Paulus. Et ſicut prius in eo mortale induit immortalitatem,& corruptibile incorruptionem: ita quod antè fuerat in ipſa fragile,iam inuincibilem induit virtutem indomabilémque vigorem.

12 ℂ Promiſſum ſpiritum ſanctum,hodierna die. Sæpius promiſerat dominus apoſtolis,ſpiritum ſanctum ipſis poſt *Ioan.14*
ſuum in cælos regreſſum breui mittendum. Ego rogabo *Ioan.16*
(inquit) patrem:& alium paracletum dabit vobis. Si autem abiero:mittam eum ad vos. Et in aliis locis euangelij compluſculis. Ipſos autem diſcipulos vocat hæc præfatio filios adoptionis:quia per ſpiritum ſanctum(cuius acceperunt primitias)facti ſunt perfectius quàm antè fuerant filij adoptionis dei. Neque id mirum,nam & ſpiritus ſanctus ab apoſtolo vocatur ſpiritus adoptionis,quid ni igi- *Rom.8*

tur eos quos primũ ſuis repleuit donis: faceret adoptionis filios? Cæterùm hæc ſpirit⁹ ſancti effuſio in diſcipulos totum genus humanum non ab re ingenti gaudio lætificat. Nam per eam cœpta eſt euangelicæ legis ſalutariſque doctrinæ promulgatio, & apoſtolica denuntiatione totius mundi ad Chriſtum reductio, vt paulo pòſt ex Iudæis & gentibus factum fuerit vnum ouile, ſub Chriſto vno paſtore. Salus igitur toti mundo annunciata per miſsionem ſpiritus ſancti in apoſtolos, merito materiam profuſioris gaudij in domino, toti mundo miniſtrat. 13 ❡Diem ſacratiſsimum pentecoſten celebrantes. Quid nomen pentecoſte ſignificet, in præcedenti libro declaratum eſt: vbi illi⁹ ſolennitatis reſponſorium occurrebat elucidandum. Et quãuis p̃dicta canonis particula p̱ nomẽ illud in genitiuo poſſet exprimi hoc modo, diẽ ſacratiſsimũ pẽtecoſtes celebrãtes. nó minus tamẽ aptè immo cõgruẽtius, id nomen in accuſatiuo per appoſitionẽ collocatur. Sic enim & in actis apoſtolorũ legimus de Paulo. Feſtinabat enim ſi poſſibile ſibi eſſet, vt diem pentecoſten faceret Hieroſolymis. quod perinde eſt atque ſiquis diceret diem quinquagenariũ ſiue quinquageſimũ. Demùm quòd in linguis igneis apparuit ſpiritus ſanctus apoſtolis, vt dicit præſens locus: ſecundum cap. actuum apoſtolorum oſtendit dicens. Et apparuerunt illis diſpartitæ linguæ tanquam ignis: ſeditque ſupra ſingulos eorum.

Ioan. 10

Act. 20

Act. 2

14 *De ſancta trinitate: præfatio.*

AEterne deus. Qui cum vnigenito filio tuo & ſpiritu ſancto, vnus es deus: vnus es dominus. non in vnius ſingularitate perſonæ: ſed in vnius trinitate ſubſtantiæ. Quod enim de tua gloria (reuelante te) credimus: hoc de filio tuo, hoc de ſpiritu ſancto, ſine differentia diſcretionis ſentimus. Vt in confeßione veræ ſempiternæq; deitatis: & in perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas, & in maieſtate adoretur æqualitas. Quam laudant angeli atque archangeli, cherubim quoque & ſeraphim. qui non ceſſant clamare quotidie, vna voce dicentes.

De ſancta cruce: præfatio.

15 *Aeternæ deus. Qui ſalutem humani generis in ligno crucis conſtituiſti: ut undè mors oriebatur, inde uita reſurgeret. Et qui in ligno uincebat: in ligno quoque uinceretur, per Chriſtum dominum noſtrum, per quem maieſtatem tuam laudant angeli, ut ſuprà.*

De beata uirgine: præfatio.

16 *Aeternæ deus. Et te in ueneratione beatæ Mariæ ſemper uirginis, exultantibus animis collaudare, benedicere, & prædicare. Quæ & unigenitum tuum ſancti ſpiritus obumbratione concepit: & uirginitatis gloria permanente, huic mundo lumen æternum effudit, Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Per quem maieſtatem tuam, ut ſuprà.*

De apoſtolis & euangeliſtis: præfatio.

17 *Aequum & ſalutare. Te domine ſuppliciter exorare, ut gregem tuum paſtor æterne non deſeras: ſed per beatos apoſtolos tuos cõtinua protectione cuſtodias, ut iiſdẽ rectoribus gubernetur: quos operis tui uicarios eidem cõtuliſti præeſſe paſtores. Et ideo cum angelis & archangelis, ut ſuprà.*

14 ¶ ANNOTATIONES. Non in vnius ſingularitate perſonæ. Pater cũ filio & ſpiritu ſancto vnus eſt deus, non in vnius ſingularitate perſonæ: quoniam ipſi tres nõ ſunt vnica & ſingularis perſona, ſed tres perſonæ. Neque in diuina trinitate admittenda eſt vnius perſonæ ſingularitas: vt quòd in ea, ſola ſit perſona patris, aut ſola filij perſona, aut ſola ſpiritus ſancti. Repugnat enim & aduerſatur perſonarum trinitas: vnius perſonæ ſingularitati. Ipſi verò tres, pater inquam, & filius, & ſpiritus ſanctus: vnus ſunt deus & dominus in trinitate vnius ſubſtãtiæ, quòd patris, & filij, & ſpiritus ſancti: vna & eadẽ prorſus ſit ſubſtãtia, & in perſonarum trinitate: vnitas eſt diuinæ ſubſtãtię. At quoniam neutrũ genus in locutionib⁹ de ſuperdiuina trinitate: ſubſtantiæ proprietatúmque naturaliũ eſt indicatiuũ, & quæcunque proprietas eſſentialis conuenit patri, eadem

eadem quoque & filio competit & ſpiritui ſancto, vt eſſe deum, immenſum, æternum, ſumme potentem, ſapiétem, bonum, perfectum, & ita de cæteris, ideo quicquid de patris ſummi gloria profitemur ad eſſentiam attinens & p̄prietates ſubſtantiales, idem confitemur & de filio & de ſpiritu ſancto, ſine aliqua diſcretionis diſtinctionisq; differentia aut diſcrepantia. Nam neque ſecundum ſubſtantiam diuinam, neque ſecundum proprietates ad eam ſpectantes, eſt diuinarum inter ſe perſonarum aut differentia aut diſcretio: ſed ſolum ſecundum proprietates perſonales, quæ ita vni conueniunt perſonarũ, vt alteri nequaquam poſsint communicari. Vt deus pater diſcretionē habet à cæteris duabus perſonis per ingignentiam ſiue innaſcentiam, quoniam eſt ingenitus. Filius verò per gignentiam ſiue naſcentiam: quoniam à ſolo patre eſt genitus, & ſpiritus ſanctus per proceſsionem intimam, quoniam à patre filióque procedit. In his quidem internis emanationib⁹ & habitudinibus, eſt attendenda ipſarum diuinārum perſonarum differentia, diſcretio & diſtinctio. In cōmunibus verò proprietatibus ſubſtantiæ diuinæ & perſonis, nequaquam. Sicut enim pater omnipotens eſt æternus & immenſus, ita & filius, & ſpiritus ſanctus. Et ita de reliquis naturalibus proprietatibus. Cæterùm hic rectè adiectum eſt reuelante patre nos de eius gloria quicquid credere: quoniam humano ingenio aut via non poteſt attingi altiſsimum ſummæ trinitatis myſterium, ſed ſolũ diuina reuelatione, & tantũ de illa credere debemus, quantum ipſa noſtrum ſciens imbecillem captum, reſerare nobis & pateſacere dignata eſt. Reuelare quidē legitur deus pater ſublimia indiuiduæ diuinitatis & trinitatis ſacramēta vt apud Matthæum dominus noſter dixit Petro poſt veræ fidei confeſsionem. Caro & ſanguis nō reuelauit tibi, *Matth. 16* ſed pater meus qui eſt in cælis. Reuelat & filius eadē myſteria hominibus, vt apud Matthæum conteſtatur dicens. Nemo nouit filium niſi pater, neq; patrem quis nouit niſi *Matth. 11* filius, & cui voluerit filius reuelare. Denique & ſpiritus ſanctus ardua reuelat deitatis myſteria, quēadmodũ Paulus ſcribit ad Corinthios Nobis autem reuelauit deus per *1. Cor. 2* ſpiritum ſuum. Et ſpiritus omnia ſcrutatur etiam profunda dei. Ex his iam liquido conſtat quòd in confeſsione ve

ræ

re deitatis,in perſonis adorãda eſt & profitenda proprietas,quandoquidem cuique perſonarum ſua eſt ſingularis proprietas, per quam habet diſcretionem ab aliis vt patris proprietas eſt,eſſe ingenitum,filij,eſſe genitum,ſpiritus verò ſancti,procedere. In eſſentia verò deitatis,adoranda eſt vnitas,nam patris, & filij,& ſpiritus ſancti : vna eſt eſſentia,ſubſtantia,& natura.Deniq; in maieſtate deitatis,adoranda eſt æqualitas: nam æqualis eſt maieſtas patris,& filij,& ſpiritus ſancti,vt nõ ſit maior patris:virtus, & poteſtas quàm cæterarum perſonarum, aut minor filij, aut ſpiritus ſancti,quàm patris,ſed ſint ipſæ tres perſonæ: maieſtate,ſapientia,bonitate,perfectione coæquales,virtutéque pares, quemadmodũ in ſymbolo Athanaſii ſuperius explicato:iam dictum eſt.

15 ¶ Qui ſalutem humani generis. Immenſa dei ſapientia attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter,interdum per oppoſita iis quæ lapſum humano generi induxerũt, ordinauit fieri reparationem inſtaurationẽmq; in ſalutem,interdum verò per ſimilia iis, quæ ruinæ fuerunt inſtrumenta. Nempe primorum parẽtum ſuperbia & inobedientia : intulit toti mundo damnationem. Ex oppoſito domini noſtri Ieſu Chriſti humilitas & obedientia:nobis attulit ſalutarem redemptionem. Decidit in mortis barathrum humana propago: quòd homo ſibi vendicare voluerit dei ſcientiam, & quandam ſimilitudinem. Erecta autem eſt ad ſalutem:ex eo quòd ediuerſo filius dei ſe exinaniuerit ad aſſumendam humanã fragilitatem. Rurſum noſtri generis damnatio:ex ligno ſcientiæ boni & mali habuit exortum. Similiter diuina ordinatione noſtra ſaluatio ex ligno crucis proceſsit,per Chriſti ſanguinem & mortem ſanctificato. Et hoc pacto ex eodẽ ſecundum ſpeciem reſurrexit nobis vita, vnde mors primum fuerat ſuborta, ſcilicet ex ligno. Et antiquus ſerpẽs qui per lignũ paradiſi vicerat primos parentes,quos ſubdola ſuaſione induxerat ad eſum fructus eius, in ligno etiam victus eſt,ſcilicet crucis,per Chriſtum dominum noſtrũ,qui ſalutaris fuit huius arboris fructus, & efficax ad tollendam præuaricationem:ex noxio nobiſque damnoſo fructu prioris arboris inflictam.

16 ¶ Et te in veneratione beatæ Mariæ. Ex præcedentibus

bus repetēdū eſt illud, quod in cuiuſq; præfationis initio ponitur: ſcilicet vere dignū & iuſtum eſt, ęquum & ſalutare, vt cum illis nominibus verbo ſubſtātiuo adiunctis: ordinētur verba infinitiui modi hic nominata, & iſte habeatur ſenſus. Etiam verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, te deum patrē in veneratione beatæ Mariæ ſemper virginis & exultantibus animis collaudare, benedicere, & prædicare. Cęterùm quoniam ablatiuus ille veneratione, generalis eſt ad omnem ſacratiſsimæ virginis ſolennitatē & commemorationē: vbi ſpecialis occurrit illius celebritas vt conceptionis, natiuitatis, annunciationis, viſitationis, purificationis, aut aſſumptionis: nomen illud peculiare in hoc præfationis loco exprimendū eſt, vt in feſto cōceptionis eiuſdem: ita proferenda eſt præfatio. Et te in cōceptiōe beatæ Mariæ ſemper virginis, & cætera. Ita in reliquis eius feſtis: nomen venerationis, in propriū feſti nomen eſt commutandum. Porrò quòd vnigenitum dei filiū ſpiritu ſancto obumbrante concepit ſacroſancta virgo, deum ſcilicet & hominem, non autem hominem ſolum ac nudum: ex primo cap. euangelij lucæ euangeliſtæ euadit manifſteū. Quòd verò lumē illud æternū (quod in tenebris exortum eſt rectis corde) huic mūdo fœlici partu eadem ſacratiſsima virgo protulit: ex ſecundo capite euangelij Lucæ eſt perſpicuum. Denique quòd intemeratæ virginitatis in ea permanſit gloria ſingularis etiam poſt partum: & rubus Moyſi incōbuſtus, & porta Ezechielis clauſa præſignauit, & tota itidem illud confitetur eccleſia: illi laude quotidiana concinens, quòd poſt partum virgo inuiolata permanſerit. 17 ¶ Vt gregem tuum paſtor æternæ non deſeras Hæc præfationis verba, ad dominū noſtrum Ieſum Chriſtum diriguntur, qui de ſe dicit in euangelio. Et ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Grex autem eius eſt multitudo fideliū ſuo precioſo ſāguine redēpta, & ſuæ cæleſtis doctrinæ verbis quaſi pabulo nutrita, atq; ſuorū mandatorū ſemitis & calle directa, ſicut dicit ꝓpheta in pſalmo. Nos aūt populus eius & oues paſcuæ eius. Et rurſum. Populus eius & oues paſcuæ eius: introite portas eius in confeſsione. Petit itaque hæc præfatio: quòd ipſe bonus paſtor gregē ſuum catholicum non derelinquat, aut ſuo deſtituat præſidio

ſed

ſed per ipſos apoſtolos tanquam cooperatores ipſius in cuſtodia gregis & coadiutores: ipſum aſsidua conſeruet protectione. Vt ipſe grex dominicus iiſdem ſine eiſdem apoſtolis rectoribus gubernetur: quos vt vicarios operis ſui vtpote gregis paſcendi, ipſe paſtor æternus ordinauit ac ſanxit debere præeſſe paſtores eidem gregi. Nempe ter beatum Petrum interrogaſſe legitur dominus: an ſe diligeret, & illo reſpondente, ipſum qui omnia nouit, & id ſcire quòd amaret eum. Deinde poſt ſingulam reſpóſioné ſubiunxit, paſce agnos meos, ſiue paſce oues meas. Quibus verbis beatum Petrum conſtituit operis ſui vicarium, voluitque ipſum præeſſe paſtorem ſuo gregi. De aliis itidem apoſtolis & eorum ſucceſſoribus epiſcopis, illud locum habet quod in actis apoſtolorum dicit Paulus. Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Porrò huiuſmodi paſtores ſedulos & diligentes (quales fuerunt apoſtoli) ſe daturum ſuo gregi, pollicitus eſt dominus per Hieremiam dicens. Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina. Vere ſecundum cor domini fuerunt paſtores iſti apoſtolici, quoniam elegit eos ex omni carne & poſuit eos paſcere gregem ſuum catholicum. Quem & ſciétia & doctrina euangelicæ veritatis pauerunt, nam æternæ vitę verba toti mundo ſolicita annunciatione adminiſtrarunt. Et alio in loco per eundem prophetam dicit dominus. Ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris ad quas eiecero eos illuc, & conuertam eos ad rura ſua, & creſcent & multiplicabuntur, & ſuſcitabo ſuper eos paſtores, & paſcent eos. Certe congregauit dominus reliquias gregis ſui, quando mortuus eſt non ſolum pro gente, ſed vt filios dei qui erant diſperſi congregaret in vnum. Et per apoſtolicam euangelizationem oues illæ quæ non erant ex ouili dominico, adductæ ſunt ad caulam gregis eius, & factum eſt vnum ouile & vnus paſtor. Creuerunt itidem & multiplicati ſunt greges domini, quoniam circa apoſtolorum tempora & paulò pòſt totam impleuerunt terram. Demùm ſuſcitauit dominus paſtores ſuper eos: ipſos ſanctos apoſtolos, quos delegit & ſpiritu ſancto & impleuit: ad exequẽdũ hoc miniſteriũ.

Quòd

Gene.37 Quòd ſi horum ſpiritualium paſtorum figuram quæris,
Exo.3 & in veteri lege typum. Ioſeph prius paſcens gregem pa-
1.Reg.16 tris ſui & poſtea totam ſaluans Aegyptum. Moyſes autem
poſt greges ſoceri ſui totam Hebræorum ſynagogam in
deſerto regens. Demùm Dauid (vt primus Regum liber
teſtatur) prius oues paternas & deinde totum regnum Iſ-
rael gubernans: horum noui teſtamenti paſtorum vmbra
fuerunt & imago.

Canon ipſius remiſſæ.

TE igitur clemētiſsime pater: per Ieſum Chriſtum filium tuum dominū noſtrum: ſupplices rogamus & petimus: uti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illabata.

1 ℂ Hæc totius miſſæ pars præcipua, quatuor nominib⁹
Quare hæc miſſa pars dicitur canon. ſolet vulgo appellari: ſcilicet canon, ſecreta, actio & ſacri
ficium. Canō quidē: quod latine regulam ſignificat, quia
verborum huiuſce partis ſeries & connexio: regulariter
& ordinate partim à Chriſto, partim à ſanctis patrib⁹ eſt
inſtituta. Nempe à Chriſto inſtituta ſunt verba ſacramen
talia: ad formam conſecrationis attinentia. Cætera verò
quæ ad dei laudem dicuntur & ad orandum pro populo
Chriſtiano: à ſanctis patribus ordinata ſunt. Non tamen
vno tempore nec ab vno tātum authore: ſed à diuerſis, &
Cur dicitur ſecretū. variis temporibus ſunt ædita, & per Gelaſium papam pr
cipue collecta, licet poſterius nonnulla illis ſint adiecta.
Quoniam igitur inſtitutiōe Chriſti & ſanctorum patrum
regulis conſtituta eſt hæc miſſæ particula: græcè canon
appellatur. Secundo, eadem dicitur ſecretum, potiſsi-
mum ratione prolationis, quia ſubmiſſa voce atque ſe-
creta proferri debet, ne tam ſancti myſterij, verba mani-
feſtè prolata & publicè, per quotidianum vſum vileſcāt,
& à laicis etiam in locis prophanis indebitè atque irreue
renter pronuncientur. Ferunt enim cum olim alta voce
proferretur canon, omnes ferè per aſsiduum vſum, illum
memoria tenuiſſe atque in vicis & compitis publicè decā
tare ſolitos eſſe. Vnde cum quidam paſtores quodam au-
ſu temerario pane ſuper lapidē poſito in agro, verba con
ſecrationis hoſtiæ protuliſſent, conuerſus quidem ille pa-
nis

nis fertur fuiſſe in carnē ad illorū verborum prolationē, ipſi autem igne cælitus in eos dimiſſo diuino iudicio ſunt abſumpti, vt per hanc punitionis ſeueritatē cæteris eſſent exemplo: ne vnquam tale quippiam attentarent neque diuinis abuterentur myſteriis ad iocum aut ludibrium, ſed cum tremore, timore, ac ſumma reuerentia, ij tantum ad quos ſpectat illud miniſterium: ordine & fine atque modo à Chriſto & ſanctis patribus definito religioſe vterentur. In cuius rei ſignum atque figuram, Numeri quarto capite præcipit per Moyſen dominus ipſi Aaron & filiis eius: vt ſoli ingredientes tabernaculum omnia eius vaſa inuoluant, & cum mouenda ſunt caſtra, illa portanda ſingulis filiis Caath diſtribuant. Ipſi verò filij Caath ac cæteri nulla curioſitate videant quæ ſunt in ſanctuario priuſquam inuoluantur: alioqui morientur. Quòd ſi vaſa ſanctuarij tabernaculi Moſaici in tanta haberi iuſſa ſunt veneratione, quæ ſolum figura erant & vmbra ſacrorum nouæ legis: quid reuerentiæ & honoris exhibēdum ſacratiſſimis verbis ipſius canonis? quę prolaturus ſacerdos ingreditur in ſancta ſanctorū: nō ſemel tantum in anno, ſed quoties ipſe miſſam celebrat, neque cum ſanguine hirci immolati pro peccato: ſed cum precioſo ſanguine agni immaculati atque incontaminati. Et quaſi cortinis obtectus atque obuolutus: operatur ſecretum illud myſterium cōfectionis & conſecrationis ſanctiſſimi ſacramenti euchariſtiæ. Ob quam ſanè ſecretam operationem hac in parte miſſæ abſolui conſuetam: etiam ipſa, ſecretum dici congruè poteſt. Conſonat planè ſupradictis illud domini noſtri præceptum apud Matthæum. Nolite ſanctum dare canibus, & margaritas nolite proiicere ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & canes cōuerſi dirumpant vos. Quo nimirum hæc ſacratiſſima canonis verba ſi forent à vulgaribus & populo in propatulo audita, ex aſſiduitate vileſcerent: & forte ad alium vſum inconceſſum adhiberentur, quæ cum manent eis abdita & occultata: habentur ab ipſis in debita veneratione & honore. Aſtipulatur iiſdem & ſacratiſſimus pater Dionyſius in eccleſiaſtica hierarchia: ita ſcribens ad Timotheum. Sed obſerua diligentius, ne ſancta ſanctorum efferas: ne prophanis luminibus violanda permittas. Verùm reuereberis ma-

Num.4

Matth.7.

gis, occultique dei myſteria ſpiritualib' inuiſibilibúſque notionib' honorabis, atque intemerata ſeruabis: nequaquam ea paſſim rudibus tradens, ſed ſanctis ſolis ſanctarũ rerum intelligentias ſacratius pandens. Tertio eadem miſſæ pars (vt iam paulò antè dictum eſt) vocatur actio: quia in ipſa, ſanctiſſimum Chriſti myſterium peragitur quo ex ineffabili ſua charitate corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum: nobis hic peregrinantibus pro viatico contulit. Demùm quarto dicitur ſacrificium, quia per hunc canonem ex pane & vino conficitur ſacrificium ſalutare, ſacrificium laudis, ſacrificium iuſtitiæ, longè acceptius deo quàm antiquæ legis ſacrificia, & omnem illorum multiformitatem vniformiter, & multitudinem vnice complectens, immo omnẽ illorum virtutem ſupereminenter in ſe continens ac comprehendens. Erat enim apud Hebræos ſacrificium pro peccato, hoſtia pacificorũ, expiationis, holocauſtum, iuge ſacrificium, hoſtia pro ignorantiis & in gratiarum actionem. Iſtud verò ſacrificiũ: omniũ illorũ & quorumuis aliorum rationẽ virtute ſua continet & ſuperambit. Nempe ipſum vnum & vnicum: pro totius mundi peccato oblatum eſt, pacificans & inſtaurans omnia quæ in cælis & in terra ſunt. Per ipſum itidem habetur expiatio peccatorum totum igne charitatis incenſum: oblatum eſt pro nobis in ara crucis. Idem quoque iugiter & aſſidue immolatur ad finem vſq; mundi. Denique pro ignorantiis noſtris ipſum deo patri offertur: & in gratiarum actionem de ſuſceptis beneficiis. Iure igitur hæc miſſę portio, in qua tam celebre & ſolenne conſummatur ſacrificium: denominatione ſumpta ab eo quod præcipue in ea intenditur, etiam ſacrificij nuncupatione cognominatur.

Quare dicitur actio & ſacrificium.

2 ¶ Porrò huius canonis adiutore deo nunc aggreſſuri quantulamcunque expoſitionem pro noſtra pollicitatione: nihil ex noſtra tantum ſententia aut opinione in ea aſſeremus. Neque enim tanta nobis ineſt aut temeritas aut æquo maiora audens præſumptio: vt in re tam ardua & ſublimi nouum quippiam ex noſtro & proprio duntaxat iudicio tentaremus ingerere, præſertim poſt tot & tantas à celeberrimis viris Alexandro de Ales, Alberto Magno, Durando in rationali diuinorum officiorũ, Innocentio

tio de officio miſſæ & cæteris: in ſacrũ canonem elaboratas admodum luculentas expoſitiones. Sed vnum qui horum grauiſsimorum patrum penè ſequitur veſtigia, ducẽ mihi in hoc peragrando calle deligam: cúius ſententiis & determinationibus propius inſiſtam. Gabrielem videlicet de literis diuinis optimè meritum, earúmque ſtudioſiſſimum explanatorẽ, qui in opere ſuo ſane præclaro de canone miſſæ: ſupradictorum omnium authorum ſententias ac explicationes fideliter enarrat, & hanc miſſæ particulã egregie copioſéque dilucidat. Verùm contractis loris elaborabo paucis ea cõſtringere: quæ ipſe laxis ſpaciatus habenis diffuſius pertractat atque edifferit. Et multiplicem eiuſdem clauſulę expoſitionem (quam pro more affert: vt omnium ex inſtituto ſuo recenſeat ſententias) prætermittens, vna tãtum quæ literæ videbitur accommodatior, explanatione contentus abibo, eum qui ampliorem efflagitat declarationem, ad fontem vberrimum, vnde iſti deducti ſunt riuuli, remittens. Nã ex illo copioſius ea hauriet omnia: quæ hic breuiore ſermone & quaſi compendiario ſunt conſtricta, ne totum quod molimur opus nimia mole aut prolixitate legentes offendat. 3 ¶ Itaque ipſius canonis initium eſt huiuſmodi. Te igitur clementiſſime pater. Vbi annotatu non indignum cenſent imprimis authores, diuina quadam prouidentia factum eſſe, quod canon ipſe à litera t (quæ apud Hebræos Tau dicitur) incipiat. Nam ipſa ſignificat myſterium viuificę crucis domini, ex ſui effigiatione atque formatione ipſam repræſentans. Apud Hebræos enim ita formatur T. quæ quidem forma: dominicæ crucis figuram propemodum exprimit. Sane illud ſignum eſt, quod teſte Hieronymo in frontibus virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiebant in medio Hieruſalẽ, impreſſum fuit, & huius ſignaculi munimento, ab interitu & exitio liberati ſunt, qui illud præferebãt, vt ſcribit Ezechiel propheta. *Eze. 9*
Illud item ſignum eſt: ſuper quo Moyſes in deſerto erexit ſerpentem æneum, quem ſuſpenſum in ligno quicunq; ſunt contuiti, protinus ab ignitorum ſerpentium lætifero morſu curabantur. Denique illud fuit ſignum: quo ſignati ſunt in frontib' ſuis ſerui dei viuentis, quemadmodum angelus habens ſignũ dei viui, vexillũ ſcilicet crucis, aliis *Apoc. 7*
Num. 21

quatuor angelis clamaſſe ſcribitur in Apocalipſi. Quoniã autem in ſacro canone miſſę paſsio Chriſti recolitur, quæ in cruce completa fuit, idcirco par eſt & æquum ab ea litera ipſum canonem inchoari, quæ ipſam crucem expreſſius quàm cæteræ literæ refert, qualis eſt litera T. vt ſcilicet per eius contuitum: ſacerdos citius & próptius in memoriam paſsionis dominicæ reuocetur. Senſibiles enim notæ intellectum noſtrum facile excitant & mouent ad notionem intelligibilium, illiq́ue præſtant adminiculũ ad ſpiritualium contemplationem.

4 ℭ Cæterùm in fronte canonis poſita particula, igitur: connexiua eſt ipſius canonis cum præcedente ſententia & hymno partim angelico, partim humano, vt hic habeatur ſenſus. O parter cæleſtis, quia pleni ſunt cæli & terra gloria tua, quia miſiſti miſeratione tua ad nos filium tuũ benedictum, qui per aſſumptam humanitatẽ venit in hunc mundum in nomine tuo: ideo te rogamus & petimus. Nomen autem patris, ibidem perſonaliter ſumitur & diſcrete: vt primæ perſonæ in ſumma trinitate ſit nomen, quod per ſubiunctum accuſatiuum, filium tuum: ſatis innuitur. Nam ea duo pater inquam & filius: mutuam adinuicem habent relationis habitudinem. Sanè quatuor in ipſo canonis principio adducuntur motiua atq; incitatoria: quæ perfacile deum patrem inflectere poſsint, vt noſtras preces exaudiat. Primum ipſius patris clementia ſiué miſericordia. Quãuis enim innumeras habeat eximias proprie-
Iohe.2 tates, quibus honorari celebrariq́ue à nobis rite poſsit: hoc tamen congruentius quàm alio quouis nomine clementiſsimum, id eſt ſumme miſericordem appellamus, vt
Heb.9 quia ſecundum prophetam benignus eſt & miſericors at-
1.*Ioan*.2 que præſtabilis ſuper malicia: ipſe per ſuam clementiam & miſericordiam benignas aures inclinet precib⁹ noſtris, neque de peccatis noſtris vindictam ſumat vt meremur: ſed veniam illorum ac remiſsionem clemẽter indulgeat. Eſt enim ſecundum Ariſtotelem clementia, virtus ſpectãs ad principes & præſides: moderatiua pœnarum reis infligendarum, & inclinans ad miſericordiam ipſis exhibendam. Secũdum, eſt mediũ efficax per quod petimus: quoniam per Ieſum Chriſtum, filium dei patris dominum noſtrum, tanquam mediatorẽ inter deum patrem & nos peccatores,

catores,tanquam aduocatum qui apparet vultui dei ꝓ nobis:vt ſemper viuens interpellet pro nobis. Aduocatum enim habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris,vt ait Ioannes. Per hunc ergo mediatorem & aduocatum noſtrum,bono *Ioan.16* iure patrem rogamus:quoniã per ipſum, impetrandi certitudinem accepimus. Ipſe nanque qui æterna eſt veritas,ſub aſſertoria pollicitatione nobis in euãgelio promiſit dicens. Amen amen dico vobis,ſi quid petieritis patrẽ in nomine meo:dabit vobis. Petite,& accipietis. Et non modo hoc in loco,ſed & in omni oratione, eccleſia petit ſuas preces exaudiri per dominum noſtrnm Ieſum Chriſtum,illóque fine omnem claudit & terminat ſuam deprecationem: ad inſinuandum quòd quicquid petitur ab hominibus,non niſi in nomine Chriſti filij patris dilecti exaudiatur atque impetretur. Tertium quod hic affertur,cõducens & accommodum vt preces noſtræ ſuſcipiantur à deo:eſt deprecantiũ humilitas ſignificata per id quod petimus ſupplices, id eſt humiles, quoniam ab initio ſuperborũ ſupplicatio non placuit deo,ſed humilium:vt ait Iu *Iudith.9* dith. Et eccleſiaſticus. Oratio humiliantis ſe,nubes pene- *Eccl.35* trat:& non diſcedet donec altiſsimus eam aſpiciat. Deni- *Luc.18* que in euangelio phariſæus ille qui iuſtitias ſuas iactãter *Daniel.9* enarrauit coram deo:ſpretus eſt,vbi publicanus cõfitens humiliter peccata ſua,exauditus eſt & iuſtificatus. Quoniã igitur ſupplices rogamus: cũ Daniele rectè dicimus, quod non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem dei:ſed in miſerationib⁹ eius magnis & multis. Quartum eſt vehemens petendi affectus: geminatiõe verbi deprecatorij expreſſus,ſcilicet rogam⁹ ac petimus. Accumulãtur enim ibidẽ verba petitionẽ explicantia,ad ſignificandũ ipſius affectus noſtri magnitudinẽ: vt in geminata poſtulatione melius obtineatur quod intendimus. Ponũtur autẽ ea verba & ſequentia fere omnia in numero multitudinis & plurali:ad deſignãdũ quod ſacerdos hæc orans aut offerens,nõ pro ſe ſolũ & in ſua ſolius orat perſona,ſed vice & loco omniũ Chriſti fidelium & in perſona totius eccleſiæ:orationem deo patri fundit & offert ſacrificium,quandoquidem ipſe celebrans publico fungitur miniſterio:orandi pro omnibus.

5 Sed nunc quid rogamus & petimus deum patrem: attẽtius eſt animaduertendum, & potiſsimũ duo poſtulata hic exprimuntur. Primum vt deus pater accepta habeat id eſt grata & placita dona quæ offeruntur: panem ſcilicet & vinum in altari præparatum, vt conſecretur in oblationem ſecũdum Chriſti domini noſtri ſanctionem & inſtitutum. Dixerat quidem ſæpius per prophetas dominus. ꝙ nõ placerent ei victimæ & holocauſtomata ritus antiqui, quoniam venturum erat & inſtituendum vnum nouæ legis ſacrificium: illi ſumme & vnice placiturũ. Cum igitur illud euangelicum ſacrum nunc offeramus, vt dominus & legifer noſter inſtituit, in quo ipſi patri bene complacuit: merito nunc rogamus vt grataꝗ ſint & accepta hæc munera noſtra ipſi deo patri ad illud ſacrificium offerendum apparata. Secundo petimus vt deus pater benedicat eadem dona & munera: hoc eſt vt benedictionem ſuæ virtutis & gratiæ illis infundat, vt idonea ſint tam digno ſacramẽto, vt in corpus & ſanguinem Chriſti conuertantur. Non enim noſtri officij eſt benedicere: ſed dei ſolius. Noſtrũ autem eſt, dei nomen humiliter inuocare: vt benedictionem ſuam nobis elargiatur, quemadmodum ipſe ait per Moyſem in libro numeri de ſacerdotibus. Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael: ego autẽ benedicam eis. Exprimuntur autem offerenda munera, panis ſcilicet & vinum aqua mixtum (quæ demonſtrantur illo pronomine hæc, ter repetito) triplici nomine: cum ſubiũgit litera canonis. Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata. Nõ quidẽ quod ꝑ hæc tria aliud & aliud dicatur: ſed res vna pro ſuæ magnitudinis excellẽtia: diuerſa appellatiõe celebratur. Horum enim verborum inculcatio: piæ deuotionis eſt exercitatio, & ineffabilis commendatio ſacramenti. Siquidem non inuenitur aliquod vocabulum quo tãtum ſacramentum digne valeat appellari: quoniam omne nomen, illius dignitate eſt inferius. Itaque tria illa nomina eaſdem res deſignant: ſubſtãtias ſcilicet illas panis & vini oblatas altari, in quibus perficienda eſt cõſecratio, diuerſa tamen ratione: quod illæ materiales ſubſtantiæ trifariã poſſint conſiderari. Primo vt ex dei liberalitate in nos profluunt: & ſic dicũtur dona, vel vt à nobis pie recipiũtur: & ita dicuntur munera, aut vt deo à nobis offeruntur

Eſaiæ.1 *Hiere.6* *Num.6*

tur: & ſic vocantur ſacrificia. Eſt enim donum proprie: quod inferiori à ſuperiore gratis confertur. ſecundum illud Iacobi verbum. Omne datum optimum & omne donum perfectum. de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminũ. *Iacob.* 1
Munus verò dicitur: quod ab inferiore, ſuperiori præſentatur: vt Geneſis quarto cap. Reſpexit dominus ad Abel *Gene.* 4
& ad munera eius. Sacrificium verò eſt: quod creatori in victimam & hoſtiam offertur vt in pſalmo: Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ: & ſperate in domino. *Pſal.* 4
Eſt itaque donum: dantis. munus: recipientis. ſacrificium: offerentis. 6 ¶ Dicuntur autem pluralitatis numero dona, munera & ſacrificia, quoniam panis & vini antequam conſecrantur alia & alia eſt ſubſtantia, & vna ab altera re ipſa diſcrepans. quæ ſubſtantiarum diuerſitas: numero multitudinis aptè exprimitur, nam hoc loco ipſa demoſtrantur ante factam conſecrationem. Ea verò conſummata: interdum etiam adhuc numero conſimili & multitudinem indicante explicantur, & ſacramenta aut ſacrificia dicuntur. non quidem ob ſubſtantiarum (quæ iam conuerſæ ſunt) varietatem: ſed ob ſpecierum ſub quibus tam ſancta continentur myſteria, diuerſitatem. Nempè poſt conſecrationem ſuperſtes eſt ſpecies, forma & figura panis, ſub qua ſacroſanctum Chriſti corpus continetur. ſupereſt & ſpecies vini, ſub qua precioſus eius ſanguis mirabiliter occultatur. Itaque hæc ſpecierum diuerſitas cum præcipuis & primariis ſub ipſarum velamine contentis rebus ſignatis, corpore ſcilicet Chriſti & ſanguine, inter ſe ſubſtantia diuerſis, etiã poſt conſecrationem numero plurali deſignatur. Denique hæc ſacrificia, etiam ante conſecrationem hic ſãcta & illibata. non quidem ſecundum ſe, neque ſecundum ſubſtantiam, neque abſolute, ſed ratione ſignificationis myſticæ, & quia nunc ſignificant (ratione habita ad id quod mox futurum eſt) ſacroſanctum Chriſti corpus & immaculatũ eius ſanguinem: in quæ paulo pòſt per prolationem verborum ad conſecrationem attinentium cõuertentur. Aut ſancta dicuntur, id eſt ad ſanctum vſum deputata, ſicut & Alchimelech ſacerdos legitur dixiſſe ad Dauid, in figura huius ſacramenti. *1 Reg.* 21
Non habeo panes laicos, id eſt communes & omnium vſui quotidiano accomodatos, ſed tantum panem

 ſanctum.

ſanctum, quo ſcilicet ſolis ſacerdotibus veſci fas erat. Sic & illibata dicuntur hic ſacrificia, id eſt immaculata, quia ſine macula corporis & animi opus eſt eo offerri, quatin⁹ & cor ab iniquitate purgetur, & corpus ab immundicia, ſecundum illud verbum Eſaiæ prophetæ capite quinquageſimoſecundo. Mūdamini: qui fertis vaſa domini. Cui reſpondet illud dictum Leuitici capite viceſimoſecundo de ſacerdotibus. Sancti erunt deo ſuo: & non polluent nomē eius, incēſum enim domini & panes dei ſui offerūt: & ideo ſancti erunt.

Eſa.52 Leui.22

IMprimis quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta catholica: quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, unà cum famulo tuo papa noſtro. N. & antiſtite noſtro. N. & rege noſtro. N. & omnibus orthodoxis atque catholicæ & apoſtolicæ fidei cultoribus.

7 ¶ Hæc pars canonis ſpeciatim declarat: pro quib⁹ ſacerdos celebrans offert ipſa dona & munera precēſq; fundit deo patri, explicans potiſsimum quatuor eorum genera, pro quibus petit hæc ſacrificia acceptari: primum ſcilicet pro tota vniuerſali eccleſia, ſecundo pro iis qui ſuper alios primatum aut ſpiritualem aut ciuilem gerunt, tertio pro omnibus rectam tenentibus fidem, quarto verò pro quibuſdam in particulari. quos ſecreto nominat. Et merito quidem certus rogandi ordo hic præſcribitur ac definitur, quoniam licet bona ſpiritualia omnibus ſint communicanda, qualia ſunt miſſarum ſuffragia: illa tamen ſecundum ordinatam charitatem (ſicut & dilectio) ſunt cuique impartienda, ſecundum illud verbum ſponſæ in canticis. Introduxit me rex in cellam vinariam: ordinauit in me charitatem. Vnde prius orādū eſt pro eccleſia tota quàm perſonis ſingularibus: quoniam bonum cōmune recto iure præponendum eſt bono priuato & particulari, tāquam præſtantius atque nobilius. Ita prius pro papa offerendū quàm rege: quòd ſummi pontificatus dignitas regia maieſtate ſit eminentior atque ſublimior, Cum Chriſti in terris vices gerat & locum. Et ita de cæteris. Hunc autem ordinem determinatum orandi: primum pro omnibus generatim,

Can.2

ritim,deinde verò pro iis qui publicam alios gubernandi habent adminiſtrationem,exprimit apoſtolus,ita ſcribens ad Timotheum. Obſecro primum omnium fieri obſecrationes,orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt conſtituti: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caritate. hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſaluatore noſtro deo: qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1.*Tim*.2
Vbi gloſa Haymonis dicit. Miſſæ hic ordo oſtenditur. Et credibile eſt, ex hoc apoſtoli loco hunc depræcandi ordinem qui hic conſtituitur: a ſanctis patribus primum eſſe deſumptum. Imprimis igitur fit oblatio ſalutaris ſacrificij pro eccleſia dei: id eſt tota congregatione fidelium habentium communionem in eccleſiaſticis ſacramentis,que hic in terris adhuc degit & militat. Licet enim id nomen eccleſia diuerſas in ſacris eloquiis habeat acceptiões. hoc tamen loco in ſignificatione iam dicta duntaxat ſumitur, ſicut & in ſymbolo apoſtolorum & Niceno. In cuius explanatione,cur etiam ſancta dicatur eccleſia & catholica: iam paulò antè dictum eſt. At verò ipſa tota eccleſia, hic rectè dei patris eſſe innuitur, per pronomen poſſeſsiuum illi adiunctum:quia ab illo indeficienter gubernatur, vegetatur & regitur. Quomodo enim non pertineret ipſa ad patrem:que Chriſtum dei patris filium habet caput? ſicut apoſtolus ad Epheſios ſcribens,de patre dicit quod Chriſtum dedit caput ſuper omnem eccleſiiam:quæ eſt corpus eius. quæ etiam Chriſtum habet ſponſum: ſicut ipſe per Oſee ꝓphetã ait. Spóſabo & mihi ĩ fide: & ſcies quia ego dominꝰ. Et Ioãnes in euãgelio. Qui habet ſpõſã: ſponſꝰ eſt Quonã pacto ergo poſſet ipſa à deo patre eſſe aliena:quę dilecto eiꝰ filio tãarcta neceſsitudine,tã ſtricto copulationis indiſſolubilis vinculo eſt coniuncta?cum ipſe côteſtetur in euangelio ad patrem. mea omnia, tua ſunt, & tua, mea. Sed & ipſa eccleſia ad ſpiritum ſanctum magnam habet etiam connexionis habitudinem,tanquam ad ſuum rectorem, & doctorem,& illuminatorem. Dicit enim Paulus in actis apoſtolorum. Attendite vobis & vniuerſo gregi:in quo poſuit vos ſpiritus ſanctus regere eccleſiam dei Et Chriſtus apoſtolis ſpiritũ ſanctum promittens: rogabo (inquit)

Ephe. 1
Oſee 2
Ioann. 3
Ioann.17
Actu.20
Ioann.14

(inquit)patrem meum & alium paraclitum dabit vobis,vt maneat vobiſcum in æternum. Et rurſum. Paraclit⁹ autem ſpiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo:ille vos docebit omnia. Et iterum alio in loco. Cum venerit ſpiri-
Ioan.16. tus veritatis:ille vos docebit omnem veritatem. Quæ quidem promiſsiones,non ſolum ipſis apoſtolis perſonaliter ſed ipſorum nuncupatione. toti eccleſiæ (quæ tum in ipſis
Mat.28. conſiſtebat) vniuerſaliter factæ ſunt. Sicut & illa Chriſti promiſsio iam in cælum aſcenſuri,ad apoſtolos. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad cōſummationem ſeculi:non tam ipſos quàm totam concernebat eccleſiam, ad finem vſque mundi duraturam. Cum itaque ſpiritus ſanctus,etiam patris ſit ſpiritus. non eſt extranea neque aliena à deo patre eccleſia,quæ eius ſpiritu viuificatur & roboratur. Eſt igitur & dei patris eccleſia. Non tamen eius ſolius: ſed & filij, & ſpiritus ſancti vna & eadem eccleſia, quoniam ipſorum indiuidua eſt & vna in ſanctam eccleſiam operatio.

8 ¶ Porrò quatuor hic deinde exprimuntur quæ ſacerdos petit à deo patre ipſi eccleſiæ catholicæ concedi:per totidem verba ſuo ordine digeſta. Primo quòd dignetur, velitque pro ſola ſua dignatione & non meritis noſtris eam
Ioan.14. pacificare: vt pacē habeat ab hæreticis & ſchiſmaticis, ne-
Ioan.17. que interturbetur ab illis aut infeſtetur,quoniam Chriſtus hinc diſceſſurus pacem ſuam illi reliquit:dicens diſcipulis ſuis. Pacem meam do vobis:pacem relinquo vobis. Non quomodo mundus dat,ego do vobis. Et rurſum ad eoſdē: immò in illorum perſona ad totam eccleſiam. Hæc locutus ſum vobis: vt in me pacē habeatis. Secundo quòd digne-
Mat.16. tur eam cuſtodire à vitiis & dæmonibus:ne ab illis concul-
Pſal.126. cetur & peſſundetur, quoniam Chriſtus promiſit quòd por
Pſal.67. tæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Sed id fieri non
Act.4. poteſt:niſi ipſa,diuina cuſtodia ſit munita, quoniam niſi
Ioan.11. dominus cuſtodierit ciuitatem:fruſtra vigilat qui cuſtodit
Pſal.146. eam. Tertio quòd dignetur eam adunare quæ diſperſa eſt inter paganos & perfidos, vt habitare faciat omnes vnanimes in domo domini: & multitudinis credentium ſit cor vnum & anima vna. Ipſe enim Chriſtus pro ea mortuus eſt: vt filios dei qui erant diſperſi congregaret in vnum. Et propheta de ipſo dicit in pſalmo. Aedificans Hieruſalem

lem dominus: diſperſiones Iſraelis congregabit. Illud igitur nunc petitur compleri. Quarto quòd dignetur eam regere in proſperis & aduerſis: vt cum propheta dicat. Dominus regit me & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. In proſperis quidem: ne inſoleſcat & extollatur, in aduerſis verò: ne opprimatur & deiiciatur, vt per diem ſol non vrat ipſam: neque luna per noctem. Verùm non petit ſacerdos deum patrem, quòd pacificet, cuſtodiat, adunet, & regat eccleſiam: in hoc loco particulari vel illo conſtitutam, ſed in toto orbe terrarum, quoniam hæc deprecatio non pro hac vel illa funditur eccleſia ſingulari: ſed catholica & vniuerſali. Deberet enim (ſicut olim quoque fuit) ipſa Chriſti eccleſia: per totum orbem terrarum eſſe diffuſa, quemadmodum de Chriſto capite eccleſiæ: loquitur dominus per Eſaiam. Dedi te in lucem gentium: vt ſis ſalus mea vſque ad vltimum terræ. Ita & Chriſtus præcepit apoſtolis. Et eritis mihi teſtes in Hieruſalem, Iudæa, & Samaria & vſque ad vltimum terræ. Nempe vocata eſt ipſa eccleſia per apoſtolos: de cunctis terrarum finibus, quod inſinuatum eſt in miſsione viſibili ſpiritus ſancti: per quã cum apoſtoli incœperunt euangelium Chriſti prædicare, loquebantur omnium linquis: ad ſignificandum (vt ait B. Gregorius) quòd eccleſia Chriſti omnium eſſet gentium voce locutura. Et hoc itidem eſt quod dominus in euangelio innuit: cum inquit. Multi ab oriente & occidente venient: id eſt ex omni tribu & gente (vt exponunt ſacri authores) & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum. Idcirco etiam canticum ſanctorum Auguſtini & Ambroſij deo concinit. Te per orbem terrarũ ſancta confitetur eccleſia. Sed exigentibus peccatis noſtris ipſa (vt ſupra dictum eſt) in anguſtum. Europæ angulũ nunc coarctata & redacta eſt.

Pſa. 22. *Pſal. 120.* *Eſa. 49.* *Act. 1.* *Actu. 2.*

9 ¶ Cæterùm poſt eccleſiam catholicam petit ſacerdos oblationẽ miſſæ etiam fieri pro ſummo pontifice: qui papa id eſt pater patrum dicitur. Fuerunt quidem harum duarũ dictionum pater patrum, primæ ſyllabę pa. pa. prius diuiſim poſitæ, & ſingularum dictionum integrarum repræſentatiuæ, poſtea verò ſcribentium incuria in vnam coadunatæ dictionem, & inde conflatum id nomen papa. Quod ſanè merito peculiaritérque ipſi ſummo põtifici aſciſcitur: quo-

quoniam omnium epiſcoporum, patriarcharum, & cæterorum eccleſiæ patrum ſpiritualium pater eſt ſupremus atq; ſummus. Debet autem ipſius papæ nomen exprimi nominatim: vt maior ſit & attentior applicatio orationis ad ipſum, eo in loco vbi litera. N. maiuſcula collocatur: ſignificans nomen eius proprium inibi exprimendum. Vt nunc celebrantes: Leonem nominare debent, qui his temporib⁹ ſedi apoſtolicæ præſidet. Per antiſtitem verò accipitur hic epiſcopus loci illius in quo fit miſſæ celebratio: pro quo etiam hoc in loco peculiaris fit deprecatio, qui & nominatim itidem eo loco exprimendus venit. Demùm nomine regis intelligitur princeps terrenus loci illius: in quo celebratio miſſæ peragitur, nam & pro ipſo ſpecialis habetur hic oratio atque mentio nominarique vt præcedentes debet. Vnde Iudæi in captiuitate Babylonica conſtituti: ita ſcripſiſſe leguntur ad Iudæos cõfratres ſuos adhuc degentes in Hieruſalem. Orate pro vita Nabugodonoſor regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filij eius: vt ſint dies eorũ
Baruch. 1. ſicut dies cæli ſuper terram, & vt det dominus virtutem nobis: & illuminet oculos noſtros, vt viuamus ſub vmbra Nabugodonoſor regis Babylonis & ſub vmbra Balthaſar filij eius: & ſeruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conſpectu eorum. Quòd ſi pro rege à cultu dei alieno iubet propheta diuino monitu orationem fundi ad dominum: quanto magis debet quiſque celebrans pro rege & principe Chriſtiano deprecari, ſub cuius degit principatu? vt dominus conſeruet eum & viuificet eum & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manus inimicorum eius: ſed opem ferat illi.

10 ¶ Poſtremùm à ſpecialibus rurſum ad generalia progrediendo fit etiam oratio à ſacerdote celebrante pro omnibus orthodoxis, id eſt rectè de fide ſentientibus. Siquidẽ
Pſal 40. orthodoxus græcum nomen, deducitur ab orthos, quod rectum ſignificat, & doxa, quod ſententiam, opinionémque & æſtimationem ſignat. Et is orthodoxus dicitur, qui rectã fidei ſententiam ſequitur, & determinationem. Fides itidẽ orthodoxa nuncupatur, quod rectè ſit ſententiæ & definitionis, nihil habens à veritate alienum, nihil à rectitudine deuium, aut abhorrens ab æquitate. Vnde eximius pater Ioannes Damaſcenus, librum ſententiarum à ſe compoſitum

tum inſcripſit de fide orthodoxa, quod in eo rectam fidei ſententiam, & veram regulam complectatur. Cum igitur orat ſacerdos pro omnibus orthodoxis, id eſt fidelibus & rectam profitentibus fidem: planum eſt ipſum non orare pro infidelibus, hæreticis & ſchiſmaticis, quoniam qui huiuſmodi ſunt, recta fide & vnione ad eccleſiam carent, neque Chriſto capiti neque cæteris eccleſiæ membris ſpiritualiter connectuntur, ſed à fructu huius ſacrificij vt reiectitij & alieni prorſus excluduntur. At verò quod græco nomine orthodoxis, & multis fortaſſe incognito, iam dictũ eſt, poſtea oratione latina dilucidius explanatur cũ ſubiũgit litera canonis, atq; catholicę & apoſtolicę fidei cultorib⁹, hoc enim poſterius, declarat apertius antè poſitũ vocabulum. Dicitur autem catholica fides, id eſt vniuerſalis, ratione ſuæ dilatationis atque diffuſionis, quoniam eius documenta non particulariter vni populo ſed vniuerſaliter toti mundo ſunt tradita, cum prædicatum eſt euangelium omni creaturæ, & omnes ad eam amplectendam obligantur, cum dictum ſit. Qui non crediderit, condemnabitur. *Matth.16* Non ergo addicta eſt fides Chriſtiana vni nationi, ſicut olim lex vetus vni tantum populo Iſraelitico data, cæteros non obligabat. Dicitur & fides apoſtolica: quoniam per apoſtolos in toto orbe terrarum eſt promulgata: ſicut teſtatur Marcus dicens. Illi autem profecti prędicauerunt vbique: domino cooperante, & ſermonẽ confirmante ſequentibus ſignis. Studioſè enim peregerunt: quod præceperat eis dominus. Ite docete omnes gentes. Et quemadmodum *Matt.28.* de ipſis prædixerat propheta: In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. *Pſal.18.* Dicitur etiam fides apoſtolica: quoniam per apoſtolos primum certis articulis & ſententiis in vnam formam ac regulam redacta. Ipſi nanque accepta prouincia annunciandæ omnibus ſanctæ fidei: antequam à ſe inuicem diſpergerentur, conuenerunt in Hieruſalem, & fidei articulos quos prædicaturi erant ſimul contulerunt, ſymbolúmque primum ædiderunt: à quo cætera ſunt deducta ſymbola, vt vniformis eſſet eorum doctrina, nec inter eos forent ob varia & diuerſa dogmata diſſenſiones, multiformésve ſententiæ: per quos totus fidelium cætus in vnitatem fidei fuerat colligendus. Cum itaque principia fidei Chriſtianæ ab ipſis

apoſto-

apoſtolis in vnum quaſi corpus ſint compacta & toti mundo conformiter annunciata: rectè fides ipſa, hic apoſtolica appellatur.

MEmento domine famulorum famularumq́; tuarumt N. & N. Et omnium circũſtantium, quorum tibi fides cognita eſt & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, uel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe ſuisq; omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, tibiq́; reddũt uota ſua æterno deo, uiuo & uero.

81 ¶ In hac parte canonis orat ſacerdos ex inſtituto eccleſiaſtico pro quibuſdam ſpecialibus ſingulariter: petitq́; quòd illorum memor ſit dominus. Non quidem vt ipſum
Iacob.1. ex obliuione reuocet ad quorundam recordationem: apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſsitudinis obumbratio ſed vt deum inflectat ad miſerendum illorum pro quibus orat: dando remiſsionem peccatorum & conferendo gratiam. Tunc enim meminit deus aliquorum in bonum: cum
Iob.7. ipſorum miſeretur, vt Iob. Memento mei deus: quia vent⁹
Pſal.105. eſt vita mea. Et propheta in pſalmo. Memento noſtri domi
Lucæ 23. ne in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo. Et vnus latronum in euangelio orat. Memento mei domine: dum veneris in regnum tuum. Famulos autem & famulas vocat eos pro quibus orat, potius quàm viros & mulieres: vt humili profeſsione famulatus & ſeruitutis inclinet do-
Sap.9. minum quem precatur, ad petitorum conceſsionem. Efficaciſsima enim gratiæ imperatrix: eſt humilitas. Sic planè Sa
Pſal.142. lomon orans deum pro conſequenda ſapientia: dicit. Da mihi domine ſedium tuarum aſsiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: quoniam ſeruus tuus ego ſum & filius ancillæ tuæ. Sic & propheta petens diuino auxilio ab inimicis liberari: dicit. Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego ſeruus tuus ſum.

Porrò in hoc loco ſacerdos aut tacita mentis cogitatione aut ſubmiſſa vocis expreſsione debet recitare nomina viuentium ſigillatim: pro quibus intendit in illa celebra-

tione

tione ſingulariter orare, quod inſinuatur per literas illas maiuſculas. N. &. N. ſignificantes ibi eſſe locum illorum ſeriatim nominandorum per quandam copulationem. At verò quanuis deus non egeat intentione noſtra vel oratione particulari, vt eos noſcat pro quibus ſpeciatim orare decreuimus, qui etiam nouit omnia antequã fiant, & priuſquam petimus ipſe ſcit quibus indigemus, non eſt tamen irrita aut inanis hæc particularium perſonarum corã deo nominatio. Quoniam vult quædam ſecundum ordinem ſapientiæ ſuæ dare & conferre dum ad ipſum ſpecialiter dirigimus orationes noſtras, qualia non eſſet daturus ſine illis. Vult idem affectum noſtrum magis ad ipſum excitari: dum hoc pacto ad particularia deſcendimus, quę magis animum mouere ſolent. Vult denique noſipſos acceptorum ab aliis beneficiorum frequentius eſſe memores, ꝙ vtique fit cũ benefactorum noſtrorũ nomina ſæpius recenſemus, ex quibus ad memoriã ſuſceptorũ bonorũ & ad gratitudinẽ magis inducimur. Proinde conſtituit deus ꝙ ſacerdos celebrans quibus voluerit particularibus perſonis tum viuis tum defunctis, aliquam portionem fructus ipſius miſſæ applicet. Et huiuſmodi applicationem rite factam habet ratã & acceptam quandoquidem ſpiritu ſancto inſpirante ſancti patres officij ipſius miſſæ ordinatores hanc ſpecialem commemorationem faciundam ſanxerunt. Dan. 13

12 ¶ Verùm ne huiuſmodi determinatarum perſonarum nominatio, ob multitudinem aut incertum ordinem ingerat ſacerdoti celebranti cõfuſionẽ aut turbationẽ, certis q̃buſdã gradibus à maiori obligatione ad minorẽ ordinate procedentibus, in huiuſmodi recitatione vtendum eſt. Siquidem in primo gradu & loco habenda eſt memoria illorũ viuentiũ vnius aut plurimi, pro quibus tunc principaliter fit & particulariter celebratio. Secundo verò parentũ & cognatorum carnaliũ & ſpiritualiũ. Tertio curæ ſuę ſubiectorum, tanquàm filiorum ſpiritualium. Quarto, confratrum ſuorum, membrorum eiuſdem corporis ſi ſit eccleſia religioſa, collegiata aut domus priuata. Quinto, fundatorum, patronorum & benefactorum, temporalium & ſpiritualium. Secundũ quem ordinem, hic quidem viuorũ habeatur memoria, poſt conſecrationẽ verò & ſuo loco, defunctorũ. Et quoniã ĩ diuerſis celebrationib⁹ illi q̃ ĩ primo repo-

reponuntur gradu ac ordine, plęrunque ſunt diuerſi: poſſunt etiam diuerſo tempore variari ad arbitrium ipſius celebrantis. Et ita de iis qui in aliis conſtituuntur locis Non tamen ſemper opus eſt quod elaboret ſacerdos celebrans pro nominibus propriis eorum quorum particularem facit memoriam expreſſe recitandis, quinimmo ſæpi⁹ id ſufficit vbi nomina illorum non ſuccurrunt promptè animo: quòd perſonæ ipſæ occurrant memoriæ celebrãtis. Cum verò nomina expedite occurrunt: in genitiuo caſu mente tenenda vel ore exprimenda ſunt, vt meměto domine famulorum famularúmque tuarum: huius & illius vel illorum, quatenus debita & congrua præcedentium & ſequentium in textu canonis fiat connexio. Et quoniam non ſatis certum eſt quis cui in graduum præfatorum ordine præponendus ſit: intendat celebrans generaliter quòd dominus deus, iuſtiſsimus omnium diſtributor acceptare dignetur id ſacrificium pro his eo ordine & modo, quo ſe nouerit obligatum: addens ſaltem mente hoc vel æquiualens & omnium: quibus me noſti debitorem.

13 ¶ Completa huiuſmodi viuorum ſingulariter ſibi commiſſorum recitatione: ſacerdos deinceps orat pro circunſtantibus ſibi non commiſſis ſpecialiter, cum ſubiungit, & omnium circunſtantium, Vbi annotatu dignum cenſent ſacri authores, quàm ſanctum ſit & ſalubre: miſſarum intereſſe myſteriis, cùm ſacramentum euchariſtiæ etiam pro circunſtantibus peculiariter offeratur: ipſorúmque ex conſtitutione eccleſiaſtica fiat itidem expreſſa mentio. Verùm non ab re, hic, circunſtantium dicit litera canonis: non autem circumgyrantium, per ambulantium, aut confabulantium, vt hoc loco præclarè admonet Gabriel: quem vt expoſitionis huius ducem ſequimur. Quia tales (inquit) non ſolum non fiunt participes miſſæ: ſed etiam peccant tranſgrediendo præceptum eccleſiæ de audienda miſſa die dominica aut die feſto: ſi aliá miſſam nó audierint eo die. De quo Ioãnes Gerſon in tractatu de oratione ait. Cognoſcãt & obſeruent tam clerici quam laici, quos oportet diebus dominicis & feſtis diuino intereſſe officio & ſeruitio: quod nõ abſoluuntur ab hoc debito, dũ ſcienter fabulationibus intendunt, ſed multiplici reatu ſe conſtringunt, quia nedũ non obſeruant præceptum: ſed & alios impediũt, eo quòd

in

in eccleſia ſanctiſsimo dei tabernaculo ſcandalum inhonorationémque faciunt. Deinde ſubdit. Stent ergo vel ſedeant: & ſi non vocaliter orando, ſaltem in modeſta quiete & ſilentio animaduertant, conſiderantes non ſolum ea quæ dicuntur vel canuntur: ſed ea quę myſticè peraguntur in ritibus & veſtib⁹ ſacris, quæ præterea in picturis præſententur, & ſic de aliis. Hæc ille. Porrò nonnulli libri poſt factam omnium circunſtantium mentionem: habent ſubiunctam omnium fidelium generalem commendationem, his verbis, atque omnium fidelium Chriſtianorum: & hūc locum canonis ita legendum proponunt. Et omniū circunſtantium, atque omnium fidelium Chriſtianorum: quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio. Verùm illa particula vniuerſim cōplectens omnium fideliū memoriā: ſuperflua hic videtur, quoniā in fine præcedētis orationis ante ſpecialem viuorum cōmemorationem, facta eſt pro omnibus fidelibus Chriſtianis deprecatio: vbi dictum eſt, & omnib⁹ orthodoxis: atque catholicæ & apoſtolicæ fidei cultorib⁹. Quippe cultores catholicæ & apoſtolicæ fidei dicuntur: quicunque ſacro fidei caractere & ſignaculo ſunt inſigniti, quamuis etiam per peccatū dei gratia exciderint quandoquidem non ſolum pro bonis, ſed & pro malis (modo Chriſtiani ſint) per ea verba fit ad deum oratio. Superuacua igitur cenſeri debet prædictæ particulæ hic facta adiectio, vt quæ ſuperiore loco ſufficienter ſit expreſſa. Vt autem circunſtantes ipſi percipiant fructum miſſę, requiritur in eis ſimul cum hac reuerentia & modeſtia iam declarata adhuc duplex diſpoſitio ſiue conditio, inſinuata in verbis ſequentibus, quorum tibi fides eſt, & nota deuotio. Primo exigitur fides firma & inconcuſſa in ipſis potiſsimum circa myſterium ſacramenti euchariſtiæ, vt credatur ibi ſub ſpeciebus panis & vini poſt verborum ſacramentalium prolationem verum Chriſti corpus & ſanguis cōtineri. Quod quia noſtræ mentis captum tranſcendit, nec ratione comprehendi poteſt, captiuato intellectu in obſequium Chriſti, ſola fide attingi debet. Quemadmodum ait Auguſtinus de huiuſmodi myſteriis. Hæc ſunt quæ fidem de neceſsitate exigunt, rationem non admittunt. Expetunt ſimplicem creditorem, arguunt improbū diſcuſſorem. Et poſt pauca. Credi nanque oportet ſalubriter, quod inueſtigari nequit

vtiliter. Secundo requiritur circũſtantiũ attentio, & eleua tio mentis in deum, quo deſiderent oblationem huius hoſtiæ ſibi proficere ad ſalutem. Quæ quidem hiſce verbis innuitur, & nota deuotio, ſubaudi, ad hoc ſacramentũ, qua deo vniuntur virtute charitatis per affectum, ſicut fidei vniuntur veritate per intellectum, ſicq́ue veritate & virtute vniantur ipſi deo, per intellectum & affectum. Quæ ſanè fides & deuotio etſi homines lateat, ipſi tamen deo cordium ſcrutatori cognita eſt & nota. Cognita per approba-
2. Tim. 2. tionem, & nota per acceptionem. Eos enim noſcere dicitur
Exod. 33. dominus, quos approbat & acceptat, quemadmodum ait Paulus. Nouit dominus, qui ſunt eius. Et ad Moyſem ait: Noui te ex nomine.

14 ¶ Porrò vt ſignificetur ſupradictis omnibus hominibus ritè diſpoſitis applicari fructus ipſius miſſæ, ſubiungit ſacerdos celebrans, pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt, pro quibus inquam famulis & famulabus tuis, & omnibus circũſtantibus fidelibus & deuotis, tibi offerimus vt miniſtri & immediate, vel qui famuli tui & famulæ, omnésque circũſtantes fideles & deuoti offerunt tibi ſpiritualiter & mediate. Sicut enim ſpiritualiter dicuntur hoc ſacramentum manducare laici & aſsiſtentes miſſæ, qui cum deuotione venerantur ſacratiſsima eius myſteria, ſéque per fidẽ & pium affectũ effundunt in deú. Ita etiam hoc loco ipſi laici & circũſtantes dicũtur ſpiritualiter offerre hoc ſacrificium: quando & oblationi illi deuotè aſsiſtunt, & vt deo accepta ſit enixius orant. Alij verò eam particulã: qui tibi offerunt, ad ſacerdotes tantum referunt, quorum miniſterium eſt & officium, non ſolum pro populo: ſed etiam ꝓ ſeipſis offerre hanc ſalutarem hoſtiam, quemadmodum in veteri teſtamanto ſacerdos pro ſeipſo primum, deinde pro
Leui. 9. populo ſacrificium offerre debuit: vt ex 9. cap. Leui. manifeſtum euadit. Cæterùm ipſum euchariſtiæ ſacramentũ ꝙ in miſſa offertur: hoc loco dicitur ſacrificium laudis: quia ipſum maximè ac præcipuè ad dei laudem & honorem eſt inſtitutum: vt dicit pſal. Immola deo ſacrificium laudis: &
Pſal. 49. redde altiſsimo vota tua. Et iterum eodem loco. Sacrificiũ laudis honorificabit me: & illic iter quo oſtendam illi ſalutare dei. Etiam quia ipſum maximam deum laudandi materiam nobis ſubminiſtrat, quòd non ſolum ſe moriẽs dede

rit

ritnobis in precium,ſed etiam in hac peregrinatione in ci
bum & viaticum. Denique ipſum eodem nomine vocatur:
quia Chriſtus illud cum laude & gratiarum actione inſti-
tuit. Nam vt ait euangeliſta:ipſe accepto pane gratias agẽs
benedixit & fregit. Ad cuius imitationem ſacerdos euange
licus cum laudibus ipſum offert ſacrificium :& circunſtan
tes itidem ſuo modo idem offerunt pro ſe ſuisque omnibꝰ. Mat.26.
Vbi non temere pro ſe proponitur:quoniam ordinata cha
ritas primum à ſuo exoritur fonte,& deinde ad alia deri-
uatur,vt lux ipſa primo ſolem reddit lucidum:& poſtea cę
tera corpora ad quæ propagatur, & color intimus igni,
primo quidem ignem denominat & efficit calidum :dein-
ceps verò proxima igni corpora,ad quæ diffunditur. Et in
huius rei figuram in ſacra libri Regum hiſtoria legiturHe
lias dixiſſe viduæ Saræptanæ. Veruntamen mihi fac pri-
mum de ipſa farinula ſubcineritium panẽ,& affer ad me :
tibi autẽ & filio tuo facies poſtea. Orant itẽ offerentes pro 3.Reg.17
ſuis omnibus:quibus naturæ familiaritatis aut obligationis
vinculo ſunt aſtricti,vt pro ſuis conſanguineis & affinibus
familiaribus amicis & benefactoribus. Sic enim princeps
ſynagogæ acceſsit Ieſum,rogans pro filia ſua iam morti ꝓ-
xima,& Martha pro Lazaro fratre ſuo. Ita Centurio pro
puero paraclito:& flentes viduæ rogarunt Petrũ pro Tha-
bita mortua,omnéſque aſſecuti ſunt:quod poſtularunt. Ita
& modo fideles ac deuoti & per ſe & per ſacerdotem orãt Mat.10
pro ſuis:varia ſibi conditione ac neceſsitudine cõiunctis. Ioan.11.
15 ¶ Deinde verò tria ſubnectũtur bonorũ genera, quę à Mat.8.
deo poſtulãtur illis impartienda:ꝑ quibus fit oblatio. Pri- Act.9.
mum bonum ſpirituale & inter alia duo medium : ſcilicet
redemptio animarum ſuarum per remiſsionem peccato-
rum,quibus dimiſsis:anima redempta eſt ac libera, quæ
prius per culpam fuerat captiua. Iniquitates enim ſuæ ca
piunt impium vt ait Salomon:& funibus peccatorum ſuo- Prou.5.
rũ conſtringitur. Et de hac redemptione dicit pſal. Et ipſe Pſal.129
redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius. Et merito ſa
nè petitur redẽptio animarũ & peccatorũ remiſsio per hãc
oblationem corporis,& ſanguinis domini : quoniam ho-
rum in cruce oblatio, & animarum noſtrarum redem-
ptionem,& peccatorum remiſsionem operata eſt, quem-
admodum dicit Apocalypſis de Chriſto. Lauit nos à

dum quod faciunt, ſcilicet quod deo reddunt vota ſua: id eſt deuotionem vel affectionem ſuam, ſiue bona opera. Nõ enim votum accipitur hic propriè pro rei ſpiritualis promiſsione facta deo, ſed cõmunioré ſortitur ratioñe: vt & pium mentis affectũ & opus omne bonũ cóplectatur, quéadmodum etiam in pſalmo ſumitur: cum ait propheta. Immola deo ſacrificium laudis: & redde altiſsimo vota tua. cui dicto pſalmi: hic locus aliquantum alludere & reſpondere videtur. Huiuſmodi auté vota: & ſua ſunt, id eſt offerentium, quoniã ex libera eorum voluntate prodeuntur deo: quia ab eo prius accepta ſunt, quatenus gratiam contulit boni operis efectricem & ad ipſum tanquam finem legitimum referuntur: vt de vnoquoque bonorum operum relato in deum: ſyncærè dicamus cum Dauid. Tua ſunt omnia domine: & quæ de manu tua accepimus, dedim⁹ tibi. Et hæc completa eſt deóque grata circulatio: cum ad ipſum redeunt bona omnia, à quo primitus ortus ortum acceperunt. Poſtremum neque ocioſè neq; ſuperuacuè adiecta ſunt hæc tria, æternum, viuum & verum ipſi deo: in hac canonis particula. Nam nonnulli dicuntur in ſcriptura ſancta dij per adoptioné, vt homines, de quibus ait pſalmus. Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Verum hi non ſunt æterni. Nam mox ſubiungit propheta. Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis, Alij verò ſunt dij per nuncupationem: vt imagines, idola & ſtatuæ de quibus item propheta in pſalmo. Simulacra gentiũ argentum & aurum, opera manuum hominum. Sed hi non ſunt viui. Nam vt dicit ibidé pſal. Os habẽt & non loquentur: oculos habent & non videbunt. Poſtremò alij ſunt dij per vſurpationem & ſuperbam vendicationem, vt dæmones, quorum princeps dicit apud Eſaiam. In cælum aſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum, aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis altiſsimo. Sed iſti non ſunt veri dij, quoniam vt ait pſal. omnes dij gentium, dæmonia. Itaque ad excludendos omnes iſtos nõ verè neque natura deitatem habentes, fideles hic dicuntur reddere vota ſua æterno deo, viuo & vero, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Pſal. 49 · 1. Para. 29. · Pſal. 81 · Pſal. 113. · Eſa. 14. · Pſa. 89.

Com-

Communicantes & memoriam uenerantes imprimis glorioſæ ſemperq; uirginis Mariæ: genitricis dei & domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed & beatorum apoſtolorum ac martyrum tuorum: Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomei, Matthæi, Simonis & Thadei, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij, Cypriani, Laurentii, Chryſogoni, Ioannis & Pauli, Coſmæ & Damiani. Et omniũ ſanctorum tuorum: quorum meritis precibuſq; concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per eundem Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

17 ¶ Hæc pars canonis, ſanctorum cõmemorationem cõtinet & inuocationem: vt eorum ſupplicationibus hoc ſacramentum digne conficere poſsint celebrantes, & diuina protectione defendi. Dicuntur autem primum & qui celebrant ſacerdotes & qui circumſtant fideles, cõmunicantes cum ſanctis ipſis in vnitate eccleſiæ & corporis myſtici: cuius Chriſtus eſt caput. Nam ex ipſis ſanctis & fidelib' viatoribus, vna domus & eccleſia conſtat: extra quam non eſt locus offerendi ſacrificium, quemadmodum in veteri lege
Leui.17. extra tabernaculum Moſaicum, & deinde templum Salomonis prohibitum erat offerri deo ſacrificium: vt decimũſeptimum Leuitici caput oſtendit. Sunt item qui hic degunt fideles, communicantes cum ſanctis in vna fide: quã & ipſi viatores habuerũt, & in vna ſpe: quia quod ipſi ſperabant, nos ſperamus. Nunc enim & fidem habem' & ſpẽ: ipſi verò viſionem & rem, ad quam deo & duce nos demũ perueniemus. Sunt denique fideles viatores communicantes cum ſanctis in dignißimo euchariſtiæ ſacramento, quia quod ſancti percipiunt reuelata facie: nos frequentamus & colimus in ſacramentali ſpecie. Communio enim eſt perceptio vnius & eiuſdem. in quo vniuntur qui communicant: quamuis diuerſi: diuerſo modo illud percipiant. Siquidem in ſymbolo apoſtolorum pronunciat quiſque fidelium: credo ſanctorum communionem, qui articulus (vt ante dictum eſt) huius ſacramenti innuit myſterium.

Secun

Secundo dicuntur hoc loco fideles venerari memoriam ſanctorum:hanc potiſsimum ob cauſam,vt eorum patrocinio adiuuentur apud dominum:quod poſtulant aſſequantur:& tandem perducantur ad ipſorum conſortium. Ad hanc verò celebrandam commemorationem ſanctorum: inducta cenſetur eccleſia ex eo quod in antiqua lege fieri ſolebat apud quam in orationibus,patrum recolebatur memoria:vt adiuuantibus eorum meritis facilius quod petebant impetrarent. Sic Moyſes pro populo qui vitulum cõflatilem adorauerat intercedens:ait Recordare Abraham Iſaac & Iacob:ſeruorum tuorum. Et eius precibus placat⁹ factus eſt dominus. Tres item pueri Hebræi:in fornace ſuccenſa ſic oraſſe leguntur. Ne auferas à nobis miſericordiam tuam domine deus noſter:propter Abraham dilectũ tuum,& Iſaac ſeruum tuum,& Iacob ſanctum tuum. Inſuper cum Ezechias diuinum imploraſſet auxilium: hoc accepit reſponſum. Protegam vrbem hanc & ſaluabo eam: propter me,& Dauid ſeruum meum. Non tamen inuocantur ſancti tanquam datores eorum bonorum pro quibus oramus:nam illorum ſolus author ac largitor eſt dominus deus,ſed vt interceſſores ſint pro nobis apud dominũ: & eorum precibus adiuuemur, ad conſecutionem eius quod poſtulamus. Inſuper veteris teſtamenti obſeruatione figurali edocta creditur eccleſia:vt ante corporis Chriſti conſecrationem ſanctorum memoriam cõſtituerit peragendam. Quoniam legalis ſacerdos pontiféxque leuitic⁹ dum in ſancta ſanctorum introiuit:nomina duodecim tribuum in rationali deſcripta intulit. Sic ſacerdos euangelicus ſancta ſanctorum ingreſſurus: præcedentium patrum noui teſtamenti recenſet memoriam.

Exod. 32 *Dan.* 3. 1. *Reg.* 20. *Exod.* 39.

28 ¶ In qua quidem recitatione:certus quidã ordo legitimè obſeruatus conſpicitur. Nã primo :ſacroſanctæ virginis Marię cõmemoratio fit,ſecũdo apoſtolorũ,tertio martyrũ & quarto ſanctorũ omniũ generatim. Sacratiſsimę quidem virginis Mariæ imprimis ac præcipuè memoriam in hoc ſacrificio veneratur eccleſia catholica : quoniam ipſa,ſingularis huius ſacrificij miniſtra fuit & liberaliſsima diſpenſatrix. Vt oſtendit Bernardus in ſermone ſecundo de natiuitate Chriſti:dicẽs. Ipſa beata virgo eſt mulier illa

euangelica, quæ tria farinæ ſata commixta fermentauit.
Matt.13 Satum vnum: verbum quod erat in principio apud deum alterũ, anima quæ de nihilo creata eſt, & ante non erat. tertium: caro de maſſa corruptionis ſine corruptione aliqua diuino ſegregata artificio. In quibus tribus. tripex genus potentię. quod non erat: creatum. quod perierat: recreatũ. quod ſuper omnia erat, Paulo minus ab angelis minoratum. Hæc vinculo indiſſolubili in perſonæ coeunt vnitatem. Hæc euangelica farinæ ſata pariter fermentantur, vt
Pſal.77
Pſal.103 ſit panis angelorum quem manducet homo, cor eius confirmans in hoc ſacramento. Vnde fœlix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius caſtis viſceribus ſuperueniente igne ſpiritus ſancti panis ille eſt coctus. Fœlix inquã mulier: quæ in hæc tria ſatá immiſit fidei ſuæ fermentum. Siquidem fide concepit, fide & peperit: dicente Elizabeth. Beata quæ credidiſti: quoniam perficientur in te quæ di-
Luca 1 cta ſunt tibi à domino. Hæc Bernardus. In eiuſdem ſacratæ virginis nominatione: quatuor eius inſignia ornamenta quibus reliquum omnem antecedit ſanctorum conſeſſum exprimuntur. Primùm. gloriæ excellentia & celſitudo, qua vniuerſos ſupergreditur angelicos ſpiritus & ſanctorum ordines, cum dicitur hic glorioſa. Secundum. eius perpetua virginitas nec in conceptu nec partu nec poſt partum violata: cum nominatur ſemper virgo. Tertium materna dignitas admirabili commercio coniuncta virgineo pudori, cum genitrix hic nuncupatur. Quartum. prolis eius ſupereminentia & ſublimitas, cum denique ꝑdicatur genitrix dei & domini noſtri Ieſu Chriſti. quo quidem titulo: omnem ſupereminenter excellit aliã creaturam. 19 ¶ Porrò poſt ſuperſanctæ virginis memoriam ſubnectitur beatorum apoſtolorum commemoratio. Et
Matt. 26 meritò quidem quoniam ipſi tradiderunt nobis ritum ac formam offerendi hoc ſacrificium: vt à Chriſto mandatũ acceperunt. Ipſi itidẽ huius ſacrificij teſtes fuerũt idonei: qui in vltima cœna qua Chriſt⁹ ipſum in ſalutẽ mũdi inſtituit præſẽtes, primi hoc ſacrificio ſunt vſi. Inſuper ipſi à Chriſto tunc ſacerdotes ordinati, poteſtatẽ acceperũt ſuꝑ corpus Chriſti verũ cõſecrandũ & diſpẽſandum, & ſuper corp⁹ Chiſti myſticũ, ad eandẽ aliis ordinãdis poteſtatẽ cõmunicãdũ. Ipſi deniq; fuerũt teſtes ꝑcipui, paſsiõis Chriſti

&

& reſurrectionis eius atque aſcenſionis: quorum hoc ſacrificium eſt memoriale præcipuum. Tertio verò loco, ſanctorum martyrum celebratur memoria: quia pro oblata ſemel ſalutari & ſingulari hoſtia ſemetipſos obtulerunt viuentem hoſtiam,deo placentem & acceptabilem, qui etiam(quemadmodum & apoſtoli)teſtes fuerunt noſtræ fidei, & ſanguinis ſui effuſione eam approbarunt atque corroborarunt. Martyr enim Grecè: teſtis eſt Latinè, & martyrium,teſtimonium. At verò patriarcharum & ꝓphetarum veteris teſtamenti,hic non frequẽtatur memoria,quia quamuis fide & deuotione in ſpiritu ſacrificium hoc cognouerunt,& ſpiritualiter ipſo participarũt:ſub ſacramentali tamen ſpecie nunquam ipſo vſi ſunt,quoniam lõge poſt eorum tempora noſcitur ipſum fuiſſe inſtitutũ. Sed neque ſanctorum confeſſorũ qui coruſcante luce euãgelica ſanctitate & virtutibus mirifice emicuerunt,hic inſeruntur nomina,quoniam canon ipſe præſertim quãtum ad hanc partem prius fuit(vt aiunt)æditus,quàm memoriam confeſſorum celebraret eccleſia. Siquidem omnes fere ſancti qui commemorantur in canone, præceſſerunt ſanctum Sylueſtrum papam, præter ſanctos Ioannem & Paulum.Marcellinum & Petrum, qui paulò pòſt illi ſucceſſerunt.Eccleſia verò poſt tempus Sylueſtri cœpit ſanctorum confeſſorum memoriam primùm venerari: quòd prius debacchata ſemper fuerit in eccleſiam & deſæuierit tyrannorum rabies ac crudelitas,ſanctorum martyrũ turbam & numerum copioſe multiplicans.In cuius rei argumentum,ſedes epiſcopales quæ ſecundum beati Petri diſpoſitionem ſunt in ſingulis ciuitatibus antiquitus conſtitutæ,non in memoriam confeſſorum,ſed apoſtolorum & *Matth.10*
martyrum & præſertim glorioſæ virginis deiparæ,fideliũ *Act.9*
conſecrauit deuotio. *Matth.16*

20 ¶ Deinceps exprimuntur duodecim apoſtolorũ no *Act.9*
mina(quos elegit dominus:vndecim quidem,in terra cõ- *Ioan.1*
ſiſtens & ante ſuam paſſionem.Paulum verò duodecimũ: *Act.12*
poſt aſcenſionem & iam ſedens ad dexteram patris) ſcili- *Ioan.13*
cet Petri qui fuit princeps & ſummus apoſtolorũ: cui tra *Ioan.19*
ditæ ſunt claues regni cælorũ. Pauli,qui vas electionis à *Ioan,20*
domino dictus eſt & de cælo vocatus, vt portet nomen e- *Gala.1*
ius coram regibus & gentibus & filiis Iſrael.Andreæ,qui *Ioan.14*

primus

primus apoſtolorum vocatus à domino, etiam germanum ſuum Petrum Chriſto adduxit, illi demũ in crucis paſsione ſocius. Iacobi maioris. qui prius altero Iacobo ad apoſtolatum aſcitus creditur: & inter apoſtolos primum martyrij lauream conſecutus eſt. Ioannis. dilecti domini diſcipuli: qui ſuper pectus eius in cœna recubuit & cruci aſtans virginem matrem ſibi commendatam accepit in ſuam. Thomæ. qui prius de Chriſti reſurrectione dubius cum clauorum locis digitos inferens, & manum lateri domini immittens credidit: omne dubitationis & infidelitatis vulnus à nobis amouit. Iacobi minoris. qui frater domini dictus eſt, & Hieroſolymitanam eccleſiam epiſcopali authoritate rexit. Philippi. qui patrem ſibi oſtendi obnixius expetens: inſeparabilem filij in patre immanſionem ſibi reſerari obtinuit. Bartholomei. qui inter apoſtolos ſolus fuiſſe nobilis perhibetur: & teſte beato dionyſio, diuinæ ac myſticæ theologiæ ſacraméta ſublimiter agnouit.
Matt. 9 Matthæi. qui de theloneo vocatus à domino: ex publicano factus eſt apoſtolus & euangeliſta, ſpiritualiúmque talentorum prouidus diſtributor, Simonis. qui frater erat Iacobi minoris: dictus Chananeus & zelo Chriſtianæ religionis. Quippe chana, zelus interpretatur. Vel ad differentiam Simonis Petri. aut à Chana vico regiõis Galilęæ
Ioann. 2 in qua dominus vinum in aquam primo mutauit ita nominatus. Thadei. qui & Iudas dictus eſt, etiam Iacobi mino-
Iudæ 1. ris frater: & contra veritatis corruptores breuem epiſtolã acerrime ſcripſit.

21 ¶ Poſtea ſubiunguntur duodecim martyrum nomina: qui circa principium naſcentis eccleſiæ ſanguinem ſuum pro Chriſto fuderunt, ſcilicet Lini papæ & martyris: qui primus poſt Petrum apoſtolicam ſedem moderatus eſt, eundémque agone martyrij imitatus. Cleti: qui Lino in ſummo pontificatu ſucceſsit: itidem & martyrij nuncupatione. Clementis: qui Petri diſcipulus: poſt Cletum eccleſiam catholicam rexit demerſúſque demùm mari: ſuper aſtra ſubuectus eſt. Sixti. papæ & martyris: qui hymnum triſagium, ſanctus, ſanctus, ſanctus dominus deus ſabaoth: in miſſæ officio cõſtituit decãtari. Cornelij papæ ac martyris, ſucceſſoris B. Fabiani: qui etiã glorioſo martyrio hui⁹ vitæ curſũ cõſummauit. Cypriani epiſcopi. Cartaginenſis

cuius.

cuius tanta fuiſſe traditur conſtantia: vt lata ſuę condẽnationis ſententia, publicè gratias egerit deo in conſiſtorio tyranni. Laurentij eccleſiæ Romanę archidiaconi qui per ſignũ crucis cæcos illuminauit, & theſauros eccleſiæ pauperibus diſtribuit. Chryſogoni, cuius tanta fides atque animi virtus enituit: vt gaudens & lætus ſpõte mortis ſubiecit ſupplicium. Ioannis & Pauli, qui imperialis aulæ domeſtici, ſe Chriſtianos eſſe palam confeſſi ſunt, & egenis ſua bona erogãtes Iulianum apoſtatam eluſerunt. Coſmę & Damiani, qui arte medica clariſsimi: à verò medico ad ſanandos animarum morbos vocati ſunt, & exuta mortalitatis toga ei perpetuo ſociantur. Si quis autem prædictorum ſanctorũ agones & dura pro Chriſto certamina exactius dinoſcere velit: cuiuſque ipſorum vitam, hiſtoriámque peculiarem perquirat & lectitet. Quæ huic loco non erat integrè inſerenda: vt faſtidioſa prolixitas euitetur, & alia noſtro inſtituto magis conducentia declarãdi maior detur oportunitas. Quòd ſi quiſpiam ſciſcitetur, cur iſtorum potius qui ſupradicti ſunt martyrum nomina & non aliorum, canoni ſunt inſerta: reſpondendum eſt quòd ad euitandam prolixitatem atque confuſionem non expediebat omnium martyrum nomina ibidẽ expreſſe poni. Neque certa aut euidens cauſa nobis conſtare poteſt: ob quã priſci patres potius hos quàm alios quoſuis expreſſerint, quamuis dubium eſſe nõ debeat, id propter rationabilem aliquam cauſam factum eſſe: nos tamen latentem. Aliquorum verò ſententia eſt haudquaquam aſpernanda, canonem ipſum ſpeciali inſpiratione ordinationéque diuina ita vt legitur compoſitum eſſe. In cuius rei ſignum memorant, quòd aliqui patres quondam ex ſingulari quadã reuerentia & deuotione quam ad certos ſanctos habuere, ipſorum nomina ſtuduerunt inſerere canoni: & quorundam prius oppoſitorum nomina ſubmouere. Sed poſtridie inuenerunt ſanctos quos appoſuerant deletos: & priores literis aureis inſcriptos. Quod dictum ſit, ne quiſquam ſuo arbitratu aut ſingulari affectu vnquam attẽtet, aut ſanctos hic nominatos prætermittere: aut alios de nouo inſerere, vt Vincentium, Nicolaum, Franciſcum vel quoſuis alios. Nam huiuſmodi temeraria permutatio & circa rẽ tam ſacrã præſumptio: iudiciũ dei nõ effugeret.

Refert

22 ¶ Refert itidem author operis illius quod rationale diuinorum officiorum inſcribitur, quòd Gregorius tertius hæc verba ſequentia adiecit ad canonem, poſt nominationem particularem prædictorum ſanctorum dicēda. Necnon & illorum ſanctorum: quorum hodie ſolennitas in cóſpectu tuo celebratur domine deus noſter, in toto orbe terrarum. Verùm quamuis illa ſecundum aliquarū eccleſiarum conſuetudinem proferatur in eo canonis loco, & illa pro more ſuæ eccleſiæ ibidem inſerentes atque legentes: non ſint improbandi, ab aliis tamen apud quos illa non increbuit conſuetudo, neque dici debent neq; inſeri. Tum quoniam illorum lectio & adiectio ad canonem, non eſt ab vniuerſali eccleſia recepta neque per vſum approbata, quāuis ea vnus ſummorum pontificum adiicienda cenſuerit. Tum quia eadem parique ratione alij ratione alij ſúmmi pontifices tétare poſſent aliarum nouarum particularum additionem ad canonem: & ita tādem ipſius miſſæ canó excreſceret in immenſum, neque certis vnquā metis contineretur. Tum etiam quia illorum verborum ſupradictorum ſententia, ſufficienter continetur in generali omnium ſanctorum memoria, quæ poſt ſpecialem omnium ſanctorum commemorationem illico ſubnectitur, ſub his verbis & omnium ſanctorum tuorum. Qui enim omnium ſanctorum facit memoriam, haud dubie & illorū veneratur commemorationem, quorum eo die (quo ſacerdos ſacra facit) celebratur ſolennitas, quandoquidem hi, ſanctorum omnium nuncupatione comprehenduntur & continentur. Quocirca illa particula, à Gregorio tertio (vt ferunt) adiecta, potius meo iudicio omittenda eſt: tanquam minus neceſſaria, & inducens diformitatē à cómuni vſu eccleſiæ, in qua vniformitas eorum quæ ad dei cultum ſpectant & potiſsimum ad ſanctiſsimum altaris ſacrificium, vel maxime probanda eſt & tenenda. Poſtremùm ſanctorum omnium ponitur inuocatio, & poſtulatur eorum ſuffragium, vt ſcilicet ipſorum meritis bonorúmque operum anteactorum contemplatione, & precib⁹ quas aſſiduè pro nobis deo profundunt (quandoquidem de ipſis in vniuerſum id locum habet, quod de ſancto Hieremia in ſecundo Machabeorum libro ſcriptum legitur. Hic eſt fratrum amator, & populi dei Iſrael, hic eſt qui multum

multum orat pro populo, & vniuerſa ciuitate ſancta dei)
in omnibus & credendis & agendis diuinæ protectionis
muniamur auxilio, contra omnium inimicorum & viſibi-
lium & inuiſibilium machinationes ac fraudes. Nam ſi Rom.8
deus pro nobis: quis contra nos? Et ſi nos cuſtodiat vt pu Pſal.36
pillam oculi, atque ſub vmbra alarum ſuarum nos prote- Pſal.43
gat à facie eorum qui nos affligunt: nemo certe nobis no
cere poterit, ſed cum propheta confidenter dicemus. In
deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribu-
lantes nos.

HAnc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quæſumus domine ut placatus accipias: dieſq; noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi: & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Chriſtum dominum noſtrum.

Quam oblationem tu deus in omnibus quæſumus benedictam, aſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq; facere digneris: ut nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui, domini noſtri Ieſu Chriſti.

25 ¶ In hac canonis particula petitur acceptatio ſacrificij à deo, diuinæ bonitatis ad nos condeſcenſio, & ipſius oblationis perfectio atque cõſummatio. Primùm quidem hoc modo. Quoniam (inquit) ſanctis tuis communicantes & eorum memoriam venerantes, hoc tibi ſacrificium offerimus domine ſancte pater: ideo ſuppliciter quęſumus, vt tuipſe placatus meritis & precibus glorioſæ dei genitricis, ſanctorũ apoſtolorum, martyrum & omnium electorum tuorum: accipias & placide acceptes hanc oblationẽ ſeruitutis noſtræ, quam ſcilicet nos miniſtri facimus in vero cultu, ſoli deo debito, quinimmò etiam hanc oblationẽ cunctæ familiæ tuæ, totius ſcilicet eccleſiæ catholicæ, quę tibi deuota famulatur & vota offert. Vnde quod hic dicitur ſeruitutis noſtræ: pro clero poſitum cenſetur, qui huius oblationis ex ordinatione diuina eſt miniſter & peculiarem altari famulatum miniſteriúmq; pro ſuo quiſque

gradu

gradu impendit. Quòd verò ſubiungitur, ſed & cunctę familiæ tuæ: pro populo laico adiectum traditur qui etiã voto & pia deuotione concurrit ad hanc oblationẽ, & de familia domini numeratur, cum etiam ſit membrum & pars eccleſiæ. Petitur autem hic acceptum haberi noſtrum ſacrificium, non quidem ex parte ipſius ſecundum ſe conſiderati: quia ſic illud deo diſplicere non poteſt. In eo ſiquidem offertur filius: de quo paterna vox cælitus intonuit. *Matth.17* Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui: ipſum audite. Sed poſtulatur acceptari ſacrificium: quatenus offertur per miniſtros eccleſiæ. Nonnunquam enim id vſu venit quòd oblatio de ſe grata & digna, non eſt accepta deo: quia eam miniſtri indigne contrectant & indebite offerunt, de quo dominus per Hieremiam prophetam conqueritur: dicens. Quid eſt ꝙ dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa? nũquid carnes ſanctæ auferẽt à te malicias tuas: in quibus gloriata es? *Hiere.11* Quantum ad ſecundum: tria deinde bona poſtulantur à deo. Primum temporale: ſcilicet vt dies noſtros & huius vitæ noſtræ tempus in ſua pace dignetur diſponere, & illam nobis quam mundus dare non poteſt pacem concedere: per quam à procellis ac tempeſtatibus huius mundi ſua prouida diſpoſitione eruamur. Secundum, perpetui mali deuitatio: vtpote quòd nos ab æterna damnatione eripiat, quoniam ipſe eſt qui habet claues mortis & inferni: qui ſolus à morte ſecunda nos poteſt liberare, quandoquidẽ vt ait propheta in pſalmo: domini, domini eſt exitus mortis. *Apoe.1* *Pſal.67* Tertium, perpetui boni adeptio: vtputa quòd in electorum ſuorum nos iubeat grege numerari, ſiue vt habet cãticum ſanctorum Auguſtini & Ambroſij: vt æterna nos faciat cum ſanctis ſuis in gloria numerari, quoniam ipſe ſolus nos ſaluare poteſt. vt ait propheta in pſalmo. Dominus noſter: dominus ſaluos faciendi. Et alio in loco. Salus autem iuſtorum à domino. Et rurſum. Domini eſt ſalus. *Pſal.67* *Pſal.36* *Pſal.3* Porrò in horum trium bonorum poſtulatione, profitetur eccleſia deum eſſe vniuerſorum dominum: & in triplicem mundi machinam extendi ſupremum eius principatum. Per primum enim: profitetur ipſum eſſe dominum in terris, per ſecundum inferis. Per tertium verò: in cælis: & vbiq; omnia ipſius nutu diſponi.

Quantum

24 ¶ Quantũ verò ad tertium huius literæ canonis punctum, in quo petitur ipſius ſacrificij completio quantum ad conuerſionem materialis ſubſtãtiæ panis & vini in corpus & ſanguinẽ Chriſti, quinque hic poſtulata exprimuntur, per totidem accuſatiuos adiectiuos certo quodã ordine digeſta. Primum, quòd deus ipſe dignetur hanc oblationem noſtræ ſeruitutis & cunctæ ſuæ familiæ (terrenam ſcilicet materiam panis & vini: in altari oblatam) facere in omnibus tam offerentibus quàm iis pro quibus offertur, benedictam, vt per ipſam: benedictionẽ ſpiritualiúmque bonorum multiplicationem conſequamur. Et merito quidem. Nam & panis eſt benedictionis, itidẽ & calix benedictionis: cuius communione & participatiõe, cæleſtis benedictio largiter in omnes profluit. Secundũ, quòd dignetur eãdem oblationem facere aſcriptam, vt per ipſam ſocietati angelorum & ſanctorum omniũ aſcribamur: per quam nos hic communionem cum ſanctis habemus. Et recte itidẽ id petimus. Nã in hac oblatione precioſus Chriſti ſanguis continetur quo in libro vitæ & cum iuſtis ſcribuntur, qui ipſum digne percipiunt. Tertium, quòd ſua dignatione velit deus hãc ipſam oblationem facere ratam, vt per ipſam ad finem vſque mundi permanſuram, fixam & ſtabilem: ratum ſit & firmum noſtrę ſalutis promiſſum, ſcilicet, qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem: habet vitam æternam. Quartum, quod eam oblationem deus faciat rationabilẽ, per quam rationabile fiat noſtræ ſeruitutis obſequium & noſipſi rationabiles atque ſecundum rationem viuentes efficiamur, vt admonet beatus Petrus. Sicut modo geniti infantes: rationabiles, & ſine dolo lac concupiſcite. Quintum, quòd eandem facere dignetur deus acceptabilẽ, vt per ipſam deo acceptabiles placitiq; reddamur, qui per noſipſos illi iure diſplicemus. Quod enim dicit Eccleſiaſticus. Sacrificium iuſti acptum eſt: & memoriam eius nõ obliuiſcitur altiſſimus, potiſſimum in hoc ſacrificio (quod omnium eſt digniſſimum & ſacratiſſimum) habere locum debet. Et ſi noſipſi qui offerimus, iuſti non ſumus: petimus tamen humiliter per hoc ſacrificium iuſtitiæ, noſtram tolli iniuſtitiam & non meritis noſtris: ſed huius oblationis virtute (quæ ipſa eſt iuſtitia) munera noſtra à deo gratè acceptari. Hæc autem

1. Cor. 10

Ioan. 6

1. Pet. 2

Eccl. 35

omnipotentis dei,in cuius ditione cuncta ſunt poſita,& in cuius poteſtate eſt huiuſmodi cõuerſio ſubſtantiæ in ſubſtantiam,ſicut & rerum ex nihilo productio,quandoquidem eius potentiæ omnificacique virtuti ſubſunt omnia. Inſuper verbum illud fiat mutationem ſignans & nouum quiddam efficiundum in ſua ratione claudens:accommodum eſt huic loco ad explicandum ineffabilem illam trãſmutationem quæ in huiuſce ſacramenti conſecratione fit. Qua quidẽ ſupernaturali mutatione,panis in verũ Chriſti corpus per verborum ſacrorum prolationem conuertitur: & vinum in verum eius ſanguinem, vt ante conſecrationem: panis ſit materialis & vinum ſenſibile,poſt conſecrationem verò non amplius panis & vinum : ſed verum Chriſti ſit corpus & verus ſanguis.Hanc autem cõuerſionem fieri : hoc verbo fiat aptè poſtulamus, quod aliquid necdum factum poſtea effici : & quod nõdum exhibitum eſt deinde præſtari inſinuat.

QVi pridie quàm pateretur:accepit panẽ in ſanctas ac uenerabiles manus ſuas:& eleuatis oculis in cælum, ad te deum patrem ſuum omnipotentem: tibi gratias agens benedixit ac fregit,deditq; diſcipulis ſuis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc eſt enim corpus meum.

26 ¶ Hic procedit ſacerdos celebrans ad ipſius hoſtiæ oblatæ conſecrationem:in qua commemoratur inſtitutio huius ſanctiſsimi ſacramenti,à Chriſto primum facta. Et primo loco tempus illius inſtitutionis hic innuitur : cum dicit canon.Qui ſcilicet dilectiſsimus filius tuus,domin⁹ noſter Ieſus Chriſtus, cuius in calce præcedentis particulæ facta eſt mentio,pridie quàm pateretur,id eſt pręcedẽte die quàm paſsionem & crucem pro nobis ſuſtineret,ſcilicet decimaquarta luna,ſiue die primi menſis Nempe in eadem cœna Chriſtus primum manducauit agnũ paſchalem cum diſcipulis ſuis ſecundum ritum Iudæorũ : & deinde inſtituit hoc ſacratiſsimum myſterium,per agnum illum typicum præſignatum,vt ſimul & veteri legi finẽ im- *Matth.5*

buit, vt à pane materiali ad hũc panem vitæ & viuificum earum mentes erigeret. Neque id mirum cuiquam videatur, quòd tam efficax & ſacratus fuerit manuũ Chriſti ad panem contactus, vt ex eo determinauerit ipſum in materiam huius ſacramenti, & vim quandam illi ad ipſum contulerit. Nã manibus illis ſanctis atque venerandis lepro- *Matth.8* ſum contingens dominus: illico omnem ab illo lepræ im- *Luc.7* mũdiciam depulit. Eiſdem loculum tangens: mortuũ ado- *Luc.4* leſcentem protinus reuocauit ad vitam. Denique eaſdem pro ſua benignitate ſingulis languentium imponens, omnem ab illis morbi moleſtiam effugauit quacunque detinerentur infirmitate, vt ſacra euangelij narrat hiſtoria. Quis igitur diffitebitur: & ſacro manuum ſuarum ad panem contactui vim quandam ſingularem affuiſſe? At verò cum panem nominat hic litera canonis: exprimit ſpecialem & propriam huius ſacramenti materiam, congruè *Ioan.6* quidem ad hoc à Chriſto delectam, tum quòd panem ſe in euangelio nuncupat: cum ait. Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi. Et iterum. Ego ſum panis vitæ, tum quia grano frumenti ex quo panis conficitur ſe comparat, cum inquit. Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Et in huius ſacramẽti figuram, dictum eſt de Iudæis à propheta in pſalmo. Cibauit eos ex adipe frumenti.

28 ¶ Tertio explicatur hic ipſius ſanctæ inſtitutionis modus, cum ſubiungit litera canonis quòd Chriſtus eleuauerit oculos ſuos ad deum patrem omnipotentem, illique gratias agens panem benedixerit. In quibus quidem verbis ſublimitas præſentis myſterij & dignitas huius ſacramenti ſupra alia inſinuatur: cũ non legatur dominus hæc eadem feciſſe in inſtitutione alicuius aliorum ſacramentorum. Cæterùm quamuis nullus euangeliſtarum primam huius ſacramenti inſtitutionem deſcribentium expreſſerit idipſum, quòd Chriſtus in illa oculos ſuos ad cælũ eleuauerit, nõ minus tamen id credi & verum haberi debet. *Ioan.12* *Pſal.80* *Ioan.12* Nam multa tam de operib⁹ quàm verbis domini prętermiſerunt euangeliſtæ, vt Ioannes in vltimo ſui euangelij capite teſtatur: quæ tamen apoſtoli vel facto ſuppleuiſſe, vel verbo expreſſiſſe leguntur. Inſuper hoc ipſum *Ioan.11*

quod proponitur: facile ex alio euangelij loco poteſt cõprobari. Ioannes enim ſuſcitationem Lazari deſcribens: Ieſum oculos ſurſum leuaſſe aſſerit, atque dixiſſe. Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me. Si igitur tunc oculos ſubleuauit ad patrem: cum ad corpus emortuum animam Lazari reuocauit, valentiore iure, potioréque ratione & tunc oculos eleuauit in cælum: cum panem & vinũ in corpus & ſanguinem proprium commutauit. At verò oculos in cælum eleuauit hic excellentiſſimum perficiendi: ſicut ipſe apud Matthæũ teſtatur, omnia mihi tradita ſunt à patre meo, tum vt nobis daret exemplum erigendi oculos noſtros in principio actionum noſtrarum, ad deũ, bonorum omnium authorem ac datorẽ: dicendique cũ propheta. Ad te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis. Similiter gratias hic egiſſe dicitur Chriſtus deo patri, tum vt ſe gratum in patrem oſtenderet de ſuſcepto tanto dono: & tam excellenti gratia inſtituendi diuino beneplacito adeo excellens & eximiũ ſacramentum toti mundo ſalutare, ſicut & de aliis ſpiritualibus muneribus in euangelio legitur gratias egiſſe patri. Tum vt nobis exemplum præſtaret: deo de collatis omnibus bonis indeſinẽter gratias agendi, quemadmodum edmonet beatus Paulus: ſcribens ad Epheſios. Gratias agentes ſemper pro omnibus: in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, deo patri. Demùm benedixit panem illum Chriſtus: quia ſuæ benedictionis virtutem in eum transfudit, qua in ſacratiſsimum ſuum corpus cõuerteretur. Quemadmodum ſuæ benedictionis largitate & gratia quinque panes multiplicauit: vt ſatiatis quinque hominum milibus ſuperfuerint duodecim cophini fragmentorum. Et in ipſius mundi creatione benedicens rebus a ſe conditis: eas vt ſecundum ſuam propagarentur ſpeciem & perpetuam ſeruarent ſui generis ſuceſsionem, ſanxit ac ordinauit. Demùm hoc loco exprimitur ipſius ſacramenti in diſcipulos diſtributio: cum fregiſſe panem ipſum dicitur, & ſingulis ſuorum diſcipulorum diſtribuiſſe. Non quidem vt ipſum reuerenter & cum veneratione intactum ſeruarent: ſed in ſuum accommodarẽt vſum & eſum, quod hiſce ſignificauit verbis, ad ipſos dictis, accipite & mãducate ex hoc omnes. Iuſuper tradidit illis quoties vellent ipſum ſacramentum conſecrandi poteſtatem

Matth.11

Pſal.122

Ioan.6

Ephe.5

Ioan.6

Gene.1

teſtatem: cum addidit. Hoc facite in meam commemora tionem, vt perpetuus maneret eius apud homines fructus & vſus. Rurſum per huiuſmodi diſtributionem à ſe facta diſcipulis ſuis: legem ipſis dedit hoc ſacramentum fideli- Luc.22 bus diſtribuendi in cibum viuificum, & ſalutem animarũ, quod per ipſos & ipſorum ſucceſſores ſacerdotes ſtudioſe obſeruatum eſt, & ad finem vſque mundi ſine conſumptio ne ipſius aut imminutione per ſanctam communionẽ hoc ſanctum ſacramentum diſpenſabitur.

29 ¶ Poſtremum ſacratiſsima ponuntur verba quib' dominus noſter in conſecratione ipſius panis vſus eſt & omnes deinde id conficientes ſacramentum vti debere inſtituit, ſcilicet, hoc eſt enim corpus meum. In quibus particula enim, connexiua eſt horum verborum ad ſententiã præcedentem. Pronomen verò hoc, ad intellectum demonſtrat idipſum: quod in fine prolationis horum verborum ſub ſpeciebus ipſius panis remanentibus ſubſiſtit, vtpote verum Chriſti corpus: in quod panis ipſe tunc ineffabiliter conuerſus eſt. Nempe id firma fide cum eccleſia catholica indubitatóque tenendum eſt: quòd in exitu prolationis eorum verborum, & momento ipſo (vt ita dixerim) eam claudente, deſinit ſubſtantia panis, atque ſub illius accidentariis diſpoſitionibus iam vere & re ipſa cõtinetur (modo tamen in perſcrutabili atque inexplicabili) verum Chriſti corpus. Proinde cum dominus noſter illa protulit verba: pronomen meum demonſtrabit ipſum proferentem, atque ipſius pronunciantis corpus. Cum verò ab aliis proferuntur eadem verba: non ipſum monſtrat proferentem id pronomen, ſed Chriſtum in cuius perſona pronunciantur. Nõ enim refert ea verba neque referre debet ſacerdos proferens ad ſeipſum, & ſuã ipſius perſonam, ſed ad ſolum Chriſtum cuius vice & loco illa proloquitur. Et quoniam ſupradicta quinque verba ad formam pertinent conſecrationis, non ſunt quoquo pacto permutãda aut additione aut ſubtractione aut ordinis variatione, neque præcipiti ore aut confuſe pronuncianda: ſed cum ſumma attentione, reuerentia & veneratione, integrè diſtinctéque proferenda, quoniam illa ſacerdos quaſi ore Chriſti (vt ita dixerim) eloquitur, & illa loquens, Chriſti fungitur officio. Quocirca in illis rectè & decen-

decenter enunciandis: ſumma adhibenda eſt cura & animaduerſio.

Imili modo poſtcaquam cœnatum eſt accipiens & hunc præclarum calicē in ſanctas ac uenerabilis manus ſuas, item tibi gratias agens: benedixit deditq; diſcipulis ſuis dicens. Accipite & bibite ex eo omnes. Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei: qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hæc quotiēſcūque feceritis: in mei memoriam facietis.

30 ¶ Hoc loco explicatur conſecratio vini in ſanguinem Chriſti eo ordine & modo quo à Chriſto facta eſt. Et primum eius modus & tempus exprimitur cū dicit litera, ꝙ ſimili modo quo acceptum panem Chriſtus ſua benedictione & conſecratione conuertit in ſuum corpus, vt modo dictum eſt: accepit etiam calicem ad vinum conſecrandum. Et id quidem poſtquam cœnatum eſt ea ſcilicet cœna qua agnum paſchalem cum diſcipulis ſuis manducauerat. Poſt veteris enim legis cærimonias: noui teſtamenti ritus erat inſtituendus. Hunc autem calicem dicens ſacerdos qui celebrat: non eum demonſtrat calicem ſecundum numerum, quem manibus tenet, manifeſtū eſt enim: Chriſtum id vaſculum idem numero, in manus ſua non accepiſſe. Sed ad intellectum, demōſtrat ſimilē ſecundum ſpeciem, non quidem ſecundum ſpeciem ſubſtantiæ aut figuræ, quia fortaſſe ex alia ſecundum ſpeciem materia compoſitus erat calix quem Chriſtus accepit, aut alterius formæ per artem inductæ quàm calix ille quem manibus tenet ſacerdos conſecrans, ſed ſimilem quantum ad vſum & liquoris continentiam. Sicut enim in hoc calice quo ſacerdos conſecrationem vini perficit, continetur vinum aqua mixtum: ita & in eo calice quem Chriſtus accepit cōtinebatur vinum aquæ permixtum, vt vno animo ſentiunt omnes. Quare nomine calicis non intelligendum eſt hic ſolum vas potorium: ſed idipſum cum vino cōtento in eo. Vocatur autem huiuſmodi calix quem Chriſtus accepit

accepit, hoc loco præclarus: quaſi præ alis clarus. quia nō figuralis fuit, aut vmbratilis aut typicus, vt veteris inſtrumēti phiale & ciphi: ſed archetypus, exemplaris, & ipſam continēs veritatem. De quo certe calice Chriſti dicit propheta in pſalmo. Et calix meus inebrians: quàm præclarus eſt. Et ex eo pſalmi loco facile credi poteſt id nomen adiectiuum hic eſſe aſſumptum. Cæterùm acceptione illa calicis cum vino in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, Chriſtus inſtituit vinum in materiam conſecrationis ſui ſanguinis: dum ipſum vinum diuina ſua virtute cōuertit in proprium ſanguinem, & apoſtolis ſuis eorúmque ſucceſorib⁹ vini ſic per conſecrationem conuertendi contulit poteſtatem. Non enim contentus fuit proprium corpus dare nobis in cibum: ſub ſpecie panis ad vſum eſus conuenientiſſimi. ſed inſuper ex immenſitate ſuæ bonitatis etiam proprium ſanguinem in potum nobis tradidit: ſub ſpecie vini ad humanum potum congruentiſsimi. vt excellentiſsima animæ nutritio ſpiritualis: perfecta itidem corporis nutritione ſignaretur. Ad nutritionem enim perfectam corporis, non ſolum pertinet cibus, ſed & potus. Nullus autem potus dignior aut accomodatior humano corpori: quam vini moderate ſumpti quemadmodum dicit pſalmographus. Educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis. Ad hæc, cum Chriſtus ſe vitem in euangelio vocauerit: dicens diſcipulis ſuis. Ego ſum vitis vera, & vos palmites. Et rurſum. Ego ſum vitis vera: & pater meus agricola eſt. rectè vinum ipſius vitis fructum delegit in materiam huius ſacratiſsimi myſterij: vt nos ſpirituali illo poculo reficeret ac inebriaret. Reliqua verò deinde hic recitata, vt puta quòd Chriſtus gratias agens patri benedixerit calicem, dederitque diſcipulis ſuis dicens, accipite & bibite ex eo omnes: conſimili ratione dicuntur, qua in conſecratione panis paulo antè dicta ſunt.

Pſal.22.

Pſal.103

Ioan.15

31 ❡ Deinde ponitur forma propria conſecrationis ipſius ſanguinis, qua & Chriſt⁹ vſus traditur, & tota poſt ipſum vtitur eccleſia. ſcilicet, hic eſt enim calix ſanguinis mei. & cætera. Dicit enim Innocentius tertius. Credimus quod formam verborum ſicut in canone reperitur: & apoſtoli à Chriſto, & ab ipſis eorum receperunt ſucceſſores. In qua quidem forma: pronomen hic, demonſtrat per

intellectum calicem continentem precioſum Chriſti ſanguinem in fine prolationis omnium verborum ad formã pertinentium, ſicut de conſecratione panis paulo ſuperius dictum eſt. Dicitur enim hic calix ſanguinis, calix cõtinẽs ſanguinem, ſicut calix aquæ: qui aquam intra ſe continet. Et rectè calix hic nominatur potius quàm aliud quippiã continens: vt ciphus aut cyathus aut crather, vt intelligatur hic ſanguis non ſolum ad potum ſpiritualẽ, ſed ad memoriã paſſionis Chriſti pertinere: in qua effuſus eſt. Nomine ſiquidem calicis in ſcriptura frequenter amaritudo

Matt.26 paſſionis ſignatur, vt in oratione Chriſti ad patrem. Pater

Matth. 20 ſi poſſibile eſt: tranſeat à me calix iſte. Et alio in loco. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Porrò in ſequentibus verbis etiam ad formam conſecrationis ſanguinis pertinentibus: tres exprimuntur præcipui & inſignes effectus ipſius ſacroſancti ſanguinis Chriſti. Primus quòd eſt ſanguis noui & æterni teſtamenti. Non quidem, in collatione & comparatione ad vetus teſtamẽtum, quod per inſtitutionem huius myſterij & paſſionem Chriſti finẽ accepit ac conſummatum eſt, & nouum inchoatum illiúſ-

Leui.26 que loco ſuperindictum, ſecundum illud Leuitici dictũ. Nouis ſuperuenientibus: vetera proiicietis, & ſecundum promiſſionem factam à domino per Hieremiam. Ecce dies veniunt dicit dominus, & feriam domui Iuda & domui Iſràel fœdus nouum. Et merito ſane ſanguis Chri-

Hiere.13 ſti dicitur ſanguis noui teſtamenti, quia effuſione ipſius & intercedente Chriſti morte nouum confirmatum eſt teſtamentum. quemadmodum vetus ſtabilitum fuerat per aſperſionem ſanguinis ſuper volumen fœderis & ſuper populum, dicente Moyſe. Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit dominus vobiſcum: ſuper cunctis ſermonibus

Exo.24 his. Et apoſtolus ad Hebræos ſcribens ait, vbi teſtamen-

Heb.9 tum eſt: mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet dum viuit qui teſtatus eſt. Dicitur etiam idem, teſtamentum æternum: quia non eſt aliud teſtamentum illi ſucceſſurum, ſicut veteri ſucceſſit nouum: ſed ad finem vſque mundi perſeueraturum eſt, quemadmodũ promiſit domi

Eſaiæ.55 nus per Eſaiam. Feriam vobiſcum pactum ſempiter-

Heb.13 num. Et ad Hebræos ſcribens apoſtolus ait. Deus autem

pacis

pacis qui educit de mortuis paſtorem magnum ouium in ſanguine teſtamẽti æterni dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Demùm Zacharias propheta de eodem ait. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui. emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua. *Zacha. 9* 32 ¶ Secundus effectus ſanguinis Chriſti hic expreſſus eſt: myſterium fidei. Myſterium quidem Grecum nomen. idem ſignat quod ſecretum & occultum, neque paſsim omnibus obuium & patens. Tale autem fuit ſacramentum redemptionis humanæ: per ſanguinem Chriſti completum & perfectum: prius quidem ſub figuris veteris teſtamenti abſconditum: ſed in morte & paſsione Chriſti patefactum, vbi ſanguis eius effluxit: & ſciſſo velo templi. abſtruſa prius myſteria Chriſti, iam reuelata patuerunt. Etiam dicitur hoc admirabile ſacramẽtum, myſterium fidei: quia totum id ſola fide attingitur quod in hoc ſacramento continetur. & ſola fide comprehenditur: quicquid ad veritatem huius pertinet myſterij quantum ad conuertionem, continẽtiam, ſubſtantias & accidentia. vt quamuis in omnibus ſacramentis neceſſaria ſit fides: in hoc tamẽ tanto maior, ſolidior & firmior, quãto id quod proponitur magis captum fugit humanum, & altus ſupra ſenſum & rationem eminet. Tertio dicitur hoc ſacramentum: myſterium fidei, quoniã aliud ibi cernitur & aliud intelligitur. cernitur enim ſpecies vini: & creditur veritas ſanguinis Chriſti. quam credere debemus & fide amplecti: non autem diſcutere audeamus, quoniam ſecretum domini eſt. Siquidem myſterium dicitur, quod ſenſibus tegitur occultum. ſicut veritas ſanguinis in ſapore latet vini & ſpecie. Calix ergo ſanguinis eſt myſterium fidei: quia ſub figura & ſapore vini occultus creditur verus ſanguis Chriſti. Eſt itidem myſterium fidei: quia quod fides credit, intus eſt occultum & ſpecie vini obtectum.

33 ¶ Demùm tertia efficatia precioſi ſanguinis Chriſti eſt remiſsio peccatorũ noſtrorũ: ſignificatúrq; per ſubſequẽtia verba. qui pro nobis & ꝑ multis effũdetur in remiſsionẽ peccatorũ. Pro vobis inquã apoſtolis & diſcipulis quos hiſce verbis alloquebatur. & pro multis ſcilicet Iudæis & gẽtibus, per diſcipulos ſuos ad fidem cõuertendis. quẽadmodũ etiã Eſaias ait. Ipſe peccata multorũ tulit: & pro trãſgreſſorib⁹ orauit. Et apoſtol⁹ ad Hebr. ſcribẽs inquit. *Eſai. 53* *Hebra. 9*

Chriſtus

Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorũ exhaurienda pctã. Multorum dixit: non omnium. Quia quamuis pro omnib⁹ ſit effuſus ſanguis Chriſti quantum ad ſufficientiam: nõ tamen quantum ad efficaciam. Sufficiens eſt enim tollere omnia peccata, vbi non inuenit obſtaculum contrariæ voluntatis. Efficit autem ſalutem in ſolis electis, quandoquidem hi duntaxat conſequuntur remiſsionis gratiam, & æternæ hæreditatis gloriam. At verò verbum illud effundetur, non ad tempus nunc futurum referendum eſt, ſed ad illud quod in hora inſtitutionis huius ſacramenti fuit futurum, cum nondum effuſus fuit ſanguis Chriſti ſed poſtridie effundendus. Proferuntur enim ea verba in perſona Chri

Eſaie 7 ſti, & pro tempore illo quo Chriſtus primum inſtituit hoc ſacrum myſterium. Quo etiam modo oracula prophetarũ denunciantia id futurum quod iam olim completum eſt, nunc itidem veriſsima ſunt, vt ecce virgo concipiet & pariet filium, quoniam ſemper referenda ſunt ad tempus in quo primum prolata ſunt, & pro illo ſemper ſunt vera.

Demùm quòd in remiſsionem peccatorum noſtrorum effundendus fuit ſanguis ille Chriſti precioſus, ſub velami-

Leu.17. ne occulto & vmbra figurali ſignificatum eſt in Leuitico, vbi dominus dixiſſe legitur. Anima carnis in ſanguine eſt, & ego dedi illum vobis vt ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis, pro animæ piaculo ſit. Sanè vita ſpiritualis ipſius hominis (qui nomine carnis plerunque in ſcriptura ſignatur) in ſanguine Chriſti eſt. Et deus pater dedit nobis illum ſanguinem in altari crucis effuſum vt in illo expiemus animas noſtras ipſéque ſanguis Chriſti ſit pro piaculo ſiue purgatione animarum noſtrarum, vt dicit ibidem gloſa. Ecce quomodo ſanguis hircorum & vitulorum in multiformi hoſtia veteris teſtamenti effuſ⁹,

Heb. 9 ſignauit quodam typo ſacratiſsimum Chriſti ſanguinem, pro nobis in remiſsionem peccatorum effuſum. Quod & Paulus ad Hebræos ſcribens, confirmat dicens. Omnia penè in ſanguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſsio. Ioannes itidem in Apoca-

Apoc.1. lypſi idipſum teſtatur, cum ait quòd Chriſtus dilexit nos: & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Porrò ſequentia verba Chriſti hæc quotienſcunque feceritis in mei memoriam facietis, non ſunt de integritate & ſubſtan

tia formæ conſecrationis vini: vt nonnulli autumarunt, quia ipſa non magis concernunt conſecrationem & ſumptionem ſanguinis: quàm corporis Chriſti, cum vtrumque corporis ſcilicet & ſanguinis ſui tam conſecrationẽ quàm perceptionem æque præceperit fieri Chriſtus in ſui memoriam, & vtrumque demonſtretur per pronomen plurale hæc. Quòd ſi de ſola ſanguinis conſecratione ſumptionéque voluiſſet facere ſermonem: pronomine ſingulari fuiſſet vſus. Si ergo illa verba pertinerent ad formam conſecrationis ſanguinis: pari ratione attinerent & ad conſecrationem corporis Chriſti. Et ita ſub hoſtia panis non eſſet verum corpus Chriſti ante prolationem illorum verborum: eo quòd necdum tota forma conſecrationis panis eſſet pronunciata. Quare cum ante eorum verborum prolationem ex more eccleſiaſtico ipſa hoſtia per ſacerdotis eleuationem oſtenditur populo, ille adoraret hoſtiam non conſecratam, quod eſt impium & abſurdum. Præterea, per illa verba (vt vnanimis eſt omnium ſententia) Chriſtus cõtulit apoſtolis conſecrandi poteſtatem: & eos inſigniuit ordine ſacerdotali. Collatio autem poteſtatis conſecrandi: non fit per verba ad conſecrationem pertinentia, eo quòd verba conſecrationis concernunt materiam ipſius: & idipſum in quod tendit ac deſinit conſecratio. Verba verò per quæ confertur poteſtas conſecrandi: concernunt eum cui confertur ea facultas, & poteſtatem quæ illi traditur. Non ſunt igitur illa verba de quibus hic agitatur ſermo, ad conſecrationis formam ſpectantia: quare neque continuo ſpiritu cum verbis præcedentibus proferenda. Sed illis integrè prolatis, ſub ſilẽtio facienda eſt ſanguis Chriſti per genuum flexionem à ſacerdote adoratio: deinde ipſius ad populum oſtenſio, & in ipſa eleuatione calicis partim cum in altum erigitur & partim cum demittitur: hæc poſtrema verba ſunt pronuncianda. Quæ quidem eã prætendunt ſententiã, ꝙ quotiéſcunque apoſtoli & ſacerdotes illorũ ſucceſſores fecerint tã corporis quã ſanguinis Chriſti cõſecrationẽ & ſumptionẽ: illã facturi ſunt in illius memoriã, quãdoquidẽ vtrũq; illorũ iuſsit Chriſt⁹ in ſui cõmemorationẽ fieri. Sanè vna cauſa inſtitutionis hui⁹ dignisſimi ſacramẽti in eccleſia militãte fuit: vt ipſum eſſet ſignũ memoriale & repræſentatiuũ ipſius ſummi ſacrificij quod Chri-

Chriſtus obtulit in cruce, in qua ſuſtinuit mortem in corpore & ſanguinem ſuum fudit in precium redemptionis noſtræ. Et quemadmodum canit eccleſia: in hoc auguſtiſsimo myſterio recolitur memoria paſſionis eius. Idcirco ad repræſentandam diſtinctiꝰ paſsionem Chriſti: immolatione huius ſacrificij ſanguis ſeparatim in calice conſecratur quia in ipſa paſsione Chriſti ſanguis eius fuit à corpore ſeparatus. Et propter hoc in canone potius ad conſecrationem ſanguinis quàm corporis additur ea particula. Hæc quotienſcunque feceritis: in mei memoriam facietis, licet ad vtrumque referatur, quia expreſsior eſt repræſentatio & ſignificatio paſsionis Chriſti per ſanguinem: quàm per corpus. Nempe corpus eſſe poteſt ſine paſsione: ſanguis autem ſeparari non poteſt à corpore ſine ipſius vulneratione. Quòd auté ipſa ſumptio corporis & ſanguinis Chriſti etiam ſit in memoriam paſsionis eius: oſtendit apertè beatus Paulus ita ſcribens ad Corinthios. Quotienſcun-
1.Cor.11. que manducabitis panem hunc & calicem bibetis: mortem domini annunciabitis donec veniat. Quod tantundem valet atque ſi diceret. Repræſentabitis paſsionem domini & mortem: quoad venerit ad iudicium in conſummatione ſeculi. Nam iuge eſt iſtud ſacrificium, & ante mundi finem non deſinet, vt his verbis ſuperioribus atteſtatur Paulus.

VNde & memores domine nos ſerui tui: ſed & plebs tua ſancta, eiuſdem filij tui, domini dei noſtri: tam beatæ paſsionis, necnon & ab inferis reſurrectionis, ſed & in cælos glorioſæ aſcenſionis: offerimus præclaræ maieſtati tuæ de tuis donis ac datis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam: panem ſanctum uitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac ſereno uultu reſpicere digneris, & accepta habere: ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech: ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.

31 ¶In hac parte canonis proponitur conſecratorum mu
nerum in memoriam Chriſti ad deum patrem oblatio:quã
ita facit ſacerdos celebrans. O clementiſsime pater & do-
mine ex quo Chriſtus filius tuus voluit vt hæc in ſui me-
moriam faceremus,& quoniam hæc ipſa in ſui commemo-
rationem fieri inſtituit:nos ſerui tui ſacerdotes & presbyte
ri,qui noſtrorum ordinum myniſteria ad hæc offerenda ſa *Eſa.61.*
crificia accepimus,quemadmodum ait Eſaias. Vos autem
ſacerdotes dei vocabimini:miniſtri dei noſtri, ſed & plebs
tua ſancta,tota ſcilicet vniuerſitas populi Chriſtiani, ſan-
guine Chriſti abluta & baptiſmo ſanctificata,memores ei-
uſdem filij tui Ieſu Chriſti,qui & noſter eſt dominus & de⁹.
Dominus quidem:quia nos tanquam ſeruos regit,& ſingu
lari prouidentia curat ac gubernat. Deus verò quia nos ip
ſos ex nihilo productos ad ſuæ maieſtatis cultum ſpeciali
gratia vocauit,ſuorúmque ſacramentorum participes effe
cit. Memores itidem paſsionis filij tui(quam hæc repræſen
tant myſteria)tã beatæ atque ſalutaris,vt quæ æternæ bea-
titudinis aditum nobis deuicta morte reſerarit, necnon &
reſurrectionis eius ab inferis: ad quos triduano illo ſuæ
mortis ſpacio Chriſtus deſcendit vt ſanctos patres ibidem
detentos liberaret. Denique nos etiam memores glorioſæ
aſcenſionis eius in cælos,quæ in glorificato & immortali
corpore ſuper omnes cælos facta eſt: vt ſicut à ſummo cæ-
lo fuerat egreſsio eius, ita occurſus eius fuerit vſque ad
ſummum eius. Nominantur autem potius hic iſta tria Chri
ſti opera,paſsio,reſurrectio,aſcenſio: quàm alia in diſpen-
ſatione carnis aſſumptæ ab eo facta,quoniam plus cæteris
faciunt ad complementum redemptionis & glorificationis
humanæ. Paſsio nanque Chriſti:precium noſtræ redem- *Pſal.18.*
ptionis exoluit,& mortem deſtruxit. Reſurrectio eiuſdem *1.Cor.15.*
perditam reparauit vitam,nobiſque reſurgendi ſpem & fi-
duciam ſuggeſsit. Si enim Chriſtus reſurrexit à mortuis
(inquit apoſtolus)& nos reſurgemus. Aſcenſio verò in cæ
lum,paradiſi patefecit introitum quantum ad eius ingreſ-
ſum:& nobis eundem ingrediendi viam monſtrauit. Aſcen
dit enim(vt ait propheta)pandens iter ante eos. Itaque Micheę.2.
paſsio Chriſti,principium eſt noſtræ reparationis, reſurre
ctio:medium,aſcẽſio verò, finis & meta. Tantorum igitur
& tam ſublimium operum Chriſti memores nos ſerui tui
ſed

ſed & plebs tua ſancta:offerimus ſimul quidem, non tamẽ eodem modo. Nos enim ſacerdotes offerimus in miniſterio & opere:ſed & plebs tua ſancta, voto duntaxat & deuotione. Sacerdotes namque ſoli conſecrant & ſoli offerunt: vt perſonæ publicæ pro ſalute totius eccleſiæ. Alij autem offerre dicuntur. quia deſiderant & precantur deum, vt ſacerdotis oblatio accepta habeatur, & ſalus quæ petitur fidelibus indulgeatur. Offerimus autem non quidem hominibus aut ſanctis, ſed præclaræ maieſtati tuæ, eximiéque tuæ diuinitati, immenſa claritudine omnibus ſupereminenti, cui ſoli hæc debetur oblatio: quoniam omnia nobis ex ea bona profluunt. Idcirco non ex iis quæ noſtra ſunt, aut à nobis ipſis profecta offerimus:ſed de tuis donis ac datis, de bonis ſcilicet illis cum temporalibus tum ſpiritualibus quæ largiter & abundè nobis cõmunicaſti, quandoquidem vt ait Iacobus, omne datum optimum & omne donũ perfectum :de ſurſum eſt deſcendens à patre luminum.

36 ¶ Inter alia autem data quod optimum eſt & præſtantiſsimum(vt tuam decet venerandam maieſtatem)tibi nũc domine ſanctæ pater offerimus, Hanc ſcilicet ſalutarem hoſtiam:quam quinque præclaris titulis hic præſertim honoramus. Primo eam nuncupantes puram:quia puritatis omnis & mundiciæ fons eſt, nihilque iniquitatum in eam incurrit, inſuper & noſipſos efficacia ſuæ virtutis mirificè purificat. Secundo ſanctam:quia omni gratia & ſanctitate eſt pleniſsima, cum in ea contineatur ſanctus ſanctorum : de quo dictum eſt ad ſacroſanctam virginem. Et quod naſcetur ex te ſanctum: vocabitur filius dei, præterea nobis ſuæ ſanctimoniæ participationem largiter indulget: omnéſque ſanctificat. Tertio immaculatam quoniam nulla peccati contagione eſt contaminata, cum eum ipſum contineat de quo dicit propheta, quod peccatum non fecit:nec inuentꝰ eſt dolus in ore eius, omnem etiam à nobis tollit peccati maculam:eſt enim agnus dei qui tollit peccata mundi. Et certè hæc immaculatiſsima Chriſti ſyncæritas & à peccato immunitas:congruenter nobis per candorem hoſtiæ ſenſibilem & oculis conſpicuum à ſanctis patribus eſt ſignificata, ſicut per formam eiuſdem ſphæricam :ipſius æternitas principio finéque carens conuenienter eſt indicata, vt hoſtia candida pariter & rotunda:Chriſti humanitatẽ prædicet

Luc.1.

Eſa.53.
Ioan.1.

dicet peccati neſciam, pariter & diuinitatem æternam. Quarto eandem appellamus hoſtiam, panem ſanctum vitæ æternæ, non quidem panem materialem & corporalem vt fuit ante conſecrationem, ſed panem ſpiritualem: & cibum conferentem dignè manducantibus vitam æternã, de quo ſumma veritas ait in euangelio. Pater meus dat panẽ de cælo verum. Panis enim verus eſt qui de cælo deſcendit & dat vitam mundo. Et rurſum, ſi quis manducauerit ex hoc pane: viuet in æternum. Quinto calicẽ ſalutis perpetuæ: cuius hauſtu ſalus perpetua datur hominibus, vt ipſemet tantorum author munerum in euangelio teſtatur dicens. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem: in me manet & ego in illo. Ipſe autem: ſalus eſt perpetua. Et rurſum. Qui manducat meam carnem & bibit meũ ſanguinem, habet vitam æternam. Superuacuum autem ferè id exiſtimabitur & id lectores admonere calicem hic nõ tam pro ipſo continente vaſculo ſumi, quàm pro precioſo Chriſti ſanguine in eo poſt conſecrationem contento: qui ſalutis perpetuæ gratiam dignè ſumẽtibus elargitur, quoniam id loquendi genus quo continentis nomen pro re cõtenta ſumitur: & apud ſacram ſcripturam, & apud cæteros authores receptiſsimum eſt ac vſitatiſsimum. Ioan.6.

37 ¶ Cæterùm cum tanta ſit huius hoſtiæ dignitas & excellentia tanta puritas, tanta denique ſanctitas: ſolicitè animaduertere debent & attendere ſacerdotes, qui panem hunc ſanctum offerunt deo & calicem benedictionis: cum quanta conſcientiæ puritate, præparatione mentis & cordis deuotione debent ad hanc hoſtiam puram, & ſanctam deo offerendam accedere. Ne ſi peccatis ſordidi eam offerant: eorum habeatur oblatio quaſi illius qui excerebrat canem aut qui victimat filium in cõſpectu patris. Ne itidẽ ſi ad eam accedant ſeipſos non probantes magis filium dei rurſum crucifigant & oſtentui habeant: quàm ipſum offerãt in ſacrificiũ beneplacitũ deo patri in recõciliationẽ & propitiationẽ. Ne denique hoc ſacrificiũ ꝙ datũ eſt in remediũ: ob ſuã & irreuerentiam & irreligioſitatẽ vertatur ipſis in interitũ & animæ exitium. Meminiſſe ſanè debent Nadab & Abiu filios Aaron ſacerdotali officio inſignitos, quia ignem alienum arreptis thuribulis obtulerunt domino, repentina vltione percuſſos occubuiſſe. Necnõ & Oſa, quia Eſa.69. Eccl.34. Heb.6

Leui.10 quia manus ſuas cum temeritate iniecit arcæ:ſubito etiam
2.Reg.6. vindice dei ira periiſſe. Nonne Bethſamitæ videntes arcã
1.Reg.6. domini cum minori quàm decuit reuerentia:à domino grauiter puniti leguntur? Nonne qui intrauerat ad regales nuptias non tamen indutus veſte nuptiali:iuſſus eſt proiiMat.22. ci in tenebras exteriores? Certè hæc omnia ſcripta ſunt ad correctionem noſtram: vt cautiores in tanto verſemur altaris officio,& quanta decet veneratione pro viribus ipHeſter.7. ſum exerceamus. Ne ſimiles ipſi Aman inſolentiſsimo cũ putamus nos vocari ad regis & reginę conuiuium in ſignũ amoris & beniuolentiæ:ob indignitatem noſtram depute-
1.Reg.4. mur ad ſuſpendium gehennæ,& æternæ damnationis patibulo adiudicemur. Ne etiam perſimiles filiis Heli cum indigne ſancta tractamus & ſacerdotio fungimur: hoſtili
1.Cor.11. cadamus gladio. Ne denique de eorum ſimus numero de quibus dicit Paulus,quòd quicunque manducauerit panẽ hunc & calicem domini biberit indignè:reus erit corporis
Leui.22. & ſanguinis domini,& inſuper iudicium ſibi manducat & bibit. Quòd ſi in veteri lege leproſus & immundus contactu morticinij non potuit manducare de oblatis domino: non auſint vnquam qui lepram habent peccati aut contagia immundiciæ,hunc domino ſanctificatum panem & calicem ſumere.

38 ¶ Deinceps in litera canonis ponitur petitio acceptationis oblatorum:qua ſacerdos celebrans expoſcit ea quæ of
Hiere.31 feruntur, grata & accepta haberi à deo patre,hoc modo. Supra quæ(inquit)dona & data tibi in hoc ſacrificio oblata corpus ſcilicet & ſanguinem Chriſti filij tui ,panem ſanctum vitæ æternæ & calicem ſalutis perpetuæ : ò clementiſsime pater reſpicere digneris de cælo,proprio vultu atque placabili per facilitatem dimiſsionis peccatorum , id nobis præſtans quod per prophetam tuum es pollicitus:cũ dixiſti. Propitiabor iniquitati eorum:& peccati eorum nõ memorabor amplius. Vultu item ſereno , benignóque & placido:qui & iram tuam mitigatam indicet,& tuã in nos manſuetudinem. Quem propheta ſuper nos illuminari pe
Pſal.66. tiuit:cum ait. Illuminet vultum ſuum ſuper nos:& miſereatur noſtri. Quem etiam in benedictione filiis Iſrael impartienda: Aaron ſacerdos imprecatus eſt ad nos conuerti de
Num.6. bere,præcepto domini dicentis illi. Sic benedicetis filiis Iſ

rael

rael. Benedicat tibi dominus: & cuſtodiat te. Oſtendat de⁹ faciem ſuam tibi: & miſereatur tui. Conuertat dominus vultum ſuum ad te: & det tibi pacem. Digneris etiam ô ſancte pater hæc ipſa quæ offerimus accepta & grata habere, non ſolum ratione oblati ſacrificij quod tuæ maieſtati diſplicere non poteſt: ſed etiam ex nobis offerentibus & ratione noſtri habita qui offerimus, taléſque nos offerentes facito fide & deuotione, quales fuerunt olim Abel, Abraham & Melchiſedech, qui deo primùm placuerunt innocentia, obediētia & ſanctimonia: idcirco gratas illi hoſtias & acceptas obtulere. Reſpexit enim deus prius ad Abel: & poſtea ad munera eius, quia non offerens placuit illic ex oblato: ſed munus ex offerente. Nos autem propria virtute diffiſi & noſtrorum conſcij peccatorum: petimus ediſſerſo vt offerentes placeamus ex oblato, atque hoſtiam hanc merito acceptabilem offerentes, per eam nos acceptos fieri poſtulamus: quam nequaquam tibi deo patri acceptam eſſe dubitamus. Gen. 4.

39 ¶ Porrò triū hic proponuntur exempla ſacrificiorum ante legem datam oblatorum quę deo accepta fuiſſe legūtur, & ad quorum ſimilitudinem petimus noſtra etiam ſacrificia accepta haberi. Primo ſacrificium Abel qui obtulit domino de primogenitis & adipibus gregis ſui: ad quæ dominus reſpexiſſe perhibetur. Dicitur autē hic ipſe Abel pueri domini: ob innocentiam & vitæ puritatē, nō autē ob ætatem aut ignorantiam eorū quę ſciri debent reprehenſioni obnoxiam, qualem pueritiam improbat apoſtolus cū ſcribit ad Corin. Nolite pueri effici ſenſu & intellectu: ſed malitia paruuli eſtote, ſenſu autem perfecti. Nā vt ait propheta. Puer centum annorum morietur: & peccator centū annorum maledictus erit. Secūdum priorē verò pueri acceptionem: dominus noſter apud prophetam puer dicitur, cum ait. Ecce puer meus elect⁹ quem elegi: poſui ſuper eū ſpiritum meum. Et diſcipuli in euangelio vocantur pueri à domino cum ait ad eos. Pueri nunquid pulmentarium habetis? Et in pſalm. Laudate pueri dominum: laudate nomen domini. Dicitur etiam hic Abel iuſtus: quoniam id elogiū illi à domino noſtro in euangelio eſt aſcriptum, cum ait ad Iudæos. Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ

1. Cor. 1.
Eſa. 65.
Eſa. 41.
Ioan. 21.
Pſal. 112.
Mat. 23.

chariæ filij Barachiæ: quem occidiſtis inter templum & altare. Secundo ponitur hic exemplũ ſacrificij Abrahæ: qui ſecundum præceptum domini obtulit filium ſuum primo-
Gen.22 genitum Iſaac. Propter quam ſingularem obediendi promptitudinem dictum eſt ei à domino. Per memetipſum iuraui dicit dominus, quia feciſti hanc rem & non pepercisti vnigenito tuo propter me: benedicens benedicam te. Dicitur autem hoc loco Abraham patriarcha noſter, quia nõ tam Iſraeliticæ plebis quàm totius populi Chriſtiani pater eſt, illius per carnem: iſtius autem per fidem. Vnde etiam illi dictum eſt à domino. Non vocaberis vltra Abram, ſed Abraham: quia patrem multarum gentium te conſtitui.

Ge.17 & 4 Tertio affertur hic exemplum ſacrificij Melchiſedech: qui venit in occurſum Abrahæ reuertenti de cęde quatuor regum, protulitque panem & vinum: gratias agens deo de victoria quam Abrahæ contulerat. Dicitur autem hic ſummus ſacerdos dei (quod & Geneſis de eo expreſsit dicens, erat enim ſacerdos dei altiſsimi) nõ ſolum quia deo in cultu ſacerdotij miniſtrabat: ſed etiam quia Chriſtum typicè repræſentabat. Vt enim dicit Auguſtin. Melchiſedech qui interpretatur rex iuſtitiæ & dicitur rex pacis, Chriſtum ſignificat: per quem reconciliati ſumus & qui in fine ſeculi iuſte iudicaturus eſt. Denique vocat hic litera canonis ſacrificium ipſius Melchiſedech, ſanctum ſacrificium & hoſtiam immaculatam, non quidem quantum ad ſe & abſolute: ſed collatione facta ad ſacrificium noui teſtamenti quod ſignificabat, & cuius expreſsior erat figura quàm cæteræ oblationes, & idcirco noſtri ſacrificij conditiones illi attribuuntur tanquam imagini. Sanè hoc noſtrum ſacrificium
Ioan.3. ſanctum eſt: propter plenitudinem gratiæ & virtutum copiam, quæ in eo continentur. Non enim dedit deus Chriſto ſpiritum ad menſuram. Eſt & immaculata hoſtia: quo ad innocentiam & peccati immunitatem: vt paulò ante dictum eſt.

40 Quòd ſi quis percontetur: cur potius horum trium patrum, Abel, Abraham, Melchiſedech ſacrificia commemorantur, quàm aliorum: de quibus tamen habetur etiam te-
Gen.4. ſtimonium, quòd ipſorum ſacrificia placuerint deo. Adhibenda eſt reſponſio: idipſum eam ob cauſam fieri, quia ſicut eorum ſacrificia typi fuerunt & figuræ noſtri ſacrificij: ita

Ita & patres ipſi fuere figura Chriſti. Nempe Abel innocens & iuſtus: à fratre ſuo per inuidiam interfect⁹ eſt, per quod ſignatur Chriſtus: qui à fratrib⁹ ſuis Iudæis inuidia obcæcatis, in mortem eſt traditus. Propter quod dicit Ioannes in Apocalypſi: quòd agnus ſcilicet Chriſtus ab origine mūdi occiſus eſt, in ſuis quidē membris vtpote in Abel: in cuius occiſione præfiguratus eſt. Abel item paſtor fuit ouium. Et Chriſtus paſtor eſt bonus, qui poſuit animā ſuā pro ouibus ſuis. Sed & Abraham figura fuit Chriſti in magna ſua obedientia: qua paratus fuit offerre propriam ſuā ſubſtantiam in filio ſuo vnigenito. Ita & Chriſtus obediēs fuit patri: tradendo ſeipſum in mortem ad voluntatem & beneplacitum patris. Abrahā item patriarcha fuit & princeps patrum fidelium: ipſius fidem & opera imitantium, qui & ideò dicuntur filij Abrahæ. Ita & Chriſtus pater eſt omnium Chriſtianorum: in quo omnes renaſcuntur, filiique dei per adoptionem & gratiam efficiuntur. Demùm Melchiſedech rex fuit & ſacerdos: offerens panem & vinum. Chriſtus etiam à deo patre conſtitutus eſt rex ſuper Sion montem ſanctum eius. Ipſe quoque ſacerdos eſt in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, quia panis & vini ſanctiſsimum ſacrificium inſtituit. Rurſum Melchiſedech ſine patre fuit ſine matre ſine genealogia: neque initium dierum neque finem vitæ habens, vt ſcribit Paul⁹ ad Hebræos. Chriſtus etiam ſine patre fuit in terris: & ſecundum humanitatem, ſine matre vero in cælis: & ſecundum diuinitatem, ſine genealogia quoque ſecundum deitatem. Nam generationem eius quis enarrabit? Neque initium dierum habet Chriſtus neque finem vitæ: nam deo patri coæternus eſt & manet in æternum.

Apoc. 13. Gen. 14. Pſal. 2. Pſal. 109. Heb. 7 Eſa. 53. Ioan. 12.

SVpplices te rogamus omnipotens deus: iube hæc perferri per manus ſancti angeli tui in ſublime altare tuū in conſpectu diuinæ maieſtatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus: omni benedictione cæleſti & gratia repleamur. Per eundem Chriſtum dominum noſtrum Amen.

Memento etiam domine famulorum famularumq; tuarum: qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei & dormiũt in ſomno pacis. N. & N. Ipſis domine & omnibus in Chriſto quieſcentibus: locum refrigerij, lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

41 ¶ In hac parte canonis petit ſacerdos celebrans diuinæ gratiæ & benedictionis participationem. Ad quam efficaciter conſequendam, humilitatem nomine ſupplicantium obtendit: vt diuinam maieſtatem ad exauditionem facilius inflectat. Non inquit ex noſtra ò deus pater omnipotens te rogamus iuſtitia: quæ ante faciem tuam eſt tanquã pannus menſtruatæ, vt ait Eſaias, ſed ſoli innitentes humilitati per quam nihil de nobis præſumimus, ſed tantummodo de ſua miſericordia: ſcientes quoniam deus humilibus dat gratiã. Rogat autẽ ſacerdos nomine totius eccleſię vt deus iubeat hæc, vota ſcilicet fideliũ, precéſq; & ſupplicationes ſuæ maieſtati præſentari per officium ſanctorũ angelorum (hic enim ſingulare nomen, ſancti angeli tui pro plurali poſitum & ſignificantiam habere pluralem : ab expoſitoribus cenſetur) qui ſunt omnes adminiſtratorij ſpiritus: in miniſterium miſsi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, qui etiam dicuntur deo nunciare noſtras orationes: quemadmodum angelus Raphael ait ad Thobiã ſeniorẽ. Quando orabas cum lachrymis & ſepeliebas mortuos: ego obtuli orationem tuam domino. Et id potiſsimum intelligendum eſt fieri in ſacrificio altaris cui aſsiſtunt vt honorem & reuerentiam exhibeant regi ſuo Chriſto, vt etiam vota, preces & pia deſideria ſacerdotis & totius populi deo offerant: ſecundum illud dictum Apocalypſis. Aſcendit fumus aromatum in conſpectu domini: de manu angeli. Quid autem fum⁹ aromatum ſignat : niſi orationes ſanctorum & piorum cordium: Poteſt & altera huic loco adaptari expoſitio: ſecundũ quã ſacerdos hic rogat q̀ deus iubeat hæc, corp⁹ ſcilicet & ſanguinẽ filij ſui in altari oblata & præſentia: perferri per miniſteriũ angelorũ ſctõrũ in ſublime altare ſuũ ſcilicet in cælũ: vbi ſedes eius eſt & thronus, perferri inquã, non ſecundũ ipſam loci tranſlationem quan-

Eſa.94. Iacob.4. Heb.1. Thob.12 Apoc.8. Ioan.10.

quandoquidem ibi nunc reſidet ad dexteram patris gloria & honore coronatus, ſed ſecundum gratam acceptationẽ. Cum enim admittit princeps munera ſibi dono data in ſuũ offerri conſpectũ: id argumento eſt quòd ea non auerſatur, ſed cum beniuolentia complectitur, ſi qua nãque abominatur & execratur donaria: non ea ſinit ſuo conſpectui præſentari. Ita quatenus accepta ſint hæc munera quæ offeruntur: petuntur ea perferri in conſpectu diuinæ maieſtatis ſummęque diuinitatis, angelico miniſterio. Nam ſi non patientur ex indignitate offerentis repulſam, ſed admittantur diuino conſpectui: omnino grata erunt. Petitur autem huiuſmodi oblatio ita perferri in conſpectu paternæ maieſtatis: vt quotquot de ſeruitute cleri aut voto populi ex ea altaris participatione communionéque ſacrificij, ſumpſerint ſacroſanctum filij dei corpus & ſanguinem, aut ſecũdum ſacramenti ſumptionem vt celebrantes ſacerdotes, aut ſpiritualem perceptionem ſolum vt circunſtans populus (qui etiam ſumere dicitur ſpiritualiter ea diuina myſteria quæ tractantur in altari: quatenus fide ac deuotione in ea tendit ſuúmque animum totum effundit in conſpectu domini) repleatur omni cæleſti benedictione & gratia: largitate ſcilicet & copia cæleſtium chariſmatũ: donorum & virtutum. At verò id petit ſacerdos celebrans non ſuis neque eccleſiæ meritis indultum iri: ſed per Chriſtum dominum, quem ſemper audit pater: & qui exauditur pro ſua reuerentia. Quare confidere debet ſacerdos, quòd ſi ſuis exigentibus peccatis merito repellantur ſua ſacrificia à deo: per Chriſtum tamen mediatorem dei & hominum illa habebuntur grata & accepta deo patri. *Ioan.11.* *Heb.5*

42 ❡Deinde ſubiungitur in litera canonis pia commemoratio defunctorum: quos petit ipſa eccleſia etiam eſſe participes fructus huius ſacrificij. In hac autem oratione mortuorum commendatoria, particula etiam connexiua eſt præſentis ſententiæ ad proximè præcedentem, vt hic habeatur ſenſus. Non ſolum petimus ò domine quòd nos viui cæleſti benedictione & gratia repleamur, verumetiã vt memoriam habeas defunctorum famulorũ, famularũque tuarum firmiter credamus hoc noſtrum ſacrificium nõ ſolum prodeſſe viuis: ſed & defunctis ad relaxationẽ. Vnde Innocent. 3. inquit. Orat pia mater eccleſia nõ ſolũ pro vi-

uis, ſed etiam pro defunctis, & eos ſacræ oblationis interceſsioni cõmendat, certiſsimè credens quòd ſanguis ille precioſus qui pro multis effuſus eſt in remiſsionem peccatorum: non ſolum ad ſalutem viuentium, verumetiam ad abſolutionem valeat mortuorum. Et vt magis oſtenderet eccleſia fidem ſuam, qua tenet id noſtrum ſacrificium mortuis prodeſſe: ſtatuit & decreuit vt in omnibus miſſarum celebrationibus loco debito defunctorũ memoria habeatur, non ignorans in ſacris literis dictum eſſe: quòd ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare: vt à peccatis ſoluantur. Sed quænam (oro) dabitur fructuoſior aut efficacior oratio: quàm quæ ſacrificio altaris eſt coniuncta & ſanctam deo offert hoſtiam? Idem quoque cõprobatur per decretum concilij Cabilonenſis, quod de conſecratione diſtinctione prima, cap. viſum præterea, hunc in modum recitatur. Viſum præterea nobis eſt: vt in omnib⁹ miſſarum ſolennibus pro ſpiritibus defunctorum loco competenti in eccleſia ad dominum deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur qua non pro viuentibus & pro quibuſlibet neceſsitatibus dominum deprecetur: ita nimirũ nulla dies excipi debet quin pro animabus fidelium preces domino in miſſarũ ſolẽnib⁹ fundantur. Antiquit⁹ igitur hũc morẽ ſancta tenet eccleſia: vt & miſſarũ ſolẽnib⁹ & aliis precib⁹ domino ſpũs quieſcentiũ cõmendentur: dicẽte B. Auguſti. Nõ ſunt prętermittẽdę ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorũ: quas faciẽdas ꝑ omnib⁹ in Chriſtiana & catholica ſocietate laudam⁹. Defũctorũ etiã tacitis noĩb⁹ eorũ: quos ſub generali cõmemoratione ſuſcepit eccleſia, vt quib⁹ ad iſta deſunt parentes & filij aut quicunque cognati vel amici: ab vna eis exhibeatur pia matre cõmuni. Hãc aũt approbatiſsimã eccleſiæ cõſuetudinẽ tanti facit beat⁹ Auguſtin⁹ vt dicat in opuſculo de cura pro mortuis agenda. Si nulla eſſet authoritas ſacræ ſcripturæ: quæ doceret orare pro defunctis: tãta eſt authoritas eccleſiæ Romanę & cõſuetudinis eius obſeruatæ, vt nemo illam inſequens poſsit errare. Idẽ quoque in epiſtola ad Hierony. ait. Cõtra eccleſię fundatiſsimũ morẽ nemo ſentiat. Nõ autem promiſcue & ſine diſcrimine pro quibuſuis mortuis orat ſacerdos celebrãs in hac canonis particula: vt domin⁹ illorũ memoretur: miſericordię ſuę ſubſidiũ illis impendendo, ſed pro iis tãtum qui

2. Mach. 12

qui nos præceſſerunt,antè rebus humanis quàm nos exem pti,cũ ſigno fidei:quod per ſacramenta eccleſiaſtica fideliter reuerentérque ſuſcepta,& vitam verè fideli & Chriſtiano homine dignam oſtenderunt,de illis enim ſpes ſalutis eſt apud eccleſiam:& pro illis effuſæ preces non exiſtimantur irritæ,inanes & caſſæ. Qui etiam dormiunt in ſomno pacis,qui ſcilicet in pace conſcientiæ mortui ſunt ſine peccatis mortalibus & dei offenſa:ſed in ipſius amicitia & gratia,& de quibus dicere poſſumus:quod in pace in idipſum dormiunt & requieſcunt. His etenim dũtaxat proſunt orationes viuentium. Frequenter quidem ſcriptura mortuos vocat dormientes:eam ob cauſam quod ſicut ſomno ſoluti deinde expergiſcuntur & euigilant,ita mortui omnes in conſummatione ſeculi ad vitam denuò reſurgent. Enimuerò apoſt.ad Theſſ.ſcribens ait. Nolo vos ignorare de dormientibus vt non contriſtemini ſicut & cęteri qui ſpem non habent. Et dominus noſter ad diſcipulos inquit. Lazarus amicus noſter dormit:ſed vado vt à ſomno excitẽ eum,quæ verba de ſomno mortis eodem euãgeliſta interprete intellexit. Inſuper de filia archiſynagogi iam defuncta dixit dominus. Non eſt mortua puella:ſed dormit.

Pſal.4. *1.Theſſ.4.* *Ioan.11.* *Luc.8.*

43 ¶ Porrò hoc in loco ſacerdos particularem memoriam defunctorum ſecreto facere debet: vt eorũ pro quibus tunc ſpecialiter miſſam celebrat,parentum item & cognatorum,benefactorum quoque,& ſibi ſpeciali cura cõmiſſorum:ſecundum illum ordinem & modum qui in commemoratione viuorum dictus eſt ante obſeruari debere. Hanc autem particularem defunctorum recitationem hoc in loco fieri ſolere,ſignant maiuſculæ illæ literæ. N. &. N. in canone poſitæ:inſinuantes nomina eorũ ſingillatim hic tacita mente commemoranda. Qua quidem cõmemoratione ſingularium perſonarum expleta:ſacerdos illis particulatim apud ſe nominatis & omnibus itidẽ fidelibus in Chriſto quieſcentibus,in fide ſcilicet & cõfeſsione Chriſti defunctis:& in quibus locum habet illa vox de cælo dicens. Beati mortui qui in domino moriuntur,tria à domino indulgeri concedique imprecatur. Primo locum refrigerij,à pœna ſcilicet quæ infligitur ad eluẽda crimina. Licet enim conſolationem habeant ex certitudine adipiſcendæ beatitudinis & charitate dei qua replentur:non tamen

Apoc.14.

refrigerium habent à pœna quam adhuc ſuſtinēt pro peccatis in præſenti vita commiſsis, & necdum plene quantū ad ſatisfactionem remiſsis. Secundo petit illis animabus defunctis concedi locū lucis perpetuæ: inquo non ſit obſcuritas tenebrarū. Licet enim ipſę nō ſint in tenebris culpæ, infidelitatis aut deſperationis, ſed habeant lumen cognitionis, ſpei, & charitatis: ſunt tamen tantiſper priuatæ dei viſione in qua eſt lux maxima (deus enim vt ait Ioānes, lux eſt: & tenebræ in eo non ſunt vllæ) & ergo quodā modo tenebris addictæ. Tertio petit ſacerdos ipſis animabus piè defunctis indulgeri locum pacis: in quo nulla eſt hoſtium afflictio, aut quicquam male afficiens aut contriſtans habitantem. Quanuis enim in pace Chriſti obierint mortem, vt iam dictum eſt, non tamen adhuc prorſus immunes ſunt afflictionis, & necdum peruenerunt ad ſummam illam tranquilitatem vbi iam nullus eſt dolor reliquus neque luctus: neque clamor, nondum etiam abſterſit deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Hic autem locus refrigerij, lucis & pacis: eſt ſuperna ciuitas Hieruſalem, fœliciſsimáque ſanctorum habitatio. Refrigerij quidem: nam vt Sapiens ait. Iuſtus ſi morte præoccupat⁹ fuerit: in refrigerio erit. Lucis verò. Nam ciuitas illa (vt ait Apocalypſis) non indiget ſole neque luna, vt luceant in ipſa: nam claritas dei illuminat illam, & lucerna eius eſt agn⁹. denique & pacis. Nā de eo dicit Eſaias. Sedebit popul⁹ me⁹ in pulchritudine pacis: & in tabernaculis fiduciæ & requie opulēta. Demū hūc æternę beatitudinis locū expetit ſacerdos aſsignari defūctis, nō ſua ipſi⁹ virtute & meritis: ſed per Chriſtum dominum noſtrum qui ad inferos deſcendens defunctos liberauit, & in cælis perduxit.

1. Ioan. 1

Apoca. 21

Apoca. 7

Sapien. 4.

Apoca. 21

Eſaiæ 32

Nobis quoq; peccatorib⁹ famulis tuis de multitudine miſerationū tuarū ſperātib⁹, partē aliquā & ſocietatē donare digneris cū tuis ſanctis apoſtolis & martyrib⁹: cū Ioāne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexādro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cecilia, Anaſtaſia: & cū omnib⁹ ſanctis tuis. Intra quorū nos cōſortiū nō æſtimator meriti ſed veniæ quæſumus largitor admitte. Per Chriſtum dominum noſtrum.

¶ In

24 ¶ In hac parte canonis poſt petitum refrigerium ꝑ defunctis: poſtulatur ſuffragium pro viuis & conſortium cum ſanctis in eccleſia triumphante regnantibus. In qua quidē petitione ſacerdos celebrans qui ꝑ aliis & viuis & mortuis ante orauerat: etiam pro ſeipſo orat, quoniã debet quemadmodum pro populo ita etiã & pro ſemetipſo offerre pro peccatis: quia & ipſe circundatus eſt infirmitate. Non tamen ſeipſum ſingulari inducat numero ſed plurali, dicens, nobis, quoniam vt ſæpius ante dictum eſt, ſacrificium quod offertur nō ſingularis eſt perſonæ ſed militantis eccleſiæ, cuius loco & vice ſacerdos vt miniſter eius ſacrificat & orat. Vt autem facilı⁹ exaudiatur, captétque dei beniuolentiã, peccatorem ſe & alios viuos (quos eodem pronomine quo ſe, ſignat & includit) pronunciat, quoniam nihil æque diuinam maieſtatem inflectit ad impendendã hominibus miſericordiam, quàm humilis peccatorum recognitio atque confeſſio, qua quis ſe indignũ fatetur ex ſeipſo diuinis beneficiis: ſed totam ſuam fiduciam collocat atque reponit in dei miſericordia. Enimuero Centurio ex humilitate preclamans. Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo & ſanabitur puer meus, dignus habitus eſt qui exaudiretur, & quod petiuerat impetraret. Sic publicanus percuſſo pectore & demiſſis in terram oculis dicens. Deus propitius eſto mihi peccatori, iuſtificatus eſt, & repulſa iactãtis ſuam iuſtitiam phariſæi oratio. Reſpexit enim deus (ait propheta) in oratione humilium: & non ſpreuit precem eorum. Sic & Daniel pro liberatione populi Iudaici ex captiuitate Babylonica orans, primo peccata ſua & populi confitebatur dicens. Peccauimus, iniquitatem fecim⁹ in omnem iuſtitiam tuam. Neque in iuſtifisationibus noſtris proſternimus preces antè faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis, Hinc in prouerbiis dicit Salomon. Iuſtus prior accuſator eſt ſui. Cum itaque peccatorem ſe fateatur ſacerdos & tota fidelium multitudo (in multis enim offendimus omnes, & non eſt homo qui non peccet) non conſtituit fiduciam ſuam in propria iuſtitia aut bonis operibus: ſed ſolum ſperat de multitudine miſerationum domini, in qua propheta confiſus: peccatorum petiuit remiſſionem dicens. Secũdum multitudinem miſerationum tuarum:

Heb.5. *Matth.8* *Luc.18* *Pſal.101* *Danie.9* *Prouer.19* *Iacob.3* *2.Para.6* *Pſal.50*

tuarum:dele iniquitatẽ meam. Rurſum peccatorum ſuorum exponens coram deo obliuionem:ad eandem miſera-
Pſal.24 tionum dei multitudinem confugit dicens. Reminiſcere miſerationum tuarum domine: & miſericordiarum tuarũ quæ à ſeculo ſunt.delicta iuuentutis meæ: & ignorantias meas ne memineris. Neque inuanum ſacerdos ſacra faciens habet confugium ad multitudinem miſerationum dei.
Eccle.2 quis enim vnquam ſperauit in domino:& relictus eſt? Reſpicite(inquit Eccleſiaſticus) filij nationes hominum: & ſcitote quia nullus ſperauit in domino & confuſus eſt.
Pſal.144 Numero autem multitudinis hic enuntiat miſerationes domini:propter varios & multiformes diuinæ miſericordiæ effectus nobis exhibitos, qui in ſacra ſcriptura ſepænumero dei miſeratione nuncupantur. vt cum dicit propheta:quòd miſerationes eius ſuper omnia opera eius, & permultis aliis in locis. Cæterùm petit ipſe ſacerdos hoc
Pſal.141 loco:quòd deus ipſe dignetur pro ſua benignitate & gratia(nam ex nobis non ſumus tanto munere digni) ſibi & aliis viuẽtibus donare partem aliquam participationẽmque beatitudinis cum ſuis ſanctis apoſtolis & martyribus in cæleſti gloria ſublimitatis, vt portio noſtra ſit in terra viuentium.vbi computemur inter filios dei, & inter ſanctos ſit ſors noſtra. 25 ¶ Deinde nominatim recenſentur nonnulli ſancti & ſanctæ dei.cum quibus ſocietas demùm
Matt.1 haberi expoſcitur. Et ſicut ante conſecrationem poſtulatum eſt ſanctorum ſuffragium: ita hoc loco petitur cum
Ioan. 1 ipſis in cælo conſortium.præſertim cum Ioanne Baptiſta, quo inter natos mulierum non ſurrexit maior, qui & ag-
Matt.14 num dei digito demoſtrauit & Iordanis abluit fluctis, qui demùm pro veritate & iuſtitia ab impio Herode trucidatus eſt:martyrióque inſignis enituit. Volũt tamẽ nonnulli hic potius intelligi debere Ioannem euangeliſtam: qui apoſtolus Chriſti & martyr fuit, inſtitutionẽmque huius myſterij & paſsionem Chriſti ſecutus eſt.quorum neutrũ: in Ioanne baptiſta locum habuit. Verùm cum Ioannes Euangeliſta priori ſanctorum cathalogo inſertus ſit & inſcriptus:efflagitanda eſſet ratio cur hic repetitur,& bis in ſacro canone nominatur. Ioannes verò baptiſta:ne ſemel
Actu.6 quidẽ, Sed ad tollendã omnẽ cõtrouerſiã, vtrũlibet horũ intellexeris:nõ aberrabis à recto tramite, quãdoquidẽ v-

triuſque

triuſque celebratiſſima eſt & in primis conſpicua ſancti-
tas. Stephano, qui electus eſt ab apoſtolis ad diaconatus
officium plenus ſpiritu ſancto & fide, qui dominicæ man-
ſuetudinis imitator: pro perſecutoribus orauit, qui deniq;
primus in candidato martyrum exercitu conſtanter morté Act.7
pro Chriſto pertulit. Mathia, qui diuino inducio ſignóq;
cælitus dato in locum Iudæ traditoris ſurrogatus eſt, & ſa
crum apoſtolorũ compleuit duodenariũ: ſortitus cũ illis
euangelij annunciandi miniſteriũ. Barnabã, qui etiã mo-
nente ſpiritu ſancto ſegregatus eſt in apoſtolatus officiũ Act.1
cũ beato Paulo: feruẽtique animo apoſtolici muneris ſuſ-
cepti miniſteriũ impigre executus eſt, vt acta apoſtolorũ
teſtãtur. Ignatio, qui Ioã. euãgeliſtæ diſcipulus, & tertius
à Petro eccleſiæ Antiochenæ epiſcopus, totus igne diuini Act.13
amoris feruens, id frequẽs in ore habuit. Amor meus cru
cifixus eſt. Qui demũ ſub Traiano imperatore, Romę be
ſtiis obiectus: vt frumentum Chriſti earum dentibus moli
contineríque exoptabat. Alexandro papa, qui ſextus fuit Act.11
à beato Petro. Euariſtique in ſede apoſtolica ſucceſſor.
Idem quoque ab Aureliano comite ſub Adriano impera-
tore cum beatis Euentio & Theodoro poſt conuerſionem
Hermetis præfecti & Quirini tribuni: Romę martyrio co
ronatus eſt. Marcellino & Petro, quorum primus presby-
ter ſecũdus exorciſta: cum Arthemio & domo ſua marty-
rium conſummarũt. Eorũ animas Dorotheus qui eos ob-
truncarat veſtibus ſplendidis & gemmis indutas vidit an-
gelorum manibus in cælum deferri. Vnde & Chriſtũ dein
ceps confeſſus eſt. Fœlicitate, illuſtri fœmina vidua, ma-
tre ſeptem filiorum in fide Chriſti quammaxime conſtan
tium qui omnes in conſpectu matris ipſos ad martyrium
animoſè exhortãtis diuerſis ſuppliciis ſunt interempti. Et
tandé ipſa à Publio præfecto ſub Antonio Auguſto etiam
capite cæſa: à filiis ſuis in morte non eſt ſeparata. Perpe-
tua, quæ priuilegio caſtitatis & fidei eximia, etiam marty-
rio coronata eſt: & nũc in cælo duplici diademate fulget.
Agatha virgine & martyre ſacratiſsima: quæ nec blandi-
tiis emolliri potuit nec ſuppliciis deterreri quo minus
Chriſtũ cõfiteretur, ſub Quintiano Siciliæ p̃fecto multis
afflictata tormẽtis in Deciana perſecutiõe: demũ egregia
triumphatrix cælis inuecta eſt: & vrbi Catanẽſis extincto
AEtnæ

AEtnę incendio (quod in eius imminebat exitium) patrono & tutatrix declarata Lucia, quæ in pauperes erogato patrimonio, & ſanitate ſuæ matri ad ſepulchrum ſanctæ Agathes impetrata: gladium & ignē Paſcaſii Siciliæ præfecti, conſtanti animo ſuperauit, Syracuſanámque vrbem ſui patrocinij titulo decorauit. Agnete, quæ Romæ claris natalibus orta: decimotertio ætatis ſuæ anno (vt ſcribit Ambroſius) mortem pertulit & vitā inuenit. Nuptias huius mundi auerſata: Chriſtum vnicum ſibi ſponſum delegit. Ab hominibus ludibrio expoſita, angelum domini ſui virginei candoris ſolicitum habuit cuſtodem, & roſeo cōſperſa cruore in ſui ſpōſi thalamum demum introiit nunquam ab eo ſeparanda. Cecilia, clariſſimo Romanorū genere exorta, quæ euangelium Chriſti gerens in pectore, nec vnquam à colloquiis diuinis & oratione ceſſans: animi pariter & corporis puritatem his muniuit præſidiis. Ieiuniis crebris, cilicio, lachrymis, & aſſidua in corde ſuo ad deum pſalmodia, virginitatem ſuam ſeruari illibatam ſolicitè expetiuit. Inde Valerianum ſponſum ſuum & Tiburtium eius fratrem ad Chriſtum conuertit. Almachiúmque tyrannum in feruenti balneo gladio percuſſa ſuperauit. Anaſtaſia. Prætextati illuſtriſſimi viri Romani filia quæ in fideli Publio nupta cum largiſſimas opes ſuas in pauperes & ſanctos (quibus ſedulo miniſtrabat) diſtribuiſſet, hanc ob rem à marito in atrum carcerem coniecta conſolatorias epiſtolas à ſancto Chryſogono martyre accepit, & eidem ſępius ediuerſo miſit. Tandem ignis incendio ſacrum ſui martyrij compleuit agonem.

49 ❡ At verò quoniam nimis operoſum foret & prolixū ſanctos omnes hic nominatim recenſere: generali nuncupatione qui reliqui ſunt vniuerſi comprehenduntur, cum ſubiūgit litera canonis, & cum omnibus ſanctis tuis. Intra quorum conſortium obnixè depoſcimus vt nos demùm deus admitat, non quidem tanquam æſtimator meri-
*Pſal.*129 ti: & diſtrictus ſecūdum merita noſtra retributor. Quo-
*Pſal.*162 niam ſi iniquitates obſeruauerit dominus: quis ſuſtinebit iudiciū eius? Et ſi ſecundū peccata noſtra faciat nobis & ſecūdū iniquitates noſtras retribuat nobis: quis perferre queat ſuæ iuſtitiæ ſeueritatē? Ad hęc, quid meriti noſtri
*Luc.*17 apud deū poterimus obtendere: cui debem⁹ omnia? Cū feceritis)

ceritis(inquit)omnia quæ præcepta ſunt vobis dicite ſer- *Eſaie.* 64
ui inutiles ſumus quod debuimus facere,fecimus. Quid 2.*Cor.*3
nobis de bonis operibus applaudere poterimus : cũ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ ſint quaſi pannus mẽſtruatæ ante dominum? Denique quid blandiri de meritis noſtris iuſte nobis poterimus: cum non ſimus ſufficentes cogitare ex nobis quaſi de nobis,ſed ſubſcifitiẽtia noſtra ex deo ſit? Nulla igitur in deum noſtra ſunt merita: cui debita ſunt omnia quæ prę̃ſtamus,cui non ex nobis ſed ſola ſua bonitate ſiqua bona ſunt opera noſtra : accepta ſunt : & grata,& à quo vt præcipuo authore profecta ſũt. Quocirca ſuppliciter petimus admitti in ſanctorũ conſortiũ à deo patre, vt largitor eſt veniæ. Benignus eſt enim & miſericors,patiẽs
& multæ miſericordiæ:pręſtabiliſq; ſuper malitia, & huic *Iohe.*2
diuinæ benignitati innitentes, confidimus quòd propter *Pſal.*78
nomen ſuum propitiabitur peccatis noſtris. Idipſum autẽ petimus per Chriſtum dominum noſtrum: dei & hominũ mediatorem: qui vt nos ſanctorum conſortio annumeraret, dignatus eſt de cælis deſcendere & ſuam nobis miſericordiã benigniter exhibere. Porrò hoc in loco non ſubnectitur dictæ orationi particula amen,ſicut in præcedentibus orationibus factitatum eſt:propter connexionẽ verborum continuo ſequentium in quibus eſt relatiuum habens habitudinem atque relationem ad antecedens in calce huius orationis poſitum. Pronomẽ enim quem,adiunctũ præpoſitioni per,protinus ſequens,refertur ad Chriſtum dominum noſtrum. Quæ mutua relatiui ad antecedens dependentia atque annexio, vt non diſſoluatur neque diſcontinuetur : nihil illis hic interſtes ponitur, quo ſit apertior vnius ad alterum cohærentia.

PEr quem : hæc omnia domine ſemper bona creas, ſanctificas,uiuificas,benedicis,& præſtas nobis. Per ipſum,& cum ipſo,& in ipſo, eſt tibi deo patri omnipotenti,in unitate ſpiritus ſancti:omnis honor & gloria. Per omia ſecula ſeculorum Amen. Oremus.

Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutiõe formati: audemus dicere.

In

48 ¶ In hac canonis portiuncula ſacerdos ea quæ circa corporis & ſanguinis Chriſti confeſſionem peracta ſunt, reducit in Chriſtum æterni patris filium: ita ad patrẽ verba laudis & gloriæ dirigens. Per quem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, mediatorem dei & hominum ô domine pater omnipotens: hæc omnia, panis ſcilicet & vini ſubſtã tiam quæ fuerunt materia huius ſacramenti, & quarũ ſpecies adhuc præſentes continent verũ Chriſti corpus & ſanguinem (eſt enim ibidem demonſtratio ad intellectũ, earum ſubſtantiarum quæ modo non ſunt ſed ante cõſecrationem fuerunt præſentes, ſub habitudine tamen & relatione ad id quod nunc ſub ipſorum continetur ſpeciebus) ſemper bona, nam vidit deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona, creas, condendo naturam, ſanctificas, conſecrando materiã ad hoc myſterium, viuificas, conuertendo creaturam in viuam Chriſti carnem & ſanguinem: benedicis: accumulando gratiam, in hoc ſacramento quàm cęteris exuberantiorem, & præſtas nobis: cõmunicando tanti myſterij participationem. Vel alio modo: & in eandem redit ſententiã. Hæc omnia (demonſtrando quod ante dictum eſt) ſemper bona creas, per naturæ conſtitutionem, ſanctificas, per verbum & orationem, viuificas, per vitalẽ conuerſionem, benedicis: per gratiæ exuberationẽ, & præſtas nobis: per liberaliſſimam largitionẽ. Vnde pater per filium omnia creat: vt principium ſibi conſubſtãtiale & vnum cum ipſo, vt ſuam virtutem & ſapientiam connaturalem atque coeſſentialẽ. Siquidem artifex: induſtria & efficacia ſuæ artis molitur aliquod opificium & domum extruit. Chriſtus autem: dei virtus eſt & ſapientia, proinde per ipſum vt coæternum ſibi principium & omnipotentię ſuæ rationem: omnia produxit ad eſſe, vt dicit pſalmus ad deum patrem, omnia in ſapientia feciſti. Et rurſum, qui fecit cælos in intellectu, ſiue vt alia habet traductio: in ſapientia, id eſt in filio dei: qui eſt intellectus & ſapiẽtia patris. At verò deus pater per dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum omnia ſanctificat, viuificat & benedicit. Nam quia ſolus dei filius eſt incarnatus, paſſus & mortuus, in humanum genus in Adam perditum patri reconciliaret: ipſe factus eſt cauſa meritoria totius boni ſpiritualis quod homini confertur ad ſalutem. Neque vnquam poſt lapſum

Gene. 1

1. Cor. 1

Pſal. 103

Pſal. 135

Adæ

Adæ alicui hominum collata eſt gratia: niſi propter Chri
ſti paſſionem exhibitam vel exhibendam, quam accepta-
uit tota trinitas: tanquam meritum gratiæ hominibus con
ferendæ. Quoniam igitur Chriſtus in aſſumpta humana
natura meruit, vt nobis à deo patre ſanctificatio, vita ſpi-
ritualis & benedictio conferatur: cõuenienter dicitur pa-
ter per filium omnia ſanctificare, viuificare, & benedice-
re, tãquam per cauſam illorum bonorum imperatoriam.
Denique dicitur pater per Chriſtum dominum noſtrũ o-
mnia præſtare: quia inter nos & deum mediator conſtitu- *Ioan.16*
tus eſt, per quem vt intermedium omnia bona à patre per
cipere: & in cuius nomine omnia petere debemus. Si quid
inquit petieritis patrem in nomine meo: dabit vobis. Pro-
inde omnem prorſus ſuam orationem claudit eccleſia ca
tholica hoc exitu. Per Chriſtũ dominum noſtrum: vt per
quem omnia nobis præſtanda ſunt.

Deinceps in ipſius diuinæ maieſtatis laudem erumpẽs ſa-
cerdos qui ſacra celebrat: tres ſummæ deitatis perſonas re
uerenter inſinuat. Filium quidem tribus particulis prono
minalibus: quarum vnaquæque ad ſequẽtem datiuum & *Heb.1*
nominatiuum eſt annectenda ſigilatim: ad conſtituẽdas *Ioan.17*
tres ſententias diuerſas hoc modo. Per ipſum filium tuum
dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, eſt tibi deo patri om-
nipotenti honor & gloria: per quem omnia creas, per quẽ
feciſti & ſecula. Ipſe enim eſt verbũ tuum ſuperdiuinum
per quod facta ſunt omnia: & quod nomen tuum manife-
ſtauit hominibus tẽque clarificauit ſuper terram, & veri-
tatis annunciatione & miraculorum operatione: in qui-
bus nõ ſuam ſed tuam ſolius quæſiuit gloriam, quare per *Ioan.10*
ipſum, tuæ maieſtatis gloria clarius innotuit hominibus:
& apud oẽs fines terræ dilatata ac diuulgata eſt. Et cũ ip-
ſo filio tuo domino noſtro, eſt tibi deo patri omnipotenti
honor & gloria: cum quo vnum es in ſubſtantia deitatis.
Ego (inquit Chriſtus in euangelio) & pater vnum ſumus,
cum quo itidem operaris omnia, diſponendo & regendo *Ioan.5*
vniuerſa quæ condita ſunt. Pater (inquit) meus vſque
modo operatur: & ego operor. Et in ipſo Ieſu Chriſto
domino noſtro, eſt tibi deo patri omnipotenti laus, ho-
nor & gloria: in quo ſemper & ſubſtantialiter exiſtis.
Tu enim in ipſo, & ipſe in te: ſempiterna immanſio- *Ioan.14*
ne

ſione habitat, quemadmodum dixit diſcipulis ſuis. Neſcitis quia ego in patre: & pater in me eſt? In ipſo itidem filio tuo eſt tibi deo patri laus, honor & gloria: tanquam in fine in quo omnia conſummas. Ipſe enim eſt alpha & ω, principium & finis. Itaque per ipſum vt principium rerũ productiuum, cum ipſo vt medio omnia moderante, & in ipſo vt fine cuncta conſummante: eſt tibi deo patri omnipotenti laus, honor & gloria: in vnitate ſpiritus ſancti. Quæ quidem poſtrema particula tertiam nominans ſummæ trinitatis perſonam: ad quanque prædictarum trium ſententiarum eſt repetenda, explicátque identitatem ſubſtãtiæ ſpiritus ſancti cum patre & filio, qui(vt canit eccleſia)eſt vnum patri cum filio: quantum ad vnitatem ſubſtãtiæ, quandoquidẽ ſicut filius patri: ita ſpiritus ſanctus patri filio conſubſtãtialis eſt & coeſſentialis. Cęterùm huiuſdi honor & gloria non eſt tribus ſuperdiuinis perſonis vno tantum die aut certo aliquo tempore: ſed per omnia ſecula ſeculorum, id eſt per omnes mundi ætates: quæ (vt author eſt Damaſcenus) ſeculorum nomine ſolent appellari. Neque tamen ſolum per vniuerſa ætatũ huius mundi ſpacia, interualla & curricula durat hic honor & gloria patris & filij & ſpiritus ſancti: ſed in æternũ & ſine termino. Quæ ſane intermina duratio & neſcia finis æternitas, & frequenter in ſcriptura exprimitur hoc geminato nomine: aut ſingulari ſeculum ſeculi, aut plurali ſecula ſeculorum, vt in pſalmo. Per ſingulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in ſeculum & in ſeculum ſecùli. Et in Apocalypſi. Et fumus eius aſcendit in ſecula ſeculorum. Demùm quoniam eleuatiore voce quàm cætera præcedentia, pronunciat ſacerdos miſſam celebrans hãc poſtremam particulam, per omnia ſecula ſeculorum: reſpondet illi chorus vel miniſter, amen, quod hoc in loco aduerbium eſt affirmandi: ſignificans, etiam, ſiue verum eſt, & non eſt verbum: optandi rationem exprimens, valénſque tantundem ſicut fiat. Nihil enim hic fieri petitur vel optatur: quod nondum eſt, ſed honorem & gloriam quæ ipſi trinitati in perpetuum eſt, ſacerdos ſignificãs fideliter confitetur, cui circunſtans fidelium turba & ipſam confeſſionem diuinæ laudis & gratiarum actionem approbans: reſpondet amen, id eſt verum eſt quod per ipſum Chriſtũ, &

Apoc. 1

Pſal. 41
Apoc. 19

& cum ipſo,& in ipſo,eſt tibi deo patri omnipotenti in vnitate ſpiritus ſancti omnis honor & gloria,per omnia ſecula ſeculorum. 49 ¶ Poſtremũ poſt conſecrationem oblatorũ:deinceps ſacerdos progreditur ad participationem ſiue communionem conſecratorum munerum. Ad quam vt rite præparetur,hortatur alta voce omnes ad orationem,qua petatur panis ille ſupercæleſtis iam in altari conſecratus,dicens. Oremus. Deinde ad temeritatis excuſationem & præſumptionis,profitetur nos orationẽ dominicam audere deo profundere non quidẽ ex animi inſolentia aut noſtræ iuſtitiæ fiducia,ſed quia ad hoc ſalutaribus ſacrarum literarum præceptis ſumus moniti, & etiã diuina inſtitutione ad illud formati. Sane ad orãdũ, præceptis monemur vtriuſque legis diuinæ:& veteris ſcilicet & nouæ. Veteris quidem: vt in libro Paralipomenon. Cũ ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui vt oculos noſtros ad te dirigamus, quod potiſſimum fit in oratione. Et Thobias ad filium ſuũ. Omni tẽpore benedic deũ,& pete ab eo vt vias tuas dirigat: & omnia conſilia tua in ipſo permaneant. Nouæ verò: vt hoc præcepto euangelico. Oportet ſemper orare: & non deficere, & verbo illo apoſtolico,ſine intermiſſione orate. Sunt autẽ hæc præcepta,ſalutaria, quoniam ad animæ ſalutem apprime vtilia,conferentia & conducibilia. Quid enim ſacra continet pagina quod hominum ſaluti nos conducat? Sumus etiam ad orandum diuina inſtitutione formati atque edocti: quoniã ex ſe neſcit imbecillitas noſtra, quid aut quomodo orare debeat, vt ſcribit apoſtolus ad Romanos dicens. Quid oremus:ſicut oportet neſcimus. Et duo filij Zebedæi in ſua petitione reprehenſi ſunt quod non rectè petiuerint, dicente ipſis Chriſto. Neſcitis quid petatis. Similiter beatus Iacobus quarto capite de iis qui non rectè orant dicit. Petitis & non accipitis : eo quod male petatis. Idcirco diſcipuli domini noſtram omniũ agentes cauſam: à Chriſto petiuerunt vt quemadmodum orandum eſſet ipſos inſtrueret,dicentes. Domine doce nos orare. Quorũ petitioni acquieſcens benignus dominus, plurima ſalutis monita circa orandi modum & ritum tradidit : Matthæi ſexto capite explicata, ac certam orandi formam & regulam ipſos edocuit dicens. Si ergo vos orabitis. Pater noſter

2. Para. 20
Thob. 4
Luc. 18
1. Theſ. 5
Rom. 8
Matth. 20
Iacob. 4
Luc. 11
Matth. 6

ſter qui es in cęlis. Hac itaq; diuina inſtitutione edocti, nõ
Luc.11 autem ex noſtra temeraria præſumptione: audemus dice-
re idipſum quod Chriſtus nos edocuit, cuius ipſe author
eſt & magiſter. Audemus inquam: quoniam ipſe hunc au-
ſum orandi nobis præbuit, cum nos ſic orare præcepit. Et
Matth.6 quod amplius eſt, ſub veritatis atteſtatiõe etiam fiduciam
nobis ſuggeſsit impetrandi quæ petierimus: cum dicit in
euangelio Ioannis. Amen, amen dico vobis, ſiquid petieri
tis patrem in nomine meo: dabit vobis. Petite & accipie-
Ioan.16 tis, quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis. Om-
Luc.11 nis enim qui petit acccipit: & qui quærit inuenit, & pul-
ſanti aperietur.

50 ¶ Neque ab re quidem hanc orationem dominicam
hic potius ex inſtituto eccleſiaſtico dicimus, quàm aliam
quamcunque: propter eminẽtem eius excellentiam ſupra
alias omnes orationes, quæ inſignis excellentia potiſsimũ
in tribus elucefsit. Primo in eius dignitate. Eſt enim longe
cæteris dignior hæc oratio: quoniam ab ipſo dei filio edi-
ta eſt & edocta, & ergo deo patri iure acceptiſsima: qui
hominibus de cælo conteſtatus eſt. Hic eſt filius meus dile
Matth.17 ctus in quo mihi complacui. ipſum audite. Ecce quem ab
hominibus iubet audiri: haud dubium quòd orationem il
lius magiſterio traditam per quã libenter exaudiet. Com
probat hoc beatus Cyprianus: in libro de oratione domi-
nica dicẽs. Quæ poteſt eſſe ſpiritualior oratio, quàm quæ
à Chriſto nobis data eſt, à quo & ſpiritus ſãctus nobis miſ
ſus eſt? Quæ apud patrem precatio exauditior: quàm quę
ab ore filij qui veritas eſt, prolata creditur? Qui enim nos
fecit viuere: docuit & orare, vt dũ prece & oratione quã
filius docuit, apud patrem loquimur: facillime vtique ex-
audiamur. Secundo, huius orationis vltra cæteras eminẽ-
Matth.6 tia: dinoſcitur in ipſius breuitate. Siquidem Chriſtus eam
inſtituens: ad diſcipulos paulo antè dixerat. Orantes noli-
te multũ loqui: ſicut ethnici faciunt, putantes in ſuo mul
tiloquio exaudiri. Et hoc ipſum monitum, in hac oratiõe
cõpendioſa & ſuccincta ſeruauit. De quo Cyprianus eo-
dem loco qui modo citatus eſt: ait. Iſta eſt oratio, quã ip-
ſemet deus incarnatus mortales orare docuit, qui ſuo ma-
giſterio omnem precem noſtram in vno ſermone breuia-
Eſaie.10 uit, tanquam ſit ſermo de quo dixit Eſias. Sermonem bre-
uiatum

uiatum faciet dominus in toto orbe terræ. Multiplicẽ autem vtilitatem, breuitas dominicæ orationis nobis parit. Ob illius enim breuitatem facilius ſcitur, melius retinetur memoriæque mandatur, frequentius iteratur, minus faſtidit orantem, cito exaudiri eum innuit, plus affectu quàm ore nobis orandū eſſe inſinuat, ignorantem incuſat. Tertio eius præcellentia ſupra cæteras orationes, perſpicitur in fœcunditate & ſententiarum pondere. De quo Cyprianus in libro de oratione dominica dicit. Magna ſunt orationis dominicæ ſacramẽta: quia multa & magna breuiter ſũt in hoc ſermone collecta, ita vt nihil prætermiſſum ſit, quod non in precibus & orationibus noſtræ cæleſtis doſtrinæ, compendio comprehẽdatur. Hoc etiam, ipſo petitionum eius numero declaratur. Septem enim petitiones continet, vt ſequentia monſtrabunt. Septenarius autem, numerus eſt vniuerſitatis. Et certe vniuerſa quæ à domino licitè deſiderari poſſunt & poſtulari: his petitionibus continentur, & extra has nihil legitimè expetitur. Vnde beatus Auguſtinus ad Probam inquit. Si rectè & cõgruenter oramus: nihil aliud petere poſſumus quàm quod in oratione dominica poſitum eſt. Et paulò pòſt. Si omnia ſanctarum precationum verba diſcurras: quantum æſtimo, non inuenies quod iſta oratio non contineat & includat, quod lõga deinde deductione per ſingula petitionum genera declarat. Sed nunc ipſius orationis dominicæ aggrediamur expoſitionem.

Pater noſter qui es in cælis: ſanctificetur nomẽ tuum aduentat regnum tuum: fiat uoluntas tua: ſicut in cælo, & in terra, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Amen.

Hæc oratio dominica ab expoſitoribus in exordiũ diuiditur & petitionem. Exordium eius eſt prima illa pars & inchoatoria: qua ipſius dei qui rogatur captatur beniuolentia.

lentia. Nempe ſolent homines quippiam ab aliquo impetrare volentes: à laudibus illius quem rogare conſtituunt ſuam exordiri orationem, vt eo pacto reddant ipſum beniuolum & attentum. Quod cum apud ſecularis literaturæ oratores, tum apud ſacram ſcripturam: diligentius obſeruatum comperitur. Moyſes enim dominum rogaturus vt ducatum populo Iſraelitico præberet in deſerto: dei laudes ſuæ petitioni præmiſit dicẽs. Dominator domine deus miſericors & clemens, patiẽs & multæ miſerationis & verax. Et continuo petitionem ſubiunxit. Si inueni gratiam in conſpectu tuo domine, obſecro vt gradiaris nobiſcum.

Exo.34

Iudith quoque vidua venerabilis, cũ pro conterendis hoſtibus Hebræorum dominum rogare propoſuit, à dei laudibus ita cœpit initium. Deus cælorum, creator aquarũ, & dominus totius creaturæ: exaudi me miſeram deprecãtem, & de tua miſericordia præſumentem. Similem itidem orandi formam atque diſciplinam, plurimi ſanctorum patrum & prophetarum obſeruaſſe perſpiciuntur. Quam & dominus atque magiſter noſter Ieſus Chriſtus in hac oratione nos obſeruare edocuit: cum ea quæ ad dei ſpectant exaltationẽ & laudem, præmitti à nobis debere inſtituit, vtpote. Pater noſter qui es in cælis. In quibus quidem verbis: potiſsimum à duobus commendatur deus. Prima à magnitudine dilectionis & benignitatis ſuæ in nos, qua pater noſter vocari dignatur à nobis. Secundo, à ſublimitate manſionis ſuæ: quæ in cælis eſſe prædicatur. Porrò nomen patris hoc in loco non diſcrete ſumitur ac perſonaliter, vt primam in trinitate perſonam inſinuet. Nam ſecundum hanc rationem ad ſolum dei filium refertur: quem ab æterno de ſua genuit ſubſtantia. Sed eſſentialiter accipitur & communiter: quòd ipſi deo attribuatur in ratione ad creaturam ab ipſo dependentem quantũ ad exiſtentiam & ſui conſeruationem. Quo quidem modo prædictum nomen & toti conuenit trinitati. & ſingulis itidem perſonis. Eſt enim tota trinitas ſecundum hanc acceptionem vnus pater: ſicut & vnus deus & vnus dominus, & vnaquæque diuinarum perſonarum ſic ad creaturas eſt pater: ſicut creator & dominus, neque tamen tres patres: ſed vnus omnium pater, quemadmodũ dicit Paulus ad Epheſios. Vnus deus & pater omnium: qui eſt ſuper

Iudith.9

per omnes,per omnia,& in omnibus nobis.Itaq; hæc ora tio,ad totam trinitatem nomine patris hic ſignificatam:di rigi eſt intelligenda. Multifariam autem deus ipſe : pater noſter dicitur in ſcripturis. Primũ creatione, vt apud Malachiam. Nunquid non pater vnus omnium noſtrum?nunquid nõ deus vnus creauit nos?Et in Deuteronomio. Nõne ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te:& fecit & creauit te? Secundo redemptione,vt apud Eſaiam. Tu autem pater noſter & redemptor noſter:à ſeculo nomen tuum. Tertio ſacramentali regeneratione,vt apud Ioãnem. Quotquot autem receperunt eum:dedit eis poteſtatem filios dei fieri iis qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus neque ex volũtate carnis, neque ex voluntate viri,ſed ex deo nati ſunt.Quarto,adoptione per gratiã,vt apud Paulum ad Romanos. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorũ dei,in quo clamamus. Abba, pater.

Ephe.4 *Mala.2* *Deut.32* *Eſa.63* *Ioan.1* *Rom.8*

Cæterùm quamuis id nomen pater hoc loco eſſentialiter ponatur vt modo dictum eſt: potius tamen illud hic poſitũ eſt quàm aliud nomen eſſentiale, vt dominus aut deus, propter ſequentes rationes. Primò ad inſinuandum ſuauitatem & dulcedinem nouæ legis (cuius hæc eſt oratio) quæ in ratione & habitudine paternitatis ad nos tãquam filios eſt data. Sane euangelicæ legis doctrinam referans Chriſtus, vt eam amoris & libertatis eſſe legem indicaret, ſemper patrem cæleſtem nominat. Scit enim(inquit)pater veſter cæleſtis,quod his omnibus indigentis. Et rurſũ. Eſtote perfecti:ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Et iterum. Vt filij ſitis patris veſtri:qui in cælis eſt. In veteri verò teſtamento quòd ſeruitutis erat & timoris: damnationis ratio & dominatricis omnium diuinæ maieſtatis obiicitur iis quibus ea lex eſt lata. Vt in Exodo & Leuitico vbi antiquæ legis explicatur expoſitio,ſæpius illud repetitur atque inculcatur. Ego dominus deus veſter. Ego dominus. Proinde illius temporis orationes ad deum fiebant,tanquam ſeruorum ad dominum, & in exordio ſuo, dominij ipſius dei præ ſe ferebant confeſsionẽ. Noſtra verò oratio quam docuit magiſter cœleſtis, eſt vt filiorũ ad pientiſsimum patrem. Secundo patris nomen in ipſa fronte oratiõis hic ponitur ex diuina inſtitutiõe, vt maior exinde

Matth.5 *Matt.6* *Exo.20* *Leui.18*

inde nobis præſtetur orandi fiducia & confidentia impetrandi quod petimus, quando quidem eo nomine, paterni affectus explicatur beniuolentia, quæ filios animet vt fidentius acceſſum habeat ad eum, quemadmodum ait Bernardus. Oratio quæ paterno dulceſsit nomine: omniũ petitionum mearum impetradarum mihi fiduciam præſtat. Tertio, vt eo nomine incitemur ad bonorum operũ exercitium, diuinæque bonitatis imitationem. Cum enim ipſum deũ patrem vocamus: nos eius filios eſſe profitemur, quare pro viribus illi aſsimilari ipſũmq; imitari debemus anniti: ne tanquam filij degeneres, & à paterna probitate exorbitantes, audiamus illud quod dominus improperauit Iudæis. Si filij Abrahæ eſtis: opera Abrahæ facite. Et paulò pòſt. Vos ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis adimplere.

Ioan.8

53 ¶ Cæterũm illi ſupradicto nomini pronomen adiicitur pluralitatis ſignificatiuum, ſcilicet noſter: & non ſingularitatis indicatiuum vtpote meus vel mi, propter has rationes. Primo, ne ſermo ille ſingularis pater meus vel pater mi, paternitatem per naturam explicare videatur, quæ ad ſolum eſt dei filium & non ad creaturã. Nemo (ait Auguſtinus) dicat deo: pater meus, nam id ſoli Chriſto competit: qui eſt filius per naturam. Secundo, vt ea communi locutione: ad dilectionem proximi aſcendamur ardentius & fraternum amorem. Cum enim vnum profitemur omnium noſtrum eſſe patrem in cælis; conſequens eſt nos omnes (vt ait euangelium) adinuicem fratres eſſe in terris & fraterna mutuò coniungi neceſſitudine, quare hoc ipſo: ad impendendum inuicem fraternum amorem & obſequium admonemur. Eſt enim fratris: adiumentum fratri præſtare in neceſsitate. Tertio, vt nobis inuicem impendamus orationum ſuffragia, non tantum pro nobis ſed & pro aliis orantes: cum locutiões omnes de nobis per pronomina pluralitatis ſignificationẽ habentia expreſſas perſpicimus. Vt enim ait eccleſiaſticus capite decimoſeptimo: vnicuique deus mãdauit de proximo. Et vt admonet beatus Iacobus: orate debemus pro inuicem vt ſaluemur. Quod etiã his verbis in libro de oratione dominica beatus Cyprianus explicuit. Ideo non dicimus pater meus, ſed noſter: nec da mihi, ſed nobis, quia vnitatis magiſter noluit

Matth.23

Eccl.17
Iaco.5

noluit priuatim precem fieri, vt ſcilicet tantum quis pro ſe precetur. Vnum autem pro omnibus orare voluit: quia in vno omnes ipſe portauit. 54 ¶ Deinde exprimitur dei commendatio ab habitationis ſuæ & manſionis ſuperemimentia: cum cõtinuo ſubiungit oratio qui eſt in cælis. quæ primum de cælis corporalibus ſphæriſque cæleſtibus rectè intelligitur. Sanè quãuis deus ipſe ſit vbique & in cælo ſurſum & in terra deorſum: qui per prophetam ſe cælũ & terram implere dicit. quinimmo ſupra omnia eſt, & infra omnia, extra omnia, & intra omnia, ante omnia & poſt omnia, qui neque includi rebus neque excludi poteſt: frequenter tamen in ſcripturis & præſertim hoc in loco, in cælis corporibúſque & globis cæleſtibus eſſe dicitur, propter excellẽtiora & mirabiliora dei opera in ſphærarum cæleſtium pulchritudine, harmonia, ordine, ac operatione clarius relucentia. Sunt enim ipſa corpora celæſtia: indefluxæ incorruptibiliſque ſubſtãtiæ, magnitudinis admirandæ, figuræ ſphæricæ, claritatis eximiæ, & multiplici ſyderum ſplendore decorata, irrequietæ vertiginis & motus perpetui. propter quæ immenſa dei potentia, ſapientia, & bonitas: in ipſis dilucidius quàm in aliis mundi corporibus declaratur. Manifeſtatur nanque dei potẽtia: in cælorum magnitudine & ſtabilitate. Sapientia: in ipſorum pulchritudine & in confuſo ordine. Bonitas verò: in communicatione & diſtributione virtutis ipſorum in hæc inferiora corpora, quæ ab ipſis illuſtrantur & gubernantur. Nimirum igitur ſcriptura frequẽtius deũ in cælis eſſe commemorat: quàm in aliis quibuſcunque corporibus. vt in pſalmo. Domin⁹ in cælo ſedes eius. Et rurſum. Ad te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis. Apud Eſaiam itidẽ dicit dominus. Cælum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellũ pedum meorum.

Pſal. 10

Pſal. 122

Eſaia 66

Hiere. 22

55 ¶ Poſſunt ſecundo intelligi hoc loco nomine cælorum angeli beati & animę ſanctę ac iuſtę, quòd ab omni terrenorũ affectuũ fæce ſecretæ ſunt ac ſemotæ, ſpirituali luce fulgidæ, & continuo bonarũ actionũ motu vegetæ. ſicut ediuerſo peccator in ſacris literis ſepænumero terra appellatur ob craſsitiẽ, pōd⁹ & ĩmobilitatẽ animæ. vt apud ꝓphetã. Terra, terra, terra: audi verbũ dñi. In huiuſmodi aũt ſpũalib⁹ cęlis deus placidũ ſibi delegit habitaculũ: & in ipſis

Sapi. 9

1. *Corin.* 3

Ioan. 14

bitare dicitur per gratiam illapſúmq; intimum corda ſan ctificantem, quemadmodum ſapientiæ nono capite ſecun dum aliam tranſlationem dicit Salomon. Anima iuſti, ſedes ſapientiæ, id eſt dei qui æterna eſt ſapientia. Similiter apoſtolus ad Corinthios ſcribens ait. Neſcitis quia templum dei eſtis: & ſpiritus dei habitat in vobis? Ipſa itidem ſumma veritas apud Ioannem dicit. Siquis diligit me, ſer monem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Et de ſpiritu ſancto eodem in loco. Rogabo patrem, & aliú paraclitũ dabit vobis: vt maneat vobiſcum in æternum.

Deinceps in oratione dominica expleto procemio ſeptem exprimuntur petitiones, quarum hic ſumitur ordo atque diſtinctio. Cum in præſenti oratione preces ad deum diri gamus, vt filij ad patrem, filius autem patri debet in primis honorem & reuerentiam, ſicut per Malachiã prophe- *Malac.* 1 tam dicit dominus. Filius honorat patrem, & ſeruus domi num ſuum. Si ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Ideo ordinatè po tens, tanquam bonus filius ante omnia petit ea quæ ſpectant ad honorem patris. Et id quidem in prima petitione, ſanctificetur nomen tuum, id eſt honoretur & glorificetur. Secundo verò loco expetit illa, quæ pertinent ad ſeipſum, & proximum, & ea potiſſimum ſunt hæc duo, col latio boni & amotio mali. Atqui bona quæ conferri poſtu lantur, ſunt triplicia, ſcilicet maxima, media & minima.

Maxima ſunt bona æternæ beatitudinis & gloriæ, quę ſecunda petione poſcuntur, adueniat regnum tuum. Nam per regnum dei intelligitur ibi beatitudinis gloria, ſine fine poſſidenda. Media ſunt bona ſpiritualia ad ſalutis conſecutionem neceſſaria, vt gratia dei, virtutes & bonæ operationes. Et hæc tertia petitione poſtulantur, fiat volũtas tua ſicut in cælo & in terra. Voluntas enim dei eſt ſanctificatio noſtra, per gratiam virtutes & bona opera. Minima bona ſunt bona corporis & externa, ad conſequendã *1. Theſ.* 4 beatitudinem etiam adminiculum præſtantia, vt ſanitas, robur, victus, amictus. Et hæc quarta petitione efflagitãtur: ſcilicet panẽ noſtrũ quotidianũ da nobis hodie. Nã panis nomine, intelligũtur omnia corpori neceſſaria: per quæ ipſum ad ſpiritus obſequium diſponitur, ſiue intrin-

ſeca

ſeca ſint corpori: vt ſanitas, vigor, ſiue extraria: vt victus amictus, domcilium. Mala verò remouenda itidem ſunt, triplicia, priorib⁹ bonis ex oppoſito reſpondentia: ſcilicet maxima, media, & minima. Maxima mala ſunt peccata: quæ nos ſeparant à ſummo bono & ab æterna gloria per extremam miſeriam damnationémque perpetuam. Et illa à nobis auferri petimus in quinta petitione. Et dimitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Media verò mala ſunt peccatorum occaſiones quæ nos inducunt ad ruinam & lapſum: quales ſunt tentationes dæmonum, mundi, & carnis. Et hæc remoueri expoſcimus in ſexta petione. Et ne nos inducas in tentationem. Minima antem mala ſunt damna corporis & rerum exteriorum nobis vtilium: vt infirmitas corporis, paupertas, amiſsio parentum & benefactorum, infortunium, & cætera id genus: interdum præſtantia materiam imbecillis & infirmis animo prolabendi in peccatum. Quæ ſuſtolli à nobis etiam poſtulamus in ſeptima petitione. ſed libera nos à malo. His itaque rudi quadam effigie ad ſanctarum petionum huius orationis ordinem & diſtinctionem digeſtis nunc operepræcium eſt ſingulas earum paulo latiore explanatione declarare. 56 ℂ Eſt igitur prima petitio. Sanctificetur nomen tuum. In qua petimus nomen dei & patris noſtri ſanctificari: nō quidem per nouæ ſantitatis adeptionem, & quia ipſum ſanctitatem aduentitiam recipiat (eſt enim nomen ipſum dei, eius maieſtas atque perfectio immenſæ ſanctitatis & infinitæ in ſe: neque acceſsionem neque decrementum ac diminutionem admittere valens) ſed p̱ ſanctitatis ipſi⁹ nominis oſtentionē, declarationem, ac manifeſtationem ad alios. Vt ſcilicet nomen eius apud alios ſanctum eſſe prædicetur ac declaretur: vt notitia & honor nominis eius ad omnes & Iudæos & infideles dilatetur, amplietur, & extendatur. Hoc enim ſecundo modo de⁹ ſantificari poteſt à creatura: quoniã eius ſanctitas credi poteſt, laudari, extolli & prædicari, Et ita dei gloriã, honorē, & laudē hoc loco primũ petētes, vt par eſt, dicimus: ſanctificetur nomen tuum. hoc eſt, nota ſit O pater noſter tua ſanctitas & diuinitas toti mũdo. vt omnis terra adoret te deus & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo. vt totus mundus noſcat te ſolum deum verum eſſe te etiam totus Pſal. 65

laudet

laudet mundus,uereatur & honoret, confiteatur & agnoſcat: vt tuam decet eximiam ſanctitatem. Hoc autem loquendi genus in ſancta ſcriptura eſt frequentiſsimum: quo dicimur exaltare,glorificare,magnificare, aut clarificare deum quia eius altitudinem, gloriam, magnitudinem, & claritatem aliis aut verbo,aut opere prædicamus ac manifeſtamus,vt propheta in pſalmo. Magnificate dominum mecum,& exaltemus nomen eius in idipſum. Et dominus in euangelio. Vt videant opera veſtra bona .& glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. Et rurſum ad patrem Pater clarifica filium tuum: vt filius tuus clarificet te. Porrò
Pſal.33. ſecundum intelligentiam nunc aſsignatam petimus nomẽ
Mat.6 dei ſanctificari in ſe, eo quidem modo quo ſanctificatio-
Ioan.17. nem admittit. Præter quam etiam petere debemus hoc loco, vt nomen eius ſanctificetur in nobis, vt quoniam deus pater noſter eſt,& nos filiorum dei nomine honorauit, vt
1.Ioan.3 ait Ioannes in prima ſua epiſtola. Videte qualem charitatem dedit nobis deus, vt filij dei nominemur & ſimus,nos affectu pio animi,ore, opere, & geſtu: ſanctiſsimum eius nomen honoremus,ipſum ſemper animo infixum meditantes,ore reuerenter & cum tremore nominantes,atque cum illud audimus ab aliis nominari,inclinatione,genuflexione,aut alio exteriore ſigno decenter honorem illi ſacratiſſimo nomini exhibentes,ne in nobis locum habeat, quod
Mal.1 conqueritur dominus per prophetam. Magnum eſt nomen
Eſa.52. meum in gentibus,& vos polluiſtis illud. Et per Eſaiam. Per vos iugiter tota die nomen meum blaſphematur. Sanè illi nomen dei polluunt non ſanctificant: qui in uanum illud aſſumunt,pro re nullius momenti iurantes, aut quod deterius eſt peierãtes,qui etiam audito hoc nomine quod vel dæmones contremiſcunt,nullum illi honorem aut reuerentiam impendunt. Verum hi vt læſæ maieſtatis in ſummum patrem rei,niſi reſipiſcant non effugient durum
Deut.5. dei iudicium,quod in Deuteronomio ita comminatus eſt dominus. Non vſurpabis nomen dei tui fruſtra, quia non erit impunitus qui ſuper rem vanam nomen eius aſſumpſerit. Et in Leuitico educi extra caſtra & lapidibus obrui
Leui.24. iuſſus eſt vir Iſraelita patre Aegyptio natus, qui blaſphemauerat nomen domini,atque lex exinde promulgata, ꝙ qui maledixerit nomini domini,illúdque blaſphemauerit, mor-

morte moriatur. Hæc autem ad noſtram correptionem ſcripta ſunt, vt ex ipſis intelligamus blaſphemos & exe- crandis aſſuetos deierationibus in diuini nominis contu- meliam, extra beatorum conſortium tandem ſeparandos & æternæ damnationis opprimendos ſaxis, diſtrictáque mor tis ſecundæ ſententia feriendos.

57 ¶ Secunda petitio. Adueniat regnum tuum. In qua regnum dei rectè intelligitur ſumi pro regno gloriæ ſiue æterna beatitudine, ſicut etiam ſumitur in illo euangelij lo co, beatus qui manducabit panem in regno dei, id eſt bea- titudine cæleſti; quæ conſiſtit in perpetua dei viſione, man ſionéque cum eo, vt dicit Ioannes in euangelio. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et rurſum. Beati mundo corde, quoniam ipſi deum videbunt. Hanc autem æternam beati- tudinem nobis poſt huius vitæ peregrinationem aduenire petimus, quoniam illic totius deſiderij eſt ſatietas, vt ait propheta. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Illic primũ etiam habetur animi tranquillitas, vt ait Auguſtinus in primo libro confeſsionum. Domine feciſti me ad te: in- quietum eſt cor meum donec quieſcat in te. Denique ibi- dem eſt laus dei continua, ſicut ait pſalmus. Beati qui ha- bitant in domo tua domine: in ſecula ſeculorum laudabũt te. Neque immeritò petimus illud regnum nobis adueni- re: quoniam ex nobis aut operibus noſtris illud pertinge- re non valemus, ſed ex ſola dei miſericordia & liberalita- te. Non enim ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſe cundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Quòd ſi quis regnum dei pro loco æternæ beatitudinis hic ſumere velit, & domo illa ſupernæ ciuitatis Hieruſalem: non mul- tum euariabit à priore ſententia, & eundem fermè ſenſum prætendet. Non enim beatitudo illa ſuperna, ſine manſio- ne & domo cæleſti habebitur vnquam, de qua dicit ſcriptu ra: Tunc fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum, in ſplēdiſsimo ſcilicet illo dei & ſanctorum habitacula, quod ſecundum Apocalypſim ex auro mundo & lapidibus pre- tioſis eſt extructũ, quod non indiget ſole & luna vt luceāt in eo: nam claritas dei illuminabit illam & lucerna eius eſt agnus. Sicut igitur filij ad hæreditatem vocantur paternã, &

Luc. 14. Ioan. 17. Mat. 5. Titum. 3 Mat. 13. Apoc. 21.

& in domo patris manent in æternum: ita & nos tanquam
Ioan.8. filij ſummi patris & hæredes dei, cohæredes autem Chri-
Roma.8. ſti petimus poſt huius exilij incolatum nobis hoc regnum
patris aduenire. Nam hæc domus, hæc patris eſt: requies
ea certa laborum.

58 ❡ Tertia petitio. Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in
terra. In cælo quidem & cæleſtibus ſpiritibus ac ſanctis vo
luntas dei ſemper completur, nam vſque adeo addicti ſunt
rectitudini & diuinę bonitati: vt ab eius voluntate deflecti
non poſſint. Benedicite (inquit) domino omnes angeli ei᷒,
potentes virtute, qui facitis verbum eius ad audiendam vo
cem ſermonum eius. Benedicite domino omnes virtutes
eius: miniſtri eius qui facitis voluntatem eius. In terra ve-
rò & hominibus hanc terreſtrem regionem incolentibus
non ſemper dei voluntas completur: vt rerum experientia
Pſal.102. manifeſte docet. Quæ enim prĉcepit deus: plęrunque non
faciunt homines, & quæ prohibuit: magna cupiditate proſe
quuntur. Non eſt enim qui faciat bonum: non eſt vſque ad
vnum. Sicut igitur bonus filius petit ſe & fratres ſuos om-
nes optimo patri eſſe obedientes, & præcepta eius ad vn-
guem ſeruare: ita & nos vt filij dei altiſsimi in hac petitio-
ne depoſcimus, quod ſicut in cælo & ſpiritibus angelicis ac
ſanctis omnibus dei voluntas integrè perficitur: ſic & in
Pſal.13. nobis hanc adhuc vitam agentibus eadem perficiatur, vt
agamus quæ fieri præcipit, fugiamus quæ prohibet: ame-
mus quæ commendat, deteſtemur quæ odit, illique in om-
nibus obedientiam vt veri filij præſtemus. Illius enim vo
luntas ſemper recta: & nunquam in obliquum tendens re-
gula, quam ſequentes aberrare neutiquam poſſumus, aut à
recto tramite deuiare. Neque nobis deſunt exempla tam
Ioan.6. præclaræ virtutis amplectendæ. Chriſtus enim dei filius ſe
deſcendiſſe de cælo conteſtatus eſt: non vt faceret volunta
tem ſuam, ſed voluntatem patris ſui qui miſit illum. Et im-
minente hora paſsionis ſuæ, patrem orauit dicens. Verun-
tamen non ſicut ego volo: ſed ſicut tu vis, & fiat voluntas
Mat.26. tua. Quid igitur nos, qui putredo ſumus & vermis facere
debemus? nonne etiam ad Chriſti imitationem nos diuinæ
voluntati omnino conformare? At quoniam noſtra virtu-
te id facere non poſſumus, neque ex nobis ad hoc ſumus
ſufficientes: in hac petitione diuinum imploramus pro ea

re

re conficienda auxilium, dicentes quiſque cum propheta in pſalmo. Doce me facere voluntatem tuam: quia deus meus es tu. Cæterum rectè poſt regni cæleſtis petitionem continuò ſubiungitur poſtulatio diuinæ voluntatis cõplendæ: quoniam hæc medium eſt & via perueniendi ad regnũ cælorum. ſicut ipſe dominus perhibet in euangelio dicẽs. Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Fruſtra autem finis expetitur, ſi non etiam exquirantur media ad finem illum perducentia, vt nequicquam ſanitas optatur ab ægro: ſi potionem recuſet, neque meta vitæ ſine ipſius itineris peragratione attingitur. Pſal.142. Mat.7.

59 ¶ Quarta petitio. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie In qua: ad corporis ſuſtentationem neceſſaria expetuntur nobis à deo concedi. Nomine ſiquidem panis intelligenda ſunt omnia, quibus humani corporis fragilitas ad ſanitatem & ſui conſeruationem indiget, vt ſunt cõueniens cibus & potus, veſtitus domicilium, & cætera bona externa: ad cuiuſque ſtatus decentiam accommoda. Sicut in Geneſi cum Iacob dixit. Si dominus dederit mihi panem ad veſcendum & veſtimentum quo operiar, erit mihi dominus in deum, ibi per panem (ſicut & in aliis permultis ſcripturæ locis) intelligitur victus neceſſarius ad humanæ vitæ ſuſtentationem, hic verò generaliori ratione etiam amictum complectitur & reliqua fortunæ bona: ad hanc vitam degendam neceſſaria & ſufficientia. Solum tamen panem hic nominauit dominus & non carnes, piſces, & vinum, ac ſimilia id genus: quibus etiam indigent homines ad congruum & ſalubrem victum, vt ex ipſa loquendi forma ac ratione nobis inſinuaret: nos quàm commodiſsimè poſſumus, paucis contentos eſſe debere, & communibus eſculentis ac poculentis ad victum neceſſariis. Quod ita teſtatur Chryſoſtomus. Chriſtus (inquit) ſolum panem petendum docuit: vt habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus: innuens quod ſolum petere habeamus neceſſaria, non delicata nec ſuperflua. Vnde & ſapientiſsimus Salomon non pro ſua ſuperuacuis, ſed ſolis neceſſariis orauit dominum: dicens. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: ſed tantum tribue victui meo neceſ- Gen.28 1.Tim.6. Prou.30

ſaria

ſaria,ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum:& dicam quis
eſt dominus ? Aut egeſtate compulſus furer & periurem
nomen dei mei.Quæ autem ſunt neceſſaria humanæ vitę:
Eccl.29. exprimit Eccleſiaſticus dicẽs.Initium vitæ hominis: aqua
Eccl.39. & panis,& veſtimentum,& domus protegẽns turpitudinẽ
Hunc autem panem,noſtrum hic dicimus, quantum ad v-
ſum & acceptionem,quanuis dei ſit vt authoris atque da-
toris:qui non modo ſpiritualium ſed & temporalium bo-
norum omnium largitor eſt vnicus.Illum enim panem cõ-
ceſsit nobis deus ad noſtram vtilitatem & refectionem :vt
vtentes eo ſuſtentemur,& ad omne opus bonum paratio-
Pſal.130. res ſimus,eiúſque adminiculo obſequatur corpus animæ,
& anima deo.Quod ita expreſsit pſalmus diuinam magni-
ficans prouidentiam.Producens fœnum iumentis, & her-
bam ſeruituti hominum vt educas panem de terra,& vinũ
lætificet cor hominis,vt exhilaret faciem in oleo ,& panis
cor hominis confirmet.Dicimus & illum panem quotidia-
num,hoc eſt quotidie quamdiu hanc ducimus vitam no-
bis neceſſariam,& qui pro cuiuſque diei victu ſufficiat.
Quem quidem Chriſtus nos petere docuit ſecundũ Chry
ſoſtomum,vt luxurioſos cibos compeſceret , & diſcerem⁹
manducare quantum naturalis ratio exigit ,non quantum
carnalis laſciuia impellit.Qui enim in vno conuiuio ad ſu
perfluitatem & luxum tantum expendit ciborum quantũ
ſufficeret pro octo dierum alimonia:iam quotidianum pa
nem & pro ſingulo quoque die neceſſarium ſiue diurnum
non manducat,ſed multorum dierum.

60 ¶Oramus inſuper ex Chriſti inſtituto panem quoti-
dianum nobis dari:vt ſic doceremur ſolicitudinem immo-
deratam & anxiam rerum temporalium abiicere,quæ ſpi-
ritualium & diuinarum rerum contemplationi eſt impedi-
mento.Hanc nanque maiorem æquo curam corporis abii-
ciendam eſſe dominus edocuit : cùm dixit diſcipulis ſuis
immò & nobis omnibus.Nolite ſoliciti eſſe dicentes :quid
manducabim⁹,aut quid bibemus aut quo operiemur?Hęc
Mat.6 enim omnia:gentes inquirunt.Scit enim pater veſter cæ-
leſtis:quia his omnibus indigetis.Et rurſum.Nolite ſolici-
ti eſſe in craſtinum.Craſtinus enim dies:ſolicitus erit ſibi-
ipſi.Sufficit diei malitia ſua.Quam etiam in craſtinum ſo-
licitudinem rectæ rationis metas tranſilientem & anguſtia
pre-

prementem animum, vt ſignificemus nos non habere: peti-
mus panem noſtrum neceſſariæ & frugalis refectionis, v-
noquoque quidem præſentis vitæ die nobis neceſſarium:
hodie nobis dari, determinantes tempus pro quo petimus
annonam quotidianámque alimoniã, & pro hodierno dun
taxat victu orantes.

61 ¶ At verò rectè illum nobis dari à patre cæleſti: non
vendi aut mutuari expoſcimus. Quoniam vt filij à paren-
tibus ſuis cibum petunt quo indigent, & infans vbera ma-
tris quibus lactetur expoſtulat, neque ad alienos confu-
giunt vnquam neglectis parentibus, vt ab eis victũ emen-
dicent, ita & nos filij tui ò pater cæleſtis indigentes nutri-
mento corporis, vt inſtrumentum ſit conueniens animę ad
tibi ſeruiendum, ad te ſupplices confugimus, petentes pa-
nem noſtrum quotidianum nobis dari, quod certè facile
præſtare potes. Tui enim ſunt cæli, & tua eſt terra & pleni-
tudo eius: orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo. *Pſal.88*
Omnia itidem à te expectant: vt des illis eſcam in tempo- *Pſal.103.*
re. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam: om- *Pſal.144.*
nia implebuntur bonitate. Oculi omnium in te ſperant do
mine: & tu das illis eſcam in tempore oportuno. Aperis tu
manum tuam: & imples omne animal benedictione. Aperi
igitur manum tuæ bonitatis, largitatis, & munificentiæ: no *Pſa.146*
biſque filiis tuis cibum indulge. Qui enim das iumentis eſ- *Pſal.135.*
cam ipſorum & pullis coruorum inuocantibus te: qui etiã *Mat.6.*
das eſcam omni carni: an homines deſtitues neceſſarij ali-
menti præſidio? Qui paſcis volatilia cęli paſſeres & coruos
quæ neque nent, neque metunt, neque congregant in hor
rea, & ne vnum quidem eorum in obliuione eſt apud te:
nunquid homines ad imaginem & ſimilitudinem tuam fa-
ctos & quos conſtituiſti ſuper opera manuum tuarũ, deſe-
res ſine neceſſarij victus adminiculo? Non hoc certè ſinet
tua paterna benignitas, tua immenſa bonitas, & exuberan *Ioan.6.*
tiſsima in homines beneficientia.

62 ¶ Cæterùm non modo panem corpori noſtro neceſſa-
rium & cibum qui perit, hac petitione abs te flagitamus ò
benigniſsime pater: ſed & panem viuum qui de cælo de-
ſcendit & dat vitam mundo, pro alimento animæ expoſci-
mus. Nõ poteſt ſanè corpus ſine ſuo nutrimento diutiꝰ per
ſiſtere incolume. Anima itidem noſtra ſuo deſtituta edulio
elan

elanguida ſit & tota contabeſcit. Quid autem prodeſt corpus ſuo fouere cibo: ſi anima quæ plus eſt quàm corpus relinquatur famelica, & macie confecta ſuprema? Atqui cibus animæ peculiaris: ſacratiſsimum eſt Chriſti corpus, &
Ioan.6 potus eius: precioſus illius ſanguis ipſo atteſtante qui ait. Caro mea verè eſt cibus. & ſanguis meus verè eſt potus. Cibus inquam vitalis & viuificus qui permanet in vitam
Mat.6. æternam: & potus conferens ſalutem perpetuam. Hunc igitur panem vitæ, hunc panem cæleſtem, hunc denique panem ſuperſubſtantialem (vt vocat euangeliſta) qui omnem excellentiſsimè ſupereminet ſubſtantiam: da nobis hodie, hoc ſcilicet die præſentis vitæ, qui mane infantiæ, & veſpere ſenectutis clauditur: vt gratiam eius ſalubriter percipiamus quotidie, ipſiúſque pinguedine iugiter ſagi-
Sap.16. nemur. Certè cum filiis Iſrael peragrantibus deſertum pa-
Ioan.6. nem de cælo præſtiteris omne delectamentum in ſe haben-
3. Reg.17 tem & omnis ſaporis ſuauitatem: qui tamen ſub nube fue-
Dan.14. runt & in vmbra legis ambulabant, non denegabis filiis gratiæ iam in lumine tuo greſſum ferentibus, panem verum qui de cælo deſcendit, quem quicunque dignè manducauerit, non morietur in æternum. Qui Heliam prophetam miniſterio corui, Danielem leonum lacu incluſum prophetæ officio nutriuiſti: non dedignabere (ſperámus) pane illo ſuauiſsimo de cælo præſtito eſurientes paſcere,
Mat.15. nóſque famelicos enutrire, qui ſumptus non conſumitur,
Prou.9. & manducatus non imminuitur. Neque verò id arrogans videri debet aut ſuperbum: quòd hunc tam precioſum à te petimus panem, panem inquam filiorum non mittendum canibus, immò panem angelorum. Nam ad ipſum nos inuitare dignatus es hac dulciſsima voce. Venite comedite panem meum: & bibite vinum quod miſcui vobis. Ad hũc itaque panem tuo ipſius ore inuitati: ò pater optime fidenter dicimus. Panem noſtrum quotidianum da nobis
Luca 11. hodie.

93 ¶ Quinta petitio. Et dimitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. In hac autem petitione peccatorum noſtrorum remiſsionem à deo poſtulamus: quæ debitorum nomine hic ſignantur. Siquidẽ debita noſtra: ſunt peccata quibus deum offendimus: & de quibus ei ſatisfacere debemus, quod alius euãgeliſta dilucidè declarat

clarat, hanc petitionem ita contexens. Et dimitte nobis pec cata noſtra, ſiquidem & nos dimittimus debitorib⁹ noſtris. Hoc etiam clarè illa ſcripturæ locutio oſtendit: quæ debitores vocat peccatores in illo euangelij loco. Putatis quia *Luca 13.* & ipſi (ſcilicet decem & octo viri ſupra quos cecidit turris in Siloe: & occidit eos debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Hieruſalem? Vbi debitores vocat illos Hieroſolymitas: oppreſſos ruina turris, & in conſimili lo- *Mat.18.* quendi genere Galilæos à Pilato trucidatos, paulo antè vocat peccatores. Denique per ſeruum qui domino ſuo decem milia debebat talenta, allegorico ſenſu eum accipere docemur qui multis oppreſſus eſt grauibúſque peccatis: de quibus vt deo ſatisfaciat arctius eſt obſtrictus. Rectè autē huiuſmodi debita hic noſtra dicuntur, quoniam neque authore deo, neque adiutore ſunt perpetrata peccata noſtra: *Oſee.13* ſed ex nobiſipſis, noſtræque voluntatis ad malum deflexio *Ezech.18.* ne atque declinatione, quæ haudquaquam ex deo eſt quemadmodum dominus per prophetam nobis ait. Perditio tua ex te Iſrael: tantummodo ex me eſt auxilium tuū. Porrò hæc debita petimus à deo dimitti, qui pater eſt mi- *Pſal.29.* ſericordiarum, & cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere: qui non vult mortem peccatoris ſed magis vt conuertatur & viuat. Non enim lætatur in perditione morientiū. *Marc.2.* ſed in conuerſione peccatorum. Quoniam ira in indigna- *Eſaia 43* tione eius: & vita in voluntate eius. Et meritò à deo idipſum rogamus: quoniam ipſius ſolum eſt peccata dimittere. Nemo enim (inquit euangeliſta) poteſt peccata dimittere niſi ſolus deus. Ipſe quoque per prophetam inclamat auribus noſtris. Ego ſum, ego ſum ipſe: qui deleo iniquitates veſtras. Sicut igitur filius qui benignum offendit patrem pœnitudine ductus ad eius genua ſupplex prouoluitur, & veniam comploſis manibus orat, ita & nos qui grauiter offendimus patrem cæleſtem multiſque debitis ſumus aſtricti: procumbimus humiles ante ſolium maieſtatis eius, nos peccaſſe fatemur, & dimitti nobis peccata noſtra inſtantius oramus.

64 ¶ Vt autem facilius exaudiamur: conditionem adiicimus huic noſtræ petitioni, orantes ita dimitti debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Debitores quidem noſtri ſunt, qui aut verbo aut opere nos offende-

runt: mali ve quippiã vt iniuriã aut damnũ nobis intulerunt Quibus tunc ex corde dimittimus (vt debem⁹) nõ ſolo verbo, irrogatam iniuriam cum exinde nec odium nec indignationem animi in eos concipimus, neque vindictam aut vltionem de illa expetimus. Sanè lex euangelica (quæ fraterna charitate nos omnes vult eſſe deuinctos) ſanxit vt
Luc. 11. ad diuinæ manſuetudinis & benignitatis imitationem aliis
Mat. 6. dimittamus, ſi quo modo nos offenderint: ſi volumus ipſi à deo remiſsionem peccatorum conſequi. Dimitte (inquit) & dimittetur vobis. Et ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater veſter cæleſtis delicta ve-
Mat. 18. ſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus: nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. In parabola itidem de homine rege ponente rationem cum ſeruis ſuis, ille ſeru⁹ qui conſerui ſui debentis illi tantum centum denarios noluit miſereri: iuſſus eſt tradi tortoribus quoadusque redderet vniuerſum debitum decem milium talentorum, quod antè
Eccl. 28. illi fuerat liberaliter dimiſſum. Sic (inquit ipſa veritas) & pater veſter cæleſtis faciet vobis: ſi non remiſeritis vnusquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. Demùm Eccleſiaſticus idem nos præclare admonet cum ait. Qui vindicari vult: à domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruãs ſeruabit. Relinque proximo tuo nocenti te & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Homo homini reſeruat iram, & à domino quęrit medellã. In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam: & de peccatis ſuis deprecatur. Ipſe cum caro ſit, reſeruat iram: & propitiationem petit à deo. Quis exorabit pro delictis illius? Non itaque mentiamur domino cum ſtamus ad orandum: dicentes nos dimittere iis qui offenderunt nos, & animo contrarium ſentientes, ſed ita aliis dimittamus eorum peccata: ſicut noſtra volumus à deo dimitti.

65 ¶ Sexta petitio. Et ne nos inducas in tentationem. In qua à futuris præſeruari peccatis diuina miſeratione poſcimus: ſicut in præcedente à præteritis & iam commiſsis abſolui petimus, perſimiles bono filio, cui ſi imminet periculum aut diſcrimen vitæ: paternam opem implorat qua eripiatur ab impendenti naufragio, præcipitio, incendio, ſeruitute, carcere, aut vinculis. Ita & nos in medio laqueorum poſiti inter truculentos hoſtes, carnem, mundum, & dæmo-

dæmonem: innumeris circundamur periculis. Vndique enim nobis ſtruuntur inſidiæ : vndique tela in nos vibrantur. Inſurgit contra nos caro: trahit mundus, inſidiatur diabolus. Suggerit caro voluptatem: mundus vanitatem, diabolus iniquitatem, caro mollia, mundus inania, diabolus mortifera. Caro nos infeſtat per laſciua deſideria: mundus per proſpera & aduerſa, diabolus per turpitudines & vitia. In quãcunque partem nos conuertimus : tentationum laqueos ad capiendas animas inuenimus. Inſidiantur nobis aſsiduè hi inimici noſtri, & omniquaque nos deiicere peſſundaréque feſtinant. Neque huiuſmodi impugnationis eſt finis quandiu hic nobis agitur vita. Nam vt dicit Iob, tentatio eſt vita hominis ſuper terram, aut vt alia habet tranſlatio. Militia eſt vita hominis ſuper terram. Periculoſa ſanè eſt militia, qua contra hoſtes viribus noſtris fortiores aſsidue dimicandum nobis eſt & decertandum, quandoquidem de leuiathan (qui & diabolus) dicit Iob, quòd non eſt ſuper terram poteſtas quæ cõparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret, quemadmodum & gentes illę Chananęorum quæ occupabant terram promiſsionis, typúmque gerebant & figuram dæmonum nos volentium regno prohibere cælorum, robuſtiores fuiſſe leguntur & longe validiores filiis Iſrael, in terram illam diuina iuſsione introductis. Verum vt illi non ſuis freti viribus expulerũt hoſtes illos omnes & profligarunt, ſed deo adiutore qui pugnauit pro eis. Non enim (quemadmodum propheta in pſalmo ait ad deum) in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua & brachium tuum & illuminatio vult' tui, quoniam complacuiſti in eis. Ita & nos non confidentes noſtræ virtuti, imbecillæ admodum & fragili, ſed diuino prorſus adiutorio, cõfugere ad patrem noſtrum benigniſsimum debemus, orantes ne nos inducat in tentationem.

Iob.7. *Iob.48.* *Pſal.43.*

66 ¶ Qua quidẽ oratione nõ expetim', ne deus ipſe author ſit & cauſa inducẽs nos in tentationẽ. Nã cũ inducere in tentationem, malum ſit, deus autem malorũ non eſt author, neque in eo neque ab eo eſt malum, vt qui ſumme bon' ſit & faciens omnia bona valde, qui fiet vt ipſe efficiat noſtri inductionem in tentationem, vtque id agat quo in tentationem inducamur? Deus enim (inquit Iacobus)

Gen.1. neminem tentat:nam intentator malorum eſt. Eſtenim ten
Iacob.1 tare hoc in loco, malum aliquod ſuggerere, quo cadat homo in peccati conſenſum & opus. Et tentatio, ad malum ſuggeſtio, qua in ruinam animæ fiat inductio. Inducere verò in tentationem, eſt hominem prauis ſuggeſtionibus allicere in conſenſum peccati: vtque tentationi ſuccumbat & ſuperetur ab ea, callide efficere, quod certè omnino à deo eſt alienum: & ſummæ illius bonitati penitus aduerſum. Sed petimus hac poſtulatione noſtra: ne ſinat nos deus in-
Pſal.104. duci in tentationem, néve permittat pertrahi in cõſenſum
Exod.7. mali, aut ab ea vinci. Seruatúrque hoc loco id loquendi
Roma.11 genus in ſacris literis(vt ait Damaſcenus) vſitatiſsimum, quo deus illa dicitur agere quæ fieri permittit, quemadmodum in eo verbo pſalmi. Conuertit cor eorum: vt audirent populum eius. Et indurauit dominus cor Pharaonis. Et in illo Pauli loco. Concluſit deus omnia ſub peccato vt omnium miſereatur. Petimus itaque dei adiutorium in hac
2.Tim.11. orationis particula: ad reſiſtendum tentationi, ad eam repellendam & ſuperandam. Vt cum tranſigere hanc vitam ſine tentatione non poſsimus, neque orandũ nobis ſit vt o-
Apoc.2. mnino tentationum immunes ſimus(quoniam id noſtræ ſaluti nequaquam conducit. Vt enim diuinus ait Paulus: qui certat in agone non coronabitur, niſi legitimè certauerit. Sed quomodo geretur certamen: ſi nullus aſsit hoſtis impugnans? Vincenti itidem promiſſa eſt à deo corona vitæ. At quomodo euadet victor: cui deeſt hoſtis cum quo manum conſerat & confligat?) ſaltem tentationibus inimicorum efficiamur deo adiutore ſuperiores: extinguamus eius
Pſal.26 auxilio omnia tela nequiſsimi ignea carnem ſpiritui ſubi-
1.Cor.10 gamus, mundum cum ſua concupiſcentia abiiciamus, & ita muniamur diuino præſidio, vt non præualeat nobis inimicus neque ſe victorem glorietur: ſed læti concinamus domino Qui tribulant me inimici mei: ipſi infirmati ſunt & ceciderunt. Et certè fidelis eſt deus(vt ſcribit paulus ad Corinthios) qui non permittet nos tentari ſupra id quod poſſumus: ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere.

67 ❡ Septima petitio. Sed libera nos à malo. In qua petimus nos liberari à malo pœnæ præſentis vitæ, itidem & futuræ: ſicut per præcedentem petitionem poſtulauimus nos

eripi

eripi à malo culpæ imminentis aut inſtantis. Sanè ſi filius patrisfamilias videat afflictionem aliquam ſibi imminere vt morbum, calamitatem, aut tribulationem: ad quem recurret niſi ad dulciſsimum patrem? in cuius ſinum ſe totum proiiciet: petens obnixius à patre vt ab impendenti illa tribulatione, incommodo aut detrimento illius auxilio liberetur. Atqui vita præſens: mille malorum generibus eſt referta, nunc nos morbus affligit & infirmitas, nunc orbitas, uunc bonorum amiſsio: nunc fame conficimur, nunc calumniam patimur aut infamiam, nunc in carceres & vincula inſontes coniicimur. Quæ omnia etſi innocenti & iuſto viro poſsint obuenire: plęrumque tamen animum imbecillem pertrahunt ad culpam, vt morbus ad impatientiam, egeſtas ad furta & latrocinia: aduerſitas ad murmurationem in deum. Ne igitur occaſione miſeriarum huius vitæ perpellamur ad aliquam turpitudinem & iniquitatem: oramus deum vt his nos malis eripiat, non quidem omnino ea ſuſtollendo, quandoquidem id non ſinit præſentis vitæ conditio, neque hoc conducibile eſt animæ noſtræ ſaluti: quæ his exercetur ad virtutem, virtus enim (vt ait Paulus) in infirmitate perficitur, ſed ita ea mitigando & moderando, vt perferre illa valeamus: neque ipſorum acerbitate declinemus à viæ domini rectitudine. Cæterũ longè grauiora ſunt mala alterius vitæ illis infligenda qui hinc non omnino expiati purgatiq́ue diſcedunt: ſiue in igne purgatorio eluente reliquias peccatorum hic contractorum, ſiue in lacu damnationis æternæ inuoluente reprobos perpetuis interminiisq́ue ſupplicij: Ab vtroque autem datorũ malorum: dei miſericordia & benignitate petimus hoc poſtremo loco liberari, ne ſcilicet expiatorius ille ignis cum hinc migratum fuerit: nos purgandos excoquat, ne itidem inferna nos tormenta rapiant perpetuò cruciandos & ſanctorum excludendos conſortio: quãdoquidem illic malorum omnium cumulus eſt & horrenda coluuies. Neque abre vt his eruamur & præſentis & futuræ vitæ malis: ad deũ preces effundimus, quoniam ſicut ipſe bonorum omnium largitor eſt: ita à malis omnibus ereptor ac liberator.

1. Cor. 11.

Non enim poſſumus aut his, aut illis eripi malis, niſi deus manum ſuam adiutricem porrigat: qua ne labamur in ea nos præſeruet, aut iam in illa prolapſos benigniter ſuble-

uet & erigat. Ipſe planè ſolus adiutor noſter eſt & præſeruator: malorúmque omnium benignus propulſator, ipſe
Pſal.48. noſtrum refugium & virtus: adiutor in tribulationib⁹ quę
Pſal.32. inuenerunt nos nimis. Qui vbi pie à nobis inuocatus fuerit: nunquam nos deſeret in die neceſsitatis. Oculi enim domini ſuper metuentes eum: & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, vt eruat à morte animas eorum: & alat eos in fame. Poſtremum particula Amen ſubiuncta toti huic orationi: optandi ſignificationem & vim habet tantum valens ſicut fiat, exoptátque ſacerdos eam proferens: iſtas ſeptem petitiones hac oratione dominica contentas, in nobis compleri ac perfici.

LIbera nos quæſumus domine ab omnibus malis: prateritis, præſentibus, & futuris, & intercedente beata & glorioſa, ſemperq; uirgine dei genitrice Maria, & beatis apoſtolis tuis Petro, Paulo, atq; Andrea, cum omnibus ſanctis: da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiæ tuæ adiuti: & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per eundem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum: qui tecum uiuit & regnat in unitate ſpiritus ſancti deus. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Pax domini ſit ſemper uobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Agnus dei qui tollis peccata mundi: miſerere nobis. Agnus dei tollis peccata mundi: miſerere nobis. Agnus dei qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.

¶ Cum mittitur particula hoſtiæ in calicem: dicatur ſequens oratio.

Hæc ſacroſancta commixtio corporis & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti, fiat nobis ſumentibus ſalus mentis & corporis: & ad uitam æternam capeſſendam præparatio ſalutaris.

¶ Antequam ſumatur pax: dicatur hæc oratio.

Domine

Domine Ieſu Chriſte qui dixiſti apoſtolis tuis: pacem relinquo uobis pacem meam do uobis, ne reſpicias peccata mea, ſed fidem eccleſiæ tuæ eámque ſecundùm uoluntatem tuam pacificare, cuſtodire & coadunare digneris. Qui uiuis & regnas cum deo patre in unitate ſpiritus ſancti deus per omnia ſecu la ſeculorum. Amen.

¶ Cum ſuſcipit oſculum pacis: dicat ſacerdos.

Habete uinculum pacis & charitatis: ut apti ſitis ſacroſanctis myſteriis Chriſti.

¶ Vel dicat hanc ſalutationem.

Pax tibi frater: & eccleſiæ ſanctæ dei.

68 ¶ Quoniam in poſtrema petitione orationis dominicæ populus fidelis ſiue miniſter illius vice loquens petiuit à malo liberari, & ſacerdos celebrans idẽ exoptauit reſpondens amen: illam poſtulationem repetit & amplius explanat à quibus malis populum Chriſtianum liberari velit latius declarans. Sanè eundem eripi expoſcit à malis præteritis: vtpote culpis quibus anteacto tẽpore deum offendit, & quarum adhuc manet reatus ac debitum, à malis etiam præſentibus: ſcilicet peccatis quorum nunc reus eſt, & ab anguſtiis tribulationibúſque in mundo inſurgentibus, quæ niſi mitigarentur: ad lapſum in peccata facile hominem impellerent. Denique & à malis futuris: inſidiis ſcilicet & laqueis tentationum, ad culpam præcipitare molientibus, quinimmò à quibuſlibet malis culpæ & pœnæ: quorũ occaſione poſſet quiſpiam a deo fieri alienus, vt ipſe populus fidelis, dei protectione munitus: hæc triplicia mala euadere poſſit. At quoniam preces noſtræ ex ſeipſis minus ſufficientes ſunt & efficaces ad impetrandum quippiam à deo: imploratur deinde ſanctorum ſuffragium, vt multiplicatis interceſſoribus facilius obtineatur diuinum auxilium. Et primo quidem ſanctæ dei genitricis: quæ benigniſsima humani generis aduocata aſsiduè poſtulat pro nobis, & quicquid petierit à patre miſericordiarum: protinus aſſequitur Deinde ſanctorum apoſtolorum Petri, Pauli, & Andreæ: qui propter ſingularem qua præditi ſunt excellentiam,

potius quàm cæteri hic nominatim exprimi dicuntur. Si-
Ioan.21 quidem Petrus à domino conſtitus eſt princeps apoſtolo-
Act.9 rũ & dominici gregis paſtor. Paulus, vas electionis, prædi
Ioan.1 cator gentium, & nominis Chriſti annunciator eſt dele-
ctus. Andreas verò omnium primus ad Chriſti agnitioné
vocatus: & germanum ſuum Petrum Chriſto adduxit, &
ferventi animo crucem concupiuit. Veruntamen ſub his
tribus reliqui omnes apoſtoli, martyres, cõfeſſores, & vir-
gines comprehendi intelliguntur: vt ſatis innuit particula
ſequens, ſanctos omnes vniuerſali locutione cõplectens.
Omnium autem iſtorum dei amicorum ſuffragante patro
cinio: pax in diebus noſtris & toto præſentis vitæ ſtatu à
domino propitio nobis concedi poſtulatur, vt adiutrice e-
Pſal.118 ius miſericordia & benignitate: per geminam potiſsimũ
Eſa.48 pacẽ à duplici malo tranquillitati oppoſito liberemur. Eſt
enim quædã pax animi, quæ cordis eſt trãquillitas cũ deo
nõ ſibi cõſcij de mortali culpa, per quã deus illi reddatur
infẽſus. Et de hac dicit ꝓpheta. Pax multa diligẽtibꝰ legẽ
tuam, & nõ eſt illis ſcandalum. Et rurſum. Non eſt pax im
piis, dicit dominus. Per hanc autem pacem, petimus à pec
cato ſemper eſſe liberi. Nam ſolum peccatũ eſt quod hãc
cõſcientiæ pacem perturbat nóſque deo reddit inimicos.
Altera eſt pax temporis: quæ tranquillitas eſt à tumultu
bellorum & incurſionum hoſtilium in nos, ſedatióque tri
bulationum quæ ab exteris perſecutoribus ſolent infligi.
Et per hanc petimus ab omni tribulatiõe eſſe ſecuri. Ne-
que id iniuria. Nam ſolent huiuſmodi perturbationes, in-
firmos animos plærunque à rectitudine deiicere, & peccã
di præſtare materiam. Cæterùm quoniam quicquid impe
trare intẽdimus, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti (vt
ab eo inſtituti ſumus & edocti) petere debemus. Siquid
(inquit) petieritis patrem meũ in nomine meo, dabit vo-
bis, petite & accipietis, idcirco hæc oratio, ſicut & ferè om
Ioan.6 nes orationes eccleſiaſticæ, concluditur hac clauſula. Per
dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Quæ ſi-
gnificat vota fidelis populi, illius nomine deo offerri &
per eum exaudiri debere, vt mediatorem dei & hominũ,
aduocatum & poſtulatorem pro nobis.

69 ¶ Cæterùm cum hæc poſtrema datę orationis verba
à ſacerdote proferuntur, ipſius hoſtiæ ſacratiſsimæ fit fra-
ctio

ctio ſupra calicem primum in duas medietates. quarum altera rurſum in duas frangitur particulas, quaſi totius hoſtiæ quartas. & vna harum portiuncularum calici immittitur, altera verò medietati quæ indiuiſa remanſit vna cõiungitur, & ſimul cum illa à ſacerdote ſupracalicé tenetur. Quæ omnia neque myſterio vacant, neque ſine cauſa ſunt inſtituta. Nempe ipſa oſtia (attendendo ſpecies ipſius & accidentia, non autem id quod continetur) in duas medietates frãgitur, ad ſignificandum duplicem ſtatum prædeſtinatorum ad corpus Chriſti myſticum pertinentium: & quorum Chriſtus ipſe eſt caput. Quorum vnus eſt cæleſtis gloriæ conſors: ſignatúrque per medietatem illam quæ manet indiuidua & integra, ad ſignificandam ſtabilitatem continuam & vniformitatem ſupernæ beatitudinis qua ipſi ſancti perfruuntur. Alter verò præordinatorem ad vitam ſtatus, necdum beatitudiné adeptus eſt: ſed verſatur adhuc in temporali miſeria præſentis vitæ, aut ignis purgatorij. Et is inſinuatur per alteram hoſtiæ medietaté: quæ rurſum in duas diſſecatur portiunculas, ad ſignandũ duplicem eorum qui necdum beati ſunt ſtatum. Harum vna, quæ ſupradictæ meditati indiuiſæ eorundem digitorum complexu coniungitur: eos ſignificat qui igne purgatorio expiantur, certitudinémque habent indubitatam de ſua beatitudine poſt conſequenda, quodque beatis in regno cæleſti demùm cõiungentur (qui de ſuæ beatitudinis perpetua duratione ſecuri gloriantur) ſicut & partes hoſtiæ ipſorum amborum ſignatrices ſimul continentur. propter hanc etiam adinuicem conuenientiam: quod tam beati, quam purgatoriis addicti locis, extra præſentis vitę ſtatum degunt & ſtadium. Altera verò minor particula quæ ſcilicet calici immittitur: eos ſignificat qui ad Chriſtũ quidem attinet, ſed huius adhuc vitæ atteruntur laborib[9] ac præmuntur anguſtiis. Et quoniã illi de futura ſua beatitudine nõ ſunt certi omnino neque ſecuri: particula quæ ipſos ſignat, aliis duabus hoſtiæ partibus nequaquam per eandem digitorum continentiam coniungitur. Quoniam verò viuentes in hoc ſeculo fructum effuſionis ſanguinis Chriſti conſequi poſſunt, & bonorum operum exercitio quamdiu in hoc currunt ſtadio paſsionis Chriſti efficatiã ſibi applicare: ideo hæc particula calici imponitur & ſanguini

guini Chriſti imiſcetur. Huiuſmodi autem applicatio virtutis mortis Chriſti per propria opera:iis qui ex hoc mūdo trāſierūt ſiue purgatoriū ſuſtinētibus cruciatū,ſiue cæleſtē incolētibus regionē,eſt negata. Idcirco partes illæ geminæ ipſos ambos indicare dictæ:nō immerguntur calici,ſed ſuper ipſum nō cōmixtæ tenētur. Habēt & cætera quæ in toto miſſæ fiunt officio ſignacula & ſenſibilia ſigna, cerimoniæ,ritus,& viſibiles formæ certas quaſdā rationes myſticas & ſignificationes admodū dignas, quare hoc pacto ſunt inſtitutæ.Quas non viſum eſt operæpreciū hic explicare,quoniā ſatis ſuperq; à Gabriele & cęteris quos citat authoribus ſunt declaratę. 70 ¶ Deinde ſacerdos ſacra faciens populū pręſentē ipſi celebationi miſſæ in domino ſalutat.& pacē domini cū illa iugiter manere imprecatur. vt quoniā prius pacē à domino petiuerat illi dari:nunc illā cōfirmans petitionē,eandē ipſi populo exoptat.Neque illud quidē ab re. Nempe quāuis multæ pręclarę virtutes ſint fideliū cordibus neceſſariæ ad percipiēdā ſacroſanctę euchariſtię gratiā : ante oēs tamē efflagitat ſacerdos pacē domini ipſi populo dari.quoniam illa quodam conſequio cęteras omnes trahit virtutes:eáſque ſibi comites aſciſcit. Eadem quoq; plus reliquis & frequētius in ſacris literis à domino cōmendata legitur:tanquā domiciliū & habitaculum eius. Nam in pace factus eſt locus eius.tanquā etiam propria dei denominatio. Nanque deus pacis & dilectiōis dicitur ab apoſtolo. Et ipſe eſt pax noſtra:qui fecit vtraq; vnum.denique tanquā ea virtus: quā in terris diuerſatus dominus noſter magnoperè approbauit, & amplectēdam docuit. Siquidem in ipſo mundi ingreſſu pacem angelica
Pſal.75 voce annunciauit:cū multitudo cęleſtis militię decantauit
2.Corin.13 gloria in excelſis deo:& in terra pax hominibus bonę vo-
Ephe.2 luntatis. Populo deinde annuncians verbum dei: pacem ſeruare adinuicem docuit,dicens. Pacē habete inter vos.
Luca 2 Et ſicut ait Paulus:veniens euangelizauit pacē vobis qui
Marci 9 longè fuiſtis,& iis qui propè. Idem quoque mittēs apoſto
Ephe. 2 los ad euangelij annunciationē:eos pacem offerre hominibus edocuit dicēs . In quancúque domum intraueritis:
Matth.10 primū dicite,pax huic domui. Abſcendens itidē hinc,pacē
Ioan.14 eis reliquit:cū ait. Pacē meā do vobis:pacē relíquo vobis.
Ephe. 2 Inſup moriēs pacē perditā reparauit:ſoluēs inimicitias in carne

carne ſua. Pacificauit enim(vt ſcribit ad Coloſſ. apoſtol⁹) omnia, ſiue quæ in terris ſiue in cælis ſunt, per ſanguinem crucis eius. Præterea reſurgens ex mortuis pacem diſcipulis obtulit, cum in eorum medio conſiſtens ait. Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Denique ſpiritum ſanctum ipſis poſt aſcenſionem mittens, pacē in eis confirmauit, propter quod hortatur Epheſios apoſtolus, quòd ſint ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Poſtremum ſectatores pacis & amatores, in filiorum dei ſortem & denominationem aſciſcendos promiſit. Beati(inquit) pacifici: quoniam filij dei vocabuntur. *Coloſ. 1.* *Luc. 24* *Ephe. 4* *Matt. 5*

71 ¶ At verò non quamlibet ſine diſcrimine pacem exoptat populo ſacerdos: ſed ſolum pacem domini, quoniam & pax aliqua inuenitur quæ non eſt domini: ſed penitus ei aduerſa, vt eſt pax cum diabolo per conſenſum ad eius ſuggeſtiones: de qua dominus in euāgelio. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. Pax itidem cum carne & corpore proprio, de qua apoſtolus. Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt. Sapere autem ſecundum carnem eſt ipſi carni conſentire: & ita pacem cum carne habere ſimiliter pax cum mundo peccatorúmque conſortio, de qua pſalmus. Quia zelaui ſuper iniquos: pacem peccatorum videns. Hanc autem triplicem pacem non venit ſaluator dare ſed penitus tollere: vt ipſe teſtatur cum ait. Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium, id eſt ſeparationem. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius. At verò pax domini quæ hic optatur: etiam triplex inuenitur, ſcilicet pax hominis ad deum, pax ad ſeipſum, & pax ad proximum. Pax hominis ad deum: eſt ordinata hominis ad deum in fide ſub æterna lege obedientia. Et hæc potiſsimum ex dilectione dei enaſcitur. Pax ad ſeipſum eſt ordinata cognitionis actioniſque conſenſio: vt quod recta ratio dictat, efficaciter voluntas imperet. Et hæc ex recta ſubiectione virium inferiorum ad ſuperiores proficiſcitur. Denique pax hominis ad proximum eſt cum omni homine ordinata concordia: vt ſcilicet nulli noceat, & cum poſſit, proſit. *Luc. 11* *Rom. 8* *Pſal. 17* *Matth. 10*

Et

Et hæc potiſsimum ex dilectione ſyncera proximi cõſurgit ac orıtur. Rurſum ipſa pax domini alia partitiõe diſſecatur in pacem pectoris, temporis, & æternitatis. Pax pectoris ſiue animi eſt ipſius appetitus ad rationem dominātem cõcordia, rectáque ſubiectio. Et hæc fere eadem eſt cum pace ad ſeipſum: cũ quis inter vires illas animi inteſtinum non ſuſtinet bellum. Pax temporis eſt vitæ huius temporalis trãquillitas: & à perturbationũ ſtrepitu quies. Hæc autem fermè coincidit cum pace ad proximum. Nã ſi cum omnibus hominibus pacem habemus: nullus cõtra nos hoſtilis inſurgit impetus. Pax verò æternitatis: eſt perpetua cum deo & cæleſtibus incolis in regione viuẽtium tranquillitas, quæ poſt hanc vitam illis dabitur: qui hoc in mundo pacem ad ſeipſos & proximos ſeruare ſtuduerint. Et hæc profecto vera eſt pax cum deo: quæ nul-
2.Timot.4 lo vnquam bellorum turbine aut peccatorũ perpetratio-
Pſal.84 ne diſſoluetur. Hanc autem triplicem pacis differentiam modo aſsignatam: innuit propheta in pſalmo cum ait. Loquetur dominus pacem in plebem ſuam, quantum ad pacem temporis, quam dat plebi dum ſua eſt per voluntatis ſubiectionem, & ſuper ſanctos ſuos: quo ad pacem æternitatis qua fruuntur ſancti in cæleſti gloria, & in eos qui cõuertuntur ad cor: quo ad pacem ſpiritualem ſiue mentis. Porrò huic ſanctæ imprecationi ſacerdotis qua pacem domini optat ſemper eſſe cum populo Chriſtiano: reſpondet chorus aut miniſter in perſona circunſtantium, & cũ ſpiritu tuo. Quod ſane verbum ex ſecunda ad Timotheũ epiſtola deſumptum eſt: vbi hunc in modum Paulus Timotheo vale dicit. Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſit cum ſpiritu tuo. Ita & hic reſpõdet chorus. Et cum ſpiritu tuo: ſit ſcilicet ea pax quam nobis annunciaſti. Siquidem id piarum & religioſarum mentium eſt proprium, vt pacificice ſalutantibus vicariam rependant ſalutem, & bona optantibus reciproco beniuolentiæ officio etiã bona exoptent.

72 ¶ Cæterùm quoniam pax illa domini ſine peccatorũ remiſsione obtineri non poteſt, quæ inimicitias ponũt inter nos & deum nóſque reddũt illi inuiſos ac odioſos: peccatorũ verò remiſsio ſine dei miſericordia haberi nequaquam poſſit, ipſa enim ſola eſt quæ peccata noſtra detergit ac dimittit, idcirco ter deinde profertur ea oratio, agnus

nus dei qui tollis peccata mundi, à ſacerdote, primáq; & ſecunda pronunciatione petitur dei miſericordia ad abluenda peccata: per ſubiunctam vtriuſque calce orationem, miſerere nobis. In tertia verò prolatiōe petitur demùm ipſa pax nobis à domino concedi: quoniam ſolus ipſe author eſt veræ & ſyncere pacis, & id quidem per orationem in fine annexam: dona nobis pacem. Sumpta autē eſt hæc ſacratiſsima ad Chriſtum oratio, quæ ter hic profertur, ex verbis ſancti Ioannis Baptiſtæ: qui (vt teſtatur euangelium) vidit Ieſum venientem ad ſe, & ait. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mūdi. Et rurſum altera die reſpiciens Ieſum ambulantē, dixit. Ecce agnus dei. In qua quidem excellentiſsima domini noſtri commendatione: duplex eius natura in vna perſona inſinuatur. Humana quidem, cum agnus dei nominatur, quæ nūcupatio ſecundum ſolam noſtræ carnis ſubſtantiam ei conuenit. Nā ſecundum illam & purus omnino eſt à peccato & innocēs, qui peccatum nō fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius, ſecundum eandem quoque pro noſtra omnium ſalute immolatus eſt in ara crucis, & quemadmodum prædixerat Eſaias, ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit & non aperuit os ſuum. Ipſe quoque (ſicut ait Heremias) fuit quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam. Enimuero agni appellatio propter duas cauſas ſupradictas per quàm frequenter in ſacris literis Chriſto attribuitur, vt apud Eſaiam. Emitte agnum domine, dominatorem terræ, & in Apocalypſi agnus ab origine mundi occiſus aſſeritur, quoniam ab ipſo mundi exordio Chriſti mors eſt repræſentata & præfigurata per cædem ipſius Abel iuſti, vt antè dictum eſt. Vt autem intelligant omnes hic agnū nō pro animali bruto ex oue genito ſumi, ſed per ſimilitudinem de Chriſto dici: nō ſimpliciter hic agnus denominatur, ſed agnus dei, ne quis ſtoliditate mentis aliter quàm debet accipiat. Diuina verò Chriſti natura innuitur in ſupradicta oratione: cum ipſa profitetur eum peccata mundi totiúſque generis humani tollere, quod ſoli deo competit, cum itidem ab eodem miſericordiam petit, & placidæ pacis munera: quandoquidē ſolius dei eſt noſtri miſereri, & pacē nobis quam petimus donare. Miſerentur quidē homines, ſed non vt deus: quòd ſua

Ioan. 1

Eſa. 53
Hiere. 11
Eſa. 16
Apoc. 13

ſua miſeratione peccata nobis non abſtergunt. Dant etiā homines pacem: ſed quomodo mundus. Veram auté pacē quā mūdus dare nō poteſt: ſolus deus ſua benignitate nobis elargitur. Porrò in miſſa quæ pro defunctis celebratur: tantummodo requies illis à deo donari petitur in his tribus orationibus, quarum duæ primæ claudūtur hoc fine: dona eis requiem, & tertia ita finitur, dona eis requiē ſempiternam. Quia huiuſmodi altaris ſacrificium pro defunctis præſertim celebratur: vt ipſis requies æterna impetretur, & illis potiſsimum fructus miſſæ applicatur: pro requie à pœnis ignis purgatorij eis obtinenda. Neque vt ipſorum miſereatur deus aut det illis pacē, orat eccleſia, ſicut pro viuētibus, quoniam extra præſentis vitæ ſtatum conſiſtunt, & iam requieſcunt à laboribus ſuis, operáque eorum ſequūtur illos. Non enim iam amplius (vt nos) deſudant in agone: ſed ſtatum determinatúmque habét ſuorum operum finem ac terminum.

Ioan.4

73 ¶ Poſt trinam huiuſmodi orationem ſacerdos immittens vnam medietatis diuiſæ particulā calici: profert hāc ſupplicationem domino. Hæc ſacroſancta commixtio corporis & ſanguinis, &c. Per quam, non rerum contētarum atque ſignaturum, veri ſcilicet corporis Chriſti & ſanguinis eius commixtionē fieri ſignificat: quaſi iam vnum alteri immerſum ſuperficie tenus eo tingatur, ſed ipſarum ſpecierum atque accidentium panis & vini poſt conſecrationem ſuperſtitum, commixtionē adinuicem fieri enunciat. Siquidem ſpecies panis & hoſtiæ commiſcentur ſpeciebꝰ vini, & ediuerſo: cum adinuicem ſecundum contactū per immiſsionem coniunguntur. Fiunt enim eædem mutationes & contactus accidentium illorum facta conuerſione ſubſtantiarum, quæ fieret ſi nulla eſſet facta conuerſio, & hoc vt fides ſuum habeat meritum: dum humana ratio nullum de conuerſione facta recipit experimentū. Quia igitur ſpecierum ſacramentalium adinuicem fit commixtio, ſub quibus verum Chriſti corpus & ſanguis continetur: dicitur hic fieri commixtio rerum contentarum. Multa enim quę ad ſolas ſpecies pertinent: vſus loquēdi attribuit contentis ſub ſpeciebus, ſicut corpus Chriſti ſiue Chriſtus dicitur videri aut tangi: cum tamen ſolum ſacramentū videatur ac tāgatur ſub quo latet Chriſtus. Cōſimili penè ratione

tione hæc commixtio dicitur ſacroſancta propter excellẽtiſsimam ſanctitatem contentorum ſub ipſis ſpeciebus, veri ſcilicet corporis & ſaguinis Ieſu Chriſti, qui es ſanctus ſanctorum. Etiam ita denominatur propter ſpecies ipſas ſacramẽtales panis & vini, quæ ſacroſanctæ dicũtur propter ſingularem rerum ſanctiſsimarum ſignificationem & Exo.25
continentiam, longe quidem verius & excellentius: quàm pars illa tabernaculi & templi arcam fœderis continens in lege Moſaica, dicebatur ſancta ſanctorum, tãto vtique verius, quantò magis veritas ipſa figuram excedit & dignitate tranſcendit. Cęterùm duo præclara bona per hanc ſacroſanctã commixtionem nobis à deo indulgeri in ea oratione petuntur. Primum quòd ipſa fiat & ſacerdoti offerenti & omnibus ſpiritualiter voto ac deſiderio ſumentibus per ſacerdotem, ſalus mentis & corporis. Mentis quidem, per morbi ſpiritualis ſcilicet peccati depulſionem, & vitæ ſpiritualis quam dei gratia donat elargitionem. Corporis verò, per infirmitatum naturam deprimẽtium amotionem, & incolumitatis integrè conſeruationem. Secundo ꝙ eadem commixtio ſit ad vitam æternam capeſſendã præparatio ſalutaris. Nẽpe ipſa ſumptio ſanctiſsimi ſacramẽti rite facta, eſt efficax præparatio ad æternam beatitudinem per collationem gratiæ in præſenti, quæ eſt pignus gloriæ & arra percipiendæ hæreditatis futuræ, ſicut canit eccleſia. O ſacrum cõuiuium in quo Chriſtus ſumitur. recolitur memoria paſſionis eius, mẽs impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Ipſa verò ſacroſancta cõ Ioan.14
mixtio: via quædam eſt & prædiſpoſitio ad ipſius ſacramenti ſumptionem. 74 ¶ Deinde ſubiungit ſacerdos orationem ad Chriſtum pro pace impetrãda, in qua primũ ꝓponit rationabilẽ fiduciã atque cõfidentiã quærẽdæ pacis à Chriſto, quia diſceſſurus à diſcipulis per paſſionẽ, eis pacẽ reliquit, dicẽs ipſis in vltima cœna vt Ioan. teſtatur. Pacẽ meã de vobis, pacẽ relinquo vobis. Poſtea humiliter de ſe ſẽtiẽs petit ꝙ deus nõ attendat neq; cõſideret pecata ipſius, quoniã illa potius ſunt impedimento ad pacẽ impetrandam, ſed potius reſpiciat fidem eccleſiæ, ſuæ dilectiſſimæ ſponſæ: quam teſte propheta ſibi in fide ſponſauit, Oſee.2
quam itidem lauacro aquæ in verbo vitæ ſanctificauit: vt Ephe.5
ſcribit Paul⁹, pro qua deniq; orauit ne deficeret fides ei⁹. Luc.22

Demùm

Demùm petit ſacerdos quòd pro ſuæ volũtatis rectiſsimæ beneplacito deus ipſam eccleſiam pacificare velit ab infi-
Ioan.10 delibus & incredulis: ne eam perturbent ſuis perſecutionibus, eandem etiam cuſtodiat ab omni malo & molitione hoſtis antiqui, denique eandem coadunet in vinculo charitatis & vnionis vt ſub vno paſtore ſit vnum ouile. Verũ cũ pro defunctis fit celebratio, ſicut pax à ſacerdote ſumi non debet neque à miniſtro aliis diſtribui, ita neque hæc oratio pacis accipiendæ præparatoria proferri aut legi, quoniam ipſi viam huius mundi pertranſierunt & requieſcunt cum ſigno fidei & dormiũt in ſomno pacis: neque pace domini eo quo nos modo, indigent. Denique ſacerdos tabellæ continenti depictam aut ſculptam imaginem Chriſti aut beatæ virginis aut alicuius ſanctorũ, per miniſtrum porrectæ exhibens oſculum, tanquam à ſeipſo pacis communicationem in omnes hoc ſenſibili ſigno diffundens atque diſtribuens: hortatur omnes apoſtolica voce habere inter ſe vinculum pacis & charitatis, vt apti ſint ſacroſanctis myſteriis corporis & ſanguinis Chriſti ſumẽdis: aut re ipſa aut ſpirituali perceptione per deuotionẽ, quoniam ipſa ſolum ab iis digne ſumuntur: qui ſyncæro ſancti amoris affectu omnes proſequuntur. Aut altera oratiuncula pacem miniſtro porrigenti tabellam exoſculandam imprecatur: ſimul & toti fidelium congregationi.

Oratio dicenda ante communionem.

Domine Ieſu Chriſte fili dei uiui qui ex uoluntate patris cooperante ſpiritu ſancto per mortẽ tuã mundum uiuificaſti: libera me per ſacroſanctum corpus & ſanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis & uniuerſis malis, & fac me tuis ſemper inhærere mandatis & à te nunquam ſeparari permittas. Qui cum eodem patre uiuis & regnas in unitate eiuſdem ſpiritus ſancti deus. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Alia oratio.

Perceptio corporis & ſanguinis tui domine Ieſu Chriſte, quam ego indignus ſumere præſumo: non mihi pro ue-

niat

niat in iudicium & condemnationem, ſed pro tua pietate proſit mihi ad tutamentū mentis & corporis, & ad medellam percipiendam. Qui uiuis & regnas cum deo patre in unitate ſpiritus ſancti deus. Per omnia ſecula ſeculorū. Amen.

Alia oratio.

Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum: ſed tantum dic uerbo, & ſanabitur anima mea.

Ante communionem ſacerdos aliquas ad Chriſtū fundit orationes: quibus & cordis ad deum excitet affectū & panem vitæ digne ſumendi gratiam impetret, ne quod ad percipiendum vitæ fructum inſtitutum eſt ſacramentum: ſit illi propter indignitatem ſuam & peccata, ad iudiciū & mortem æternam. In prima earum hic poſitarum (nam & alias pro arbitrio & pia deuotione, aut ritu ſuæ eccleſiæ dicere poteſt: qui miſſam celebrat) religioſa fide profitetur ipſe ſacerdos Chriſtum per mortem ſuam viuificaſſe mundum beneplacito dei patris, & ſpiritus ſancti cooperatione: quinimmo vna totius trinitatis & optima voluntate *Oſee 13* Nā mors Chriſti, totius humani generis mortem ſpiritualem deſtruxit: ſicut prædixerat per prophetam. Ero mors *Coloſ. 2* tua o mors. Et ergo per mortem ſuam conuificauit nos ſibi, vt ait apoſtolus: donās nobis omnia delicta. Et id quidem voluntate patris, qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnib⁹ tradidit illū, qui ſic dilexit mundū, vt filium ſuum vnigenitum daret. Propria etiā voluntate Chriſtus per mortem ſuam mundum viuificauit. Oblatus enim eſt quia ipſe voluit ſicut dicit Eſaias, quemadmodū ſcribit Paulus ad Epheſios: ipſe dilexit nos, & tradidit ſeipſum pro nobis oblationem & hoſtiam deo in odorē ſuauitatis. Demū cooperante ſpiritu ſancto Chriſtus ſua morte mundum viuificauit: quoniā vt ſcribit apoſtolus ad Hebręos, per ſpiritum ſanctum obtulit ſeipſum immaculatū deo patri. Deinde petit ſacerdos virtute ſacroſancti corporis dominici (in quo omnis gratiæ theſaurus eſt & plenitudo) liberari ab omnibus peccatis & malis, præteritis, præſentibus, & futuris, vt tanto regi decens exhibeatur habitaculum: & congruū ſummæ illius maieſtati aptetur in cubiculo cordis domicilium. Petit & gratiā obediendi man-

Rom. 8 *Ioan. 3* *Eſaiæ 53* *Ephe. 5* *Heb. 9*

Matth.19 datis domini: in quorũ integra obſeruatione, vita & ſalus animæ conſiſtit. Si vis (inquit) ad vitam ingredi: ſerua mã data. Et legiſperito enumeranti præcepta in lege ſcripta: Luc.10 reſpondit dominus. Hoc fac & viues. Denique orat ſacer- Sapi.1 dos: vt nunquam permittamur à Chriſto ſeparari, neq; in præſenti quidem ſeculo per culpam (nã ſicut peruerſæ co gitationes: ita & praua opera ſeperant à deo) neque in futuro ſeculo per pœnam gehennæ & mortem ſecundũ, quę perpetua eſt à deo fonte vitę diſſeparatio: illis demùm infligenda qui ad ſiniſtram iudicis poſiti hanc duriſsimã in ſe proferri audient ſententiã. Ite maledicti in ignem æter- Matth.25 num. A qua, ſua benignitate liberet & eripiat nos domin' noſter Ieſus Chriſtus, benedictus in ſecula. 76 ❡ In ſecunda oratione hic poſita, ſuã infirmitatẽ conſiderans ſacerdos: humiliter ſe ex ſeipſo dignum profitetur ad ſumẽdum hoc ſacratiſsimum myſterium, vt hac humili ſuæ indignitatis cõfeſsione ad hoc dignus à deo effici mereatur, qui ſolus de indignis dignos fecit, de immundis mundos, & peccatoribus iuſtos. Petit deinde vt huiuſmodi perceptio digniſsimi ſacramenti non cedat illi in iudiciũ & con 1.Corin.11 demnationem animæ, quã terribiliter cõminatur apoſtolus omnib' indigne ſumentibus, cũ ſcribit ad Corinthios. Si quis manducauerit panem hunc & calicem domini biberit indigne: reus erit corporis & ſanguinis domini. Et rurſum, ille iudicium ſibi manducat & bibit: non diiudicãs Matth.22 corpus domini. Tale autẽ formidabile iudicium expreſsũ eſt per parabolam in illo qui intrauit ad nuptias filij regis non indutus veſte nuptiali iuſſúſque eſt ligatis manib' & pedibus ꝓiici in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium Secundo poſtulat ſacerdos: quòd ea perceptio illi ſit ad tutamen & munimentum mẽtis & corporis vt illius virtute, anima protegatur à cõſenſu & opere peccati: corpus autem ab imminentibus malis & periculis, ſit item illa perceptio ipſi ad medellam percipiẽdam, contra vulnera & morbos animæ. Siquidem in hoc admirabili ſacramento, contra omnem languorem & infirmitatem animi efficaciſſima continetur medicina: vt in præcedente libro circa explicationem adorationis viuificę crucis in die ſancto paraſceues dictum eſt. Neque ſolum in hoc gratiarum omnium promptuario continentur cunctarũ aromata

nata & pigmenta virtutum: ſed etiam tanquam ſalutaria antidota contra omne virus peccati in eos transfundūtur, qui rite præparati ad hanc ſaluberrimam medicinam ſumendam accedunt. Sane percipiunt illi remediū præſentaneū contra quodcunque animæ vitium, quia eum in ſe recipiunt medicum qui ſolo verbo inſtaurat vniuerſa, qui profeſſus eſt ſe in mūdum veniſſe non vt iuſtos vocaret, ſed peccatores ad pœnitentiam. Non eſt opus (inquit) valentibus medico: ſed male habentibus. Fateamur igitur per veram humilitatem nos male habere: vt mereamur à medico viſitari & medellā noſtræ ægritudinis ſuſcipere. Recognoſcamus ex intimo cordis nos eſſe peccatores: vt ab eo qui venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, vocemur ad gratiam & liberemur à culpa. Progrediamur ab ipſum pedibus pij affectus, & præparemus illi corda noſtra, tunc ipſe vltro ad nos veniet dominus ad ſeruos, deus ad homines, iuſtus ad peccatores, medicus ad ægrotos, vt nos ſanet, & ſalutaris iſtius medicinæ efficiat participes. Clamemus ad ipſum cum propheta ex profundo cordis noſtri. Miſerere mei domine quoniam infirmus ſum: ſana me domine quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea, & non eſt ſanitas in carne mea. Dicamus illi ſyncæro affectu Domine miſerere mei, ſana animam meā quia peccaui tibi. Et ipſe quia benignus eſt medicus: protinus medellam nobis exhibebit in hoc ſanctiſsimo ſacramēto, omnis mali expultricē. 77 ¶ Demū tertia oratio hic poſita, ſūpta eſt ex verbo Cēturionis: natiōe quidē gētilis, ſed fide & deuotione veri Iſraelitæ & filij Abrahæ, de quo proteſtatur ſumma veritas in euangelio. Amē dico vobis, non inueni tantā fidē in Iſrael. Hic precatus dominū noſtrum pro ſanitate pueri ſui qui iacebat in domo paraliticus & male torquebatur: vbi audiuit dominū ex incredibili benignitate reſpondentē illi. Ego veniā & curabo eū, reueritus domini maieſtatē & in ſuā reſiliens paruitatē, humiliter reſpondit domino. Domine non ſum dignus vt intres ſub tectū meū: ſed tātū dic verbo & ſanabitur puer meus. Verū dominus ipſe qui humiliū eſt exaltator, qui reſpicit in orationē humiliū & nō ſpreuit preces eorum: poſt præclaram fidei illius & deuotionis commēdationē dixit illi. Vade, & ſicut petiſti fiat tibi: & ſanatus eſt puer illius ex

Matth. 9
Pſal. 6
Pſal. 37
Pſal. 40
Matth. 8
Pſal. 101
Apoc. 1

illa hora. Itaque huius exemplo, ſacerdos iam conſiſtens in præſentia illius qui cæli & terrę eſt dominus, qui iudex eſt conſtitutus viuorum & mortuorum, qui habet claues mortis & inferni, totus animo tremens & diuinæ maieſtatis eius pedibus prouolutus: hanc profundit orationē ſuæ humilitatis (quæ vna ſummopere ad huius myſterij cōmunionem eſt neceſſaria) teſtem & explicatricem. Cæterùm vt efficax ſit coram oculis domini & accepta hæc oratio, non ſufficit eā ſola voce proferre, ſed vt proferentis cor humiliter de ſe ſentiat imprimis oportet. quare enitēdum ſummopere vt ſacerdotis animus ſeipſum cūctis alijs ſubmittat, ſéque deſpiciat, omnibus inferiorem ſeſe cōſtituat, & ſe nihil eſſe coram propriis oculis exiſtimet, quoniam qui ſe exiſtimat aliquid eſſe cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit, vt ait Paulus. Et iacto huiuſmodi in cordis penetralibus fundamento humilitatis, coram eo qui cordium & renum ſcrutator eſt, hanc proteſtetur humilitatem voce, expreſ-

Gala.6

ſáque oratione. Studeat item ſacerdos celebrās vt dignus ſit admitti ad hoc ſacrum cōuiuium: mente recumbere in nouiſsimo loco, ſe omnibus abiectiorem meritiſque minorem reputans, tantóque conuiuio indignum, vt tādem audire mereatur à domino à quo inuitatus eſt. Amice aſcē de ſuperius, & tunc erit ei gloria coram ſimul diſcumbentibus. Ad hanc autem ſui exinanitionem deiectionémq; conſequendam: multum confert clarorum inſigniúmque

Luc.14

virorum qui mirifice coram deo: ſe humiliarunt, conſideratio. Siquidem ſancta Elizabeth in euangelio commēdatiſsima, & ſpiritu ſancto repleta atque prophetico munere illuſtris, ad prȩſentiam ſacratiſsimæ virginis Mariæ attonita & admirabunda exclamauit. Et vnde mihi hoc: vt veniat mater domini mei ad me? Cuius exēplo & nos longè infra eam poſiti, præſentem conſpicientes dominū deū noſtrū qui intuetur abyſſos & ſedet ſuper cherubim, qui de ſurſum venit & ſuper omnes eſt, qui ſacratam matrem ſuam & creauit, & omni gratię plenitudine exornauit: potiore iure dicere debemus. Et vnde mihi hoc: vt veniat dominus meus ad me? Et nihil inuenientes in nobis quod noſtrum eſt niſi ſordes & peccata, ad tantam illius benignitatē & humilitatem ſtupere debemus, nihilque nobis ſed totū illius dignationi hunc ad nos acceſſū aſcribere. Prȩ-

tere a

terea ipſius filius Ioãnes Baptiſta ſpiritu ſancto repletus ex vtero matris ſuæ,& in deſerto ab ipſa pueritia diuerſatus in auſteritate vitæ mirabili & parſimonia ſingulari, quo denique inter natos mulierũ non ſurrexit maior, teſtimonio ſummæ veritatis: profeſſus eſt ſe non eſſe dignũ vt ſolueret corrigiam calciamenti Ieſu Chriſti. Ipſe quoque miſſus à deo vt baptizaret in aqua & prædicaret baptiſmum pœnitentiæ, cum veniſſet ad ipſum dominus noſter vt baptizaretur ab eo in Iordane: humiliter id munus detrectauit dicẽs. Domine ego à te debeo baptizari: & tu venis ad me? Vnde canit de eodẽ eccleſia, quemadmodũ in præcedente libro dictum eſt. Baptiſta contremuit, & nõ audet tangere ſanctum dei uerticem: ſed clamat cum tremore dicens, ſanctifica me ſaluator. Quid nos igitur qui non ſumus digni ſoluere corrigiã calciamenti Ioannis Baptiſtæ, cum in præſentia tremendæ maieſtatis dei in altari conſiſtimus: ſentire debemus de nobis aut animo pẽſare? qui non vocamur ibi ad ſoluenda eius calciamenta aut ad ipſum aqua abluendum vt Ioannes: ſed ad eum totum ſuſpiciendũ in habitaculo cordis noſtri, introducendúmque in hoſpitium & habitationem noſtram. Certe quantũcunque nos humiliauerimus: nõ ſatis noſipſos pro magnitudine rei & ſublimitate aduenientis hoſpitis tũc humiliare poſſumus, quantum tamen valemus animo: indignos nos eſſe illius ad nos introitu libere profiteamur. Inſuper beatus Petrus ſtupore attonitus in captura piſcium: ait ex humilitate cordis ad dominum, non exiſtimans ſe dignũ conſiſtere in diuinæ illius virtutis præſẽtia. Exi à me: quia homo peccator ſum domine. Et nos itidem indigni procumbere ad oſcula pedum beati Petri, cũ coram aſpicimus dominum & creatorem noſtrũ: certe indignos nos proclamare debemus vt illi præſentes aſſimus, quanto magis vt illũ intra nos recipiamus hoſpitẽ & habitatorẽ. Et ſicut Petrus cõfortatus eſt à domino his verbis. Noli timere: ex hoc enim eris iã homines capiens, ita & nos poſt verã cordis humilitatẽ, noſtræq; prauitatis & indignitatis cõfeſſionẽ: internã à domino ſentiemus conſolationẽ, qui cõfortabit corda noſtra vt cũ fiducia ac intrepidè ipſum accedamus. Denique Maria Magdalena quæ tota diuino flagrauit amore, & largas profudit ad ſepulchrũ domini lachry

mas interni doloris teſtes,quo angebatur ob abſentiã domini corporis,non tamen admiſſa eſt ad ſacrorũ pedum domini contactum, ſed illos amplexari geſtiens hoc accepit reſponſum. Noli me tangere:nondũ enim aſcendi patrem meũ.Quid nos igitur qui tepidi ſumus,& ne ſcintillulam quidem diuini amoris in nobis percipimus aut excitare ſtudemus:qui cor habemus durũ inſtar ſilicis,& nullas ad abluẽda peccata aut cæleſtis regni deſideriũ lachrymas elicere nouimus,quid nos inquã de nobis ſentire debemus?qui non ſolũ ad contactũ pedum domini:ſed ad ipſum totum ſumendũ ſtamus accincti,ſane aliud nihil:quã nos ex nobis ipſis quàm maxime eſſe indignos,& nihil in nobis eſſe ob quod tantum audere aut tentare audeamus.

66 ¶ Demùm his & conſimilibus conſiderationibus animo ad ſui humiliationẽ ſuſcitato : dicere domino debem⁹ ex profundo cordis. Domine nõ ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Non ſum(fateor) dignus ex mea iuſtitia, ex mea præparatione,ex mea operatione:cum tu ipſe qui ſumma es veritas dixeris nobis.Cum feceritis omnia quæ præcepta ſũt vobis:dicite quia ſerui inutiles ſumus,quod debuimus facere,fecimus. Ipſe verò qui non omnia quæ præcepta ſunt mihi ſed vix aliqua compleui , qui nec ea quæ debui feci,ſed in multis tua præcepta tranſgreſſus ſũ & præuaricatus,quomodo dignus eſſe queam vt tu domine totius mundi creator & rector intres ſub tectum meũ, domũ ſcientiæ meæ tenebris peccatorum obſcurã & multis iniquitatibus ſordidam? vbi nullus eſt virtutum ſplendor & ornatus pro tuæ maieſtatis dignitate: vbi certe non eſt tuæ manſionis locus. Non enim delectaris habitare in tabernaculis peccatorum,ſed in eorum cordibus qui te diligunt,qui ſermonem tuum ſeruant & patris tui voluntatem faciunt,ad eos benigniter venis ô domine:& manſionem apud eos facis,ſicut pollicitus es. Ad eos item qui te pulſantem audiunt, tibiq; cordis ſui oſtium aperiunt: intrare,& cum illis cœnare promiſiſti. Sed quoniã de illorũ numero non ſum,vere non ſum dignus vt intres ſub tectũ meum. Verùm quoniam peccatores non ſpernis neque à te reiicis,quando enim in terris viſus es & cum hominib⁹
Marc.10 cõuerſatus, cũ illis diuerſari,manducare & bibere dignatus es,vt illos benignitate tuæ cõuerſatiõis ſanares.Quoniam

niā itē ad te cōfugientes non repellis,ſed vt paruuli ad te ſinerentur accedere præcepiſti,illóſq; dulciter amplexus, benedictione tua dignatus es illorũ oro exẽplo me peccatorẽ & paruulũ(quia indignum tua gratia)ne proiicias à facie tua. Rurſum peccatricem illã à contactu pedú tuorũ non reieciſti:ſed multipliciter commendatã peccatorum ſuorũ dimiſsione es conſolatus. Mulierẽ itẽ illam paſſam *Luc.8*
multos annos fluxũ ſanguinis,à tactu fimbriæ veſtimenti tui nõ prohibuiſti:ſed iã tua virtute ſanatã & tremẽtẽ,mira verborũ tuorũ ſuauitate cõſolatus es:dicens. Confide filia:fides tua te ſaluã fecit.Denique Chananeã illã mulierẽ importunitate ſanctas tuas aures pulſantẽ ſemel & iterũ aſpernari viſus,tandẽ oculis miſericordiæ reſpexiſti:& improbas hominũ preces tibi gratas eſſe demõſtrãs,demũ illi reſpondiſti.O mulier,magna eſt fides tua,fiat tibi ſicut *Matth.15*
petiſti. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.Ecce domine anima mea à dæmonio male torquetur, nõ vno ſolum ſed multis,vexat eã ſuperbia & inflatio:torquet ipſam cupiditas opũ,cruciat illã carnalis delectatio.Sed tu domine tãtũ dic verbo:qui verbũ es patris coæternũ,dic verbo virtutis tuę quo cæli firmati ſunt,quo dixiſti dæmonio vexãti puerum lunaticũ.Pręcipio tibi vt exeas ab eo:& ne amplius in eũ introeas,quo denique dixiſti paralitico, ſurge *Marc.9*
& ambula,& cõtinuò ſurrexit ſanus & ambulauit.Ita do- *Matth.9*
mine dic verbo,& ſanabitur anima mea à morbis ſpiritualibus vitiorũ,à dæmonio grauiter infeſtãte,à paraliſi & ęſtu febrili, ab ignauia ſcilicet animi & ardore cõcupiſcentiæ.Tuũ nanque dicere,facere eſt,dicente ſcriptura. Ipſe dixit & facta ſunt,ipſe mãdauit & creata ſunt. Sana me domine(dixit Heremias) & ſanabor. Sic etiã dic verbo,& ſa- *Pſal.148*
nabitur anima mea per te cibũ ſalutiferũ, quia cibus es ſpiritus nõ carnis,cib⁹ mentis non ventris. Ingredere igitur *Hiere.17*
ô domine quæſo ex ſola bonitate tua tectum animæ meæ, quia ſic ipſa ſanabitur,& huiuſmodi ingreſſus,ſpero, ſalutẽ mihi conferet. Ingreſſus es enim domũ Simonis,& ſocrũ eius ſolo verbi imperio liberaſti magnis febribus.In- *Luc.4*
troiſti domũ Phariſæi,& peccatricẽ mulierẽ ab illecebris *Luc.7*
huius mũdi ſanare dignatus es. Subiiſti itidẽ domũ Mat- *Matth.9*
thęi & Zachęi,ac vtrique eorũ ſalutẽ attuliſti:grauibúſq; *Luc.19*
vinculis cupiditatũ quib⁹obſtringebãtur ambos exemiſti. *Luc.14*

Deniqne ingreſſus hoſpitium cum duobus diſcipulis:aper tus illorum oculis te ipſis cognoſcendū exhibuiſti. Ita domine ſalutari tuo ingreſſu in tectū animæ meę reuela ocu los meos, vt te cognoſcam, te diligam, te ſemper honorē. Amen Hæc & ſimilia pia meditatione reuoluēs anima: & ſe humiliabit ſub potenti manu dei, & in diuina bonitate confidentiam ponens, ſe totam in eius ſinum proiiciet.

Oratio dicenda in ipſa communione: & primum in ſumptione ſacratißimi corporis.

PAnem cæleſtem accipiam: & nomen domini inuocabo. Corpus domini noſtri Ieſu Chriſti: cuſtodiat animam meam in uitam æternam. Amen.

In ſumptione precioſi ſanguinis: dicat ſacerdos.

Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam: & nomen domini inuocabo. Laudans inuocabo dominū: & ab inimicis meis ſaluus ero.

Sanguis domini noſtri Ieſu Chriſti: cuſtodiat animā meam in uitam æternam. Amen.

Completa ſumptione ſacramenti: dicat ſacerdos.

Corpus tuum domine quod ſumpſi, & ſanguis quē potaui: adhæreat uiſceribus meis, & præſta ut in me nō remaneat ſcelerum macula: quem tam ſancta & pura refecerunt ſacramenta. Qui uiuis & regnas cum deo patre in unitate ſpiritus ſancti deus. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Alia oratio.

Quod ore ſumpſimus domine: pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum. Amen.

Finitis orationibus poſt commmunionem: dicat ſacerdos.

Ite, miſſa eſt. Et reſpondeat miniſter. Deo gratias.

Deinde benedicat populum: dicens.

Cæli benedictiōe benedicat & cuſtodiat uos diuina maieſtas

ieſtas, & una deitas: pater, & filius, & ſpiritus ſanctus. Amen.

Poſtremùm ſummæ trinitati ſe inclinans: dicat.

Placeat tibi ſancta trinitas obſequium ſeruitutis meæ, & præſta vt ſacrificium quod oculis tuæ maieſtatis indignus obtuli: tibi ſit acceptabile, mihiq; & omnibus pro quibus illud obtuli: ſit te miſerante propitiabile. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

¶ Sumpturus ſacrum Chriſti corpus ſacerdos dicit duas illas orationes primo poſitas loco in litera: ſecundum ritũ aliquarum eccleſiarum. Alij verò (quiſque pro more ſuæ eccleſiæ) alias orationes ſecundum deuotionis ſuæ affectum & rectè quidem dicunt. Earum autem prima: ſumpta eſt ſecundum quandam conformitatem & ſimilitudinem, ex eo verſu pſalmi centeſimi decimiquinti. Calicem ſalutaris accipiam: & nomen domini inuocabo. mutando calicem ſalutaris: ſecundum propoſitam materiem, in panem cæleſtem. Vbi merito ſanctiſsimum Chriſti corpus vocat ſacerdos panem cæleſtem. Nam ita vocat eum dominus in euangelio: cum ait. Amen amen dico vobis: non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim verus eſt qui de cælo deſcendit: & dat vitam mundo. Et iterum eodem loco. Ego ſum panis viuus: qui de cælo deſcendi. Si enim de manna Iſraelitico verè dictum eſt: qui huius viuifici panis ſymbolum fuit & figura. Panem de cælo præſtitiſti eis: omne delectamentũ in ſe habentẽ, & omnis ſaporis ſuauitatem. Et iterũ in pſalmo 77. Panem cæli dedit eis mãducare, & pane cæli ſaturauit eos. nónne valẽtiore iure panis iſte verus immò ipſa veritas: cæleſtis panis debet appellari? immò potius quia ſuper cęlum eſt: ſupercęleſtis iure dicetur. Hunc autem panem cęleſtem (inquit ſacerdos) accipiam ego ęgrotus & infirmus, cor hominis confirmantem: vt à cunctis morbis valeam ſanari. Accipiam panem cęleſtem ego famelicus & eſuriẽs: quem qui guſtauerit non eſuriet in ęter num Accipiam eúdem panem ego inquietus & anxius: vt cor meum ſtabiliat.

biliat,& turbidos ſeculi fluctus ſedet. Denique accipiam claudus & debilis hunc panem cæleſtem, inuitatus à rege magno ad cœnam:ad quam debiles & claudi ſunt introducti,vt eius ſumptione rectus ambulem in via domini & fortior fiam.Et quoniam iſtud ſacrificium laudis eſt,& ad dei laudem præſertim inſtitutum:ſe nomen domini inuocaturum dicit ſacerdos,& debitam diuino nomini laudem pia inuocatione perſoluturũ,vt huiuſmodi ſumptio fit ad laudem,gloriam,& honoré ſui glorioſi nominis:quod eſt benedictum in ſecula.Amen.

In ſecunda verò oratione ad ſumptionem ſacratiſsimi corporis dominici dicenda:ſupplex petit ſacerdos,vt ſacroſanctum illud corpus cuſtodiat animam eius ab omni malo & prolapſione in peccatum, ne relabens in priora aut deteriora mala rurſum crucifigat filium dei oſtentuiq; habeat:ne etiam cum Iuda proditore oſculo filium hominis tradat.Petit etiam quod huiuſmodi ſumptio fieri corporis Chriſti animam ſuam perducat in vitam ęternam,quẽadmodum in imagine & vmbra manna datum filiis Iſrael in deſerto per quadraginta annos peregrinationem vitæ præſentis ſignantes:eos demùm perduxit in terram promiſsionis. Et ſicut panis ille ſubcinericius admonente angelo manducatus ab Helia : ſua virtute perduxit eum ad montem dei Oreb. Eſt enim panis iſte ſalutaris:conuenientiſsimum in hoc vitæ curriculo viaticum,quod ne deficiamus in via nos foueat,& ad optatum cæleſtis regni perducat habitaculum.

59 ¶ Deinde ſumpturus precioſum Chriſti ſanguinem ſacerdos:duas itidem præmittit orationes, quarum prima tres complectitur verſus pſalterij. Duo primi eorum, ex pſalmo centeſimo decimoquinto ſunt deprompti,in quib⁹ magnitudinem beneficiorum domini in ſe collatorum cõſiderans cum admiratione:erumpit in hanc interrogationem.Quid retribuam domino:pro omnibus quæ retribuit mihi? Scio(inquit)id rationi eſſe conſentaneum: ꝙ pro acceptis beneficiis in argumentũ gratitudinis aliquid retribuatur,fiátque ſaltem aliquanta cõpenſatio eorũ quę quis accepit,per reciprocam alicuius boni redditionem. Verũ tot & tanta ſunt dei in me beneficia:vt nihil prorſus habeã ꝙ illi digne retribuere queã.Enimuerò me cum ante non

ſub-

ſubſiſterē:creauit ad imaginem & ſimilitudinē ſuā. Deinde perditum me redemit magno ſui ſacroſancti ſanguinis precio. Inſuper cū eſſem natura filius iræ: regenerauit me ex aqua & ſpū ſancto in ſpē vitę ęternę. Sæpius dehinc me ipſum à ſe auerſum paterna benignitate expectauit:& reuocauit ad pœnitentiam. Nunquā denique petenti mihi gratiam bene agendi denegauit:& demùm ad ſancti altaris miniſterium me licet indignū admiſit Quid igitur illi pro tot & tantis bonis retribuam? certè nihil meum habeo: quod digne illi retribuere poſſem, nihil enim meum eſt quā peccatū:quòd ſponte mea & ipſo domino non authore ſed ꝓhibente cōmiſi. Atqui non illud dignū eſt quod retribuatur:cum non ſint mala pro bonis retribuenda. Bonum autē omne quod habeo: ab ipſo eſt totius bonitatis vberrimo fonte,& deſurſum deſcendit à patre luminum. Non igitur id meum dicere poſſum:ſed illius eſſe à quo accepi. Quod ſi meum quoquo pacto dici poſsit opus quod adiutore deo facio,propter liberam voluntatis meę cooperationē:id omne longè minus eſt quam præclara illa dona quæ ex ſola bonitate ſua in me contulit. Cum itaque nihil mihi ſit, quod vel vni datorum à deo donorum æqua compenſatione ſatisfaciat aut reſpondeat:ſcio quid faciam: nihil certè illi meum retribuam,ſed de ſuo illi reddam quod in ſingulare contulit noſtro generi munus,calicem ſcilicet ſalutaris accipiam,calicem illum præclarum noui teſtamenti in ſuo ſanguine,calicem inquam Ieſu Chriſti,qui eſt ſalutare noſtrū & ſaluator mundi,calicē vtiq; paſsionis, quem voluntate patris bibit,& ex quo nobis æternæ ſalutis fluenta propinauit. Eundem illi calicem offeram,& nunc bibā cū gratiarum actione & inuocatione nominis eius,cui omnis debetur honor & gloria At verò tertius verſus,ex pſalmo 17.deſumptus eſt,in quo ſacerdos eandē quæ in fine præcedentis verſus poſita eſt ſententiam repetēsait. Laudās inuocabo dominum. Laudans(inquit)Chriſtum de tanto exhibito beneficio,quo non ſolum hunc ſanguinem effudit in redemptionem noſtram,ſed & ipſum in potum nobis ſalutarem dedit, inuocabo dominum & beneficentiam eius magnificabo,ad eum pia cordis mei vota feram,precéſque meas ſupplex conuertam. Vnde & hoc conſequar animæ præſidium, quòd ab inimicis meis cum corporalibus

tum

tum ſpiritualibus ſaluus ero: Saluauit quondam populum
Exod.12 Hebræorum ſanguis agni immolati. ſuper vtrunque poſtē
domus & in ſuperliminari poſitus, ab exterminatore pri-
mogenitorum, & liberauit eundem à fornace ferrea Aegy
pti. Quidni igitur ſanguis veri agni nos ſaluabit ab inimi-
cis noſtris: vt non præualeant nobis: neque ſuā in nos ma-
liciam exercere queant?

82 ¶ Secunda verò oratio ad ſumptionem calicis dicen-
da poſtulat quód ſacratiſsimus Chriſti ſanguis cuſtodiat a-
nimam ſumentis in vitæ innocentia & cordis puritate: ne
poſt illius ſumptionem relabens in peccata ipſum inhono
ret & à Chriſto recedat, ſicut Iudas infœlix & miſer poſt
ſumptionem huius myſterij ſeipſum ſeparauit à conſortio
Chriſti & condiſcipulorum, conſectatúſque eſt phariſæo-
rum conciliabula: & vili admodum precio illum poſtea
Ioan.13. tradidit ſanguinem quem antè de manu domini ſumpſe-
Mat.27. rat, ſicut ipſe deinde tanti criminis conſcius: nequicquam
confeſſus eſt: dicens. Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.
Cuſtodiat inſuper ſanguis ille precioſus animam meam
(orat ſacerdos) à percuſsione & plaga dæmonis: ne pri-
mogenita mea, bona ſcilicet opera præterita per ſuperue-
niens malum extinguantur, ſicut olim ſanguis agni typi-
Exod.12. ci & figuralis cuſtodiuit filios Iſrael: ne ab angelo percu-
Zach.9. tiente primogenita Aegypti læderentur. Perducat etiam
Ioan.6. ſanguis Chriſti animam meam in vitam æternam: ſicut o-
Heb.9 lim patres ſancti de lacu inferiori educti ſunt virtute hu9
Heb.10. ſanguinis in gaudia paradiſi, quemadmodum dicit Zacha-
rias. Tu verò in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos
tuos de lacu: in quo non erat aqua, conſolationis ſcilicet
ſalutaris. Promiſſit enim idipſum nobis etiam Chriſtus:
cum ait. Qui bibit meum ſanguinem; habet vitam æternā.
Ipſe ſanè in hanc requiem ſemel introiuit per ſuum pro-
prium ſanguinem: & in ſancta, æterna redemptione inuen
ta. Nobis quoque fiduciam introeundi per hunc ſangui-
nem contulit: dicente apoſtolo. Habentes itaque fidu-
ciam fratres in introitu ſanctorum: per ſanguinem Chri-
ſti.

Porrò in prima orationum, poſt ſumptam communio-
nem petit ſacerdos quod ipſius ſumpti ſacramenti virtus
adhæreat, immaneátque viſceribus eius: non quidem cor-
poralibus

poralibus ſed ſpiritualibus ipſius animæ, quæ ſunt memoria intellectus & voluntas, tres eius vires natiuæ, in quib^9 elucet ſummæ trinitatis & vnius deitatis imago. Sunt enim virtutes illæ naturales, intimæ ipſi animæ: ſicut viſcera materialia ſunt intima corpori. Neque abſurda videri debet hæc viſcerum acceptio pro internis animæ noſtræ potentiis, quoniam ea in ſacris literis frequens eſt, vt in pſalmo, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Et in cantico Zachariæ. Per viſcera miſericordiæ dei noſtri: in quib^9 *Pſal. 50.*
viſitauit nos oriens ex alto. Et Paulus ad Philippenſes ſcribens ait, quomodo cupiam omnes vos eſſe in viſceribus Ieſu Christi. Et permultis aliis in locis: vbi tantum de viſceribus ſpiritualibus fit ſermo. Poſtulat autem miſſam celebrans ipſum quod ſumpſit ſacramentum adhærere ſuis viſceribus: non quidem ſecundum ſubſtantiam & rei adhærentiam, quemadmodum cibus ſenſibilis adhæret ſtomacho, ſed ſecundum virtutem & efficaciam: per quam memoria intellectualis iugem habeat diuinorum beneficiorum cæleſtiúmque bonorum recordationem, intellectus, rectam eorum quæ credenda ſunt & agenda cognitionem voluntas verò: promptam & ardentem bonorum & deo placentium operum proſecutionem. Neque id quidem in tranſitu & perfunctorie: ſed permanenter & indeſinenter. Sicut enim non prodeſt cibus qui non immanet ſtomacho: ſed more fluidi liquoris pertranſit, nullo poſt ſe nutrimento relicto, ita nec proſunt ea quæ ſpiritualiter animã vegetant: ſi in tranſcurſu tantum & ſine diuturna adhæſioſione illi offeruntur & ingeruntur.

Luc. 1.
Phil. 1

83 ¶ Deinde expoſcit ſacerdos vt nulla in ipſo maneat ſcelerum macula peccatorúmque ante commiſſorum labes aut reatus, ſed ſi quid reliquum in ea fuerit ſordis: id totum efficacia huius toti ſacramenti abradatur. Deus enim ipſe qui ſumitur: ignis conſumens eſt omnem peccati ſcoriam exuréńſque ſpirituali & ſacro incendio omnes noxios humores vitiorum in anima. Ipſe itidem lux eſt clariſsima illuminans tenebras noſtras, & omnem iniquitatis caliginem infuſione ſui luminis effugans. Et id certè rationabile eſt & æquum, quòd locum in eo non habeat ſordes peccatorum, quem tam pura & ſancta refecerunt ſacramenta, refectione quidem non corporali ſed ſpirituali

per

per memoriæ ad beneficia dei recolenda promptiorem diſpoſitionem, mentis illuminationem & voluntatis ad bonum directionem. Nulla ſiquidem eſt participatio iuſtitiæ cum iniquitate: neque vlla ſocietas luci ad tenebras, nulla itidem eſt conuentio Chriſti ad Belial: neque conſenſus eſt templo dei cum idolis Ad hæc non eſt cum Philiſteis in phano Dagon ponenda arca domini: ne illorum exemplo ingrauata ſit ſuper nos manus dei. Neque cum Samaritanis colendus eſt deus Iſrael ſimul & idola: ne feroces in nos (vt in illos) immittantur beſtiæ ad noſtrum exterminium. Itaque poſtulandum nobis eſt aſsiduè, ne in anima noſtra ſuperſit aliqua ſcelerum macula: quam vitali alimonia refecerunt hæc ſanctiſsima ſacramenta.

2.Cor.6. 1.Reg.5. 4.Reg.17

Dicuntur autem numero multitudinis hic ſacramenta: licet vnum ſit ſacramentum vnitate integritatis & ordinis, tum propter diuerſitatem ſignorum: quoniam ſigna ſacramentalia, ſpecies ſcilicet & panis & vini (ſub quibus verum Chriſti corpus & verus ſanguis continetur) ſunt re ipſa diuerſa, ſunt enim aliæ & diuerſæ ſpecies panis & aliæ vini, tum propter diuerſitatem contentorum immediatorum & præcipuorum, quandoquidem ſacrum Chriſti corpus aliud eſt reique ſubſtantia differens à ſanguine: & ſanguis eius à corpore. Attendendo autem idipſum quod conſequenter & concomitatione quadam ſub hiſce ſpeciebus integrè continetur: vnum ſæpenumero dicitur ſacramentum, quia vt canit eccleſia: caro cibus, ſanguis potus, manet tamen CHRISTVS totus ſub vtraque ſpecie.

In ſecunda verò oratione poſt perceptionem ſacramenti petit ſacerdos, vt ſacrum hoc myſterium quod ſub venerandis ſignis corporaliter eſt ſumptum: ſpiritualiter etiam ſumatur, & cum debita puritate mentis: ipſius ſacramenti fructus & virtus percipiatur, quoniam nihil prodeſt quinimmò plurimum obeſt ſumptio ſacramentalis: niſi eidem coniuncta ſit perceptio ſpiritualis: & gratiæ illius participatio. Secundo poſtulat idem vt de hoc munere temporali, participatione ſcilicet ſacrorum myſteriorum viſibilibus ſignis: ad tempus & pro vitæ huius curriculo data(non enim in altera vita erit vſus huius ſacramenti: vbi poſito omni velamine ſignorum videbimus

Chriſtum ſicuti eſt, quemadmodum poſt introitum filiorum Iſrael in terram Chanaam ipſis repromiſſam defecit illis manna: quod quadraginta annos in deſerto eos aluerat) fiat illi & omnibus ſumentibus & ore & ſpiritu: remedium ſempiternum contra vitia & tentationes, vt hoc cibo & potu confortati non excidamus vnquam virtute: ſed perducamur ad vitam æternam. ſecundum illud domini promiſſum. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. *Ioſu. 5.*

84 ¶ Deinceps poſt completas orationes commuonioni & ablutioni ſubiungi ſolitas, & poſtremam populi ſalutationem, denunciat ſacerdos ſiue diaconus expletum eſſe altaris ſacrificium, his verbis. Ite: miſſa eſt, id eſt diſcedite hinc & veſtras quiſque redite domos, quia miſſæ officium & preces pro vobis fundendæ ſunt finitæ. Vbi miſſa non intelligi debet eſſe participium præteriti temporis, cum nullum habeat ſubſtantiuum cui cohæreat, & non ſoleat in oratione Latina adiectiuum referri ad ſubſtantiuum ſubauditum, ſed primæ inflexionis nomen eſt ſubſtantiuum, ſignificans (ſicut in libri huius exordio dictum eſt) ipſum altaris miniſterium ſacrificiúmque & officium conficiendæ euchariſtiæ. Intelligatur autem ad completiorem ſenſum habendum in ſecunda orationis particula, completa ſiue perfecta, vt ſenſus ſit. Ite nunc ad veſtra habitacula: quoniam miſſa eſt conſummata ſiue finita. Cæterùm dicitur hæc miſſæ concluſio in diebus feſtis & officiis ſolennibus: cum in matutino eiuſdem diei officio canitur canticum. Te deum laudamus, te dominum confitemur. Te æternum patrem omnis terra veneratur. Tibi omnes angeli, tibi cæli & vniuerſę poteſtates, Tibi cherubin, & ſeraphin inceſſabili voce proclamant. Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus deus ſabaoth. Pleni ſunt cæli & terra maieſtatis gloriæ tuæ. & in officio miſſæ profertur hymnus angelicus. Gloria in excelſis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. In aliis verò diebus vt ieiuniorum & non ſolennibus, in quibus ſupradicta cantica prætermittuntur, ſacerdos miſſam hoc fine terminat. Benedicamus domino, quo & omnes horæ canonicæ concluduntur, ad ſignificandum quòd in cuiuſque operis fine deum omnis boni authorem laudare debe- *Ioan. 6.*

debemus. At verò ad vtramque dictarum concluſionũ reſpondet chorus, aut miniſter pro populo, deo gratias, id eſt
Luc.18 ipſi dicamus agam'q; gratias de miſſę cõſummatione & ſacrorũ myſteriorũ cõpletione, ne merito nobis impingatur & exprobetur ingratitudo, vereq; de aliquo noſtru id dicatur. Non eſt inuentus qui rediret & daret gloriam deo. Eſt enim gratiarum actio, cùm in cæteris à deo perceptis bonis, tum in hoc excellentiſsimo domo ſacrificij ſalutaris: apprime neceſſaria, & nequaquam prætermittenda.

In miſſa autem pro defunctis celebrata dicitur hæc concluſio. Requieſcant in pace, vt finis huius miſſæ reſpondeat principio: in quo eis æterna requies poſtulatur. Quoniam enim totum illud officium peculiariter ordinatur pro requie defunctis impetranda, ideo ipſis placida requies poſtulatur in miſſæ principio, medio, & in fine. Et hic reſpondet pro populo chorus aut miniſter: Amen, id eſt fiat quod petitur, piáque noſtra deſideria compleantur.

85 ¶ Demùm abeuntem populum benedicit ſacerdos, aut
Pſal.66 ea quæ in litera poſita eſt, aut alia quauis benedictione, ſecundum ſuæ eccleſiæ ritum. Ea quidem benedictio quam habet litera, & ipſius deitatis unitatem exprimit, cum nominatur in ipſa, diuina maieſtas & vna deitas, & diuinarum etiam perſonarum trinitatem, cum nominatim illę ſuo ordine ſubnectuntur, quemadmodum & in pſalmo propheta diuinam nobis imprecans benedictionem, idem myſterium vnitatis ipſius dei & trinitatis perſonarum ſubinſinuauit dicens. Benedicat nos deus deus noſter, benedicat nos deus, & metuant eum omnes fines terræ. Sanè hic benedi-
Gen.49 cendi ritus ex veteri teſtamento ſuam ſumpſit originem, in quo legitur Iacob moriturus ſingulis filiorum ſuorum benedixiſſe. Et Moyſes itidem morti propinquus, ſingulis
Deut.33. tribubus filiorum Iſrael benedictionem dediſſe ſcribitur.
Leui.9. Inſuper Moyſes & Aaron (vt habet Leuiticus) expletis ſa-
Num.6. crificiis & holocauſtis intrauerũt tabernaculum teſtimonij & deinde egreſsi benedixerunt populum. Quinimmò & benedictionis faciendæ formam dominus expreſsit, cum dixit Moyſi. Loquere Aaron & filiis ei⁹. Sic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis. Benedicat tibi dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui,

Con-

Conuertat dominus vultum ſuum ad te:& det tibi pacem. Inuocabúntque nomen meum ſuper filios Iſrael:& egobe nedicam eis. Quibus poſtremis verbis :dominus innuit ſe principalem benedictionis authorem & datorem, ſacerdotes autem tantum eſſe miniſtros ipſius benedictionis: quorum officio & miniſterio dominus populo ſuo benedictionem elargitur. Et ergo ſacerdos ipſam benedictionis formam pronuncians: optando loquitur, exoptans vt dominus populum benedicat & cuſtodiat. Sic & Salomon oblatis victimis in dedicatione templi: benedixit populo. Et ꝙ 3. Reg. 8. omnium eſt potiſsimum exemplum, dominus noſter Ieſus Chriſtus, rex ſimul & ſacerdos aſcenſurus in cælum diſcipulis benedixit: vt ſcribit Lucas in fine ſui euangelij. Ele- Luc. 24. uatis (inquit) manibus: benedixit eis. & factum eſt dum be nediceret illis: receſsit ab eis & ferebatur in cælum.

86 ¶ Poſtremum ſacerdos expleta benedictione ad populum: ſummæ trinitatis inuocat maieſtatem (à qua benedictionem dari populo poſtulauit) ea ratione quæ in calce literæ poſita eſt. In qua primùm petit quòd obſequium ſuę ſeruitutis, ſcilicet ipſius gradus ſacerdotalis quo fungitur vt miniſterium altaris in offerendo hoc ſacrificio exequatur: placeat ipſi ſanctæ trinitati, non tam ex offerentis deuotione quàm eius cui fit oblatio dignatione, qua deꝰ ipſe benigniſsimus pro immenſitate ſuæ bonitatis dignatur etiam illa acceptare: quæ ex offerentium conditione minꝰ digna ſunt vt acceptentur Ita ſanè condeſcendit ipſa diuina benignitas noſtræ infirmitati: vt quæ pro tenuitate noſtra offerimus & ſi nequaquam talia ſint quæ eius debentur maieſtati: illa tamen ex beneplacito ſuo grata habet & accepta. Huiuſmodi igitur condeſcenſionem & acceptionē dei circa id obſequium iam in officio altaris exhibitum: expoſtulat ipſe ſacerdos. Deinde ſuplex orat quòd hoc ſacrificium, diuinæ maieſtatis oculis oblatum ſit illi acceptabile, non ſolum ex parte oblati muneris quod nunquam ipſi diſplicere poteſt: verumetiam ex parte offerentis, vt quantulacunque eius deuotio acceptetur à deo. Sit etiam idem ſacrificium, & ipſi offerenti & omnibus Chriſtianis tam viuis quàm defunctis pro quibus illud obtulit, propitiabile, vtile & ſalutare: ad diluenda peccata & conſequen dam gratiam. Et quo facilius exaudiatur ſacerdos: hæc ſu-

pradicta depoſcit ſibi præſtari non ex ſuis meritis & operibus iuſtitiæ quæ fecerit, ſed ex diuinæ miſericordiæ magnitudine & miſeratrice eius bonitate. Similiter eadem petit ſibi indulgeri per Chriſtum dominum noſtrum in cuius nomine quicquid petere volumus eſt poſtulandū, & quicquid poſtulatum fuerit haud dubiè vt promiſit impetrabitur. Cui pro expleta expoſitione familiari ipſius ſacri canonis, & huius tertij libri abſolutione: ſit laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum.

Amen.

TERTII LIBRI ELVCIDAtorij eccleſiaſtici,

Finis.

ELVCIDATORII ECCLESIASTICI LIBER quartus: Proſas in officio miſſæ dicendas explanans.

In aduentu domini : proſa.

SAlus æterna,indeficiens mundi uita.
Lux ſempiterna,& redemptio uere no-
ſtra. 2 Condolens humana perire ſecla
pertentantis numina. 3 Non linquens
excelſa,adiſti ima:propria clementia.
4 Mox tua ſpontanea gratia,aſſumens
humana:quæ fuerant perdita omnia ſaluaſti terrea, ferẽs
mundo gaudia.
5 Tu animas & corpora noſtra Chriſte expia: ut poſſi-
deas lucida noſmet habitacula. Aduentu primo iuſtifica:
in ſecundo nos libera.
6 Vt cum facta luce magna,iudicabis omnia,compti ſto
la incorrupta,noſmet tua ſubſequamur ueſtigia quocun-
que uiſa.

¶In hoc quarto libro (vt inſtituimus) proſas eccleſiaſticas familiari explanatione declaraturi : primùm quid proſæ nomen ſignet deſcribere operæprecium duximus. Sanè proſa ſecundum generalem & communem ſuam rationem dicitur oratio ſoluta : quæ ſcilicet lege carminis & certo pedum numero non conſtringitur , ſed liberis vagatur habenis. Et oppoſitam prorſus ad orationem metricam habet naturam & conditionem: vt probati authores ſoleãt orationẽ Latinã in carmẽ & proſam tãquam duo mẽbra inter ſe diuerſa diſſecare, quorũ diſcrimẽ & differẽtia hoc metro nõ ignobili explicata traditur. Legibꝰ arctatur metrũ: ſed proſa vagatur. At verò hoc loco nomẽ pſæ

ex loquendi conſuetudine & vſu (quem penes arbitriũ eſt & ius & norma loquendi: vt ait Horatius) non generatim pro quauis oratione ſoluta ſumitur, ſed ea dũtaxat quę diuinam continet laudem, præconiáq; dei, ſacroſanctæ virginis aut cuiuſquam ſanctorum expromit: & in miſſæ officio ante euangelium cantari ſolet, quam nonnulli vocabulo vt reor barbaro ſequentiam vocãt: cum non ſit hæc dictio in vſu Latinorum recepta quãtum nouerim. Quòd ſi mihi adducant: ante pronunciationem euangeliorum in ſacrificio miſſæ hoc exordium pręmitti ſolere. Sequentia ſancti euangelij ſecundũ Matthæum, aut alium quemuis euangeliſtarum, vt cognoſcant auditores ex quo euangeliſta deſumptum eſt hoc quod profertur euangelium: & proinde contendant ſequentiæ nomen non eſſe repudiandum. Nouerint illi, id nomen ſequentia in huiuſmodi oratione non eſſe primæ inflexionis ſubſtantiuum nomẽ & ſingulare: vt putant, ſed plurale tertiæ declinationis & participium pręſentis temporis, in neutro genere ibidem poſitũ cuius ſingulare eſt, ſequens, tis, vt hic habeatur ſenſus. Sequentia verba aut dicta ſancti euangelij, ſunt ſecundum Matthæũ. Quare idipſum non aſtipulatur eorum ſententiæ. Cæterũ proſa eccleſiaſtica ſecundum ſpecialem rationẽ modo explicatam ſumpta, duplex inuenitur. Quædã rythmica, quæ certum numerum ſyllabarum in vnaquaque clauſula, & in fine conſimilem exitum duarum poſtremarum ſyllabarum cum aliis clauſulis ſeruat. Rythmus enim apud Græcos, numerum & ordinem ſignat: eum præſertim qui oratione ſeruatur ſecundum certam ſyllabarũ quantitatẽ & harmonicam rationem. Vnde vulgò rythmica dicitur oratio, quæ determinato ſyllabarum numero & certa terminaliũ ſyllabarum conſonantia coercetur. Alia verò nõ rythmica, quę nec determinato clauditur ſyllabarũ numero. neque cõſonantiam in exitu certã obſeruat. Et hæc liberior eſt atque laxior altera, vt poſterius dicenda clarius oſtendent. Nam quæ primo loco hic dilucidanda proponitur, nõ rythmica eſt, ſecunda verò rythmica. Porrò in fronte ipſa hic conſtituta proſa, & iam in litera adducta, cantatur in aduentu domini, deuotãq; & piã continet inuocationẽ populi Chriſtiani ad filiũ dei, ad quẽ totius proſæ verba omnia dirigũtur. Eius præſertim magna hic cõmendatur mĩa, qua humanũ

genus

genus fraude antiqui ſerpentis damnatum miſeratus, humanam ſuſcepit naturam ad eius redemptionem. Demùm humilis illi fit ſupplicatio, vt cùm ad iudicandum orbem terrarum venerit, nos ſua benignitate ſaluet, & in electorum ſorte conſtituat.

1 ❡ANNOTATIONES. In ipſius proſæ initio. Salus æterna. His quatuor nominibus hoc loco expreſsis, ſalus, vita, lux, redemptio, dei filius in ſacra ſcriptura nominatus legitur. Salus, apud Eſaiam pater ad filium. Dedi te in lucẽ gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremũ terræ. Et apud Ioannem Salus ex Iudæis eſt. Vita. Apud Ioannem Chriſtus. Ego ſum via, veritas & vita. Et iterum. Ego ſum reſurrectio & vita. Lux, apud Ioannem. Erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et iterum dominus de ſeipſo, Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Redemptio. Paulus ad Corinthios. Ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio.

Eſa. 49. Ioan. 4. Ioan. 14. Ioan. 11. Ioan. 1. Ioan. 8. 1. Cor. 1.

2 ❡Humana perire ſecla. Hic ſecula humana vocat author genus humanum, & per totam temporum ſucceſsionem hominum propaginem. Nam ſeculum, tẽporalis decurſus atque ſpacij nomen, pro iis quæ in tempore ſunt illiúſque reuolutione trahuntur plęrumque ſumitur. Numina verò tentãtis appellat ipſam dæmonis vim atque in tentando potentiam, quæ ſecundum rei veritatem nomine ipſius numinis eſt indigna, quãdoquidem ea dictio diuinam maieſtatem propriè ſignat. Quoniam tamen ipſe dæmon dei appellationem & cultum ſibi vendicabat, ſicut in ſcriptura deus huius ſeculi dicitur, ita & numinis nuncupatio illi tranſlatitiè conuenit. Rectè item tentantis nomine, dæmon hic ſignatur, quoniam ipſius proprium eſt tentare, malúmque ſuggererę. Vnde & in euangelio tentator dicitur. Et de eo Paulus loquens ait, ne fortè tentauerit vos is qui tentat.

2. Cor. 4. Mat. 4. 2. Theſſ. 3.

3 ❡Non linquens excelſa. Dei filius cùm deſcendit de cælis aſſumpturus humanam carnem minime cælos reliquit, nam indiuidua eſt impermutabiliſque diuinitas, & per omnia ac in omnibus ineffabiliter præſens. Vnde ipſe in terra poſitus ait. Nemo aſcendit in cælum niſi qui de cę-

lo deſcendit: filius hominis qui eſt in cælo. Et ad Philippũ
ait. Neſcis quia ego in patre: & pater in me eſt? Adiit autẽ
Ioan.3. dei filius ima, propria clementia. Nam vt ait Paulus: non
Ioan.14. ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſe-
Titum.3 ricordiam ſuam ſaluos nos fecit.

4 ¶ Omnia ſaluaſti terrea Id eſt totum genus humanum: quod ex limo terræ ſecundum primam ſuam originem & in primo parente formatum eſt. Non enim quiſquam tam craſſo & pingui eſt ingenio, vt hac oratione ſignificari putet & bruta animalia eſſe ſaluata: cum non ſint ſalutis ſicut neque præuaricationis capacia. Cum enim terræ aut orbis terrarum nomine ſæpius in ſcriptura ſignificetur homo: cōgruè itidem & per terrea ſiue terrena idem exprimitur.
Quòd autem Chriſtus ſuo primo aduentu gaudia mundo attulerit, atteſtatur angelus, natiuitatis eius ad paſtores nuncius, ecce euãgelizo (inquit) vobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus eſt hodie ſaluator mundi.

5 ¶ Vt poſsideas lucida noſmet habitacula. Nempe Paulus de nobis dicit. Templum enim dei ſanctũ eſt: quod eſtis vos. Et iterum. Vos eſtis templum dei viui. Quod nequis ſecundum animam ſolum dictum intelligat: ſubiungit eo-
Luc.2. dem loco. Neſcitis quòd corpora veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti: qui habitat in vobis, quem habetis à deo? glorificate & portate deum in corpore veſtro.

6 ¶ Vt cum facta luce magna. Qua ſcilicet illuminabuntur abſcondita tenebrarum & manifeſtabuntur occulta
1.Cor.3. cordium. Nonne magna erit lux illa, qua nihil tunc tam
1.Cor.6. occultum eſt: quod tunc non reueletur? Aut lucem magnã
1.Cor.4. vocat author, claritatem illam iudicis: qua cunctis manifeſtus apparebit quando veniet in nubibus cæli cum poteſtate magna & maieſtate. Non enim erit illa numeroſa ange-
Mat.10 lorũ quibus veniet comitatus turba non illa maieſtas dei-
Mat.25. tatis: ſine eximia claritate. Demùm cum petit author, quòd nos adornati ſtola immortalitatis ſequamur in cælo Chriſti veſtigia quocunque in loco ſint viſa: alludere videtur
Apoc.14. ad illud quod in Apocalypſi ſcribitur de ſanctis & electis dei, quòd ſequuntur agnum quocunque ierit. Verũ vtrunque dictum eſt ſpiritualiter accipiendum, non quidem de progreſsione quę pedum fit officio, & de vno loco in aliũ corpo-

corporali traductione: ſed de intimi affectus in deũ tẽdentia & aſsidua eius contemplatione, quæ ſemper beatis aderit, ipſorúmque corda iugiter in deum intendet.

In aduentu domini: de beata uirgine.

MIttit ad uirginem
Nõ quẽuis angelũ
Sed fortitudinem
Suum archangelum
Amator hominis.
2 *Fortem expediat*
Pro nobis nuncium:
Naturæ faciat
Vt præiudicium
In partu uirginis.
3 *Naturam ſuperet*
Natus rex gloriæ:
Regnet & imperet,
Et zima ſcoriæ
Tollat de medio.
4 *Superbientium*
Terat faſtigia:
Colla ſublimium
Calcet ui propria
Potens in prælio.
5 *Foras eiiciat*
Mundanum principem:
Secumq́; faciat
Matrem participem
Patris imperii.
6 *Exi qui mitteris*
Hæc dona dicere:
Reuela ueteris
Velamen literæ
Virtute nuncij.
7 *Accede, nuncia:*
Dic aue cominus.
Dic plena gratia:
Dic tecum dominus.
Et dic, ne timeas.
8 *Virgo ſuſcipias*
Dei depoſitum.
In quo perficias
Caſta propoſitum,
Et uotum teneas.
9 *Audit & ſuſcipit*
Puella nuncium:
Credit & concipit,
Et parit filium:
Sed admirabilem.
10 *Conſiliarium*
Humani generis:
Deum & hominem
Et patrem poſteris:
In pace ſtabilem.
11 *Cuius ſtabilitas*
Nos reddat ſtabiles
Ne nos labilitas
Humana labiles
Secum præcipitet.
12 *Sed dator ueniæ*

Conceſſa venia,
Per matrem gratiæ
Obtenta gratia:
In nobis habitet.
13 *Natura premitur*
In partu vriginis.
Rex regum naſcitur:
Vim celans numinis,
Sed rector ſuperum.
14 *Qui nobis tribuat*
Peccati veniam
Reatus deleat,
Donet & patriam
In arce ſyderum, Amen.

¶ Hæc proſa, lege rythmica eleganter & venuſtè eſt cõpoſita. Continet enim quiſque verſuum quinq; clauſulas rythmicas: quamque ſex ſyllabarum & penultima ſyllaba breui compactam. Earum prima ad tertiam, & ſecunda ad quartam eiuſdem verſus, habet mutuum reſpoſum: in ſimili exitu atque deſinentia. Quinta verò clauſula vnius verſus quæ & poſtrema, reſpondet quintæ clauſulæ & vltimæ proximè ſequentis verſus in conſimili cadentia.

Author eius fuiſſe dicitur Petrus Abaclardus: vir ſua tempeſtate virtutis & doctrinæ ſplẽdore ac gloria inſignis Et certe modulationis huius elegantia ac gratia: facile prodit eum omnifariæ eruditionis fuiſſe pleniſsimũ. Deſcribitur in ea, annuntiatio conceptus filij dei ad ſacroſanctam virginem per angelum facta: quam & beatus Lucas in ſui euangelij principio enarrat. Verùm ibi nuda cõtexitur & aperta tam ſacræ rei hiſtoria. Hic verò pulcherrimis depicta coloribus, metaphoricis adornata locutionibus & allegoricis ſententiis adumbrata: eadem luculentiſsime exprimitur. vt nec veritas deſit elegantia verborũ: nec elegãtia veritati: nec ſentẽtiarũ copia ex diuerſis ſacrarũ literarũ locis deprompta deſideretur. Omnia enim hæc affatim hic congeſta cernuntur. vt ſequentes annotationes patefacient.

¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Sed fortitudinem ſuum archangelum. Gabrielem archangelum hoc loco ſubinſinuat author nomine fortitudinis. Nam Gabriel qui miſſus à deo legitur ad Mariam virginem: fortitudo interpretatur. vt atteſtatur venerabilis Beda in homilia euangelij præſens myſterium explicantis: his verbis. Raro legimus quòd aparentes hominibus angeli deſinentur ex nomine. Verũ quotieſcũq; id fit, ideo vtiq; fit vt etiã nomine

Lucæ 1

nomine ipſo quid miniſtraturi veniant inſinuent. Gabriel nãque: fortitudo dei dicitur. Et merito tali nomine præfulget, qui naſcituro in carne deo teſtimonium perhibet: de quo propheta in pſalmo. Dominus (inquit) fortis & potẽs dominus potens in prælio. Hæc ille. Et eadem ob cauſam in ſecundo verſuum eundem angelum vocat author fortem nuncium: quem expediri & in legationem mitti poſtulat. Amator autem hominis: deus dicitur & pater & filius & ſpiritus ſanctus, cum à tota trinitate facta ſit angeli ad virginem miſſio. De patre enim dicit dominus noſter in euangelio. Sic deus dilexit mundum, vt filium ſuũ vnigenitum daret. De filio verò Paulus ad Epheſios ſcribẽs ait. Ambulate in dilectione ſicut & Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis. Idem quoque de ſpiritu ſancto affirmare quis addubitauerit: cum ipſe peculiariter amor & charitas dicatur? quinimmo patris & filij & ſpiritus ſancti vnus & idem in homines eſt amor ſummus & immenſus. Ioan.3 Ephe.5

2 ❡ In ſecundo verſu. Naturæ faciat vt præiudicium. Virginis enim partus non ſecundũ naturæ leges eſt ac iura, ſed longe ſupra naturam: & diuina illa virtute cui nihil difficile eſt & impoſſibile, tantummodo factus. Et ergo in admirabili illo & ſacratiſſimo partu virgineo factũ eſt naturæ præiudicium: quoniam illud à deo inibi completum eſt, quod nunquam natura præſtare potuiſſet.

3 ❡ In tertio verſu. Et zima ſcoriæ tollat de medio. Zima, fermentum dicitur. Vnde azima: quod ſine fermento eſt. At nomine fermenti: peccatum ſæpenumerò in ſcriptura innuitur, vt apud Paulum. Expurgate vetus fermentum vt ſitis noua conſperſio: ſicut eſtis azimi. Et iterũ eodem loco. Non in fermento veteri: neque in fermẽto malitiæ neque nequitię, quare & zima hic pro peccato ſumitur. Scoria verò, metallorum eſt purgatio quaſi fex: ſicut ſpuma quæ ex ferueſcẽte materia tollitur. Vnde Plinius. Spurcitia in omni metallo: ſcoria nuncupatur. Et Eſaias ait. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam. Quoniam igitur ſcoria vile quiddam & abiectum eſt in comparatione ad id metallum cuius eſt excrementum ſiue purgamentũ: rectè etiam hic pro impuritate & immundicia peccati accipitur. Itaque zima ſcoriæ tollit natus rex gloriæ: quoniam 1.Cor.5 Eſa.1

niam totius mundi peccata tollit, delet & abſtergit. 4
ſal.23 ¶ In quarto verſu. Potens in prelio. Hac appellatione dominus noſter ſignificatur in pſalmo: cum ait. Quis eſt iſte
Lucæ 1 rex gloriæ? dominus fortis & potens: dominus potens in
Pſal.17 prælio. Et ipſe quidem contriuit faſtigia ſiue faſtú ſuper-
Eſaiæ 40 bientium: quoniam depoſuit potentes de ſede, & oculos
1. Corin. 1 ſuperborum humiliauit. Colla itidem ſublimium atque e-
Ioan.14 latorum calcauit vi propria, & dæmonum ſcilicet & hominum: quoniam ſecundum Eſaiæ vaticinium, omnis mons & collis humiliatus eſt in die illa aduentus ſui in carnem: & infirma mundi elegit deus vt fortia quæque cófundat.
5 ¶ In quinto verſu. Foras eiicias mundanum principem. Nomine mundani principis intelligitur hic diabolus, qui ſæpius in ſcriptura princeps huius mundi dicitur, quòd totum genus humanum ſuæ tyrannicæ ſubiacerit poteſtati, aut quòd iis qui ſecularia ſectantur deſideria principetur
Ioan. 12 & tanquam dominus præſideat. Is autem per aduentum Chriſti eiect' eſt foras: quoniam dominatu in genus hu-
Lucæ 11 manum quem ſubdolè occupauerat expulſus eſt. quemadmodum domin' noſter in euangelio futurum dixit per ſuam paſsionem: cum ait. Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps mūdi huius eiicietur foras. Et alio in loco. Cum
Lucæ 2 fortis armatus cuſtodit atrium ſuum: in pace ſunt ea quæ poſsidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum: vniuerſa arma eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Porrò imperium patris ipſius Chriſti: illud eſt de quo angelus ad ſacroſanctam virginem ait. Et dabit ei dominus deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Cuius quidem imperij & matrem fecit participem, ratione aſſumptæ ex ea noſtræ ſubſtantiæ. Nam & ipſa: regina mū di conſtituta eſt, cælique & terræ domina, idem cum filio ſceptrum moderās. 6 ¶ In ſexto verſu. Exi qui mitteris. Verba hæc ſunt populi fidelis ad archāgelum Gabrielem: adhortantis eum vt cito exequatur iniunctam ſibi à deo legationem. cælo ſcilicet exeat & virginem accedat. Verbum autem dicere, ibi infinitiuum eſt à dico: & cum mitteris paſsiuo verbo ponitur, ſicut & in hoc carmine apud Ouidium. Omnia namque tuo ſenior te quærere miſſo Retulerat nato. Neſtor: & ille mihi. vt ſententia ſit huiuſ-
modi:

modi. O Gabriel egredere cælis, qui mitteris ad dicendũ & explicandum hæc dona ſupradicta: humano generi indulgẽda per incarnationem filij dei. Et melior eſt aptiórque hic ſenſus: quàm ſiquis diſſere legat imperatiuũ verbum & actiuum à diſſero, is, vt nonnulli habent libri. At verò velamen veteris literæ: eſt veteris teſtamenti vmbra & figura, illa occultans myſteria ſignis typicis quæ in nouo teſtamento clare ſunt exhibita, quare per noui teſtamenti gratiam: veteris literæ velamen amotum eſt & ablatum. Angelus autem Gabriel annunciat ſacræ virgini gratiam & veritatem per Ieſum Chriſtum in lege euangelica faciendam. Et ergo virtute nuncij, reique nunciatæ: reuelaſſe dicitur velamen veteris literæ.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Dic aue cominus. Totus hic verſus etiam fidelis populi verba continet: quibus angelũ incitat vt properè ſanctam accedat virginem, eique propinquus impendat honoratiſſimam hanc ſalutationem. Aue gratia plena, dominus tecum, conturbatæque virgini modeſtiſsimæ in ſermone eius: timorem omnem ſuſtollat dicens. Ne timeas Maria: inueniſti enim gratiam apud dominum. Cominus autem aduerbium, prope ſignificat: cũ aliquid alteri eſt proximum. Virgilius. Pugnatur cominus armis. *Luc. 1* 8 ¶ In octauo verſu. Virgo ſuſcipias dei depoſitum. Hæc verba ſunt angeli: quæ exhortatiõe fidelis populi etiam dicere habeat ad virginem, referuntúrque ſimiliter od verbum dic, in præcedente verſu poſitum. Vocat autem hic depoſitum dei: quod deus ſacratiſſimæ virgini committere & cuſtodiendum tradere inſtituit, vnicũ ſcilicet dei filium in vtero eius humanam ſubſtantiam ſuſcepturum. In quo tamen incarnationem myſterio: ipſa perfecit propoſitum caſtitatis, & nõ cognoſcendi virum, nam ad hoc admirabile opus explendũ: ſpiritu ſancto fœcundata eſt, votúmq; virginitatis ſuæ deo conſecratæ tenuit. Nẽpe ex conceptu filij dei: neque propoſitũ illud neque votum violatum eſt. 9 ¶ In nono verſu. Suſcipit puella nuncium. Nuncius hoc loco, & pro nunciante ſumi poteſt & pro re annunciata. Vtrumque enim audiuit & ſuſcepit beata virgo: & angelum ſcilicet nunciantem venerata: & id quod nunciabatur amplexata, per hæc verba conſenſum eius exprimentia. Ecce ancilla domini: fiat mihi

ſecundum

ſecundum verbum tuum. In ſexto verò verſu antè explicato: potius pro re nunciata ſumi debere videtur quàm pro non nunciante.

10 ¶ In decimo verſu. Conſiliarium humani generis. Hæc nomina ſimul cum eo quod in fine præcedentis verſus ponitur: ſumpta ſunt ex Eſaia, ita pronunciante ortum
Eſa. 9 filij dei ex virgine. Paruulus natus eſt nobis: & filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerũ eius. Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, deus fortis, pater futuri ſeculi: princeps pacis. Hęc omnia quinque pueri nomina ab Eſaia expreſſa: hoc loco eodem ordine illi attribuuntur. Vnde admirabilis nominatur, quia ſimul deus & homo, quod inauditum eſt & mirabile in oculis noſtris. Conſiliarius: quia magni conſilij angelus ſecundum ſeptuaginta interpretes dicitur, ſuóque occulto conſilio genus humanum à damnatione eripuit. Dicitur & deus fortis (loco cuius nominis author hic eum vocat deum & hominem: propter rythmi decentiam atque exigentiam) quia omnium creator eſt & gubernator: eiúſque poteſtati reſiſtere nemo poteſt. Pater futuri ſeculi ſiue pater poſteris deinde nominatur, quia populi ſub euangelica lege regenerati, ipſe ſalutis & ſpiritualis natiuitatis eſt author. Denique vocatur princeps pacis ſiue in pace ſtabilis, quia ipſe eſt pax noſtra qui fecit vtraque vnũ, recó-
Ephe. 2 ciliauitque nos deo & angelis. De quo ſubiungit eodẽ lo-
Eſaie. 9 co propheta. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non
Pſal. 71 erit finis. Quod & pſalmus confirmat dicens. Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur luna.

13 ¶ In decimotertio verſu. Natura præmitur in partu virginis. Quoniam id ſupra naturæ vires & legem, quòd virgo pariat filium & ſuæ virginitatis non patiatur detrimentum. Et ergo in eo partu vim & violentiam quodam modo paſſa eſt natura, & in ſęcundo præſentis proſæ verſu etiam deus dicitur ipſi naturæ feciſſe præiudiciũ in eodem partu. Quòd autẽ puer ipſe qui ex virgine naſcitur, rex regum ſit & dominus dominantium, rectórque ſuperum, quatenus deus, omnino planum eſt nec indigens aliqua teſtimonij luce. Dicitur autẽ ipſe rex, celaſſe vim numinis, quoniam ſuæ diuinitatis poteſtatem occultauit tegmine

gmine humanæ fragilitatis. More enim aliorum infantiū, vagiit, faſciis alligatus eſt, materna ſuxit vbera, & alia humanæ infirmitatis opera infantili ætati congrua vt verus homo vere exercuit. Sub illis autem occultauit maieſtatem ſuæ deitatis vſque ad tempus illud, quo admirabili ſignorum ſplēdore & verborū ſimul ac operum teſtimonio eam mundo prodidit. Non tamen defuerūt in ipſa etiam natiuitatis hora, ſuæ deitatis indicia, vt virginis partus, qui ſolum deum decuit, angelorum miniſterium, paſtoribus natum Chriſtum annunciantium, ſtellæ nouæ in cælo fulgentis obſequium, quæ magos, duxit ad eius incunabula, & alia plæraque.

1 *In natiuitate domini: ad primam miſſam.*

NAto canunt omnia domino pie agmina. Syllabatim pneumata perſtringendo organica. Hæc dies ſacrata: in qua noua ſunt gaudia mundo piè edita. 2 *Hac nocte, præcelſa intonuit & gloria: in uoce angelica. Fulſerunt & immania nocte media paſtoribus lumina. Dum fouent ſua pecora: ſubito diua percipiunt monita.* 3 *Natus alma uirgine: qui extat ante ſecula. Eſt immenſa in cælo gloria: pax & in terra.*
4 *Hinc ergo cæli caterua altiſſime iubila.*
Et tanto canore tremat alta poli machina: ſonet ut per omnia, hac in die gloria uoce clara reddita. 5 *Humana concrepent cuncta natum deum in terra. Confracta ſunt imperia hoſtis crudeliſſima. Pax in terra reddita, nunc lætentur omnia nati per exordia. Solus qui intuetur omnia, ſolus & qui condidit omnia ipſe ſua pietate ſaluet omnia regna. Amen.*

Hæc proſa nullam rythmicæ conſonantiæ legem obſeruat, neque in certo ſyllabarum numero neque in conſimili clauſularum exitu. Quamuis enim aliquæ ſententiæ interdum in eandem cadant terminalem conſonantiā, id tamen neque vniformiter fit neque determinata definitáque

nitáque regula. In ea deſcribitur gaudium dominicæ natiuitatis ab angelo nunciatum paſtoribus & cæleſti cantico declaratum, vt beatus Lucas in ſecundo ſui euangelij capite narrat, ex quo ferè tota huius proſæ ſententia euaſuadit peruia & captu facilis. Incitatur inſuper hic totum genus humanum ad ſpiritualem lætitiam in domino habendam, propter ampliſſima bona, illi ex natiuitate domini ſecundum carnem præſtita ac indulta.

¶ ANNOTATIONES. Syllabatim pneumata. Syllaba dicitur comprehenſio literarum vna prolatione efformatarum, aut vnius vocalis enunciatio, vt dictio pater habet duas ſyllabas, & vocalis ô in dictione ouis vnam conſtituit ſyllabam. Inde ſyllabatim aduerbiũ, ſignificat per ſyllabas. Auguſtinus. Et ſyllabatim per tranſitorias temporũ morulas humanæ linguæ vocibus loqueretur. Pneuma verò, atis, tertiæ inflexionis nomen & Græcam habẽs originem: eſt ſpiritus ſiue flatus. Vnde pneumata organica, dicuntur cantus qui organorum miniſterio fiunt, nam ſpiritu & flatu indigẽt. Inde pneumaticus, a, um, quod ſpirituale eſt & flatu dirigitur, vt Plinius organa vocat pneumatica. Et ſicut Latini tertiam ſummæ diuinitatis perſonã vtcunque humana voce exprimentes quę eſt ſuper omne nomen, ſpiritum vocant & flamem, ita & Græci eandem appellant pneuma, ad explicandú quoquo modo proceſſionis illius & emanationis ineffabilis modum à patre & filio, qui ſpiratio dicitur. Hoc verò loco: in priori illa & ꝓpria ſignificatione ſumitur. Debet autem ea dictio ſemper ſcribi per literam, p ipſi in principio præpoſitam. Nã hoc modo apud Græcos (à quibus Latini eam mutuantur dictionem) ſcribi dinoſcitur.

2 ¶ Et immania nocte media Immane, interdum crudele & ſæuum ſignificat. Inde immanitas ſæuitia. Cicero in officiis. Quo deteſtabilior illorum immanitas, qui lacerauerunt omni ſcelere patriam. Interdũ verò idem ſignat quod magnum & ingens. Virgilius in AEneide. Poſuitq́ immania templa. Et in hac ſecunda acceptione dicuntu hic immania lumina clara & conſpicua, quæ de cælo apparuerunt paſtoribus, cum vt ait euangelium, claritas dei circunfulſit illos.

Luc.2

3 ¶ Extat ante ſecula. Extat, exiſtit, & ſubſiſtit. Impropri

tamæ

tamen ponitur id verbum hoc loco, nam apud probatos authores potius extra apparere aut ſupereſſe ſignat, vt tranantis flumen bouis ſolum caput extat, id eſt extra, vndas apparet. Et non omnia Ciceronis volumina extant, id eſt ſuperſunt, nam iniuria temporum aliqua perierunt. Eſt autem Chriſtus ante ſecula, ſecundum diuinitaté. Nũc (inquit) clarifica me tu pater apud temetipſum, claritate quã habui priuſquam mundus fieret apud te. Et natus eſt alma virgine, ſecundum humanitatem. *Ioan.17*

4 ¶ Hinc ergo cæli caterua. Quod in principio generali nomine dixerat author, pia agmina, nunc ſpecialius explicat, inuitátque & angelicos ſpiritus hoc verſu, & omnes homines paulò pòſt ſequente verſu, ad cantica laudũ deo exoluenda. Soli enim inter creaturas angeli & homines, ꝙ ratione ſint præditi, agmina conſtituunt quæ Chriſto natu laudes perſonent & concinant.

5 ¶ Humana concrepent cuncta. Concrepare verbum, perſonare ſignificat: & neutrale eſt ſuapte natura. Terentius. Sed oſtium concrepuit. Interdum verò in vim tranſit verbi actiui, & concordi ſono ſimul laudare ſignat: accuſatiuúmque ſecum admittit, vt hoc in loco.

1 *In natiuitate domini: ad ſecundam miſſam.*

EIa recolamus laudibus piis digna. Huius diei carmina: in qua nobis lux oritur gratiſſima. Noctis interit nebula; pereunt noſtri criminis umbracula. Hodie ſæculo maris ſtella eſt enixa nouæ ſalutis gaudia.

2 *Quem tremunt barathra, mors cruenta pauet, ipſa à quo peribit mortua. Gemit capta peſtis antiqua: coluber liuidus perdit ſpolia.*

3 *Homo lapſus, ouis abducta: reuocatur ad æterna gaudia Gaudẽt in hac die agmina angelorum cæleſtia. Quia erat dragma decima perdita: & eſt inuenta.*

4 *O proles nimium beata: qua redempta eſt natura Deus qui creauit omnia: naſcitur ex fœmina.*

Mirabilis

5 *Mirabilis natura mirifice induta: aſſumens quod non erat, manens quod erat. Induitur natura diuinitas humana quis audiuit talia dic rogo facta? Quærere uenerat paſtor pius quod perierat.*

6 *Induit galeam: certat ut miles armatura. Proſtratus in ſua propria ruit hoſtis ſpicula. Auferuntur tela in quibus fidebat. Diuiſa ſunt illius ſpolia: capta præda ſua. Chriſti pugna fortiſsima: ſalus noſtra eſt uera. Qui nos ſuam ad patriam duxit poſt uictoriam. In qua ſibi laus eſt æterna: Amen.*

Hæc proſa nullam rythmicæ conſonantiæ normam tenet: ſed liberioribus vagatur habenis more aliarum orationum ſolutarum. In ea incitatur totum genus humanũ ad celebrãdas in hac ſolennitate laudes deo debitas, tum propter magnitudinem & ſublimitatem ſacramenti dominicæ incarnationis: qua deus & homo natus eſt matre virgine, tũ propter maxima & ſumma beneficia humano generi per hoc myſterium indulta: ſcilicet expulſionem hoſtis antiqui à mundo, & reductionem noſtri ad cæleſtia regna.

1 ℂ ANNOTATIONES. Nobis lux oritur gratiſſima. Lux illa, ſpiritualis eſt & mentes illuminans, ſcilicet
Ioan.1 Chriſtus dominus noſter, qui eſt lux vera, illuminans om-
Eſa.9 nem hominem venientem in hũc mundũ. De qua Eſaias.
Pſal.96 Ambulantibus in regione vmbræ mortis: lux orta eſt eis. Et pſalmus. Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia. Ita & nebula noctis hic intelligitur denſitas & caligo peccatorum noſtrorum: quæ ſunt opera tenebrarum. Vmbracula quoque noſtri criminis: ſunt opaca & obſcura noſtrarum iniquitatum, quæ nunc intereunt: quoniam nata eſt vera ſalus mundo, quæ omnem abſtergit peccati nubem, vmbram & tenebroſitatem.

2 ℂ Quem tremunt barathra. Barathrum, locus eſt immenſæ profunditatis & vorago: vnde quis emergere non poſsit. Quare pro inferno loco & perpetuo damnatorum
Sapi.2 ergaſtulo ſæpenumerò ſumitur, quoniam non eſt qui ag-
Iaco.2 nitus ſit reuerſus ab inferis. Itaque Chriſtum tremunt barathra,

rathra.id eſt tartara. Nā vt Iacobus ait: dæmones credunt & contremiſcunt. Sæua itidem & crudelis mors ſecunda pauet Chriſtum: quoniam ab ipſo deſtructa eſt & diſperdita, ſecundum illud prophetæ verbũ. Ero mors tua ô mors: & abſorpta eſt mors in victoria Chriſti, Rurſũ peſtis antiqua dicitur hoſtis antiquus, qui peſtilente veneno peccati infecit totum genus humanũ. Et is captus eſt à Chriſto: victúſque & ſuperatus per mortem ipſius. Deniq; idē coluber liuidus ſiue inuidus dicitur ſerpens: propter flexuoſos tentationũ ſinus & occultas inſidias quibus fraudem molitur. Perdit etiam ſpolia: quia naturam humanā prius tyrannico more detentam & à Chriſto liberatam amiſit, ſecundum illud prophetæ dictum de Chriſto. Morſus tuus ero inferne. Chriſtus enim illo fortior ſuperueniens ſecundum parabolam euangelicam: arma in quib⁹ fortis ille armatus confidebat abſtulit, & ſpolia eius diſtribuit. 3 ¶ Ouis abducta reuocatur. Alludit hic locus duplici parabolæ in euāgelio apud Lucam adductæ: ad oſtendendam miſeratricem dei benignitatem pro redimendis ac ſaluandis hominibus, vtpote de centeſima oue perdita, quæ diligentius à paſtore quæſita & demũ inuenta: humeriſque boni paſtoris impoſita ad caulam eſt reducta cum gaudio. Et de decima dragma prius amiſſa: quæ ingenti ſolicitudine perquiſita à muliere accendente lucernam & euertente totam domum, tandem reperta eſt. Sane per ouem illam centeſimam, & decimam dragmam antè perditam: ſignatur humanum genus fraude ſerpētis antiqui per tranſgreſſionem primorum parentum æternę damnationi obnoxium: ſed nunc per Chriſtum hominem factum, liberatum à perditione, inuentum ad conſequendam ſalutem, & ad cæleſtis regni gaudia perductum.

Oſee.13
1.Cor.15
Oſee.13
Luc.11
Luc.15

4 ¶ O proles nimium beata. Proles illa valde beata, Chriſtus eſt, per quem natura humana prius captiua, nũc eſt redempta Neque ferendi ſunt illi qui hunc locum ita legunt. O culpa nimium beata: qua redempta eſt natura. Qua enim fronte, quo ore, quo denique vultu auſit quis beatam dicere culpam Adæ: primorúmque parentum? cũ ipſa fuerit miſera, infœlix atque infauſta: neque ſolum ipſis authoribus, ſed & toti poſteritati damnoſa, exitialis & pernicioſa. Quomodo itidem quis vere dixerit, per cul

Et in huiuſmodi conflictu hoſtis noſter ruit in propria ſpicula: & ſuis (vt aiunt) telis eſt confoſſus. Nam humanã carnẽ in primis parentib⁹ fecerat ſibi ſpiculum & telum: quo proſtrauit totum genus humanum, & à ſacratiſsima Chriſti carne eiuſdem cum noſtra ſubſtantiæ, eſt transfixus. Demùm tela in quibus confidebat antiquus hoſtis: ſecundũ illud verbum domini de forti armato cuſtodiente atrium ſuum, & fortiore ſuperueniente, ex Luca iã ſuperius adductũ, cui hic locus reſpondet, ſunt ablata, quia poteſtas nocendi eius & infeſtandi homines & ligata per aduentum Chriſti. Spolia etiam eius ſunt diuiſa, captáque illius eſt præda: quoniam ſancti patres apud inferos ante detenti, ſunt erepti illius manibus & in cælos ſubuecti. Aſcendens enim Chriſtus in altum: captiuam duxit captiuitatem. Et hæc plane fuit fortiſſima Chriſti pugna: qua principem huius mundi eiecit foras, totúmque genus humanum in libertatem redegit, & ſuperas reuocauit ad auras. Ephe.4

1 *In natiuitate domini: ad ſecundam miſſam.*

LÆtabundus
Exultet fidelis chorus.
Halelu ia.
2 *Regem regum*
Intactæ profudit torus.
Res miranda.
3 *Angelus conſilij*
Natus eſt de uirgine:
Sol de ſtella.
4 *Sol occaſum neſciens:*
Stella ſemper rutilans
Semper clara
5 *Sicut ſydus radium:*
Profert uirgo filium
Pari forma.
6 *Neque ſydus radio:*
Neque uirgo filio
Fit corrupta.
7 *Cedrus alta Libani*
Conformatur hyſſopo:
Valle noſtra.
8 *Verbum ens altiſsimi*
Corporari paſſum eſt:
Carne ſumpta.
9 *Eſaias cecinit*
Synagoga meminit:

Nunquam tamen deſinit
Eſſe cæca.
10 *Sin non ſuis uatibus:*
Credat uel gentilibus
Sibyllinis uerſibus
Hæc prædicta.
11 *Infœlix propera*
Crede uel uetera:
Cur damnaberis gens miſera?
12 *Quem docet litera*
Natum conſidera:
Ipſum genuit puerpera.
Amen.

Hæc proſa, rythmica modulatione conſtituta eſt & cõtexta: nó tamen vbique vniformiter. Nam duo primi verſus mutuum habent adinuicem reſpóſum in ſuis clauſulis: ſinguli eorum ex tribus integrati. Harum primæ, quatuor duntaxat complectuntur ſyllabas: non tamẽ ſimilem ſortiuntur exitum terminalem & deſinẽtiam vocis. At verò ſecũda vtriuſque primorum duorum verſuum clauſula, octo completur ſyllabis: & vna alteri in conſimili cadentia ſoni reſpondet. Demùm tertia primi verſus clauſula, ad tertiam ſeccundi habet cõuenientiam: in quaternario ſyllabarũ numero, & ſimili vocalitatis exitu. In vnoquoque verò ſex verſuum duos primos ſequentium: conſtituuntur tres clauſulæ rythmycæ, quarũ duæ primæ diuiſim & ſingulę ſeptem ſunt ſyllabarum: & penultima earum breuis, tertia verò clauſula: quatuor eſt ſyllabarum, & penultima ipſarum longa. In nono autem & decimo verſu: vnaquæque trium primarum clauſularum, ſeptem complectitur ſyllabas, quarũ penultima breuis eſt, & duæ poſtremæ ſyllabæ vnius clauſulæ, ad reliquarum duas poſtremas ſeruant conſimilem exitum, quarta verò clauſula quatuor tantum ſyllabas continet: & penultimam longã. Demùm duo poſtremi verſus tres comprehendunt clauſulas rythmicas adinuicem conſonantes: quarum duæ primæ, ſex ſingillatim cõficiuntur ſyllabis, tertia verò nouẽ,
Pſal.81 & penultima illarum ſemper correpta.

Author eius fuiſſe perhibetur ſanctus Bernardus, vir vtique ſanctitate vitæ & ſacrarum literarum eruditione clariſſimus: qui velut alter Dauid etiã in cithara diuinæ laudis rythmos eccleſiaſticos ſuauiter modulatus eſt, vt hæc vna oſtendit proſa: venuſtate compoſitionis & ſentẽtiarum
Eſa.9 rum grauitate ſingularis. In illa incitatur fidelis populus

los ad exultationem ob ſacratiſſimum incarnationis myſterium: quo virgo intacta protulit filium, & diuinitas humanitati miro modo eſt coniuncta. Deinde merito reprehenditur Iudæorum cæcitas atque incredulitas: qui tantæ rei ſacramentum propheticis oraculis prænunciatum & veteris teſtamenti præſignatum figuris, quinimmo & Sibyllarum gentilium vaticiniis prædictum recipere nolũt. Admonentúrq; fidelium adhortationibus, vt natum pro omnium ſalute Chriſtum tandem confiteantur.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Intactæ profudit torus. Id nomen torus proprie lectum ſignat. Virgilius. Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto. Hic verò translatione quadam concinna pro ſacratiſſimo virginis vtero ſumitur, ex quo prodiit Chriſtus tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

3 ¶ Id tertio verſu. Angelus conſilij. Chriſtus hoc nomine inſinuatur apud Eſaiã: vbi ſeptuaginta interpretes deterriti maieſtate illorum nominum quo noſtra habet traductio eo in loco. Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis, & non audentes puero nato, apud gentes tam præclara aſcribere nomina, aut aperte ipſum deum prædicare: poſuerunt id ſolum. Et vocabitur nomen eius: magni conſilij angelus, quod & in officio tertiæ miſſæ natiuitatis dominicæ ex inſtituto eccleſiaſtico pro introitu & exordio ipſius decantatur. Et rectè quidem eo inſignitur nomine dominus noſter, nam magnum illud & arduũ conſilium de redimendo genere humano per filij dei incarnationem & mortem: ipſe annunciauit & manifeſtauit hominibus. Dicitur & ſol natus de ſtella, locutione methaphorica, qua Chriſtus ſol dicitur, quoniam à prophetis ſol iuſtitiæ prædicatur, virgo autem Maria eius mater eximia, ſtella hic vocatur: quia ſtella maris digne à cunctis celebratur & cognominatur. Itaque vt ſol longe eſt maior ſtella & lucidior, quinimmo ipſi ſtellæ ſuam communicat claritatem, ita & Chriſtus de virgine natus, multò eſt etiam vt homo ſua glorioſa matre eminentior & ſublimior. Et hanc filij ſupra matrem dignitaté & præcellentiam ſignat illa locutio. Malac. 4

4 ¶ In quarto verſu. Sol occaſum neſciens. Nõ de ſole

iſto ſenſibili id accipiendum, aut corporali ſtella: ſed de ſo le myſtico qui eſt dominus noſter, neſciens occaſum per peccatum aut mortem ſed manens in æternum. Nam vt ſcribit Paulus: Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecu

Hebrh.13 la. Stella itidem myſtica, ſacratiſsima virgo maria ſemper rutilat inſigni virtutũ ſplendore: & ſemper clara eſt virgineæ puritatis candore, qui nec in partu, nec poſt partum violatus eſt.

5 ℂ In quinto verſu. Sicut ſydus radium. Sydus abſque ſui corruptione, aut diuulſione deciſionéque ſuæ ſubſtantiæ radium producit: neque quicquam detrimenti aut diminutionis ex continua illius diffuſione in ſua corpulẽtia ſuſtinet. Haud ſecus beata virgo abſque læſione ſui virginei pudoris protulit filium: & virginitatis gloria permanente (vt canit eccleſia) huic mundo lumen æternum effudit.

7 ℂ In ſeptimo verſu. Cedrus alta Libani. Cedrus arbor eſt excelſa, arduæ proceritatis & ſublimis: lignum habet iucundi odoris & diu durãs, neque à tinea vnquam exterminatur. Libanus verò mons eſt in Iudæa inter Arabes & Phœnices: excelſas arbores habens. De quo ſcriptura. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano. Hyſſopus autem fœ-

Eccl. 24 minini generis & hyſſopum neutri: herba eſt humilis, naſcens in hortis, & curando pulmoni vtilis. De qua Hieronymus. Sicut hyſſopum terrenum curandis pulmonibus aptum eſt, vt auertat inflationem: ita homo cæleſti reſperſus hyſſopo, id eſt humilitate cordis, ab omni ſuperbiæ malignitate purgatur. Cæterùm quid diuinitate præcelſius aut altius dari queat? quid ve ea durabilius: quæ ſola habet immortalitatem? E diuerſo humana natura ad diuinam collata: humile quiddam eſt & ſubſidens, maximóque interuallo infra illam conſtituta. Itaque cedrus hyſſopo conformata dicitur valle noſtra, quia natura diuina in verbo dei vnita eſt humanæ naturæ in vnitatem perſonæ in hoc mundo ſenſibili, qui vallis eſt lachrymarum & miſeriæ.

8 ℂ In octauo verſu. Verbum ens altiſsimi. Hic verſus exponit apertius eam ſententiam: quæ ſub velamine metaphoræ in præcedente verſu prætendebatur, vtpote quòd Chriſtus exiſtens verbum dei patris ſuſtinuit corpore

corpore mortali indui & ſuperueſtiri: & id quidem huma na carne aſſumpta de ſancta virgine quæ ſacris viſceribus complexa deum(vt præclare canit non ignobilis author)

Arcano ſtupuit compleri viſcera partu:
Authorem paritura ſuum.mortalia corda:
Artificem texere poli.mundique creator
Pars fuit humani generis,latuitque ſub imo
Pectore,qui totum latè complectitur orbem.
Et qui non ſpaciis terræ,non æquoris vnda
Nec capitur cælo:paruos confluxit in artus.

Cæterùm aſsignatus modo ſenſus iſto verſu exprimitur: ſi in ſecunda eius clauſula legatur, corporari paſſum eſt, id eſt corpore humano circundari & veſtiri: quemadmodum meo iudicio legendum eſt. Nam qui, corporali paſſum eſt legunt, vt plerique: & ſi verum dicant, ſcilicet quòd ipſum dei verbum paſſum eſt mortem & crucifixum, corporali carne ſumpta, corporéque humano aſſumpto: non tamen aliquid accommodate huic loco conferens & congruenter adaptatum adducunt. quandoquidem hic non de Chriſti paſsione: ſed incarnatione ſolũ fiat ſermo. y ¶ In nono verſu. Eſaias cecinit. Multis in locis prædixit Eſaias prophetico afflatus ſpiritu, hoc incarnationis myſterium præſertim cum ait. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Et rurſum. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini Sub Eſaia autem, cæteri prophetæ deiloqui intelligantur: vt Hieremias, Ezechiel, daniel, Micheas: qui etiam de Chriſti incarnatione, ſacra contenxuerunt oracula. Synagoga itidem Iudæorúmque collectio meminit & commemorat hoc altiſsimũ myſterium: cum in ſuis libris legit hæc prophetarum vaticinia, & figurarum inuolucra. vt rubum Moyſi incombuſtum, virgam Aaron floridam, portam clauſam Ezechieli oſtenſam, & lapidem exciſum de monte ſine manibus, quẽ in ſacra viſione conſpexit Daniel. quibus ſane figuris, natiuitas filij dei de matre virgine eſt præſignata: Ipſa tamen ſynagoga Iudeorum nunquam deſinit eſſe cæca: quoniam permanet in ſua incredulitate, nolens CHRISTVM ſaluatorẽ noſtrum recipere vt ſuum Meſsiam in

Eſaia 7

Eſaia 11

niam totius mundi peccata tollit,delet & abſtergit. 4

*ſal.*23 ¶ In quarto verſu. Potens in prelio. Hac appellatione dominus noſter ſignificatur in pſalmo: cum ait. Quis eſt iſte

Lucæ 1 rex gloriæ? dominus fortis & potens: dominus potens in

*Pſal.*17 prælio. Et ipſe quidem contriuit faſtigia ſiue faſtú ſuper-

Eſaia 40 bientium: quoniam depoſuit potentes de ſede, & oculos

1. *Corin.* 1 ſuperborum humiliauit. Colla itidem ſublimium atque e-

*Ioan.*14 latorum calcauit vi propria, & dæmonum ſcilicet & hominum: quoniam ſecundum Eſaiæ vaticinium, omnis mons & collis humiliatus eſt in die illa aduentus ſui in carnem: & infirma mundi elegit deus vt fortia quæque cófundat.

5 ¶ In quinto verſu. Foras eiicias mundanum principem. Nomine mundani principis intelligitur hic diabolus, qui ſæpius in ſcriptura princeps huius mundi dicitur. quòd totum genus humanum ſuæ tyrannicæ ſubiacerit poteſtati, aut quòd iis qui ſecularia ſectantur deſideria principetur & tanquam dominus præſideat. Is autem per aduentum

Ioan. 12 Chriſti eiect' eſt foras: quoniam dominatu in genus humanum quem ſubdolè occupauerat expulſus eſt. quem-

Lucæ 11 admodum domin' noſter in euangelio futurum dixit per ſuam paſsionem: cum ait. Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps múdi huius eiicietur foras. Et alio in loco. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum: in pace ſunt ea quæ

Lucæ 2 poſsidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum: vniuerſa arma eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Porrò imperium patris ipſius Chriſti: illud eſt de quo angelus ad ſacroſanctam virginem ait. Et dabit ei dominus deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Cuius quidem imperij & matrem fecit participem, ratione aſſumptæ ex ea noſtræ ſubſtantiæ. Nam & ipſa: regina múdi conſtituta eſt, cælique & terræ domina, idem cum filio ſceptrum moderás. 6 ¶ In ſexto verſu. Exi qui mitteris. Verba hæc ſunt populi fidelis ad archágelum Gabrielem: adhortantis eum vt cito exequatur iniunctam ſibi à deo legationem. cælo ſcilicet exeat & virginem accedat. Verbum autem dicere, ibi infinitiuum eſt à dico: & cum mitteris paſsiuo verbo ponitur, ſicut & in hoc carmine apud Ouidium. Omnia namque tuo ſenior te quærere miſſo Retulerat nato. Neſtor: & ille mihi. vt ſententia ſit huiuſmodi:

modi. O Gabriel egredere cælis, qui mitteris ad dicendũ & explicandum hæc dona ſupradicta: humano generi indulgẽda per incarnationem filij dei. Et melior eſt aptiórque hic ſenſus: quàm ſiquis diſſere legat imperatiuũ verbum & actiuum à diſſero, is, vt nonnulli habent libri. At verò velamen veteris literæ: eſt veteris teſtamenti vmbra & figura, illa occultans myſteria ſignis typicis quæ in nouo teſtamento clare ſunt exhibita, quare per noui teſtamenti gratiam: veteris literæ velamen amotum eſt & ablatum. Angelus autem Gabriel annunciat ſacræ virgini gratiam & veritatem per Ieſum Chriſtum in lege euangelica faciendam. Et ergo virtute nuncij, reique nunciatæ: reuelaſſe dicitur velamen veteris literæ.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Dic aue cominus. Totus hic verſus etiam fidelis populi verba continet: quibus angelũ incitat vt properè ſanctam accedat virginem, eique propinquus impendat honoratiſſimam hanc ſalutationem. Aue gratia plena, dominus tecum,, conturbatæque virgini modeſtiſsimæ in ſermone eius: timorem omnem ſuſtollat dicens. Ne timeas Maria: inueniſti enim gratiam apud dominum. Luc. 1 Cominus autem aduerbium, prope ſignificat: cũ aliquid alteri eſt proximum. Virgilius. Pugnatur cominus armis. 8 ¶ In octauo verſu. Virgo ſuſcipias dei depoſitum. Hæc verba ſunt angeli: quæ exhortatiõe fidelis populi etiam dicere habeat ad virginem, referuntúrque ſimiliter od verbum dic, in præcedente verſu poſitum. Vocat autem hic depoſitum dei: quod deus ſacratiſſimæ virgini committere & cuſtodiendum tradere inſtituit, vnicũ ſcilicet dei filium in vtero eius humanam ſubſtantiam ſuſcepturum. In quo tamen incarnationem myſterio: ipſa perfecit propoſitum caſtitatis, & nõ cognoſcendi virum, nam ad hoc admirabile opus explendũ: ſpiritu ſancto fœcundata eſt, votúmq; virginitatis ſuæ deo conſecratæ tenuit. Nẽpe ex conceptu filij dei: neque propoſitũ illud neque votum violatum eſt. 9 ¶ In nono verſu. Suſcipit puella nuncium. Nuncius hoc loco, & pro nunciante ſumi poteſt & pro re annunciata. Vtrumque enim audiuit & ſuſcepit beata virgo: & angelum ſcilicet nunciantem venerata: & id quod nunciabatur amplexata, per hæc verba conſenſum eius exprimentia. Ecce ancilla domini: fiat mihi

ſecundum

ſecundum verbum tuum. In ſexto verò verſu antè explicato: potius pro re nunciata ſumi debere videtur quàm pro non nunciante.

10 ❡ In decimo verſu. Conſiliarium humani generis. Hæc nomina ſimul cum eo quod in fine præcedentis verſus ponitur: ſumpta ſunt ex Eſaia, ita pronunciante ortum filij dei ex virgine. Paruulus natus eſt nobis: & filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerũ eius. Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, deus fortis, pater futuri ſeculi: princeps pacis. Hęc omnia quinque pueri nomina ab Eſaia expreſſa: hoc loco eodem ordine illi attribuuntur. Vnde admirabilis nominatur, quia ſimul deus & homo, quod inauditum eſt & mirabile in oculis noſtris. Conſiliarius: quia magni conſilij angelus ſecundum ſeptuaginta interpretes dicitur, ſuóque occulto conſilio genus humanum à damnatione eripuit. Dicitur & deus fortis (loco cuius nominis author hic eum vocat deum & hominem: propter rythmi decentiam atque exigentiam) quia omnium creator eſt & gubernator: eiúſque poteſtati reſiſtere nemo poteſt. Pater futuri ſeculi ſiue pater poſteris deinde nominatur, quia populi ſub euangelica lege regenerati, ipſe ſalutis & ſpiritualis natiuitatis eſt author. Denique vocatur princeps pacis ſiue in pace ſtabilis, quia ipſe eſt pax noſtra qui fecit vtraque vnũ, recóciliauitque nos deo & angelis. De quo ſubiungit eodẽ loco propheta. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Quod & pſalmus confirmat dicens. Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur luna.

Eſa.9 · *Eph.2* · *Eſaie.9* · *Pſal.71*

13 ❡ In decimotertio verſu. Natura præmitur in partu virginis. Quoniam id ſupra naturæ vires & legem, quòd virgo pariat filium & ſuæ virginitatis non patiatur detrimentum. Et ergo in eo partu vim & violentiam qnodam modo paſſa eſt natura, & in ſecundo præſentis proſæ verſu etiam deus dicitur ipſi naturæ feciſſe præiudiciũ in eodem partu. Quòd autẽ puer ipſe qui ex virgine naſcitur, rex regum ſit & dominus dominantium, rectórque ſuperum, quatenus deus, omnino planum eſt nec indigens aliqua teſtimonij luce. Dicitur autẽ ipſe rex, celaſſe vim numinis, quoniam ſuæ diuinitatis poteſtatem occultauit te-

gmine

gmine humanæ fragilitatis. More enim aliorum infantiú, vagiit, faſciis alligatus eſt, materna ſuxit vbera, & alia humanæ infirmitatis opera infantili ætati congrua vt verus homo vere exercuit. Sub illis autem occultauit maieſtatem ſuæ deitatis vſque ad tempus illud, quo admirabili ſignorum ſplẽdore & verborũ ſimul ac operum teſtimonio eam mundo prodidit. Non tamen defuerũt in ipſa etiam natiuitatis hora, ſuæ deitatis indicia, vt virginis partus, qui ſolum deum decuit, angelorum miniſterium, paſtoribus natum Chriſtum annunciantium, ſtellæ nouæ in cælo fulgentis obſequium, quæ magos, duxit ad eius incunabula, & alia plæraque.

1 *In natiuitate domini: ad primam miſſam.*

NAto canunt omnia domino pie agmina. Syllabatim pneumata perſtringendo organica. Hæc dies ſacrata: in qua noua ſunt gaudia mundo piè edita. 2 *Hac nocte, præcelſa intonuit & gloria: in uoce angelica. Fulſerunt & immania nocte media paſtoribus lumina. Dum fouent ſua pecora: ſubito diua percipiunt monita.* 3 *Natus alma uirgine: qui extat ante ſecula. Eſt immenſa in cælo gloria: pax & in terra.* 4 *Hinc ergo cæli caterua altißime iubila. Et tanto canore tremat alta poli machina: ſonet ut per omnia, hac in die gloria uoce clara reddita.* 5 *Humana concrepent cuncta natum deum in terra. Confracta ſunt imperia hoſtis crudelißima. Pax in terra reddita, nunc lætentur omnia nati per exordia. Solus qui intuetur omnia, ſolus & qui condidit omnia ipſe ſua pietate ſaluet omnia regna. Amen.*

Hæc proſa nullam rythmicæ conſonantiæ legem obſeruat, neque in certo ſyllabarum numero neque in conſimili clauſularum exitu. Quamuis enim aliquæ ſententiæ interdum in eandem cadant terminalem conſonantiã, id tamen neque vniformiter fit neque determinata definitáque

nitáque regula. In ea deſcribitur gaudium dominicæ natiuitatis ab angelo nunciatum paſtoribus & cæleſti cantico declaratum, vt beatus Lucas in ſecundo ſui euangelij capite narrat, ex quo ferè tota huius proſæ ſententia euadit peruia & captu facilis. Incitatur inſuper hic totum genus humanum ad ſpiritualem lætitiam in domino habendam, propter ampliſſima bona, illi ex natiuitate domini ſecundum carnem præſtita ac indulta.

❡ ANNOTATIONES. Syllabatim pneumata. Syllaba dicitur comprehenſio literarum vna prolatione efformatarum, aut vnius vocalis enunciatio, vt dictio pater habet duas ſyllabas, & vocalis ô in dictione ouis vnam conſtituit ſyllabam. Inde ſyllabatim aduerbiũ, ſignificat per ſyllabas. Auguſtinus. Et ſyllabatim per tranſitorias temporũ morulas humanæ linguæ vocibus loqueretur. Pneuma verò, atis, tertiæ inflexionis nomen & Græcam habẽs originem: eſt ſpiritus ſiue flatus. Vnde pneumata organica, dicuntur cantus qui organorum miniſterio fiunt, nam ſpiritu & flatu indigẽt. Inde pneumaticus, a, um, quod ſpirituale eſt & flatu dirigitur, vt Plinius organa vocat pneumatica. Et ſicut Latini tertiam ſummæ diuinitatis perſonã vtcunque humana voce exprimentes quę eſt ſuper omne nomen, ſpiritum vocant & flamem, ita & Græci eandem appellant pneuma, ad explicandũ quoquo modo proceſſionis illius & emanationis ineffabilis modum à patre & filio, qui ſpiratio dicitur. Hoc verò loco: in priori illa & ꝓpria ſignificatione ſumitur. Debet autem ea dictio ſemper ſcribi per literam, p ipſi in principio præpoſitam. Nã hoc modo apud Græcos (à quibus Latini eam mutuantur dictionem) ſcribi dinoſcitur.

2 ❡ Et immania nocte media Immane, interdum crudele & ſæuum ſignificat. Inde immanitas ſæuitia. Cicero in officiis. Quo deteſtabilior illorum immanitas, qui lacerauerunt omni ſcelere patriam. Interdũ verò idem ſignat quod magnum & ingens. Virgilius in AEneide. Poſuitq; immania templa. Et in hac ſecunda acceptione dicuntur hic immania lumina clara & conſpicua, quæ de cælo apparuerunt paſtoribus, cum vt ait euangelium, claritas dei circunfulſit illos.

Luc.2

3 ❡ Extat ante ſecula. Extat, exiſtit, & ſubſiſtit. Improprietam-

tamen ponitur id verbum hoc loco, nam apud probatos authores potius extra apparere aut ſupereſſe ſignat, vt tranantis flumen bouis ſolum caput extat, id eſt extra vndas apparet. Et non omnia Ciceronis volumina extant, id eſt ſuperſunt, nam iniuria temporum aliqua perierunt. Eſt autem Chriſtus ante ſecula, ſecundum diuinitatẽ. Nũc (inquit) clarifica me tu pater apud temetipſum, claritate quã habui priuſquam mundus fieret apud te. Et natus eſt alma virgine, ſecundum humanitatem. *Ioan.17*

4 ¶ Hinc ergo cæli caterua. Quod in principio generali nomine dixerat author, pia agmina, nunc ſpecialius explicat, inuitátque & angelicos ſpiritus hoc verſu, & omnes homines paulò pòſt ſequente verſu, ad cantica laudũ deo exoluenda. Soli enim inter creaturas angeli & homines, ꝙ ratione ſint præditi, agmina conſtituunt quæ Chriſto natu laudes perſonent & concinant.

5 ¶ Humana concrepent cuncta. Concrepare verbum, perſonare ſignificat: & neutrale eſt ſuapte natura. Terentius. Sed oſtium concrepuit. Interdum verò in vim tranſit verbi actiui, & concordi ſono ſimul laudare ſignat: accuſatiuúmque ſecum admittit, vt hoc in loco.

1 *In natiuitate domini: ad ſecundam miſſam.*

EIa recolamus laudibus piis digna. Huius diei carmina: in qua nobis lux oritur gratiſſima. Noctis interit nebula: pereunt noſtri criminis umbracula. Hodie ſeculo maris ſtella eſt enixa nouæ ſalutis gaudia.

2 *Quem tremunt barathra, mors cruenta pauet, ipſa à quo peribit mortua. Gemit capta peſtis antiqua: coluber liuidus perdit ſpolia.*

3 *Homo lapſus, ouis abducta: reuocatur ad æterna gaudia Gaudẽt in hac die agmina angelorum cæleſtia. Quia erat dragma decima perdita: & eſt inuenta.*

4 *O proles nimium beata: qua redempta eſt natura Deus qui creauit omnia: naſcitur ex fœmina.*

Mirabilis

5 *Mirabilis natura mirifice induta: aſſumens quod non erat, manens quod erat. Induitur natura diuinitas humana quis audiuit talia dic rogo facta? Quærere uenerat paſtor pius quod perierat.*

6 *Induit galeam: certat ut miles armatura. Proſtratus in ſua propria ruit hoſtis ſpicula. Auferuntur tela in quibus fidebat. Diuiſa ſunt illius ſpolia: capta præda ſua. Chriſti pugna fortißima: ſalus noſtra eſt uera. Qui nos ſuam ad patriam duxit poſt uictoriam. In qua ſibi laus eſt æterna: Amen.*

Hæc proſa nullam rythmicæ conſonantiæ normam tenet: ſed liberioribus vagatur habenis more aliarum orationum ſolutarum. In ea incitatur totum genus humanũ ad celebrãdas in hac ſolennitate laudes deo debitas, tum propter magnitudinem & ſublimitatem ſacramenti dominicæ incarnationis: qua deus & homo natus eſt matre virgine, tũ propter maxima & ſumma beneficia humano generi per hoc myſterium indulta: ſcilicet expulſionem hoſtis antiqui à mundo, & reductionem noſtri ad cæleſtia regna.

1 ¶ ANNOTATIONES. Nobis lux oritur gratiſſima. Lux illa, ſpiritualis eſt & mentes illuminans, ſcilicet
Ioan.1 Chriſtus dominus noſter, qui eſt lux vera, illuminans om
Eſa.9 nem hominem venientem in hũc mundũ. De qua Eſaias.
Pſal.96 Ambulantibus in regione vmbræ mortis: lux orta eſt eis. Et pſalmus. Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia. Ita & nebula noctis hic intelligitur denſitas & caligo peccatorum noſtrorum: quæ ſunt opera tenebrarum. Vmbracula quoque noſtri criminis: ſunt opaca & obſcura noſtrarum iniquitatum, quæ nunc intereunt: quoniam nata eſt vera ſalus mundo, quæ omnem abſtergit peccati nubem, vmbram & tenebroſitatem.

2 ¶ Quem tremunt barathra. Barathrum, locus eſt immenſæ profunditatis & vorago: vnde quis emergere non poſsit. Quare pro inferno loco & perpetuo damnatorum
Sapi.2 ergaſtulo ſæpenumerò ſumitur, quoniam non eſt qui ag-
Iaco.2 nitus ſit reuerſus ab inferis. Itaque Chriſtum tremunt barathra,

inthra. id eſt tartara. Nã vt Iacobus ait: dæmones credunt & contremiſcunt. Sæua itidem & crudelis mors ſecunda pauet Chriſtum: quoniam ab ipſo deſtructa eſt & diſperdita, ſecundum illud prophetæ verbũ. Ero mors tua ô mors: & abſorpta eſt mors in victoria Chriſti, Rurſũ peſtis antiqua dicitur hoſtis antiquus, qui peſtilente veneno peccati infecit totum genus humanũ. Et is captus eſt à Chriſto: victúſque & ſuperatus per mortem ipſius. Deniq; idẽ coluber liuidus ſiue inuidus dicitur ſerpens: propter flexuoſos tentationũ ſinus & occultas inſidias quibus fraudem molitur. Perdit etiam ſpolia: quia naturam humanã prius tyrannico more detentam & à Chriſto liberatam amiſit, ſecundum illud prophetæ dictum de Chriſto. Morſus tuus ero inferne. Chriſtus enim illo fortior ſuperueniens ſecundum parabolam euangelicam: arma in quib⁹ fortis ille armatus confidebat abſtulit, & ſpolia eius diſtribuit. 3 ¶ Ouis abducta reuocatur. Alludit hic locus duplici parabolæ in euãgelio apud Lucam adductæ: ad oſtendendam miſeratricem dei benignitatem pro redimendis ac ſaluandis hominibus, vtpote de centeſima oue perdita, quæ diligentius à paſtore quæſita & demũ inuenta: humeriſque boni paſtoris impoſita ad caulam eſt reducta cum gaudio. Et de decima dragma prius amiſſa: quæ ingenti ſolicitudine perquiſita à muliere accendente lucernam & euertente totam domum, tandem reperta eſt. Sane per ouem illam centeſimam, & decimam dragmam antè perditam: ſignatur humanum genus fraude ſerpẽtis antiqui per tranſgreſſionem primorum parentum æternę damnationi obnoxium: ſed nunc per Chriſtum hominem factum, liberatum à perditione, inuentum ad conſequendam ſalutem, & ad cæleſtis regni gaudia perductum.

Oſee. 13
1. Cor. 15
Oſee. 13
Luc. 11
Luc. 15

4 ¶ O proles nimium beata. Proles illa valde beata, Chriſtus eſt, per quem natura humana prius captiua, nũc eſt redempta Neque ferendi ſunt illi qui hunc locum ita legunt. O culpa nimium beata: qua redempta eſt natura. Qua enim fronte, quo ore, quo denique vultu auſit quis beatam dicere culpam Adæ: primorúmque parentum? cũ ipſa fuerit miſera, infœlix atque infauſta: neque ſolum ipſis authoribus, ſed & toti poſteritati damnoſa, exitialis & pernicioſa. Quomodo itidem quis vere dixerit, per cul

Et in huiuſmodi conflictu hoſtis noſter ruit in propria ſpicula: & ſuis (vt aiunt) telis eſt confoſſus. Nam humanã carnẽ in primis parentib' fecerat ſibi ſpiculum & telum: quo proſtrauit totum genus humanum, & à ſacratiſsima Chriſti carne eiuſdem cum noſtra ſubſtantiæ, eſt transfixus. Demùm tela in quibus confidebat antiquus hoſtis: ſecundũ illud verbum domini de forti armato cuſtodiente atrium ſuum, & fortiore ſuperueniente, ex Luca iã ſuperius adductũ, cui hic locus reſpondet, ſunt ablata, quia poteſtas nocendi eius & infeſtandi homines & ligata per aduentum Chriſti. Spolia etiam eius ſunt diuiſa, captáque illius eſt præda: quoniam ſancti patres apud inferos ante detenti, ſunt erepti illius manibus & in cælos ſubuecti. Aſcendens enim Chriſtus in altum: captiuam duxit captiuitatem. Et hæc plane fuit fortiſſima Chriſti pugna: qua principem huius mundi eiecit foras, totúmque genus humanum in libertatem redegit, & ſuperas reuocauit ad auras. *Ephe.4*

1 *In natiuitate domini: ad ſecundam miſſam.*

LÆtabundus
Exultet fidelis chorus.
Halelu ia.
2 *Regem regum*
Intactæ profudit torus.
Res miranda.
3 *Angelus conſilij*
Natus eſt de uirgine:
Sol de ſtella.
4 *Sol occaſum neſciens:*
Stella ſemper rutilans
Semper clara
5 *Sicut ſydus radium:*
Profert uirgo filium
Pari forma.
6 *Neque ſydus radio:*
Neque uirgo filio
Fit corrupta.
7 *Cedrus alta Libani*
Conformatur hyſſopo:
Valle noſtra.
8 *Verbum ens altiſsimi*
Corporari paſſum eſt:
Carne ſumpta.
9 *Eſaias cecinit*
Synagoga meminit:

Nunquam tamen deſinit
Eſſe cæca.
10 *Sin non ſuis uatibus:*
Credat uel gentilibus
Sibyllinis uerſibus
Hæc prædicta.
11 *Infœlix propera*
Crede uel uetera:
Cur damnaberis gens miſera?
12 *Quem docet litera*
Natum conſidera:
Ipſum genuit puerpera.
Amen.

Hæc proſa, rythmica modulatione conſtituta eſt & cõtexta: nõ tamen vbique vniformiter. Nam duo primi verſus mutuum habent adinuicem reſpõſum in ſuis clauſulis: ſinguli eorum ex tribus integrati. Harum primæ, quatuor duntaxat complectuntur ſyllabas: non tamẽ ſimilem ſortiuntur exitum terminalem & deſinẽtiam vocis. At verò ſecũda vtriuſque primorum duorum verſuum clauſula, octo completur ſyllabis: & vna alteri in conſimili cadentia ſoni reſpondet. Demùm tertia primi verſus clauſula, ad tertiam ſeccundi habet cõuenientiam: in quaternario ſyllabarũ numero, & ſimili vocalitatis exitu. In vnoquoque verò ſex verſuum duos primos ſequentium: conſtituuntur tres clauſulæ rythmycæ, quarũ duæ primæ diuiſim & ſingulę ſeptem ſunt ſyllabarum: & penultima earum breuis, tertia verò clauſula: quatuor eſt ſyllabarum, & penultima ipſarum longa. In nono autem & decimo verſu: vnaquæque trium primarum clauſularum, ſeptem complectitur ſyllabas, quarũ penultima breuis eſt, & duæ poſtremæ ſyllabæ vnius clauſulæ, ad reliquarum duas poſtremas ſeruant conſimilem exitum, quarta verò clauſula quatuor tantum ſyllabas continet: & penultimam longã. Demùm duo poſtremi verſus tres comprehendunt clauſulas rythmicas adinuicem conſonantes: quarum duæ primæ, ſex ſingillatim cõficiuntur ſyllabis, tertia verò nouẽ,
*Pſal.*81 & penultima illarum ſemper correpta.

Author eius fuiſſe perhibetur ſanctus Bernardus, vir vtique ſanctitate vitæ & ſacrarum literarum eruditione clariſſimus: qui velut alter Dauid etiã in cithara diuinæ laudis rythmos eccleſiaſticos ſuauiter modulatus eſt, vt hæc vna oſtendit proſa: venuſtate compoſitionis & ſentẽtia-
*Eſa.*9 rum grauitate ſingularis. In illa incitatur fidelis populus

lus ad exultationem ob ſacratiſſimum incarnationis myſterium:quo virgo intacta protulit filium,& diuinitas humanitati miro modo eſt coniuncta. Deinde merito reprehenditur Iudæorum cæcitas atque incredulitas:qui tantæ rei ſacramentum propheticis oraculis prænunciatum & veteris teſtamenti præſignatum figuris, quinimmo & Sibyllarum gentilium vaticiniis prædictum recipere nolũt. Admonentúrq; fidelium adhortationibus, vt natum pro omnium ſalute Chriſtum tandem confiteantur.

2 ¶ ANNOTATIONES. Inſecundo verſu. Intactæ profudit torus. Id nomen torus proprie lectum ſignat. Virgilius. Inde toro pater AEneas ſic orſus ab alto. Hic verò tranſlatione quadam concinna pro ſacratiſſimo virginis vtero ſumitur,ex quo prodiit Chriſtus tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

3 ¶ Id tertio verſu. Angelus conſilij. Chriſtus hoc nomine inſinuatur apud Eſaiã: vbi ſeptuaginta interpretes deterriti maieſtate illorum nominum quo noſtra habet traductio eo in loco. Et vocabitur nomen eius admirabilis,conſiliarius,deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis,& non audentes puero nato, apud gentes tam præclara aſcribere nomina, aut aperte ipſum deum prædicare:poſuerunt id ſolum.Et vocabitur nomen eius:magni conſilij angelus, quod & in officio tertiæ miſſæ natiuitatis dominicæ ex inſtituto eccleſiaſtico pro introitu & exordio ipſius decantatur.Et rectè quidem eo inſignitur nomine dominus noſter, nam magnum illud & arduũ conſilium de redimendo genere humano per filij dei incarnationem & mortem : ipſe annunciauit & manifeſtauit hominibus. Dicitur & ſol natus de ſtella, locutione methaphorica,qua Chriſtus ſol dicitur, quoniam à prophetis ſol iuſtitiæ prædicatur,virgo autem Maria eius mater eximia , ſtella hic vocatur : quia ſtella maris digne à cunctis celebratur & cognominatur. Itaque vt ſol longe eſt maior ſtella & lucidior, quinimmo ipſi ſtellæ ſuam communicat claritatem, ita & Chriſtus de virgine natus, multò eſt etiam vt homo ſua glorioſà matre eminentior & ſublimior. Et hanc fiij ſupra matrem dignitaté & pręcellentiam ſignat illa locutio. *Malac.4*

4 ¶ In quarto verſu. Sol occaſum neſciens. Nõ de ſole

corpore mortali indui & ſuperueſtiri: & id quidem huma na carne aſſumpta de ſancta virgine quæ ſacris viſceribus complexa deum(vt præclare canit non ignobilis author)

Arcano ſtupuit compleri viſcera partu:
Authorem paritura ſuum. mortalia corda:
Artificem texere poli. mundique creator
Pars fuit humani generis, latuitque ſub imo
Pectore, qui totum latè complectitur orbem.
Et qui non ſpaciis terræ, non æquoris vnda
Nec capitur cælo: paruos confluxit in artus.

Cæterùm aſsignatus modo ſenſus iſto verſu exprimitur: ſi in ſecunda eius clauſula legatur, corporari paſſum eſt, id eſt corpore humano circundari & veſtiri: quemadmodum meo iudicio legendum eſt. Nam qui, corporali paſſum eſt legunt, vt plerique: & ſi verum dicant, ſcilicet quòd ipſum dei verbum paſſum eſt mortem & crucifixum, corporali carne ſumpta, corporéque humano aſſumpto: non tamen aliquid accommodate huic loco conferens & congruenter adaptatum adducunt. quandoquidem hic non de Christi paſsione: ſed incarnatione ſolũ fiat ſermo. y ℂ In nono verſu. Eſaias cecinit. Multis in locis prædixit Eſaias prophetico afflatus ſpiritu, hoc incarnationis myſterium præſertim cum ait. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Et rurſum. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini Sub Eſaia autem, cæteri prophetæ deiloqui intelligantur: vt Hieremias, Ezechiel, daniel, Micheas: qui etiam de Christi incarnatione, ſacra contenxuerunt oracula. Synagoga itidem Iudæorúmque collectio meminit & commemorat hoc altiſsimũ myſterium: cum in ſuis libris legit hæc prophetarum vaticinia, & figurarum inuolucra. vt rubum Moyſi incombuſtum, virgam Aaron floridam, portam clauſam Ezechieli oſtenſam, & lapidem exciſum de monte ſine manibus, quẽ in ſacra viſione conſpexit Daniel. quibus ſane figuris, natiuitas filij dei de matre virgine eſt præſignata: Ipſa tamen ſynagoga Iudeorum nunquam deſinit eſſe cæca: quoniam permanet in ſua incredulitate, nolens CHRISTVM ſaluatorẽ noſtrum recipere vt ſuum Meſsiam in

Eſaiæ 7

Eſaiæ 11

lege & prophetis promiſſum, neque in illum credere. Sed cur hoc? quoniam excæcatum eſt cor illius populi: vt ocu lis non videat. & corde non intelligat, quemadmodũ prędixerat Eſaias.

10 ¶ In decimo verſu. Si nõ ſuis vatib⁹. In ſynagogã Iudęorũ valida hoc loco intorquetur ratio: ad cõuincendã ipſorũ obſtinatã pertinaciã. Si (inquit) ipſa non credit ſuis

Eſaia. 6 ꝓphetis: ſaltẽ credat gentibus authoribus, qui reuelante deo eadem prædixerunt myſteria, & per quos deus etiam voluit tantę dignitatis reſerari ſacramentum, vt non ſolũ in ore duorum aut trium: ſed & omnium nationum ſtaret huiuſce verbi teſtimonium. Nónne Balaã ſacrilegus fuit & Ariolus cultórque idolorum? qui ſemel & iterum ſeptẽ iuſsit aras extrui & illis ſacrificia imponi quæ dæmoniis immolaret. Ipſe tamen inter cætera verba ſua prophetica, & illud de incarnatione domini præcinuit oraculum. Orietur ſtella ex Iacob, & cõſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab. Nabugodonoſor itidem non ſolũ gẽtilis fuit & idolorum cultor: ſed & eo deuenit inſaniæ vt tanquam deus in aurea ſtatua adorari voluerit. Ipſe tamẽ conſpicatus tres pueros quos miſerat in fornacem: proteſtatus eſt ſe videre tres viros ſolutos ambulãtes in medio ignis, & quartum ſimilem filio dei. In quo quidem poſtremo dicto: dominicæ incarnatiõis fuit prædicator: cũ quartum illum profitetur virum & hominem, filio tamen dei ſimilem. Quemadmodũ luculenter & diffuſe deducit hãc materiam ſacer Auguſtinus in præclaro illo ſormone contra Iudæos. Vos inquam conuenio O Iudęi: qui in hunc vſque diem negaſtis filium dei. Vbi & Sybillarum meminit, quarum carminibus etiam prædicta ſunt hæc aſſumptæ à filio dei carnis humanæ myſteria. Tradunt ſane authores Marcus Varro & Lactantius, decem fuiſſe Sybillas, id eſt puellas vaticinantes, & quæ dei conſiliũ (vt nomen ipſum ſignat) hominibus nũciarint. Earum nomina, natale ſolum & tempora exprimunt exactius Sypontinus in ſuo cornucopiæ, & Tortellius in opere ſuo de orthographia. Quarum vnaquæque aliquod dicitur oraculum præcinuiſſe de eximiis Chriſti operibus: ut natiuitate ipſius, paſsione, reſurrectione aut aduentu ad iudicium. Et aliquæ earũ præſertim id prænũciarunt: quòd Ieſus Chriſtus

Num. 23

Num. 24

Daniel. 3

ſtus dei filius, naſciturus eſſet in Bethleem de matre virgine: & in præſepio reclinandus. Nempe Sibylla Helleſpontica, hæc de Chriſto vaticinata traditur. de excelſo cælorum habitaculo humiles proſpexit deus: & naſcetur in diebus nouiſsimis de virgine Hebræa. Sibylla verò Cumæa hoc de Chriſti natiuitate cecinit oraculum. Veniet ille & colles tranſibit ac olympi vertices. regnabitque in paupertate & dominabitur in ſilentio. & ex vtero virginis veniet. Inſuper Sibylla Tiburtina: ſuis carminib⁹ hæc de Chriſto prædixit. Naſcetur Chriſtus in Bethleē: & annũciabitur in Nazareth. O fœlix illa mater: cui⁹ vbera illũ lactabũt. Demũ Sibylla Perſica: ita de myſterio incarnationis texuiſſe dicitur oraculum. Ecce beſtia conculcaberis, & gignetur dominus in orbe terrarum & gentium virginis erit ſalus gentium, & pedes eius in valetudine hominum, & inuiſibile verbum palpabitur. Sunt & alia Sibyllarum vaticinia de aliis Chriſti myſteriis, vt de miraculo quinque panum quibus in deſerto dominus ſatiauit quinque milia hominum, de paſsiōe domini, reſurrectione, & aduentu ad iudicium. Quæ quoniam huic non conducunt propoſito, non viſa ſunt huc debere adduci.

11 ❡ In vndecimo verſu. Infelix propera. Hic verſus & ſequens continet verba exhortatoria populi fidelis ad infœlicem Iudeorum ſynagogam, vt properet ad Chriſtum recipiendum, & credat ſaltem antiqua ſuorum prophetarum quinnimo & authorum gentilium verba de aduentu Chriſti in carnem, iam eſſe completa: neque obcæcato & pertinaci animo ſe præcipitet in baratrum damnationis æternæ. Exortatur item fidelis populus vt ſynagoga Iudæorum conſideret attentius ipſum filium nobis natum quem tota veteris teſtamenti litera loquitur, & velatis typiciſque figuris prædicat. Nam quem naſciturum prædixerant prophetæ, virgo puerpera iam ipſum genuit. Nō expectet igitur amplius illum futurum & venturũ in carnem: qui iampridem ad eam & nos omnes ſaluandos venit. 12 ❡ In duodecimo verſu. Quem docet litera: natũ conſidera. Multi hoc loco ita legunt. Quem docet litera vatum: conſidera. & meo iudicio melius: quàm qui natum legunt, vt vulgo nunc faciunt plerique. Nā aptior eſt ſenſus & accōmodior, quo monetur ſynagoga Iudæorũ eum conſi-

conſiderare meſsiam & Chriſtum: quem litera vatum, ſuorúmque prophetarum oracula atque vaticinia edocent & prænunciant, ipſum enim prophetis Eſaiæ, Hieremiæ, Danielis, Micheæ, Zachariæ & Malachię, aliorúmque antiquorum prophetarum prænunciatum: virgo Maria iam peperit. Quare non expectent ſuum meſsiam poſthac venturũ: ſed cognoſcãt ipſum iampridem veniſſe, ſuſcipiantq; eundem fide & cultu debito. Quòd ſi quis natum legerit: videbitur quodammodo eſſe ſuperflua ſequens ſententia, quæ idem exprimit. Et credo facile incuria legentium loco u vocalis fronte illius dictionis: n, eſſe poſitum.

1 *De ſancto Stephano protomartyre.*

HAnc concordi famulatu colamus ſolennitatem. Authoris illius exemplo edocti benigno, pro perſecutorum precantis fraude ſuorum.

2 *O Stephane ſignifer regis ſummi bone, nos exaudi.*

3 *Proficue qui es pro tuis exauditus inimicis.*

4 *Paulus tuis precibus Stephane te quondam perſecutus Chriſto credit.*

5 *Et tecum tripudiat in regno, cui nullus perſecutor appropinquat. Nos proinde nos ſupplices ad te clamantes, & precibus te pulſantes. Oratio ſanctiſsima nos tua ſemper conciliet deo noſtro.*

6 *Te Petrus Chriſti miniſtrum ſtatuit. Tu Petro normã credendi aſtruis. Ad dexteram ſummi patris oſtendendo, quem plebs furens crucifixit. Te ſibi Chriſtus elegit Stephane. Per quem fideles ſuos corroboret.*

7 *Se tibi inter rotatus ſaxorum ſolatio manifeſtans. Nunc inter inclytas martyrum purpuras coruſcas coronatus. Amen.*

Hæc proſa vel ex ipſo contextu ſe non rythmicã eſſe prodit: & ſolutiore ſchemate compoſitam. Continet autem inuocationem fidelis populi ad beatum Stephanum: vt propter eximia gratiarum priuilegia quibus eſt inſignitus à domino, impetret nobis veniam peccatorum & æternæ gloriæ conſortium.

1 ¶ ANNOTATIONES. Authoris illius exemplo. San
cti videlicet Stephani: qui inter lapidum iactus poſitis ge
nibus orauit pro ſuis perſecutoribus: dicens. Domine ne
ſtatuas illis hoc peccatum. Et hoc ſuo opere nobis author
eſt, magiſter & præceptor imitandæ illius in inimicos dile-
ctionis: vt oremus pro perſequentibus & calumniantibus
nos. Act.7.

2 O Stephane, ſignifer ſummi regis. Signifer eſt qui in bel
lo fert vexillum: primus eſt in acie, atque in fronte collo-
catur exercitus. Beatus autem Stephanus poſt Chriſti mor
tem primus ſuſtinuit martyrium pro eius nomine. Idcirco
Chriſti ſummi regis merito dicitur ſignifer: & in candida-
to martyrium exercitu anteſignanus.

3 ¶ Proficuè qui es pro tuis. Proficue: ſalubriter, vtiliter
efficaciter, à nomine proficuus: quod vtile ſignat atque
profectum faciens, minus tamen vſitatum eſt tam nomen
illud quàm aduerbium: apud Latinos authores. Venit v-
trunque à verbo proficere, quod (vt norunt omnes) ſigni-
ficat profectum facere. Proficuè autem exauditus dicitur
Stephanus: quoniam preces eius pro ſalute perſecutorum
factæ, non fuerunt irritæ nec caſſæ, vt ſequentia decla-
rant.

4 ¶ Paulus tuis precibus. Narrant ſiquidem acta apoſto
lorum quòd teſtes blaſphemiæ falſo obiectæ Stephano, &
ipſum lapidantes: depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes
adoleſcentis qui vocabatur Saulus. Et paulo pòſt ſubiun- Act.8.
gunt: quòd Saulus erat conſentiens neci eius. Ipſius autem
Stephani preces quas pro perſecutoribus effudit: multum
creduntur valuiſſe ac contuliſſe ad ipſius Pauli conuerſio-
nem, haud multo poſt factam.

5 ¶ Et tecum tripudiat in regno. Tripudiare eſt ducere
choream & tripudium agere. Hic autem tranſlatitiè ſumi-
tur pro gaudere & lætari. Regno verò cæleſti nullus perſe
cutor (vt hic dicit litera) appropinquat: quia vt habet Apo
calypſis, iam non erit ibi amplius neque luctus neque cla
mor neque dolor: quoniam priora tranſierunt.

6 ¶ Te Petrus miniſtrum. Quando ſcilicet cum cæteris
apoſtolis elegit Stephanum plenum ſpiritu ſancto & fi- Apoc.21.
de, & ſex alios in diaconatus officium: vt ſextum caput a-
ctuum apoſtolicorum refert. Diaconos enim Græcè: La- Act.6.
tinè

tinè miniſtrum ſignificat. At verò Stephanus Petro normã credendi aſtruxit: quoniam illam fidei regulam quàm à Petro acceperat & verbis & publica diſputatione veram eſſe aſſeruit & pro illa tandem mortem oppetiit. Tradiderat enim Petrus hanc credendi normam: quòd Ieſus Chriſtus à Iudæis crucifixus eſt verus dei filius. Et hoc ipſum aſſeuerauit etiam Stephanus: quando proteſtatus eſt ſe videre cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis dei, quem furioſa Iudæorum turba antè crucifixerat.

Act.7.

7 ¶ Inter rotatus ſaxorum. Rotare cum impetu vertere ſignificat & in modum rotæ circumagere. Inde rotatus nomen: verſionem & impetuoſam circulationem ſignat. Rotatus ergo ſaxorum dicuntur proiectiones illæ lapidum: quibus impij Iudæi ſanctum Stephanum obruebant. Tunc autem ad ſolatium & confortationem eis: ſe Chriſtus Stephano manifeſtauit. Nam vt acta teſtantur apoſtolorum: intendens in cælum vidit cælos apertos & Ieſum ſtantem à dextris virtutis dei, quaſi paratum illi ferre præſidium.

1 *De ſancto Stephano: alia proſa.*

Heri mundus exultauit:
Et exultans celebrauit
Chriſti natalitia.
2 *Heri chorus angelorum*
Proſecutus eſt cælorum
Regem cum lætitia.
3 *Protomartyr & leuita,*
Clarus fide, clarus uita,
Clarus & miraculis.
4 *Sub hac luce triumphauit,*
Et triumphans inſultauit
Stephanus incredulis.
5 *Fremunt ergo tanquam feræ,*
Quia uicti deficere
Lucis aduerſarij.
6 *Falſos teſtes ſtatuunt,*
Et linguas exacuunt
Viperarum filij.
7 *Agoniſta nulli cede,*
Certa certus de mercede
Perſeuera Stephane.
8 *Inſta falſis teſtibus,*
Confuta ſermonibus
Synagogam ſathanæ.

Teſtis

9 *Teſtis tuus eſt in cælis,*
Teſtis uerax & fidelis,
Teſtis innocentiæ.
10 *Nomen habes coronati,*
Te tormenta decet pati.
Pro corona gloriæ.
11 *Pro corona non marcenti*
Perfer breuis uim tormenti,
Te manet uictoria.
12 *Tibi fiet mors, natalis.*
Tibi pœna terminalis
Dat uitæ primordia.
13 *Plenus ſancto ſpiritu,*
Penetrat intuitu
Stephanus cæleſtia.
14 *Videns dei gloriam*
Creſcit ad uictoriam,
Suſpirat ad præmia.
15 *En à dextris dei ſtantem*
Ieſum pro te dimicantem
Stephane conſidera.
16 *Tibi cælos reſerari,*
Tibi Chriſtum reuelari
Clama uoce libera.
17 *Se commendat ſaluatori,*
Pro quo dulce ducit mori
Sub ipſis lapidibus.
18 *Saulus ſeruat omnium*
Veſtes lapidantium,
Lapidans in omnibus.
19 *Ne peccatum ſtatuatur*
Iis à quibus lapidatur,
Genu ponit & precatur
Condolens inſaniæ.
20 *In Chriſto ſic obdormiuit*
Qui Chriſto ſic obediuit,
Et cum Chriſto ſemper uiuit
Martyrum primitiæ.
21 *Quod ſex ſuſcitauerit*
Mortuos in Aphrica:
Auguſtinus aſſerit,
Fama refert publica.
22 *Huius,dei gratia*
Reuelato corpore?
Mundo datur pluuia
Siccitatis tempore.
23 *Solo fugat hic odore*
Morbos & dæmonia,
Laude dignus & honore
Iugiq; memoria.
24 *Martyr,cuius eſt iucundum*
Nomen in eccleſia,
Langueſcentem foue mundum
Cæleſti fragrantia.
Amen.

Hæc

¶ Hæc proſa rythmicam ſeruat certa lege conſonantiam. Nam vt plurimum in ſingulis verſibus tres complectitur clauſulas rythmicas: quarum duæ primæ ſimilem habent poſtremarum ſyllabarum exitum, & vtraque illarum octo comprehendit ſyllabas: quarum penultima eſt longa. Tertia verò clauſula cuiuſque illorum verſuum, ſeptem conficitur ſyllabis: quarum penultima eſt breuis, habétque reſponſum in conſimili ſyllabarum cadentia cum tertia clauſula proximè ſequentis verſus. Veruntamen vt varietas & diuerſitas compoſitionis rythmicæ afferat ornatum atque decorem contextui orationis: interdum variatur ſupradicta rythmi forma & duæ primæ clauſulæ rythmicæ nõnunquam complectuntur ſingulæ ſeptem ſyllabas, & penultimam breuem: vt in ſexto & octauo verſu. Interdum verò in eodem verſu quatuor ponuntur clauſulæ rythmicæ alternis reſpondentes: vt prima tertiæ & ſecunda quartæ cõſonet, quemadmodum in quatuor poſtremis verſibus. Aliquando quatuor clauſularũ eiuſdẽ verſ. tres primæ adinuicẽ ſimili cadẽtia reſpõdent: & quarta vni⁹ verſus quartæ alterius, vt in decimonono & viceſimo verſu. Quæ quidem omnia: vnuſquiſque ex ſola lectione & menſura clauſularum facilè deprehendere poterit. Et hæc componendarũ proſarum forma in officio eccleſiaſtico eſt creberrima, & omnium maximè vſitata. Author eius: inſignis vir & non minus virtute quàm doctrina præclarus, Adam de ſancto Victore, in rythmica proſarum modulatione maiorem in modum copioſus & promptus: quemadmodum permultæ ab eo compoſitæ proſæ (quæ ſuis ponentur locis) dilucidè declarant. In pręſenti autem proſa commendatur præclara beati Stephani virtus in confeſsione fidei, & conſtantia inuincibilis in paſsione ac morte: quæ ex ſexto & ſeptimo capite actionum apoſtolicarum dilucida ſatis eſt ac perſpicua. Narrantur & miracula meritis beati Stephani facta in ſuſcitatione mortuorum: & pluuiæ inundatione tempore inuẽtionis ſui ſacratiſsimi corporis exhibita, vt annotationes oſtendent. *Actu. 7.*

4 ¶ ANNOTATIONES. In quarto verſu, Inſultauit Stephanus incredulis. Cum ſcilicet dixit eis: poſt longam confutationem obiectæ ſibi blaſphemiæ. Dura ceruice & incircuncisi cordib⁹ & auribus; vos ſemper ſpiritui ſancto reſti-

reſtitiſtis,ſicut patres veſtri: ita & vos. Quem prophetarũ non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos qui prę nunciabant de aduentu iuſti: cuius nunc proditores & homicidæ fuiſtis, qui accepiſtis legem in diſpoſitione angelorum: & non cuſtodiſtis.

5 ¶ In quinto verſu. Fremunt ergo tanquam feræ. Lucas in actis apoſtolorum. Audientes autem hæc, diſſecabantur cordibus ſuis: & ſtridebant dentibus in eum. Et de aduerſariis veritatis diſputantibus cum Stephano: paulo antè dixerat. Et non potuerunt reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur: propter quod redarguerentur ab eo cum omni fiducia. *Act. 6.*

6 ¶ In ſexto verſu. Falſos teſtes ſtatuunt. Lucas in actis. Tunc ſummiſerunt viros qui dicerent ſe audiuiſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſem & deum. Commouerunt itaque plebem & ſeniores & ſcribas: & concurrentes rapuerunt eum & adduxerunt in concilium, & ſtatuerunt falſos teſtes qui dicerent, homo iſte non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctum & legem. Cum autem eos vocat hic author viperarum filios: alludit ad illud verbum Ioannis Baptiſtæ, ſcribis & phariſæis dictum. Genimina viperarum: quis dabit vobis fugere à ventura ira? Siquidem pleni erant Iudæi perſequentes Stephanum, veneno crudelitatis & incredulitatis: & à parentibus non minus virulentis progeniti. *Mat. 3.*

7 ¶ In ſeptimo verſu. Agoniſta nulli cede. Verſus iſte & quinque ſequentes, quinimmò etiam decimuſquint⁹ & decimuſſextus: cõtinent verba fidelis populi exhortãtis ſanctũ Stephanum ad conſtantiam & fortitudinẽ animi in paſſione. Non quidẽ quòd huiuſmodi exhortatione indiguerit Chriſti athleta ſtrenuus, qui erat plenus gratia & fortitudine: aut ꝙ ea tum fuerit facta. Sed hoc ſchemate & modo loquendi approbantur & cõmendantur ab omnib⁹ pręclara illa opera, quæ tunc Stephanus egit, quęq; vt faciat incitatur, vt laudatur ipſe mirificeꝙ nulli ceſſerit quod certus de mercede certauerit, & ita de cæteris. Quemadmodũ cum pſalmus dicit. Laudate dominum omnes angeli eius, *Pſal. 148.* & benedicite domino omnes angeli eius, non incitat his *Pſal. 102* verbis angelos ad laudem dei: cũ aſsiduè & indeſinenter deum collaudent. ſed illud in angelis approbat atque commendat:

mendat:quòd iugiter deum laudant. Porrò agoniſta dicitur hic beatus Stephanus:quia durum pro Chriſto ſubiit agonem atque certamen contra Iudæorum improbitatem. Eſt enim Agoniſta:certator,pugil ac athleta,qui in agone decertat ac contendit.

8 ¶In octauo verſu. Synagogam ſathanæ. Rectè hoc nomine vocat author multitudinem illam & turbam Iudæorum:contranitẽtem veritati & elaborantem opprimere Stephanum teſtem euangelicæ gratiæ Synagoga enim Græcum nomen coadunationem & congregationem ſignificat. Illa verò contra Stephanum Iudæorum concurſio concitante ſathana facta eſt, inſtimulantéque facibus æmulationis & zæli animos aduerſariorum opera ſathanæ facientium. Et alludit author eo loco ad illud dictũ in Apocalypſi. Scio tribulationem tuam & paupertatem tuã: ſed
Apoc.2. diues es & blaſphemaris ab iis qui ſe dicunt Iudæos eſſe & non ſunt,ſed ſunt ſynagoga ſathanæ.

10 ¶In decimo verſu. Nomen habes coronati. Nam Stephanos in Græco coronam ſignificat: deducitúrque (vt author eſt Tortellius) à verbo Græco Stephano, quod coronare ſignat. Nomen igitur Stephanus(non quidem Latinam ſed Græcam attendendo formationem)à corona deducitur & denominatur. Atqui ratione nominis illius par fuit illum pati perſecutiones & certare fortiter: ad conſequendam gloriæ æternæ coronam. Nam vt ait
2.Tim.2. Paulus,qui certat in agone non coronabitur niſi legitimè certauerit.

12 ¶In duodecimo verſu. Tibi fiet mors natalis. Nam mors iſta corporis quam hic ſuſtinent martyres: eſt eis vt quædam natiuitas,via & gignentia ad vitam perpetuam. Vnde & diem mortis ſanctorum ecclеſia vocat eorum natalitia. Et pœna iſta temporalis quæ breui momento terminatur:eſt ipſis inchoatio quædam & exordium ad lætitiam ſempiternam & interminam,protinus ſuccedentem.

18 ¶In decimooctauo verſu. Lapidans in omnibus. Per conſenſum ſcilicet in mortem Stephani, & in lapidationẽ illi inflictam. Omnium enim manibus(vt ita dixerim)lapidabat Saulus :qui lapidantium teſtium veſtes aſſeruabat, quandoquidem agentes malum & conſentientes ſimilem contrahuut culpam:& pari ſunt pœna plectendi.

¶In

20 ¶ In viceſimo verſu. Martyrum primitiæ. In veteri teſtamento primitiæ dicebantur primi fructus & ante alios maturi, qui offerebantur deo in ſacrificium: erántque cæteris delectiores & ſacratiores. Ita beatus Stephanus quia inter Chriſti martyres poſt eius aſcenſionem primum ſortitus eſt locum, obtinuitque inter ipſos temporis & ordinis primatum: rectè hic primitiæ martyrum dicitur.

21 ¶ In viceſimoprimo verſu. Auguſtinus aſſerit. In viceſimoſecundo ſcilicet libro de ciuitate dei, capite octauo, vbi multa memoratu digna per reliquias & memoriam beati Stephani facta refert miracula in prouincia Hipponenſi, Calamenſi & aliis Aphricæ coloniis, non ſolum de mortuis ſuſcitatis: verum etiam de iis qui morti admodum propinqui erant integræ ſanitati reſtitutis, de nõnullis horrendo & continuò totius corporis tremore affectis: in priſtinum & ſanum corporis ſtatum redditis, cæcis illuminatis, ac cæteris à variis languoribus & fiſtulæ & calculi liberatis.

22 ¶ In viceſimo ſecundo verſu. Reuelato corpore. Reuelatio illa corporis beati Stephani, fuit per apparitionem Gamalielis, venerabili presbytero Luciano: vt hiſtoria de inuentione corporis eius ab eodem conſcripta commemorat. Et cum antè magna fuiſſet terræ ſiccitas, pluuiæque penuria: ſubleuatis è terra cum debito honore ſanctiſsimis beati Stephani reliquiis ac cineribus, magna pluuiæ inundatio erupit cælóque defluxit: ipſi mundo admodum ſalutaris ac neceſſaria.

23 ¶ In viceſimo tertio verſu. Solo fugat hic odore. De illo ſuauiſsimo odore crediderim hic mentionem fieri: qui tempore inuentionis corporis ſancti Stephani aperto eius tumulo repente perceptus eſt ab aſtãtibus. Et illius fragrantiæ efficacia ac virtute: ſeptuaginta tres homines variis languoribus laborantes illico ſanati ſunt, vt dæmoniaci liberati, cæci illuminati, & claudi erecti, quemadmodũ ſupradictus Lucianus qui interfuit his rebus gerẽdis atteſtatur. Ita petit hic author ad myſticum ſenſum ſe conuertens: vt beatus Stephanus mũdum languidum peccatis, fouere velit, & confortare cæleſtis gratiæ ſuauitate ac odore.

1 *De ſancto Ioanne euangeliſta.*

IOannes: IeſuChriſto multum dilecte uirgo.
2 Tu eius amore carnalem in naui parentem liquiſti.
3 Tu leue coniugis pectus reſpuiſti: Meßiam ſecutus.
4 Tu eius pectoris ſacra meruiſti fluenta potare.
5 Tuq; in terra poſitus: gloriam conſpexiſti filij dei. Quæ ſolum ſanctis in uita creditur contuenda eſſe perenni.
6 Te Chriſtus in cruce triumphans matri ſuæ dedit cuſtodem.
7 Vt uirgo uirginem ſeruares: atque curam ſuppeditares.
8 Tute carcere flagriſq; fractus teſtimonio pro Chriſti es gauiſus.
9 Idem mortuos ſuſcitas: inq; Ieſu nomine uenenum forte uincis.
10 Tibi ſummus tacitum cæteris uerbum ſuum pater reuelat.
11 Tu nos omnes precibus ſedulis apud deum ſemper cōmenda Ioannes Chriſto chare. Amen.

¶ Hæc proſa nullam ſeruat rythmicæ conſonantiæ formam, ſed ſoluto contextu præclara commemorat priuilegia beati Ioannis euangeliſtæ, quibus præ cæteris fuit adornatus: vt ſingularis dilectionis, virgineæ puritatis, recubitus in cœna ſupra pectus domini, & cætera per ordinem in litera digeſta.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Chriſto multum dilecte virgo. Singulari ſiquidem amoris priuilegio Chriſtus Ioannem honorauit: ipſumque cæteris ſyncærius & familiarius dilexit. Proinde in euangelio ſuo, ſuppreſſo proprio nomine: ſe diſcipulum quem diligebat Ieſus ſemper appellat. Quod & Beda teſtatur dicens. Hunc præ cæteris Ieſus diligit: qui virgo ab eo electus, virgo in æuum permanſit.

Mat. 4. 2 ¶ In ſecundo verſu. Carnalem in naui parentem liquiſti. Refert enim Matthæus: quòd Ieſus ambulans iuxta ma

re

te Galilęæ, vidit duos fratres Iacobum Zebedæi & Ioannẽ fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua: & vocauit eos. Illi autem continuò relictis retibus & patre: ſecuti ſunt eum.

3 ¶ In tertio verſu. Tu leue coningis pectus reſpuiſti. Teſtatur hoc Hieronymus in prologo ſuper euangelium Ioannis dicens. Hic eſt Ioannes euangeliſta, vnus ex diſcipulis domini: qui virgo à deo electus eſt, quem de nuptiis volentem nubere vocauit deus. Quam vocationem nonnulli factam tradunt in nuptiis illis celebratis in Chanæ Galilęæ: in quibus aquam in vinum mutauit. Verum incertus eſt huius aſſertionis author: neque ex ſcripturis ea colligitur. Cæterùm Meſsias hebraicum vocabulum: idem eſt ꝙ Chriſtos Græcè, Latinè verò dicitur vnctus. Et ſingulariter dominum noſtrum ſignificat, ſaluatorem mundi: quem deus pater vnxit ſpiritu ſancto. Vnde beatus Andreas à domino vocatus, voléntque Simonem Petrum fratrem ſuum tam ſacræ cognitionis facere participem: dixit illi. Inuenimus Meſsiam quod eſt interpretatum Chriſtus. Ioan. 2.

4 ¶ In quarto verſu. Tu eius pectoris ſacra. Id in vltima cœna factum contigiſſe, ipſemet Ioannes teſtatur: cum innoiſſet ei Petrus ꝙ interrogaret ſecreto à domino, quiſnã diſcipulorum eſſet ipſum traditurus. Verùm quid excellentiæ ſingularis, ille recubitus Ioanni contulerit: declarat Beda cum ait. Neque fruſtra in cœna ſupra pectus domini IESV recubuiſſe Ioannes perhibetur, ſed per hoc typicè docetur quòd cæleſtis hauſtum ſapientiæ cæteris excellentius de ſanctiſsimo eiuſdem pectoris fonte potauerit. Luc. 1. Ioan. 13.

5 ¶ In quinto verſu. Túque in terra poſitus. Id factum eſt quando aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannẽ fratrem eius: & duxit eos in montem excelſum ſeorſum & transfiguratus eſt ante eos. Nam huiuſmodi transfiguratio: erat quædam cæleſtis gloriæ præuia manifeſtatio, & in diſcipulis qui aderant dulciſsima illius prægustatio atque reuelatio. Mt

7 ¶ In ſeptimo verſu. Te Chriſtus in cruce triũphãs. Triumphauit ſanè Chriſt⁹ in cruce de prĩcipe hui⁹ mũdi: cui⁹ vires ſua morte cõfregit. Et à terra exaltari ſuſtinuit: vt in

aere poſit⁹ aereas debellaret poteſtates tenebrarũq; cohortem. Quòd autem matrem virginem Ioanni Chriſtus de cruce commendauerit: ipſe Ioannes in ſuo euangelio & teſtis eſt & aſſertor.

Ioan. 19.

8 ¶ In octauo verſu. Atque curam ſuppeditares. Interdũ ſuppeditare ſignificat opprimere, ſubiugare & quaſi pedibus ſupponere. Cicero. Nunc video, in iudicio mecum cõtendere nõ vis: vbi ſuppeditari turpiſsimum, ſuperare pulcherrimum eſt. Interdum verò eſt ſubminiſtrare atque ſuggerere. Varro. Largiore cibatu ſuſtentare debet: quo facilius lac ſuppeditare poſsit. Et in hac ſecunda acceptione ſumitur hoc loco.

9 ¶ In nono verſu. Tute carcere flagriſque fractus. Quòd in carcerem coniectus fuerit Ioannes cum cæteris condiſcipulis: acta teſtantur apoſtolorum capite quinto. Exurgens (inquiunt) princeps ſacerdotum & omnes qui cum illo erant, quæ eſt hæreſis Saduceorum: repleti ſunt zælo, & iniecerunt manus in apoſtolos & poſuerunt eos in cuſtodia publica. Quòd vero flagris ſiue flagellis fuerit cęſus Ioannes: idem locus oſtendit deinde dicens, quod ſcribæ & phariſæi conuocantes apoſtolos: cęſis denunciauerunt ne omnino loquerentur in nomine Ieſu, & dimiſerũt eos. Denique quòd Ioãnes gauiſus ſit pro teſtimonio Chriſti: ſequens declarat eiuſdem loci ſententia. Ibant (inquit) apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Porrò in hoc verſu, tute vnica eſt dictio: ex pronomine tu & ſyllabica adiectione te compoſita, & idem ſignificans atque tu ipſe. Virgilius in bucolicis. Verùm id quod multo tute ipſe fatebere maius. Fractus autem participium: hic idem ſignat quod afflictus, vexatus & cruciatus. At qui fractis in ablatiuo plurali, hoc loco legunt: haud facilè aptum ſenſum aſsignare poſſunt, præſenti materiæ congruentem.

Act. 5.

Act. 5.

10 ¶ In decimo verſu. Idem mortuos ſuſcitas. Ex Pathmo inſula Epheſum reuerſus Ioannes, Druſianam mulierẽ religioſam (quæ ad introitum eius in vrbem: efferebatur mortua) reuocauit ad vitam. Duos etiam extinctos hauſti letiferi veneni, quod ipſe poſt eos facto ſanctę crucis ſigno impune & ſine lęſione bibit: ſuſcitauit à morte, vt authoris

vitæ domini Ieſu nomen honorandum doceret & confitendum.

11 ¶ In vndecimo verſu. Tibi ſummus tacitum cæteris. Nullùs quippe aliorum euangeliſtarum, de verbi diuitate vſque adeo apertè & alte diſſeruit: vt Ioannes. Qui inſtar aquilæ cæteris ſublimius euolans, verbum quod erat in principio apud deum & quod erat deus, altiloquo ſermone explicuit. Cæteri verò euãgeliſtæ: potius humana Chriſti opera deſcribere ſtuduerunt. Idipſum & Beda perhibet dicens, quòd Ioannes ſingularis priuilegio meruit caſtitatis: vt cæteris altius ſcripturæ conditoribus diuinitatis ipſius Chriſti caperet ſimul & patefaceret arcanum.

13 ¶ In decimotertio verſu. Ioannes Chriſto chare. Hic potius Chriſto quam Chriſti (vt nonnulli habent libri) legendum cenſuerim. Nam charus, datiuum aptè recipit: genitiuum nunquam, cum non tranſeat in ſubſtantiuum nomen: ſicut amicus, inimicus, ſocius, & ſimiles. Adde quòd in principio huius proſæ, dictio dilectus cum datiuo collocata eſt, quare vt finis reſpondeat initio, nomen char⁹ cognatæ ſignificationis cum datiuo poni debet.

De ſancto Ioanne euangeliſta: alia proſa.

1 Gratulemur ad feſtiuum,
Iocundemur ad uotiuum
Ioannis præconium.
2 Sic uerſetur laus in ore:
Ne fraudetur cor ſapore
Quo deguſtet gaudium.
3 Hic eſt Chriſti prædilectus,
Qui reclinans ſupra pectus
Hauſit ſapientiam.
4 Huic in cruce commendauit
Chriſtus matrẽ hic ſeruauit
Virgo uiri neſciam.
5 Intus ardens charitate,
Foris lucens honeſtate,
Signis & eloquio.
6 Vt ab æſtu criminali:
Sic immunis à pœnali,
Prodiit ex dolio.
7 Vim ueneni ſuperauit,
Morti, morbis imperauit,
Necnon & dæmonibus.
8 Sed uir tantæ poteſtatis,
Non minoris pietatis
Erat tribulantibus.
9 Cum gemmarum partes fractas

Solidaſſet, has diſtractas
Tribuit pauperibus
10 *Inexhauſtum fert theſaurum:*
Qui de uirgis fecit aurum,
Gemmas de lapidibus.
11 *Inuitatur ab amico*
Conuiuari, Chriſtum dico
Viſum cum diſcipulis.
12 *De ſepulchro quo deſcendit,*
Rediuiuus ſic aſcendit
Frui ſummis epulis.
13 *Teſtem habes populum*
Immo ſi uis oculum,
Quod ad eius tumulum
Manna ſcatet, epulum
De Chriſti conuiuio,
14 *Scribens euangelium,*
Aquilæ fert proprium.
Cernens ſolis radium,
Scilicet principium
Verbum in principio.
15 *Huius ſignis eſt cõuerſa*
Gens, gentilis, gẽs peruerſa
Gens totius Aſiæ.
16 *Hui⁹ ſcriptis illuſtratur*
Illuſtrata ſolidatur
Vnitas eccleſiæ.
17 *Salue ſalui uas pudoris*
Vas cæleſtis plenum roris,
Mundum intus, clarũ foris
Nobile per omnia.
18 *Fac nos ſequi ſanctitatẽ*
Fac per mentis puritatem
Contemplari trinitatem
In una ſubſtantia. Amen.

¶ Hęc proſa rythmicę cõſonãtię legẽ exactè obſeruat: eodẽ ferè modo cõpoſita, quo proſa illa de ſctõ Stephano heri mũd⁹ exultauit, paulo antè declarata. Author ei⁹ fuiſſe perhibetur eximius pater & nõ minus religione quàm doctrina præclarus, Adam de ſancto Victore, in modulandis proſis eccleſiaſticis admodũ elegãs: vt hęc vna nõ obſcurũ præſtat argumentũ. Cõtinet autẽ inſignia & cõplura beati Ioannis euangeliſtę pręconia ob ſingulares virtutũ & gratiarum pręrogatiuas, quibus ante alios mirificè emicuit. Siquidem omnes ſanctorum ordines gradus & titulos, ipſe vnus complexus eſt: angelus officio, nouę legis patriarcha propheta, apoſtolus, euangeliſta, martyr, confeſſor & virgo, quod in aliis ſanctis inuenire per rarum eſt.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu, Gratulemur ad feſtiuũ. Feſtiuũ hic dicitur: quod ſolenne eſt & celebre. Inde feſtiuitas pro die feſto in eccleſiaſticis orationibus ſæpenumero ſumitur. Votiuum verò eſt: quod ex voto

dari

diri promittitur. Horatius. Paſcitur in veſtrum reditũ votiua, iuuenca. Votiua autem verba dicuntur: quibus in faciendis votis vtimur, & votiuæ preces: quibus aliquid cum voto poſcimus. Ita & votiuum præconium: quod ex voto cuiquam ante facto exoluitur aut magno voto exoptatur. Interdum enim id etiam votiuum dicitur, quod ardentib⁹ votis expetitur. Hieronymus. Votiuum tunc Chriſtianis erat: pro nomine dei gladio percuti.

2 ¶ In ſecundo verſu Ne fraudetur cor ſapore. Si ſola lingua dei aut ſanctorum perſonet laudem, & animus ad eam non attendat: non percipit ille laudans internam dulcedinem & delectationem in huiuſmodi laude, quam ſolis labiis perſtrepit: Itaque petit hic author quòd non ſolum lingua, ſed & mens noſtra exoluat deo laudem: vt ipſa interius guſtare poſsit quoniam ſuauis eſt dominus, & ſpiritualı gaudio perfundi.

6 ¶ In ſexto verſu. Vt ab æſtu criminali. Quemadmodũ (inquit) beatus Ioannes fuit immunis ab æſtu & concupiſcentia carnis, quæ plerunque crimen habet annexum: ſic etiam ab æſtu pœnali, feruentis ſcilicet olei euaſit illæſus, quando ab impio Domitiano miſſus in dolium bullientis olei, vegetior & integrior indè exiuit quàm intrauerat. Sicut etiam Beda in homilia euangelij præſentis ſolennitatis aſſerit dicens. A Domitiano Cæſare in feruentis olei dolium miſſus Ioannes: in eccleſiaſtica narratur hiſtoria, ex quo tamen diuina ſe protegente gratia tam intactus exiuerat: quàm fuerat à corruptione concupiſcentiæ carnalis extraneus.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Vim veneni ſuperauit. Pontifices idolorum concitata in beatum Ioannem ſeditione: mortiferum illi venenum hauriendum obtulerunt, quod ille ſine aliquo nocumento facto crucis ſignaculo: hauſit intrepidus. Morti inſuper imperauit: quoniam duos viros illo extinctos veneno reuocauit ad vitam. Morbis itidem imperauit & dæmoniis, quoniam variis detentos morbis ſola oratione ſanitati reſtituit, & dæmones energuminorum corpus expulit.

9 ¶ In nono verſu. Cum gemmarum partes fractas. Crathon philoſophus conuocato in forum populo precioſiſsimas gemmas patrimonio duorum nobiliſsimorũ iuuenũ.

Epheſiorum diuendito comparatas: in fruſta comminuit, vt contemnêdi huius mundi, ſpectaculum publicè proponeret Hanc autem vanam mundi deſpicientiam & quæ ſolum ad oſtentationem erat atque aucupandam auram popularem, meritò reprehendens beatus Ioannes illac tum fortè tranſitum faciens: dixit illarum gemmarum precium potius (vt docuit chriſtus) pauperibus erogandum fuiſſe: vt exinde dei gloria & proximi ſubleuatio porcuretur. Et ſuggerente Crathone gemmas illas confractas oratione ſua redintegrauit: illiſque venditis pecuniam eam totã pauperibus diſtribuendam curauit. 10 ¶ In decimo verſu. Qui de virgis fecit aurum. Duo alij adoleſcentes honoratiſsimi, priorum exemplo incitati: venditis omnibus bonis & in pauperes diſpartitis, beatum Ioannem conſectati ſunt, Verùm paulo poſt conſpicati ſeruos ſuos nitido cultu & ſplendido ornatos, cum ipſi paliolo vili & tenui induerentur amictu: grauiter illam ſortem & conditionem ſuam indoluerunt, ſuſpirantes ad præteritæ vitæ delitias ac pompam. Id vbi animaduertit apoſtolus: iuſsit eos virgas & lapides è litore maris colligere, allatóſque ſibi commutauit in aurum & gemmas precioſas. Quas illis tradês, ite, inquit, & redimite vobis terras quas vendidiſtis: quia cælorum prædia ſimul & præmia perdidiſtis.

11 ¶ In vndecimo verſu Inuitatur ab amico. Cum graui ſenio confectus eſſet beatus Ioannes: apparens illi dominus cum diſcipulis ſuis iam glorioſa morte conſummatis inuitauit ipſum cum ſumma humanitate ad cæleſtis gloriæ conuiuium dicens. Veni dilecte mi: tempus eſt vt epuleris mecum in regno meo cum fratribus meis. Cæterùm hanc ſententiam in hoc verſu complectens author, cum in principio dicit quod Ioannes inuitatur ab amico: quénam amicum hoc generali nomine ſpeciatim intelligat, deinde explanat. dicitque amici nomine ſe ibi Chriſtum intelligere: viſum cum diſcipulis in illa ſacra apparitione. 12 ¶ In duodecimo verſu, De ſepulchro quo deſcendit. Hic ſentire videtur author quod beatus Ioannes poſt quam coram omnibus deſcendit in ſepulchrum quod ſibi iuſſerat effodi: placida illic morte ſolutus eſt. & aliquanto interiecto tempore (quod deus nouit) ad immortalem reſuſcitatus vitam per completam reſurectionem: [illegible] in cor-

in corpore glorificato & anima ad cæleſtẽ gloriam aſſumptus eſt. Quæ quidem ſententia ex eo ſumit robur & argumentum, quod nullæ ſacri illius corporis reliquiæ, aut veſtigia, in loco ſepulturę eius poſtea ſunt inuenta. Et ſane hæc vna inter varias quæ de fœlici vitæ eius exitu feruntur ſententias: cenſetur potiſsima, & potius quàm cæteræ amplectenda.

13 ¶ In decimotertio verſu. Teſtem habes populum. Fœlicis illius glorificationis beati Ioannis tam in corpore ꝙ anima, hoc affertur hic teſtimoniũ, ꝙ ex eius tumulo manna continuè ſcaturire cernitur tãquam ſignum quoddam & indicium illius dulciſsimæ refectionis, qua beatus Ioannes in regno cæleſti ſatiatur. Verùm omnino ſpiritualis & inuiſibilis eſt ille ſupernæ gloriæ cibus: per ſenſibile tamẽ illud manna ſignatus.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Scribens euangelium. In myſtica viſione quatuor animalium ſanctos euangeliſtas ſignantium (quæ & Ezechieli prophetæ & ipſi Ioanni in Apocalypſi eſt oſtenſa) beatus Ioannes figuratur per aquilam volantem. Nam Beda authore in homilia primi *Eze.1* euangelij Ioannis: cunctis auibus aquila celſius volare, *Apoc.4* cunctis animantibus ſolis radiis clarius infigere cõſueuit obtutus, & cæteri euangeliſtæ quaſi in terra ambulant cũ domino: qui temporalem eius generationẽ pariter & facta temporalia ſufficienter explanantes, pauca de diuinitate dixerunt. Hic autem quaſi ad cælum volat cum domino, qui per pauca de temporalibus eius actis ediſſerens, æternã diuinitatis eius potentiã per quam omnia ſunt facta, ſublimius mente volando & lympidius ſpeculando cognouit ac nobis cognoſcenda ſcribendo contradidit. Hæc Beda. Vidit autem Ioannes more aquilæ radium ſolis myſticè, vt hic dicit litera: quoniam filium dei cognouit æterna generatione prodeuntem à patre, vt radius emanat à ſole. Vidit & principium verbum in principio, quoniam verbum dei contemplatus eſt, quod de ſeipſo Iudæis interrogantibus quis ipſe eſſet, reſpõdit. Principium, qui & *Ioan.8* loquor vobis. Et in Apocalypſi ſæpius de ſe dicit. Ego ſũ *Apoc.1* alpha & ω, principium & finis. Idem autem verbum erat in principio ſcilicet patre: qui primum omnium & primarium eſt principium. Hæc autem ſacra myſteria vidit Ioannes:

annes: cùm diuino repletus ſpiritu eructauit illud euangelij exordium. In principio erat verbum: & reliqua quæ ſequuntur. 15 ¶ In decimoquinto verſu. gens toti⁹ Aſiæ.
Ioan.1 Aſia eſt tertia pars orbis quo ad numerum, ſecundum magnitudinem verò dimidia. Continet per multas regiones potiſsimum vergentes ad orientem: vt Phrigiam, Lyciam, Armeniam, Lycaoniam, Indiam, & cæteras. In ea itidem eſt Epheſus vrbs celeberrima: in qua potiſsimum beatus Ioannes rexit eccleſiam, & in conterminis illi ciuitatibus epiſcopos conſtituit, verbúmq; dei indefeſſe populo prædicauit, vt eius ſtudio ac opera, plurima regionum Aſianarum turba ad dominum fuerit conuerſa. 16 ¶ In decimoſexto verſu. Huius ſcriptis illuſtratur. ſcilicet eius euãgelio: quod poſt cæteros tres euangeliſtas (vt hiſtoria tradit eccleſiaſtica) conſcripſit: inſuper tribus ipſius epiſtolis catholicis: quæ vulgò canonicæ nuncupantur: & denique Apocalypſi: quam de futuro eccleſiæ ſtatu domino reuelante in Pathmo inſula quod relegatus fuerat, contexuit.

De ſanctis Innocentibus

LAus tibi Chriſte, patris optime nate: deus omnipotentiæ. Quem cælitus iubilat ſuper aſtra manentis plebis dec⁹ harmoniæ. 2 *Quem agmina infantium ſonoris hymnis collodant: ætheris in arce.* 3 *Quos impius ob nominis odiũ tui miſero ſtatuit vulnere.* 4 *Quos piè nunc remuneras in cælis: Chriſte: pro pœnis nitidè.* 4 *Solita vſus gratia: qui tuos ornas coronis ſplendide Quarum præcibus ſacris dele præcamur piè, noſtre crimina vitæ..* 5 *Vt quos laudibus tuis iunxeras: nobis iſtic donec clemens fauere. Illis æternæ dans lumẽ gloriæ.* 6 *Nobis terrena concede vincere. Vt liceat ſerenis actibus plene nos adipiſci dona tuæ gratiæ.* 7 *Herodis ut nõ fiat ſocius: quiſquis in horum laude ſe exercet propere. Sed æternaliter cum eiſdẽ cateruis tecũ ſit domine. Amẽ*

¶ Hæc proſa nihil habet rythmicæ cõſonantiæ, niſi quòd omnes eius verſus eodem terminantur exitu & omnes in e vocalem deſinunt: tanquam induſtria ſtuduerit.

author

author obſeruare. Continuam ad Chriſtum orationem dirigit, vt ſanctorum innocẽtium (qui ſanguinem ſuum pro ipſo fuderunt) precibus ac meritis noſtra clemens peccata deleat, & cæleſtis coronæ nos faciat conſortes.

1 ❡ ANNOTATIONES. Deus omnipotentiæ. Ab attributis adiectiuis quæ deo conueniunt, deducta ſubſtãtiua: frequenter in genitiuo caſu ei coniungũtur, vt deus verax dicitur omnipotens, miſericors, conſolator, ita deus veritatis, deus omnipotentiæ, deus miſericordiarum, & cõſolationis, vt propheta in pſalmo. Redemiſti me domine deus veritatis. Et à beato Paulo dicitur ipſe deus pater miſericordiarum & deus totius conſolationis. Alio quoque loco: deus pacis & dilectionis. Itaque hoc loco deus omnipotentiæ dicitur: id eſt deus omnipotens. *Pſal. 30* *2. Cor. 1* *2. Cor. 13*

2 ❡ Quem cælitus iubilat. Verbum iubilare ſuaptè natura neutrale eſt: ſignificátq; ob gaudij interioris magnitudinem geſtire, exterioréq; indicio illud exprimere. Interdum tamen in vim tranſit actiui verbi, deſignátque iubilando laudare aut decantare: & accuſatiuum ſecum admittit, vt in Eſaia. Iubilate montes laudem, & hoc etiam in loco. In eodem quoque verſu, decus harmoniæ plebis manentis ſuper aſtra: dicitur veneratio ipſius conſonãtiæ & collaudationis ſanctorum ſpirituum in cælis habitãtiũ, ſiue vt clarioribus vtar verbis: tota cæleſtis curia, nam eo in loco res plana verbis obſcuris in litera exprimitur. *Eſa. 9*

3 ❡ Quos impius ob nominis odiũ tui Impius: Herodes ſæuus & crudelis: qui non exhorruit innoxium puerorum ſanguinem effundere, vt in illis Chriſtum perſequeretur.

4 ❡ Pro pœnis nitide. Pro pœnis, pro ſuppliciis, & tormentis quæ pertulerunt infantes in ſui occaſione. Dictio autem nitide, ſicut & in ſequente verſu ſplendide, aduerbium eſt: & verbo remuneras adiungitur.

5 ❡ Vt quos laudibꝰ tuis iũxeras. Iunxit Chriſtus ſanctos illos infantes ſuæ laudi: cum pro eius nomine ſunt occiſi. Nã etſi nõ lingua, tamẽ opere ac moriẽdi offico Chriſtũ laudarunt: cũ ita ab Herode trucidati ſunt, vt in vnoquoque eorum Chriſtus crederetur occidi. Nunc autem lõgè perfectius eos ſuæ iungit laudi: quoniã ante thronũ dei cantant canticum nouum, & ſequuntur agnum quocunque ierit, quemadmodum dicit Ioãnes in Apocalypſi. *Apoc. 19*

Vt

6 ¶ Vt liceat ſerenis actibus. Aer ſerenus dicitur, cũ terſus eſt, & nequaquam obductus nubibus aut caligine obſcuratus. Ita & actus noſtri dicuntur ſereni: quando ſine concupiſcentiæ aut ſiniſtri affectus nubilo in puritate & claritate interna offeruntur domino.

7 ¶ Herodis vt non fiat ſocius. In perferendo ſcilicet ſupplicio æterno, damnationéque perpetua. Nempe Herodes ob effuſum ſanguinem innocentum & nimiam crudelitatem: quam etiam in domeſticos exercuit, neque alienos ſolum, ſed & proprios filios interfecit, funeſtáq; clade totámque fœdauit ſuam domum, quinimmo & a ſeipſo occidendo vix manus cõtinuit, vt author eſt Ioſephus: creditur infernis pœnis eſſe perpetuò addictus. Quod & in Parthenice ſua Mariana: ita expreſſit Mantuanus.
Iam ferus Herodes fato ſublatus, ad vndam.
Raptus erat ſtygiam, æterna cruciandus erynne.

De ſanctis innocentibus, alia proſa.

CElſa pueri concrepent melodia. Pia innocentum colentes tripudia. Quos infans Chriſtus hodie uexit ad aſtra. Hos trucidauit frendens inſania. Herodianæ fraudis ob nulla crimina.

1 *In Bethleem ipſius cuncta & per confinia. A bimatu & infra, iuxta naſcẽdi tempora. Herodes rex Chriſti nati uerens infœlix imperia. Infremit totus, erigit arma, ſuperba dextra. Quærit lucis & cæli regem, cũ mente turbida.*

2 *Vt extinguat, qui uitam præſtat, per ſua iacula.*

3 *Dum non ualent intueri lucem ſplendidam, nebuloſa quærentis pectora. Ira feruet, fraudes auget Herodes ſæuus: ut perdat piorum agmina. Caſtra militum dux iniquus aggregat, ferrum figit in membra tenera.*

4 *Inter ubera lac effundit, antequam ſanguinis fierent coagula. Hoſtis naturæ natos euiſcerat atque iugulat. Antè proſternit, quàm ætas paruula ſumat robora. Quã beata ſunt innocẽtũ ab Herode cæſa corpuſcula. Quàm*

fœlices

fœlices exiſtunt matres: fuderunt quæ talia pignora.
5 O dulces innocentum acies: ò pia lactentum pro Chri
ſto certamina. Paruorum trucidantur milia: membris ex
teneris manant lactis flumina.
6 Ciues angelici ueniunt obuiam, mira uictoria uitæ ca-
ptat præmia, turba candidiſsima. Te Chriſte petimus men
te deuotiſsima, noſtra qui uenisti reformare ſecula, inno-
centum gloria. Perfrui nos concedas per æterna. Amē.

Hæc etiam proſa, rythmicæ modulationis regula non coercetur: ſed vt præcedens ſolutis ſpaciatur habenis, omnes tamen verſus conſimilē ferè habent exitum in a vocalem: quaſi dedita opera ab authore obſeruatum.

In ipſa incitantur fideles ad decantandas ſanctorum innocētū laudes; qui in tenella ætate & criminis adhuc neſcia, crudeliter ab Herode ſunt interempti. Cuius infandum facinus & horrēda crudelitas multis in litera ſugillatur modis, & meritò vituperatur: vt quæ non ſatis culpari damnarique poſsit.

1 ℂ ANNOTATIONES. A bimatu & infra. Bimus, trimus, quadrimus, quimus, qui duorū, triū, quator, quinque annorum habet ætatis ſpacium. Inde bimatus, trimatus, quadrimatus, quimatus, ſpacium duorum, trium, quatuor, quinque annorum, potiſſimum ad ætatem ſpectans. Suetonius de Auguſto. Quadrimus patrem amiſit. Et Plinius de quarundā regionum hominib⁹ loquens ait. Vita fœminis quindecim annis longiſſima, maribus viginti: robur in quimatu. Iuſſit itaque Herodes occidi infantes à bimatu & infra, iuxta naſcendi tempora: quoniam pueros qui duorum habebant annorum ætatem aut etiam minorem vt vnius anni, iuſſit trucidari: ſecundum tempora natiuitatis Chriſti quæ diſquiſierat. Nempe ſecundum tempus ſtellæ quod exquiſierat à Magis ſatis cōiectabat Chriſtum natum tunc non excelſiſſe illud temporis ſpacium. Matth. 2

2 ℂ Vt extinguat qui vitam præſtat. Accuſatiuus ille cū præpoſitiōe ſumptus, per ſua iacula, cum verbo extinguat ordinari debet, & non cum propinquiore verbo præſtat, vt hic habeatur ſenſus, vt Herodes extinguat per ſua iacu

la & armã, eum qui præſtat vitam: Chriſtum ſcilicet, qui omnibus eſt author vitæ. 3 ❡ Dum non valent intueri. Hic in plurali numero valent eſt legendum, vt verbum illud plurale ordinetur cum nominatiuo plurali, nebuloſa pectora. Nã ſi valet in numero ſingulari quis legat (ſicut aliqui habent libri) & illud ad Herodem referat: difficile admodum erit aſsignare verbum cui coaptetur ea dictio, nebuloſa pectora. Genitiuus autem ille quærẽtis in eadem poſitus in oratione: Herodem indicat & ſignat, quærentem occidere Chriſtum. 4 ❡ Antequam ſanguinis fierent coagula. Coagulum eſt quicquid denſat atque cõiungit aliqua, vt lac, ſanguinem atque ſimilia. Tibullus. Et miſcere nouo docuiſſe coagula lacte. Venitque à verbo coagulo, as, are, quod cogere atque conſtringere ſignificat, vt in pſalmo. Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum. Interdũ verò coagulum ſumitur, pro ipſa coniunctione: ſicut hoc in loco vbi tantam fuiſſe notat Herodis crudelitatem: ꝙ infantes occidendo non tam ſanguinẽ eorum ef-
Pſal.118 fuderit ꝙ̃ lac, quod paulo antè maternis vberibus exuxerant: antequã ex illo fieret ſanguinis coagulatio, ſiue antequam illud lac per naturæ digeſtionem conuerteretur commutatúmque eſſet in ſanguinem. Quare in ipſis pro ſanguine (inquit) effluxit lac recens à matribus hauſtum, quòd expreſſius ſequenti loco explicat author: cù ait, mẽbris ex teneris manant lactis flumina. 5 ❡ O pia lactentum pro Chriſto certamina. Hoc loco lactentum legendũ eſt, per e in ſecunda ſyllaba: & venit à ſecundæ coniugationis verbo lacteo, es, quod neutrale eſt & ſignificat lac ſuggere. Neque dicendum hic eſt lactantum per a in media ſyllaba. quod venit à primæ coniugationis verbo actiuo lacto, as, ſignificante lac præbere & alteri ſubminiſtrare. Siquidem ſancti innocẽtes, lactentes dicẽdi ſunt, non lactantes. 6 ❡ Ciues angelici veniunt obuiam. Perperam in nõnullis libris hoc loco ponitur præpoſitio in, poſt verbum veniunt: eo modo, ciues angelici veniunt in obuiam, quinpotius ea præpoſitio expungẽda eſt illic ac auferenda. Nã non eſt apta connexio præpoſitionis cum aduerbio, pro caſu illius poſito. Obuiam autem in eo loco aduerbium eſt: tantundem ſignificans atque in occurſum, quemadmodum ſermo latinus hanc probat orationem:
Ioannes

Ioannes venit mihi obuiam, non autem iſtam: Ioannes venit mihi in obuiam.

1 *Domica intra octauas natiuitatis domini.*

SPlendor patris & figura
Se cõformans homini.
2 *Poteſtate non natura:*
Partum dedit uirgini.
3 *Adam uctus tandem lætus:*
Nouum promat cãticum
4 *Fugitiuus & captiuus:*
Prodeat in publicum.
5 *Eua luctum, uitæ fructum*
Virgo gaudens edidit.
6 *Nec ſigillum propter illum*
Caſtitatis perdidit.
7 *Si cryſtalllus ſit humecta*
Atque ſoli ſit obiecta:
Scintillat igniculum.
8 *Nec cryſtallus rumpitur:*
Nec in partu ſoluitur
Pudoris ſignaculum.
9 *Super tali genitura*
Stupet uſus & natura:
Deficitq; ratio.
10 *Res eſt ineffabilis:*
Tam pia, tam humilis:
Chriſti generatio.
11 *Frondem, florem, nucem, ſicca*
Virga profert, & pudica
Virgo dei filium.
12 *Fert cœleſtem uellus rorem:*
Creatura creatorem,
Creaturæ precium.
13 *Frondis, floris, nucis, roris,*
Pietati ſaluatoris
Congruunt myſteria.
14 *Frons eſt Chriſtus protegendo.*
Flos dulcore, nux paſcẽdo.
Ros cœleſte gratia.
15 *Cur quod uirgo peperit,*
Eſt Iudæis ſcandalum?
Cum uirga produxerit
Sicca ſic amygdalum.
16 *Cõplemur adhuc nucẽ,*
Nam prolata nux in lucẽ,
Lucis eſt myſterium.
17 *Trinã gerẽs unctionẽ.*
Tria, confert, unctionem,
Lumen, & edulium.
18 *Nux eſt Chriſtus cortex nucis*
Circa carnẽ pœna crucis.

Teſta,

Teſta corpus oſſeum.
19 *Carne tecta deitas,*
Et Chriſti ſuauitas,
Signatur per nucleum.
20 *Lux eſt cæcis, & unguentum.*
Chriſtus ægris, & fomētum
Piis animalibus.
21 *O quàm dulce ſacramentum*
Fœnum carnis in frumentum
Conuertit fidelibus.
22 *Quos ſub umbra ſacramenti*
Ieſu paſcis in præſenti,
Tuo uultu ſatia.
23 *Splendor patri coæternæ,*
Nos hinc transfer ad paternæ
Claritatis gaudia.

Amen.

Hæc proſa multiformem ſortitur in diuerſis verſibus rythmi ſpeciem. Nã primi ſex verſus complectuntur quiſque duas tantum clauſulas rythmicas: vario tamen modo. Nam in duobus primis verſibus, clauſulæ illæ alternis locis conſonant: vt prima vnius verſus primæ alterius in ſimili ſyllabarum exitu reſpondeat, & ſecunda ſecundæ. In reliquis autem quatuor verſibus, prima cuiuſq; earum clauſula conſonantiam aſſeruat & ſimilem ſyllabarum vocalitatem in medio ſui & fine. Secunda verò vnius verſus habet concinnitatem ad ſecundam proximi verſus clauſulã. At verò reliqui omnes huius proſæ verſus præter decimumquintum (qui quatuor completur clauſulis rythmicis, alterum ſeruantibus in conformi cadētia reſponſum, vtpote prima ad tertiam, & ſecunda ad quartam) tres cōplectuntur clauſulas modulatione rythmica compactas, quarum duæ primæ eiuſdem verſus ſemper adinuicē conſonãt: & tertia vnius verſus in conſimili ſonoritate refertur ad tertiam proximi verſus. In his autē omnibus rythmorum formis, interdum vna clauſula octo cōpletur ſyllabis: quarum penultima eſt longa. Interdum verò duntaxat ſeptem conficitur ſyllabarum contextu vna rythmica clauſula: & tunc penultimam continet breuem. Verũ hęc omnia melius ex ſola lectione ipſius proſæ attenduntur: quàm regulis certis aut exacta deſcriptione tradi poſsint.

Author

Author eius: venerandus pater Adam de ſancto victore, qui religioſam, regularisque diſciplinæ obſeruantiſſimam domum ſancti Victoris in Pariſiorum ſuburbiis con ſtructam, cumuixit: inſigni doctrinæ ſplendore & vitę ſanctimonia illuſtrauit. Apud quam: & hanc proſam & alias quàmplurimas ſuis in locis annotatas & deinceps annotandas, illi vt authori aſcriptas inueni. Eóque ſubnixus teſtimonio, eidem illas inſcripſi: & quaque earum ſuo loco ipſi (vt ex cuius emanauerit officina) aſsignaui. Commendatur in illa myſterium dominicæ natiuitatis ob ineffabilem filij dei benignitatem: qui de matre virgine dignatus eſt noſtrę ſubſtantiæ formam aſſumere, ad redimendum genus humanum miſera captiuitate diaboli detentum. Inſuper virginalis integritas matris dei oſtenditur non fuiſſe læſa in partu illo admirabili, & naturali rerum ſenſibilium ſimilitudine & figuris myſticis veteris teſtamenti: ad præſignificandum hoc miraculum à deo quondam exhibitis. Applicantur deinde figuræ illæ frondentis virgæ & roſidi velleris conuenienter & rectè ipſi rei ſubiectę: oſtenduntúrque ipſi Christo congruenter adaptari, quemadmodum annotationes latius ediſſerent.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Splendor patris & figura. Hac appellatione Chriſtus dei filius hic inſinuatur: qui à beato Paulo in epiſtola ad Hebræos dicitur ſplendor gloriæ patris & figura ſubſtantiæ eius. Splendor inquam: quia candor eſt lucis æternæ & emanatio claritatis omnipotentis dei haud ſecus à patre prodiens atque ſplendor à luce. Figura verò ſubſtantiæ patris appellatur dei filius: quia character eſt & ſignaculum hypoſtaſeos atque ſubſiſtentiæ patris, imagóque dei inuiſibilis. At verò dei filius tantæ ſublimitatis & maieſtatis, ſe conformauit homini: quoniam exinaniuit ſeipſum formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo. 3 ¶ In tertio verſu. Adam vetus tandem lætus. Adam vetus dicitur primus parens: ex quo totum genus humanum ſecundũ carnẽ propagatum eſt. Ve t⁹ aũt vocatur in collatione ad Chriſtũ, tẽporis ordine (ſi carnẽ attendas) illo poſteriorẽ: qui nouus dicitur Adã, & ſalutis humanę reparator ac author, quẽadmodũ in 1. lib. iã dictum eſt in expoſitione hymni. Agnoſcat omne ſeculum

Heb. 1. Sap. 6 Col. 1. Phil. 2

veniſſe vitæ præmium, vbi verſus ille occurrit explanandus. Adam vetus quod polluit: Adam nouus hoc abluit. Quoniam enim per priorem Adam, peccati vetuſtas mundo eſt illata: per poſteriorem verò inducta nouitas vitæ per gratiam: rectè ille vetus, hic verò nouus dicitur. Verũ cum hic vetus Adam nominatur, non ſolum primus parẽs quantum ad ſuam ipſius perſonam debet accipi: ſed & totum genus humanum, per ipſum in peccati vetuſtatem demerſum. Illud ſiquidem à deo profugum erat & damnatũ exilio: propter antiquam protoplaſti tranſgreſsionem, erat & redactum in captiuitatem principis tenebrarum: duróque illius imperio miſerè ſubiectum. Nunc verò inuitatur ad lętitiam & gaudium in domino, ad concinendum deo canticum nouum: ob nouum redemptionis beneficiũ, nouéque legis gratiam. Prouocatur identidem hoc loco genus hominum ad prodeundum fidenter in publicum: tanquam libertate donatũ & in libertatem aſſertũ, ꝙ prius ob miſeram ſeruitutis & captiuitatis ſortem delituit: non audens præ confuſione & verecundia, ora ſua exerere.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Si cryſtallus ſit humecta. Per rei ſenſibilis exemplum fit hic manuductio ad intelligendum quod ſacroſancta virgo & mater dei manſit in partu inuiolata. Si (inquit) cryſtallus humore perfundatur aqueo, & obiiciatur radio ſolis: ſcintillas ignis emittit, abſque ſui tamen diruptione aut fractione. Ita ſanè deipara virgo inſtar cryſtalli perlucida & omnigenæ virtutis ſoliditate cõpacta, cæleſti rore & obumbrante eam ſpiritus ſancti gratia perfuſa: edidit mundi ſaluatorem ignea charitate rutilantem, abſque vlla tamen virgineæ ſuæ puritatis labefactatione atque læſione.

Num. 17. 11 ¶ In vndecimo verſu. Frondem, florem, nucem, ſicca. Quemadmodum liber Numeri refert: virga Aaron prorſus arida, diuina virtute fronduit, floruit, & fructum protulit. Regreſſus enim (inquit) Moyſes ſequenti die poſtquam eam poſuerat in taberuaculo teſtimonij coram domino: inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt. Eodem quoque modo ſupra naturæ legem & iura, virgo ſanctiſsima, ſola dei virtute peperit intacta filium.

Iudicum 6.

¶ In

13 ¶ In duodecimo verſu. Fert cæleſtem vellus rorem. Petiuerat Gedeon à domino ſignum futuræ per ipſum victoriæ contra Madianitas: quòd ros in ſolo foret vellere explicato in area,& in omni terra ſiccitas,quod & factum eſt,Erat autem vellus illud ſacroſanctæ virginis ſymbolū ac ſignum quæ diuino irrigata rore ſanctique ſpiritus gratia dei filium ędidit:creatura ſcilicet ſuum creatorem, qui vtique eſt creaturæ precium. Nam in cruce oblatus eſt ꝑ nobis in precium redemptionis noſtræ: qui ſumus creatura dei.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Frons eſt Chriſtus protegendo. Ambæ illæ figuræ ex veteri teſtamento deprōptæ in vndecimo & duodecimo verſu iam explicatis hoc loco accommodantur propoſito ,paucisque conſtringit hic verſus quomodo Chriſtus myſticè dicitur frons ſiue folium, flos,& nux,ex arida virga producta,quanam itidem ratione etiam ros dicitur:velleri Gedeonis placido illapſu infuſus. Chriſtus(inquit)frons dicitur:quoniam ſuos protegit ab æſtu vitiorum,ne per diem ſol eos vrat neque luna per noctem,ſicut folium arboris protegit ſuum fructum: ne lędatur ardore feruoréque ſolis. Flos verò idem dicitur propter ſuauiſsimum virtutum omnium odorem,quem mira dulcedine totum diſperſit in orbem. Ego(ait)flos campi & lilium conuallium. Tertio verò loco Chriſtus eſt nux ſpirituali nuncupatione:quòd animas fideles paſcat ſua ſalutari doctrina,quinimmò & ſui ſacratiſsimi corporis ferculo,quemadmodum nux ipſa materialis gratum eſt hominibus edulium. Idipſum in euangelio conteſtatur dicens. Caro mea verè eſt cibus : & ſanguis meus verè eſt potus. Denique quarto loco Chriſtus dicitur ros:quia cęleſti gratia irrigat mentes hominum aridas , & ad afferendum bonorum operum fructum , haud aliter quàm ros ſuperne delapſus terram irrorat:& rorido imbre humectatas herbas fouet ac vegetat.

Pſal. 120. *Cant. 1.* *Ioan. 6*

16 ¶ In decimoſexto verſu. Contemplemur adhuc nucē. Proponit hic verſus conſiderandū penſiculatius nucis exemplum:quod tertio loco ſuperius fuerat Chriſto applicatum. Nam attentius diſcuſſa nucis natura atque in apertū prolata,ipſius veræ lucis vtpote Chriſti ſacratiora ſignat myſteria:quæ ſequentibus recluduntur verſibus.

17 ¶In decimoſeptimo verſu. Trinam gerens vnionem. Nux ipſa ſenſibilis tria in ſe complectitur: in vnam quodam modo compacta totam ſubſtantiam, vtpote corticem exteriorem, teſtam cortice obtectam, & nucleum teſta occluſum. Rurſum ipſa nux tria confert hominibus emolumenta: vnctionem ſcilicet & lumen, per oleum quod ab ea exprimitur, & eſum nuclei eius qui in cibum ſumitur. Cæterum hæc ad allegoricam & ſpiritualem intelligentiam applicando, per totam nucem inſinuatur atque repræſentatur Chriſtus: in ſe vno geminam complectens naturam, & in altera earum amaritudinem mortis perpeſſus. Vnde per corticem nucis quæ aſpera eſt & amarulenti ſucci: ſignatur acerbitas paſsionis & mortis quam Chriſtus in carne ſua pertulit. Per teſtam verò nucis duriuſculam & corticē circūſeptam: ſignificatur humana Chriſti natura, acerbis doloribus paſsionis expoſita, vtputa ſacra ipſius anima & corpus, oſsibus & neruis compactum. Denique per nucleum deliteſcentem in teſta: repræſentatur auguſtiſsima Chriſti diuinitas, occultata in carne & circundata illius velamine. Eſt enim in nucleo ſapor admodum ſuauis: & per-
Pſal.33. quam gratus edentibus, Sic ſanè ſuauis eſt dominus degu-
Pſal.35. ſtantibus eum, & torrente voluptatis ſuæ replens eos qui ſatiantur gloria ſua. Et hæc ſignificatio myſtica in decimooctauo & decimonono verſu huius proſæ, præclarè exprimitur. Videtúrque ipſa ab authore huius proſæ fuiſſe deſumpta ex vno ſermonum beati patris Auguſtini de natiuitate dominica, cuius initium eſt. Legimus ſanctum Moyſem populo dei præcepta dantem. Circa cuius finem, idem dicit. Virga illa vnde agebamus Aaron: virgo Maria fuit quæ nobis Chriſtum verum ſacerdotem concepit & peperit. De quo Dauid cecinit. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Superiori nanque verſu iā dixerat. Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Sion. Et Eſaias propheta apertius Mariam ſanctam deſignat dicēs.
Pſal.109 Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcēdet:
Eſa.11. & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini: ſpiritus ſapientiæ & intellectus. Quòd ergo hæc virga nuces produxit: imago dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in ſuo corpore ſubſtantiæ vnionem: coriū, teſtā & nucleum. In corio caro, in teſſa oſſa, in nucleo interior anima cōparatur.

In

In corio nucis, carnē ſignificat ſaluatoris: quæ habuit in ſe aſperitatem vel amaritudinē paſſionis. In nucleo, interiorem declarat dulcedinem deitatis: quę tribuit paſtum & luminis ſubminiſtrat officium. In teſta lignum interſerens crucis, quod non diſcreuit id quod foris & intus fuit: ſed quæ terrena & cœleſtia fuerunt mediatoris, ligni interpoſitione ſociauit dicente beato apoſtolo. Quia ipſe per ſanguinem crucis ſuæ pacificauit omnia quæ in cœlis ſunt & quę in terris. Hæc Auguſtinus. Ex quibus verbis credibile eſt deſumptam eſſe præſentem huius proſæ materiā. Quinimmo in eodē ſermone adducitur ab Auguſtino exēplum de virga Aaron arida quæ diuina virtute floruit & protulit amygdala: ad confutationem Iudæorum. Et idem etiam exemplum affertur in hac proſa verſu vndecimo & decimoquinto, ex eiuſdem ſermonis (vt reor) ſententia. Inſuper tria illa beneficia quæ per nucem præſtantur hominibus, modo nominata: vtpote vnctio, lumen, & eſca, etiam Chriſto myſticè congruunt. Enimuero ipſe lāguidis peccato ac ægrotis eſt ſpiritualis vnctio: per gratiam ſanātem vlcera peccatorum. Idem quoque eſt lumen ſpirituale cæcos illuminans, & tenebras ignorantiæ mentibus humanis expellens. Demùm ipſe nutrimentum eſt & ſpiritualis alimonia bonis & rectis corde: quos & ſua paſcit doctrina & ſaginat ſacratiſſimo corpore. Ego (inquit) ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Et rurſum. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Hæc autem applicatio myſtica trium nucis effectuum ad Chriſtum, explicatur ſuccincte in viceſimo verſu huius proſæ. *Ioan. 6.*

21. ¶ In viceſimoprimo verſu. O quàm dulce ſacramentū *Mat. 11.*

Hic verſus tertiam nucis vtilitatem Chriſto iam applicatam, clarius elucidat: oſtendens quomodo ipſe eſt eſca fidelibus. Magnum (inquit) illud eſt ſacramentum & admirabile myſterium, quòd Chriſtus carnem ſuam præſtat in cibum & panem viuificum populo Chriſtiano, in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramēto. Porrò fœnum carnis vocat hic author ſacratiſſimam Chriſti carnem, propter naturæ ipſius infirmitatem & fragilitatem, quam ex diſpenſatoria quadam dignatione habuit ante paſſionem: alludens propemodum ad illud verbum Eſaiæ. Omnis caro fœnum: & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum &

ceciđit flos,quia ſpiritus domini inſufflauit in illo. Verè
Eſa.40 fœnum eſt populus. Per frumentum verò intelligitur hic panis ille ſupercæleſtis & viuificus: qui in frumento & tritticei panis ſpecie exhibetur fidelibus in communionem. Itaque Chriſtus fœnum carnis in frumentum conuertit fidelibus: quia ſuum ſacratiſsimum corpus in cibum ſalutarem ipſis confert, ſub frumenti ſpecie & forma conſecratum.

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Quos ſub vmbra ſacramenti. Non dicitur hic vmbra ſacramenti: figura, ſpecies & imago ipſius ſacramenti euchariſtiæ, ſolum repræſentās
Heb.9 ipſum & non verè continens, vt ſcilicet vmbra diſtinguatur contra veritatem. Quo quidem modo in veteri teſtamento agnus paſchalis, manna in deſerto, panéſque propoſitionis & cæteræ figuræ dicebantur vmbra ſacratiſsimi ſacramenti altaris: quia illud præfigurabant, quo etiam modo ab apoſtolo dicitur lex habuiſſe vmbram futurorum bonorum. Nam eo modo populus Chriſtianus non habet vmbram huiuſce ſacramenti communionis: ſed ipſam rem & veritatem. Verùm quoniam illa, nuda non cernitur, ſed adoperta ſpeciebus panis & vini, & quaſi velamine quodā aut vmbraculo obtecta: vt non conſpicua ſit oculis noſtris ſacra Chriſti caro neque ſanguis in propria ac naturali ſua ſpecie ac forma: idcirco ſub vmbra ſacramenti dicitur ipſos fideles Chriſtus hic paſcere, oratúrque obnixius, vt poſita huiuſmodi vmbra & velamine ſpecierum: nos in regno cælorum paſcat reuelata iam facie, ſui diuini vultus præſentia. Quod nobis concedat ipſe ſuperbonus & miſericors dominus: benedictus in ſecula. Amen.

In epiphania domini.

FEſta Chriſti omnis Chriſtianitas celebret. Quæ miris ſunt modis ornata: cunctiſque ueneranda populis. Per omnitenentis aduentum atque uocationem gentium. Vt natus eſt Chriſtus: eſt ſtella Magis uiſa lucida.

At

2 *At illi non caſſam putantes tanti ſigni gloriam. Secum munera deferunt: paruulo offerunt ut regi cæli, quẽ ſydus prædicat.*

3 *Atque aureo tumidi principis lectulo tranſito: Chriſti præſepe quæritant.*

4 *Hinc ira ſæui hoſtis feruida, inuidi recens rectori genito. Bethlcem paruulos præcepit enſe crudeli perdere.*

5 *O Chriſte quantum patri exercitum iuuenis doctus ad bella maxima populis prædicans colligis: ſurgens cum tantum miſeris.*

6 *Anno hominis tricesimo ſubtus famuli ſe inclyti inclinauerat magnus deus: conſecrans nobis baptiſma in abſolutionem criminum.*

7 *Ecce ſpiritus in ſpecie ipſum alitis innoeuæ uncturus ſanctis præ omnibus uiſitat: ſemper ipſius contentus manſione pectoris.*

8 *Patris etiam inſonuit uox pia, ueteris oblita ſermonis: pœnitet me feciſſe hominem. Verè filius es tu meus, mihimet placitus, in quo ſum placatus, hodie te fili mi genui.*

9 *Huic omnes auſcultate populi præceptori. Amen.*

¶ Hæc proſa, etiam ſolutæ orationis & rythmica norma nequaquam conſtrictæ, formam ac habitum ſeruat, incitatur in ea tota Chriſtianorum turba & concio ad celebrandum hoc feſtum epiphaniæ: propter præclara Chriſti opera in ipſo peracta, ſcilicet vocationem gentium ad fidẽ per Magorum adorationem, & ſummæ trinitatis manifeſtationem in Chriſti baptiſmo pro abluendis mundi peccatis ſuſcepto factam.

1 ¶ ANNOTATIONES. Per omnitenentis aduentum: Omnitenens dicitur Chriſtus ſecundum diuinitatem: quia omnia teneat & fulciat ſua virtute, vt nihil ſit ꝙ ab ipſo nõ ſuſtentetur & cõtineatur, quẽadmodũ beatus Paulus de eo dicit, quod portat omnia verbo virtutis ſuæ. Si quid enim omni capacẽ eius virtutem, ambientẽq; & ſaluantẽ omnia

ſubterfugeret:ipſum protinus decideret in nihilum, neq; vno quidem momento poſſet ſubſiſtere.

2 ¶ At illi non caſſam putantes. Caſſam: vanam irritam, & futilem, ſed alicuius rei nouæ & arduæ eſſe ſignificatiuam. Et hoc ipſum etiam edocuit eos deus qui ſignum dederat: vel per internam inſpirationem vel angelicam denunciationem. Alioqui quomodo ipſius ſtellæ inſpectu fuiſſent incitati ad perquirendum regem natum: niſi cognouiſſent nouum illud ſydus quippiam inſolitum & inſuetum portendere atque ſignare.

3 ¶ Atque aureo tumidi principis lectulo tranſito. Non permanſerunt (inquit) Magi in domo Herodis regis, auro gemmiſque ſuperba: neque magni fecerunt eius cubiculũ quamuis aureis ornatum tapetibus, ſed vlterius progreſsi ſunt ad inuiſendum Chriſti præſepe: cuius anguſtias & paupertatem prætulerunt magnificis regum palatiis.

4 ¶ Inuidi recens rectori genito. Hoc loco inuidus rectè ponitur cum datiuo: quoniam & inuideo ſuum primitiuum, ſimilem caſum expoſcit, vt hic habeatur orationis contextus. Hinc ira feruida ſæui. Herodis inuidi rectori, ſcilicet Chriſto regi recens genito: præcepit perdere crudelienſe paruulos ipſius Bethleem. Eo quoque in loco recẽs pro aduerbio recenter ſumitur, vt recens genitus dicatur, qui haud multo antè in lucem eſt editus, qualis erat Chriſtus.

5 ¶ O Chriſte quantũ patri exercitũ. Apta eſt hæc exclamatio populi fidelis ad Chriſtũ: & loco à minori innitens. Magnũ certè (inquit) & numeroſum O Chriſte patri tuo collegiſti exercitum ad bella ſpiritualia inſtructũ & accinctum: eo tempore quo iam adultus & in perfecta ætate populo prædicaſti, quandoquidem tu ipſe adhuc ſugens vbera matris & lactens, tam copioſum miſeris illi agmen ſanctorum innocentium. Nam ſi in tenella ætate & adhuc infans ac vagiens, tantum miſiſti bellatorum numerum ad patrem: iam factus grandior æuo & per vniuerſam Iudæã populo verbum dei annuncians, multo ſanè maiorem pugnatorum numerum patri collegiſti.

6 ¶ Anno hominis triceſimo. Id Lucas euangeliſta teſtatur dicens, quòd Ieſus cum baptizaretur à Ioanne in Iordane: erat incipiens quaſi annorum triginta. Tunc ſanè Luca 3.

ipſe

ipſe dominus omniũ pro ſua admirabili humilitate & dignatione inclinauit ſe ſubter manus famuli ſui Ioãnis, inclyti quidem & præclari. Quam inclinationem admirans Ioannes: recuſauit ipſius Chriſti baptizãdi munus in principio. Domine, inquit, ego à te debeo baptizari: & tu venis ad me. Porrò ſubtus præpoſitio, quam vulgaris grammaticorum turba cæteris annumerat præpoſitionibus vtrũque caſum habentibus: nõ eſt in vſu apud probatos authores Latinos, ſed tantummodo præpoſitio ſubter, eiuſdẽ cum barbara illa & minus recepta dictione ſignificatiõis. Quocirca hoc loco potius ſubter manus quàm ſubtus legendum cẽſerem: ne in ea oratione admittatur barbaries. Eſt autem ſubter oppoſitæ ſignificationis ad præpoſitionẽ ſuper: & modo cum accuſatiuo ponitur, modo cum ablatiuo, vt mergus auis ſubter aquã impune natat. Virgilius. Ferre iuuat denſa ſubter teſtudine caſus. Interdum ſine caſu pro aduerbio ponitur. Plautus. Hinc atque hinc ſuper ſubtérque premor anguſtiis. Matth. 3

7 ℭ In ſpecie. ipſum alitis innocuæ. Alitem innocuã vocat hic author columbam: quia felle caret, neminẽ roſtro lædit, & ſimplicitatem fraudis neſciam præfert. In ſpecie etenim columbæ ſpiritus ſanctus ſuper Chriſtum cũ baptizaretur in Iordane apparuit, vnxitque eum donis gratiæ ſuæ præ omnibus ſanctis. Non quidem tunc primum: quaſi ante nõ fuiſſet Chriſtus vnctiõe ſpiritus ſancti perfuſus, ſed ab ipſo cõceptionis articulo, & in primo (vt ita dixerim) ſanctæ incarnationis momento. Verùm cum baptizaretur Chriſtus: ſpiritus ſanctus tũc in ſpecie columbæ apparens ſenſibili ſigno manifeſtauit illam excellentẽ vnctionem in Chriſto ab ipſo ortus ſui ſecundum carnem primordio eſſe factam. Et ergo hic & in tempore baptiſmi ſpiritus ſanctus dicitur vnxiſſe Chriſtum: eo loquendi genere quo quicquam tunc fieri dicitur cum ipſum aliis manifeſtatur & declaratur. Fuit & ſemper ſpiritus ſanctus, mãſione pectoris Chriſti contentus. Nam poſtea nunquã ab eo diſceſſit: ſed manſit ſuper ipſum vt ait euãgeliſta, & requieuit ſuper eũ, ſicut prædixerat propheta. Sola ſiquidem culpa abigit ab homine ſpiritum ſanctum. Chriſtus autem culpæ prorſus fuit expers. Matth. 3 Ioan. 1

8 ℭ Veteris oblita ſermonis. Cum ante immiſſum vniuerſale Eſa. 11

uerſale diluuium, omnis caro corrupiſſet viã ſuam: deus ipſe tactus dolore cordis intrinſecus & præcauens in futu
Gen. 6 rum, dixerat vt habet Geneſis. Pœnitet me feciſſe hominem. Nunc autem illius ſermonis immemor, & mutato in fœliciorem ſortem rerum humanarum ſtatu, immò iã per Chriſtum placatus pater cæleſtis homini: hanc cælitus ędidit vocem tempore baptizationis ipſius Chriſti. Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite.
Matth. 3 Cæterùm illud verbum, Hodie te fili mi genui, hic in litera expreſſum, non ex euangelio deſcribente vocem patris cælo delapſam deſumptum eſt, vt cætera hic adducta verba, ſed ex pſalmo ſecundo, vbi propheta in perſona filij
Pſal. 2 dei ait, dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Hic tamen ab authore etiam illud affertur: quoniam confirmatum eſt & clarius explicatiuum illius ſententiæ in voce paterna contentæ. Hic eſt filius meus dilectus. Eſt enim & alia teſtificatio filiationis dei: quam habet Chriſtus ad patrem.

9 ¶ Huic omnes auſcultate populi. Auſculto, as, cum accuſatiuo, ſignificat audire. Plautus. Tum illum ſubmiſſè loquentem auſcultabam. Cum datiuo verò poſitum, ſignificat obedire & obtemperare. Terentius in Andria. Pãphilum ne adiutem, an auſcultem ſeni. Et hoc ſecundo modo hic ſumitur.

In eodem feſto epiphaniæ, alia proſa.

EPiphaniam domino canamus glorioſam. Qua prolem dei uere magi adorant.

1 *Immenſam Chaldæi cuius Perſæq; uenerantur potentiam.*

2 *Quem cuncti prophetæ præcinuere uenturum: gentes ad ſaluandas. Cuius maieſtas ita eſt inclinata, ut aſſumeret ſerui formam. Ante ſecula qui deus & tempora: homo factus eſt ex Maria.*

3 *Balaam de quo uaticinans, exibit ex Iacob rutilans inquit ſtella. Et confringet ducum agmina regionis Moab, maxima potentia. Cui magi munera deferunt præclara, aurum ſimul thus & myrrham.*

Thure

4 *Thure deum prædicant, auro regem magnum, hominem mortalem myrrha. In ſomnis hos monet angelus, ne redeant ad regem commotum propter regna. Pauebat etenim nimium regem natum, uerens amittere regni iura. Magi dicta ſibi implentes monita, pergunt alacres itinera, patriam quæ eos ducebant ad propriam, linquentes Herodis mandata, Qui percuſſus corde nimium præ ira:*

5 *Extemplò mandat infantulos per cuncta inquiri Bethleem confinia, & mox priuari eos uita.*

6 *Omnis nunc caterua tinnulum iungat laudibus organi pneuma.*

7 *Myſticè offerens regi regum Chriſto: munera precioſa. Poſcens ut per orbem regna protegat omnia in ſecula ſempiterna. Amen.*

Hæc identidem proſa ſuperioribus conſimilis: nullam habet rythmicæ ſonoritatis ſpeciem. In ea fidelis populus prouocatur ad celebrandam hanc ſolennitatē apparitionis domini: qua ſtella duce gentib9 eſt manifeſtatus. Narratur & hic hiſtoria aduētus Magorum ad Chriſtum, oblatio munerum, reditus eorum in patriam, Herodis indignatio & immanitas ad infantium cædem prorumpens. Quæ omnia, ex ſecundo Matthęi capite depromp ta ſunt & perſpicua: neque aliā efflagitantia quantum ad rei narrandæ ſeriem, latiorem declarationem.

1 ❡ ANNOTATIONES. Epiphaniam domino, Epiphania græcū eſt vocabulū: idem ſignificans latinè quod ſuperapparatio, ſiue manifeſtatio deſurſū facta. Quo nomine hęc celebritas merito nuncupatur: quoniam in ea Chriſtus ipſius ſtellæ indicio magis eſt declaratus, qui ductu clari ſyderis venerunt in Bethleem: & quem diu quæſierant coram aſpicientes, vt deum adorarunt. Verùm id in primo huius operis libro circa hymnos huius ſolennitatis iā dictū eſt. Et quoniam in hymnis & proſis eiuſdem feſti ſæpius eadem materia pertractatur: quæ circa hymnorum explicationem adducta ſunt ad proſarum etiam confe-

conferentia declarationem, non hic denuo poſthac repetentur, ne huiuſmodi repetitio prolixitatem ingerat & tædium lectori, ſed vt prius dicta habebuntur & ſuperioribus in locis quærenda.

2 ℭ Imméſam Chaldæi cuius. Chaldæa: Aſiæ maioris eſt regio, Arabiæ contermina, in qua eſt Babylon ciuitas magna. Inde Chaldæi, illius regionis incolæ, circa ſyderum ſpeculationem quondam intentiſsimi & exercitatiſſimi: qui etiam nónunquam Babylonij dicuntur. At Perſia, æ, ſeu Perſis, Perſidis, vel Perſida, æ, regio eſt orientalis iuxta Mediam, cuius incolæ dicuntur Perſæ. Propertius. Perſarum ſtatuit Babylona Semyramis vrbem. Nominantur autem hoc in loco Chaldæi & Perſæ: quoniam Magi ad Chriſtũ cæleſti ducatu profecti, ex illis regionibus aut có terminis fuerunt oriundi.

3 ℭ Quem cuncti prophetæ præcinuere. Non hic præcinere legendum eſt, vt mendoſi habent libri: ſed præcinuere. Quoniam ſententia ipſa eo in loco requirit verbũ præteriti perfecti temporis, indicatiui modi, pluralis numeri, quod ordinetur cum nominatiuo cuncti prophetæ. Atqui præcino non facit præteritum præcini: ſed præcinui ſicut cætera compoſita à verbo cano nó faciunt in prę terito ni, more ſui ſimplicis ſed ui, vt concino cócinui, ſuccino ſuccinui. Quòd autem prophetæ prænunciauerunt aduentum filij dei in mundum ad ſaluandum genus humanum: vſque adeo clarum eſt, vt atteſtatione nõ indigeat.

4 ℭ Balaam de quo vaticinatus. Viceſimumquartum libri Numeri, cap. refert de Balaam, quòd poſtquam deus
Num. 24 poſuit verba ſua in ore eius: pro maledictione quã intendebat proferens benedictioné in populum Iſrael, hæc inter cætera vaticinatus eſt. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab. Quod quidem oraculum licet nonnulli putent ad literam eſſe intelligendum de ſtella illa ſenſibili: quæ nuncia ortus ſaluatoris noſtri Magis apparuit, potius tamen de Chriſto ſecundum ſenſum myſticum debet intelligi: qui ſtella eſt myſtica, orta ex Iacob ſecundum carnis propaginem. Ipſe itidé virga eſt, propter regendi authoritatem & corcendi virtutem, quæ conſurrexit de Iſrael ſecundum humanitatem, confregitque duces Moab, nequitias ſcilicet ſpirituales,

principatus

principatus & poteſtates dæmonicas, quæ colebãtur in ido lis Moab quarum vires contudit & comminuit. Et plane hoc loco author huius proſæ illud propheticum verbum ipſius Balaam, applicat ad Chriſtum: ipſúmque vocat rutilantem ſtellã quæ exiuit de Iacob. Nẽpe de illo ſydere materiali & ſuſpenſo in aere quis vnquam dixerit, quòd ortum fuerit ex Iacob? cum non habuerit ſuam originem ex populo Iſraelitico deſcẽdente ex Iacob, ſed diuina tan tum virtute formatum fuerit.

5 ¶ Extemplo mandat infantulos. Non ferenda eſt eorũ inſcitia craſſiáque barbaries, qui extemplo hoc in loco per i vocalem in ſecunda ſyllaba proferendum putant aut docent: quo aliquid habeatur diſcriminis in prolatione prędictæ dictionis, ab iſta oratione ex templo, conſtituta ex præpoſitione ex, & ablatiuo nominis templum. Nam ipſa ſignificatio & recta ſcriptura cõiungens aut ſeiungẽs primam ſyllabam à reliquis, ſatis ſupérque oſtendit diſcriminis inter hanc & illam dictionem. Nempe probati authores omnes in ſupradicto aduerbio (quod illico, protinus & continuo ſignificat) proferunt & ſcribunt e in ſecunda ſyllaba. Virgilius. Extẽplo Aeneę ſoluuntur frigore membra. Similiter neque eorum recipienda ſunt ſomnia: qui partem capitis ad dextrum, leuúmque latus conſiſtentem non tempus ſed timpus vocari debere confingunt, legendúmque in pſalmo aſtruũt. Et requiem timporibus meis, donec inueniam locum domino. Quod quidem faciũdum dictitant, vt nomen illud pro eo ſignificatu diſcerniculum aliquod habeat à nomine tempus, ſumpto pro ſpacio temporali, non ſatis perſpicientes ſolam ſignificationis diuerſitatem ſufficere, ad differentiam in illis facile conſtituendam. Enimuero in vtraque ſignificatione: ea dictio tẽpus per e vocalem in prima ſyllaba proferri & ſcribi debet. Virgilius. Temporibus geminis canebat ſparſa ſenectus, vbi pro parte capitis ea dictio ſumitur. Faceſſãt ergo hæc & ſimilia deliria, quoniam ſi contendant illi vbicunque diuerſa eſt ſignificatio in dictionibus, illic quoque ad internoſcendam illam diuerſitatem aliam & aliam debere, eſſe ſcripturam, nullam dare poterunt dictionem æquiuocam, & ſub vno nomine diuerſa ſignificantem, quoniã ſcripturę diuerſitas & literarum permutatio variabit ipſas di

Pſal. 131

ctiones. Non igitur eodem modo ſcribetur manus: quando extremitatem brachij & multitudinem militum ſignabit: neque verbum lego iiſdem ſcribetur literis: quando colligere ſignificat & ſcripturam diſtinguere. Neque dictio liber eaſdem habebit literas: quando volumē ſignificat & corticem arboris, quoniam ſecundum iſtorum ſententiam, aliquid literæ eſt euariandum ad diſtinguendam ſignificationem. Sed quis iſtas æquo animo feret ineptias? Cæterùm in hoc præſente verſu percuſſus tantundem ſignat atq; commotus atque perturbatus, quoniam omnis vehemens affectus & indignatio animum percutere dicitur, id eſt conturbare & concitare.

6 ¶ Tinulum iungat laudibus. Tinulus, a, um, id dicitur, quod eſt in ſono acutū, vt vox tinnula, & ſonus tinnulus: qui redditur ex æreis vaſis cum pulſantur. Ouidius. Tinnuláque æra ſonant, & olent myrrhæque crocique. Venitque à verbo tinnio, is, ire, quòd propriè de metallis dicitur, vt auro, argento, ære, ferro, cum ex eorum pulſatione ſonus efficitur, qui tinnitus dicitur. Itáque tinnulum pneuma organi vocat hic author, modulationē dulcè reſonantem quæ pulſatione organi redditur, ſiue organi ſonitum. 7 ¶ Myſtice offerens regi regum. Beatus Gregorius in homilia euangelij præſentis ſolēnitatis, hæc tria dona myſtice deo à nobis offerri debere docens: ait. Auro ſapiētia deſignatur: Salomone teſte qui dicit. Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapiētis. Thure quod deo incenditur, virtus orationis exprimitur: pſalmiſta atteſtā-
Prouer. 21 te qui ait. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpe
Pſal. 140 tu tuo. Per myrrham verò: carnis mortificatio figuratur. Vnde ſancta eccleſia de ſuis operariis vſq; ad mortē pro deo certantibus ait. Manus meæ diſtillauerunt myrrham. Nato ergo regi aurum auferimus: ſi in conſpectu illius
Can. 5 claritate ſupernæ ſapientiæ reſplendemus. Thus autem offerimus: ſi cogitationes carnis per ſancta orationis ſtudia in ara cordis incendimus, vt ſuaue aliquid deo per cæleſte deſiderium redolere valeamus. Denique myrrhā offerimus, ſi carnis vitia per abſtinentiam mortificamus. Per myrrham nanque (vt diximus) agitur: ne mortua caro putreſiat. Mortuam verò carnem putreſcere: eſt hoc mortale corpus fluxui luxuriæ deſeruire. Sicut de quibuſdam
Iohe. 1

per

per prophetam dicitur. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Iumenta quoque in ſtercore putreſcere: eſt carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Myrrham ergo deo offerimus: quando hoc mortale corpus à luxuriæ putredine per condimentum continentiæ cuſtodimus. Hæc Cregorius.

1 *In die ſancto paſchæ.*

VIctimæ paſchali laudes immolãt Chriſtiani.
2 Agnus redemit oues: Chriſtus innocens pa-
tri reconciliauit peccatores.
3 Mors & uita duello cõflixere mirãdo dux uitæ mor
tuus regnat uiuus.
4 Dic nobis Maria, quid uidiſti in uia? Sepulchrum
Chriſti uiuentis, & gloriam uidi reſurgentis: Angelicos
teſtes, ſudariũ & ueſtes, Surrexit Chriſtus ſpes mea, præ-
cedet ſuos in Galilæã.
8 Credendum eſt magis ſoli Mariæ ueraci, quàm Iu-
dæorum turbæ fallaci. Scimus Chriſtũ ſurrexiſſe à mor-
tuis uere, tu nobis uictor rex miſerere. Amen.

Hæc proſa neque omnino rythmica eſt neque omnino ſoluta, ſed vtriuſque aliquid ſortitur ac participat. Siquidem in nonnullis verſibus in medio & fine ſeruatur ſimilis cadẽtia & exitus dictionum in conſimilis ſoni ſyllabas: vt in quarto verſu & deinceps, in quo ad rythmicæ orationis accedit ſpeciem. At in verſibus ipſis & clauſulis ſententiarum: nequaquam certus cõſpicitur numerus ſyllabarum determinata lege ſeruatus, in quo cũ oratione omnino ſoluta cõuenientiam habet & affinitatem. Eſt autem huius proſæ ſermo dramaticus, id eſt diuerſis inductis perſonis in modum dialogi interlocutorius. Nam poſt incitationem totius populi Chriſtiani ad concinendas Chriſto laudes qui nos à morte redemit: inducitur populus fidelis interrogans beatam Mariam Magdalenam quid teſtimonij de reſurrectione domini viderit in via: cum iret ad viſendum domini ſepulchrum. Deinde ipſa reſpondens: multiplex

multiplex affert teſtimonium peractæ reſurrectionis dominicæ. Demùm fidelis populus fidem Mariæ verbis præſtandam aſtruens: de glorioſa domini reſurrectione indubitatam profert ſuam ſententiam. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Victimę paſchali. Victima paſchalis eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus: in die paſchæ pro nobis immolatus. Etenim paſcha noſtrum (vt ait Paulus)
1. Cor. 5 immolatus eſt Chriſtus. Huic autem immolare laudes dicuntur Chriſtiani: cum debitas illi perſoluunt laudes & gratiarum actiones. Nam huiuſmodi laudatio, ſicut & omnis noſtra operatio quę ad dei gloriam ac honorem rite fit eſt quędam ſpiritualis immolatio ſiue ſacrificium, ſecun-
Pſal. 140 dum illud verbum prophetę in pſalmo. Dirigatur oratio mea ſicut incenſũ in cõſpectu tuo: eleuatio manuũ mearũ ſacrificium veſpertinum. Incenſum autem adolebatur in altari pro ſacrificio: ſecundum veteris legis inſtituta.

2 ¶ In ſecundo verſu. Agnus redemit oues. Agnus: Chriſtus. Ipſe enim verus eſt agnus qui abſtulit peccata mundi. Oues: genus humanũ, populúſque fidelis. de quo propheta in pſalmo. Nos autem populus eius & oues paſcuę
Ioan. 1 eius. Et de quo dominus in euangelio. Animam meam po-
Pſal. 94 no pro ouibus meis.
Ioan. 10 3 ¶ In tertio verſu. Mors & vita duello. Duellum dicitur bellum quod duabus partibus de victoria contendentibus committitur: non tantum duorum (vt quidam autumant) ſed etiam multorum, & ipſorum exercituum: duas quę cõtendant partes conſtituentium. In paſſione autem Chriſti magnum fuit certamen inter mortem & vitam. Nã mors ipſa corporis: primum vitam naturę in Chriſto ad tempus extinxit. Verum vita Chriſti poſt triduum recepta per reſurrectionem: & mortem naturę in ipſo, & in nobis geminam quoque mortem deſtruxit, ſpiritus inquam & carnis. Spiritus quidem: quia conuiuificauit nos Chriſto & ſuſcitauit à peccato. Carnis vero: quoniam illa Chriſti vita, viam à nobis & exemplum reditus ad immortalem vitam per futuram reſurrectionem præbuit. Quare in eo cõflictu vita longe valentior apparuit: & inſigni potita eſt victoria. quandoquidem Chriſti vita triplicem profligauit mortem ſimplam ſcilicet & vnicam in ipſo, & dupli-
Rom. 6 cem in nobis. Adde quòd mors ipſa: non perpetuo ſed exi

guo

quo quidem tempore in Chriſto obtinuit locum. Vita vero interminabilis & neſcia finis in eodem: præualuit perpetuo ſupra mortem. Chriſtus enim reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Et in nobis itidem ſi Chriſti imitatores effici ſtudeamus, vita ipſa Chriſti geminam præſtabit immortalitatem nullo fine caſuram. Merito igitur ipſe dux vitæ celebratur, qui vitã ſpiritus ſemper in ſe habuit, neque vnquam mortem illi oppoſitam (quemadmodum nos) ſuſtinuit, qui etiam profligata corporis morte, quondam mortuus nunc regnat etiam ſecundum carnem viuus, qui denique non ſolũ geminam in ſe nunc habet vitam, carnis, & ſpiritus, ſed & eandem cultoribus & aſſectatoribus ſuis perpetuò obtinendam elargietur. Ipſi igitur vitæ victricia carmina debemus, quæ mortis profligatrix egregie potita eſt triũpho. Ipſi itidem authori vitæ magnas exoluere laudes merito dignum eſt & æquum, qui virtute ſua mortem proſtrauit acerbam, quique pro bonitate ſua nobis dux eſſe dignetur ad vitam æternam. Amen. *Ioan. 10*

4 ¶ In quarto verſu. Dic nobis Maria. Hæc verba ſunt fidelis populi interrogãtis beatam Mariam Magdalenam de ſignis, indiciis & argumẽtis reſurrectiõis domini, quæ conſpexerit cum eius inuiſeret ſepulchrum. Cui quidem interrogationi in tribus ſequẽtibus verſibus ipſa reſpondet, vtpote quod ſepulchrũ Chriſti iam rediuiui, & ad vitam reſuſcitati viderit: quando ſcilicet ſtabat ad monumẽtum foris plorans, quod gloriam etiam conſpexerit Chriſti iam à mortuis reuocati: quando illi ploranti apparuit primũ Chriſtus in ſpecie hortulani, deinde ſeipſum quiſnam eſſet indicauit. Reſpondet inſuper Magdalena quod angelicos viderit teſtes reſurrectionis: quando ingreſſa ſepulchri locum conſpexerit duos angelos, veſtibus albis indutos, vnũ ad caput & alterũ ad pedes: nunciantes illi reſurrectionem iam factam. Denique quod ſudarium etiam viderit & veſtes, quibus inuolutum fuerat in tumulo Chriſti corpus: quando cum Ioanne & Petro celeri curſu ſepulchrum petentibus vidit linteamina poſita, & ſudarium non cum aliis poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locũ. Ex quibus omnibus ſignis colligit ipſa Chriſtum verè ſurrexiſſe: quódque precedet ſuos in Galilæã, *Matth. 26* *Matth. 16*

ſicut ante mortem ſuam prædixerat. Cæterùm quoniam præcedo, verbum eſt ſignificans motum ad locum: dicendum eſt hoc loco in ſeptimo verſu, præcedet ſuos in Galilæam: ſicut etiam litera habet euangelica. Qui verò in Galilea dicunt, pluris facere videntur rythmum, & conſonantiam poſtremæ dictionis cum media eiuſdem verſus in exitu ſyllabarum, quam orationis latinæ rectitudinem, cũ tamen rythmus omnis ſine debita ſermonis congruitate: ſit inſulſus ac ineptus: & congruentia orationis ſine rythmo ſit recipienda, rythmus auté ſine congruentia, nequaquam. 8 ¶ In octauo verſu. Credendũ eſt magis. Sane vni veraci quam pluribus mendacibus eſt potius adhibenda fides. Maria autem Magdalena, etſi tunc ſola fuerit cum omnium prima vidit dominum reſuſcitatum, & accepit ab eo mandatum annunciandi reſurrectionem eius aliis, verax tamen fuit. Turba autem Iudæorum, ſcribarum & phariſæorũ data pecunia inducens cuſtodes ſepulchri, quòd dicerent ipſis dormiẽtibus diſcipulos Chriſti veniſſe & corpus illius mortuum ſuſtuliſſe, vt hoc commento negarent reſurrectionem, erat mendax. Potius igitur ſoli Mariæ quàm turbæ Iudaicæ præſtanda eſt fides. Verùm quæ in principio ſola fuerat nuncia & teſtis reſurrectionis, poſtea multos habuit & diſcipulos & ſanctas mulieres idem teſtificantes, quare illis omnibus merito accedendũ.

1 *In feſtis paſchalibus, de beata uirgine.*

VIrgini Mariæ laudes intonent chriſtiani.

2 *Eua triſtis abſtulit ſed Maria protulit natũ, qui redemit peccatores.*

3 *Mors & uita modulo conuenere mirando, Mariæ filius regnat uiuus.*

4 *Dic nobis Maria, uirgo clemens & pia.*

5 *Quomodo facta es genitrix, cũ tu ſis plaſma de te naſcentis?* 6 *Angelus eſt teſtis, ad me miſſus cæleſtis.*

7 *Proceſsit ex me ſpes mea, ſed incredula manet Iudæa.*

8 *Credendũ eſt magis ſoli Gabrieli forti, q̃ Iudæorum prauæ cohorti.* 9 *Scimus Chriſtum proceſsiſſe de uirgine uerè, tu nobis nate rex miſerere. Amen.*

Hæc

Hæc proſa omnino conſimilis eſt proſæ præcedẽti: & ad illius imitationem, formã & ſpeciem compoſita. quare propter magnam affinitatem vtriuſque adinuicem, hęc illi cõtinuo & ſine interſtitio ſubiungitur. Seruatur iidem & hic dramaticus, atque diuerſarum perſonarum interlocutione alternatus ſermo. Nam populus fidelis ſacratiſsimam virginem Mariam, primum percontatur de admirando dominicæ incarnationis myſterio quomodo in ea eſt completum. Cui ipſa deinde reſpondens adducit teſtimoniũ angeli Gabrielis, ad ſe de cælo miſſi ad annunciandum hoc admirabile ſacramentum. Demùm fidelis populus ipſi cæleſti nuncio omnino credendu eſſe ſubinfert, piéq; profitetur Chriſtum de virgine matre natũ, à quo poſtremùm miſericordiam humiliter expoſcit. Author eius, Adam de ſancto Victore.

2 ¶ANNOTATIONES. In ſecundo verſu Eua triſtis abſtulit. Hoc verbum abſtulit, non ad ſequentem accuſatiuum expreſſum ſcilicet natum, debet referri. nam non rectè diceretur Eua Chriſtum natum aut filium nobis abſtuliſſe, niſi ſecundum allegoriam multum remotam. Sed ad ſubauditum accuſatiuum potius annectendum eſt, ſcilicet vitam, gratiam, regnũ cælorum aut aliquid ſimile, accommodatum pręſenti ſententiæ.

3 ¶In tertio verſu. Mors & vita modulo conuenere mirando. Non hic legendum eſt, mors & vita duello conflixere mirando, vt aliqui habent libri, Nam omnino coincideret hæc proſa cũ præcedente in tota illa ſententia: & nimium aperte conſpiceretur illa clauſula integrè ex antecedente proſa eſſe deſumpta, quod præſentis proſæ ornatum tolleret & decorem. Sed prorſus oppoſita quãtum ad verborum ſtructuram exprimenda eſt hic potius ſententia: & tamen veriſsima, vtpote ꝙ mors & vita modulo cõuenere mirando. Nempe mors Chriſti & vita eiuſdem poſt reſurrectionem mirabili inter ſe harmonia & cõcordia conſpirarunt, quantum ad eandem virtutem & efficaciã. Mors enim Chriſti mortẽ noſtrã perpetuã deſtruxit: ſicut per ꝓphetã antè dixerat dominus noſter. Ero mors tua ô mors. Mortem inquam noſtram quantum ad ſpiritum, qua eramus perpetuò ſeparati à deo, & illi tyranno ſubiecti qui mortis habet imperium. Hanc autem mor- *Oſee. 13.* *Heb. 2*

tem noſtram, Chriſtus moriendo deſtruxit. Vita itidẽ Chriſti vitam nobis contulit æternam, non ſolum quantum ad corpus in nouiſsimo die reſuſcitandum virtute reſurrectionis primariæ in Chriſto, ſed etiam quantũ ad animã, quæ ſpiritualiter cõreſuſcitatur Chriſto per gratiam, qui vitam noſtram (vt canit eccleſia) reſurgendo reparauit. Atqui deſtruere mortem & reparare vitam, magnam adinuicem habent conformitatem atque conuenientiam, & fere idem eſſe cenſentur, ſicut depellere tenebras & inferre lumen. Igitur mors Chriſti mortem noſtram deſtruẽs, & vita eiuſdem noſtram vitam reparans, miro inter ſe modo conueniunt, quod eſt propoſitum.

5 ¶ In quinto verſu. Cum tu ſis plaſma de te naſcentis. Plaſma, atis, eſt figmentum ſiue opus figlinum, id eſt aliquid ex luto formatum. Et quoniam omnis homo ſecundum primam originem & in primo omnium parente factam, ex limo terræ formatus eſt à deo, rectè omnis homo plaſma dei dicitur. Quare & beata virgo à filio dei creata, vere dicitur eius plaſma. Nihilominus dei filius ex ea natus eſt, neque hæc duo inter ſe repugnãt. Nã Chriſtus ſecundũ carnẽ ex ea natus eſt, & ſecundum diuinitatem, ipſam creauit atque formauit. Vnus enim & idem eſt, deus Mariam formans: & homo ex Maria formatus ac genitus. Et ipſa: Chriſti mater eſt & filia, mater, ſecũdum natiuitatem carnis, filia, ſecũdum rationẽ creationis, qua ab ipſo eſt condita.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Sed incredula manet Iudæa. Recuſauit enim Iudæorum turba maiori ex parte credere in Chriſtum, quòd dei eſſet filius, & Meſſias in lege & prophetis ipſis promiſſus, ſaluatórque mundi, vt hiſtoria euãgelica & actuum apoſtolicorum manifeſte teſtatur. Quinimmo ipſum crudeliſſimè perſecuta eſt vſque ad mortẽ, & apoſtolos eius grauib⁹ afflixit modis, vt impediret prædicationẽm euangelij. Cæterùm alij hunc verſum ita legunt. Proceſſit Chriſtus ſpes noſtra, ex virgine immaculata, & rectè itidem. Quemadmodum & illam poſtremã verſus clauſulam, Scimus Chriſtum proceſſiſſe de virgi-

Ioan.6 ne verè, alij ita legunt. Scimus Chriſtum proceſſiſſe ex

Matth.13 Maria matre, & vtrique rectè quantum ad ſenſum & ra-

Pſal.26 tionem rythmi enunciant.

Pſal.62

In

8 ¶ In octauo verſu. Quàm Iudæorum prauæ cohorti. Quæ ſane praua cohors negat Chriſtum de ſpiritu ſancto, angelo nunciante conceptum, & ex matre virgine natum, ſed putat ipſum more aliorum hominum ex Ioſeph & Maria conſortio coniugali progenitum. Et ergo ſæpius in euangelio eum vocant Iudæi filium Ioſeph & filium fabri. Sed mētita eſt eorum iniquitas ſibi, & veritas victrix obſtruxit os loquentium iniqua.

1 *In feſto paſchæ: alia proſa.*

MAne prima ſabbati
Surgēs dei filius,
Noſtra ſpes & gloria.
2 *Victo rege ſceleris,*
Rediit ex inferis
Cum ſumma uictoria.
3 *Cuius reſurrectio*
Omni plena gaudio,
Conſolatur omnia.
4 *Reſurgentis itaque*
Maria Magdalene
Facta eſt prænuncia
5 *Ferens Chriſti fratribus*
Eius morte triſtibus,
Expectata gaudia.
6 *O beati oculi,*
Quibus regem ſeculi
Morte iam depoſita.
Prima eſt intuita.
7 *Hæc eſt illa fœmina:*
Cuius cuncta crimina
Ad Chriſti ueſtigia
Eius lauit gratia.
8 *Quæ dum plorat & mens orat:*
Facto clamat quòd cor amat
Ieſum ſuper omnia.
9 *Non ignorat quem adorat,*
Quid precetur: nam deletur
Quod mens timet conſcia.
10 *O Maria ſtella maris:*
Pia mater appellaris
Operum per merita.
11 *Matri Chriſti coæquata:*
Dum fuiſti ſic uocata,
Sed honore ſubdita.
12 *Illa enim fuit porta:*
Per quam mundo lux eſt orta.
Hæc reſurgentis nuncia,
Mundum replet letitia.
13 *Illa mundi imperatrix*
Iſta beata peccatrix,

Lætitiæ primordia
Fuderunt in eccleſia.
14 *O Maria Magdalena:*
Audi uota laude plena.
Apud Chriſtum: chorum iſtum
Clementer concilia.
15 *Vt fons ſummæ pietatis*
Qui te lauit à peccatis,
Seruos ſuos atque tuos
Mundet data uenia.
Amen.

Hæc proſa, certa rythmi lege & forma eſt contexta. Nam vt plurimum quiſque verſuum tres habet clauſulas rythmicas, quarum vnaquæque ſeptem complectitur ſyllabas, penultimámque earum breuem. Duæ quidem earũ ſimilem adinuicem habent ſyllabarum deſinentiam. Tertia verò vnius verſus habet reſponſum ad tertiam clauſulam verſus proxime ſequentis. Quòd ſi plures tribus in eodem verſu fuerint clauſulæ, frequenter duæ primæ inter ſe habent mutuum reſponſum, & duæ poſtremę ſeruãt adinuicem terminalem conſonantiam. Nam ad ornatum ipſius rythmicæ compoſitionis gratiorémque ſonoritatẽ, occcurit frequenter in diuerſis verſibus ipſius rythmi eua riatio, quæ potius inter legendum ab vnoquoque poterit haud magno impendio deprehendi, quàm certa lege deſcribi.

In ea celebratur ipſius Chriſti reſurgentis virtus & gloria beatæque Mariæ Magdalenæ ſingularis prærogatiua, quòd prima omnium Chriſtum à mortuis reſuſcitatũ conſpexerit: & ad apoſtolos tanti gaudij nuncia fuerit. Cõmemoratur & multiplex excellentia tam ſanctæ Chriſti amatricis: & ad ſacroſanctam dei matrem tum ob nominis cõmunionem, tum ob præclára merita ac opera ipſius in ſuo gradu ac ordine fit comparatio. Quocirca & hæc proſa in beatæ Mariæ Magdalenæ ſolennitate ſolet etiam à multis non immerito decantari.

1 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Victo rege ſceleris. Regẽ ſceleris vocat author Sathanam, quòd ad omne ſcelus & nephas homines impellere non deſiſtit. Adinuenit enim ipſe ſui à deo auerſiõe peccatum, & illud in omnes ſpargere tentat: quaſi in regno peccati ſceptra tenens. Quemadmodum deus à propheta dícitur rex virtutum & dominus virtutũ, quia omnis virtutis eſt author

&

& in regno virtutum cunctis præſidens dominatur. Ioan.20
4 ¶ In quarto verſu. Facta eſt prænuncia. Nam cũ ſeipſum manifeſtaſſet illi Ieſus, dixit ei. Vade ad fratres meos & dic eis. Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum deũ meũ & deũ veſtrum: Deinde ſubiungit euangeliſta. Venit Maria Magdalena annuncians diſcipulis quia vidi dominum, & hæc dixit mihi.
7 ¶ In ſeptimo verſu. Hæc eſt illa fœmina. Lucas capitulo ſeptimo hanc ſalutarem deſcribit conuerſionem & pœnitentiam huius ſanctæ mulieris, quæ prius erat in ciuitate peccatrix. Sed à begniſsimo animarum medico ſanata: audiuit hanc vocem conſolatoriam. Dimiſſa ſunt ei peccata multa: quouiam dilexit multum. Et rurſum. Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.
10 ¶ In decimo verſu. O Maria ſtella maris. Hæc inuocatio non ad ſacroſanctam dei matrem dirigitur: vt facile quis putare poſſet ob eas denominationes præclaras in hoc verſu contentas quæ etiam illi conueniunt, ſed ad beatam Mariam Magdalenam: vt oſtendit ſequens verſus qui non niſi de Magdalena poteſt intelligi. Dicitur autem ipſa Maria Magdalena ſtella maris, ratione interpretationis ſui nominis, quippe Maria, ſtella maris interpretatur. Neque illi interpretationi diſſonat res ipſa. In iſto enim mari magno & ſpacioſo præſentis mundi, peccatorum eſt directrix: vt ipſius exẽplo perfugiant ad portum veniæ & ſacræ pœnitentiæ. Eadem quoque ratione dicitur mater pia omnium peccatorum, qui ipſius imitatione & exemplo prouocati, fructuoſam agunt pœnitentiam de præteritis malis, vitámque ſuam in meliorem frugem conuertunt. Eos enim ipſa quaſi Chriſto gignit filios ſpirituales: quos ſuo ipſius exẽplo ad bonũ ꝓuocat. Luc.7
11 ¶ In vndecimo verſu. Matri Chriſti coæquata. Non quidem dignitate & excellentia gratiæ aut gloriæ. Nam quantum ad hoc dicitur in eodem verſu honore ſubdita illi: quæ nullius vnquã ſenſit contagia culpæ, quæ & plena gratia, & in mulieribus benedicta ab angelo prædicata eſt. Sed Maria Magdalena dicitur matri Chriſti coæquata quantum ad nominis communionem & conſortiũ, quod eodem vocata ſit nomine quo ſacratiſsima dei mater. Vtriuſque enim nomen: Maria. Luc.1

Tractantem clauos implentem vulnera fletu:
Pectora tundentem violentis candida pugnis,
Vellentem flauos manibus ſine more capillos
Viderat hæc inquam:dum pectora fida ſuorum
Diffugerent pellente metu,memor ergo reuiſit
Te primam ante alios:tibi ſe prius obtulit vni.
Te quoque digreſſus terris & ad aſtra reuerſus:
Bis tria luſtra,tibi nunquam mortalis egentem
Rupe ſub hac aluit:tam longo tempore ſolis
Diuinis contenta epulis:& rore ſalubri.
Hæc domus antra tibi ſtillantibus humida ſaxis,
Horrifico tenebroſa ſitu,tecta aurea regum
Delitias omnes ad ditia vicerat arua.
Hic incluſa libens longis veſtita capillis
Veſte carens alia:ter denos paſſa decembres
Diceris,hic non fracta gelu nec victa pauore
Nanque famem,frigus,durum quoque ſaxa cubile
Dulcia fecit amor:ſpéſque alto pectore fixa.
Hic hominum non viſa oculis,ſtipata cateruis
Angelicis,ſeptémque die ſubuecta per horas:
Cæleſtes audire choros alterna canentes
Carmina,corporeo de carcere digna fuiſti.

De reſurrectione domini:alia proſa

Mundi renouatio
Noua parit gaudia:
Reſurgenti domino
Conreſurgunt omnia.
Elementa ſeruiunt:
Et authoris ſentiunt
Quanta ſint ſolennia.
2 Ignis uolat mobilis:
Et aer uolubilis:
Fluit aqua labilis,
Terra manet ſtabilis.
Alta petunt leuia,
Centrum tenent grauia,
Renouantur omnia.
3 Cælum fit ſerenius:
Et mare tranquillius,
Spirat aura leuius.
Vallis noſtra floruit:
Reuireſcunt arida,
Recaleſcunt frigida:
Poſt quæ uer intepuit.
4 Gelu mortis ſoluitur,

Prin-

Princeps mundi tollitur,
Et eius deſtruitur
In nobis imperium.
Dum tenere uoluit
In quo nihil habuit,
Ius amiſit proprium.
5 *Vita mortem ſuperat,*
Homo iam recuperat
(Quod prius amiſerat)
Paradiſi gaudium.
6 *Viam præbet facilem*
Cherubim, uerſatilem
(Vt deus promiſerat)
Amouendo gladium.
Amen.

¶Hæc proſa etiam tota rythmica eſt, & in vnoquoque quatuor primorum verſuum ſeptem complectitur clauſulas rythmicas: quarum vnaquæque ſeptem comprehendit ſyllabas, & ſemper penultimam breuem. Conſonantiam verò in exitu ſyllabarum habent huiuſmodi clauſulæ, aliquando quidé alternatis locis: vt in primo verſu, aliquando verò quæ ſibi inuicem proximæ ſunt: vt in verſibus ſequentibus, & ſemper poſtrema, ad aliquam in medio eiuſdem verſus poſitam clauſulam, vel ad poſtremam proximi verſus: habet ſuum reſponſum. In poſtremorum verò duorum verſuum ſingulis: quatuor ponuntur rythmicæ clauſulæ, quarum duæ primæ inter ſe habent conſonantiam: tertiam verò vnius ad tertiam alterius verſus, & quarta ad quartam in conſonantia confertur.

¶Author eius: Adam de ſancto Victore. In ea deſcribitur gaudium dominicæ reſurrectionis non ſolum in angelos & homines eſſe diffuſum: verum etiam in omnia huius mundi ſenſibilis corpora, cælos, elementa & corpora mixta. Quæ omnia lætiore quodam habitu ſuisque diſpoſitione gratiore quàm prius habuerant: quandam iucunditatem præferunt in reſurrectione domini, & læto teſtantur gaudia vultu: vt reſurgenti domino quodam modo cõgaudere videantur.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Mundi renouatio. Ipſa domini reſurrectio dicitur hic renouatio mũdi, quia totum genus humanum quod mundi nomine intel-
1. Cor. 15. ligitur, in illa renouatum eſt, & à vetuſtate peccati ad no-
Mat. 19 uitatem gratiæ atque à morte ad vitam traductum. Addeq; in Christi reſurrectione, repræſentata eſt & præ exhibita

omnium hominum reſurrectio, in qua haud dubiè totius mundi omniúmque hominum erit renouatio, quando hoc corruptibile induet incorruptionem, & mortale immortalitatem. Quare etiam in euangelio illa vocatur regeneratio: quia corpus renaſcetur ad immortalitatem vitámque interminabilem. Non abſurdè igitur Chriſti reſurrectio (quæ noſtræ reſurrectionis cauſa eſt ac exemplar) hic dicitur renouatio mundi.

2 ¶ In ſecundo verſu. Renouantur omnia. Hanc omnis creaturæ ſenſibilis communem lætitiam & congratulationem quandam ad reſurrectionem Chriſti, quæ his verſib⁹ diffuſè deſcribitur: beatus Auguſtinus in vno ſermonum ſolennitatis paſchalis eleganter & copioſè depromit his verbis. Vnde modo in germina erumpentis terræ tota hylarior facies: vario ſuorum fructuum ornatu omnem hactenus quaſi mortuam rerum naturam reſurgenti ſuo domino conreſuſcitat. Vbi arborum & herbarum grata venuſtas, diuerſo quidem germinum munere, pari tamen geſtu lætitiæ: ſingulari huic ſolennitati feſtiua occurrit. De cæli autem nunc vſque quodam modo triſti, nunc autem lęta facie, quid dicam? quæ aliquandiu iam denſa caligine nubiũ adoperta: aeris huius ſpacium omne turbauit. Et ecce repẽte quaſi iuſtitia de cælo in terrã proſpiciente, mira ſerenitas mundo arridet: & in vnam lætitiam cæli & terræ vota concurrunt, vt deum & hominem Chriſtum communi exultatione excipiant, qui communem vtriſque pacem afferre venerat, & medium parietem maceriæ ſoluens fecit vtraque vnum. Hinc aſtrorum omnium fomes, ſplendor ille ſolaris ſuam frontem admodum rugatam iam iámque expurgat: & quaſi rex conſpicuus in diademate capitis ſui in die deſponſationis ſuæ & in die lætitiæ cordis ſui, cæteris ſtellis velut comitibus ſuis largiora luminis ſui dona impendit. Luna enim ab ipſo ortus ſui die ſemper in quodam ſui diſpendio poſita: ad paſchalia gaudia pleno ſe lumine parat. Et vt cuncta breuiter perſtringam, ſicut omne quod in rebus ſubſiſtit diuina diſpenſatione hominis imperio ſeruit: ſic de ſalute humana omnibus vna exultatio incumbit. Cum igitur pro homine, tantis indiciis omnis creatura ſua gaudia monſtret: conſequens eſt vt ab hominibus ipſis teſtimonia tali lætitiæ non deſint. Hæc Auguſtinus. *Pſal.14.*

¶ In

3 ¶ In tertio verſu. Poſt quæ ver intepuit. Particula illa quæ, non hic copulatiua eſt ſed relatiua, refértque arida & frigida hyberni temporis corpora, poſt quæ, ipſius veris tepor ſuccedit, quod quidem placidum eſt & omnium totius anni temporum amœniſsimum. Verno autem tempore: facta eſt Chriſti reſurrectio.

4 ¶ In quarto verſu Gelu mortis ſoluitur. Alludit author ad conditionem temporis, quo Chriſti facta eſt reſurrectio. Tunc enim gelu hybernum & glacies hyemali frigore concreta, diſſoluitur verno tempore. Ita per calorem viuificum diuinæ gratiæ in reſurrectione domini exhibitæ: letale mortis æternæ frigus diſſolutum eſt, & mors ipſa proſtrata iacet per vitæ renouationem. In eodem quoque verſu dicitur princeps huius mundi amiſiſſe ius proprium detinendi generis humani amplius in captiuitate: dum Chriſtum tenere voluit tanquam etiam morti & peccato ſubiectum, qui ſolus erat inter mortuos liber, & in quo nihil iuris habuit: quoniam peccati omnino fuit immunis. Ius autem principis mundi in hominem: eſt ſolum peccatum. Vnde CHRISTVS de illo dixit. Venit enim princeps mundi huius: & in me non habet quicquam.

6 ¶ In ſexto verſu. Amouendo gladium. Eiectis primis parentibus noſtris de paradiſo propter tranſgreſsionem diuini præcepti: collocauit dominus ante paradiſum voluptatis, cherubim & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Per quod ſignificatur humano generi præcluſus fuiſſe introitus in regnum cælorum ante ſatisfactionem illius vniuerſalis delicti: quod in totam redundauit poſteritatem. At verò per mortem & paſsionem Chriſti ſatisfactum eſt abundè pro illo peccato & regnum cælorum prius occluſum homini reſeratum eſt patefactáque ianua cęli. Idcirco dicitur tunc Chriſtus amouiſſe gladium verſatilem ipſius Cherubim: & prębuiſſe viã facilem ad cælum.

De reſurrectione domini: alia proſa.

Ima uetus expur
Z *getur:*
Vt ſyncære cele-
bretur
Noua reſurrectio.
2 *Hæc eſt dies noſtræ*
ſpei.
Huius mira uis diei,
Legis teſtimonio.
3 *Hæc Aegyptum ſpo-*
liauit,
Et Hebræos liberauit
De fornace ferrea.
4 *His in arcto conſti-*
tutis
Opus erat ſeruitutis
Lutum, later, palea.
5 *Iam diuinæ laus uirtu-*
tis:
Iam triumphi, iam ſalutis
Vox erumpat libera,
6 *Hæc eſt dies quam fecit*
dominus
Dies noſtri doloris termi-
nus,
Dies ſalutifera.
7 *Lex eſt umbra futuro-*
rum
Chriſtus finis promiſſorum
Qui conſummat omnia.
8 *Chriſti ſanguis igneam*
Hebetauit rompheam:
Amota cuſtodia.
9 *Puer noſtri forma ri-*
ſus:
Pro quo ueruex eſt occiſus
Vitæ ſignat gaudium.
10 *Ioſeph exit de ciſterna*
Chriſtus redit ad ſuperna
Poſt mortis ſupplicium.
11 *Hic dracones Pharao-*
nis
Draco uorat à draconis
Immunis malitia.
12 *Quos ignitus uulne-*
rat,
Hos ſerpentis liberat
Aenei præſentia.
13 *Anguem forat in ma*
xilla,
Chriſtus hamus & armilla.
In cauernam reguli.
14 *Manum mittit ablа-*
ctatus,
Et ſic fugit exturbatus
Vetus hoſpes ſeculi.
15 *Irriſores Heliſæi*
Dum conſcendit domum
dei,
Zælum calui ſentiunt.
16 *Dauid arreptitius.*
Hircus emiſſarius,

Et

Et peſſer effugiunt.
17 *In maxilla mille ſternit*
Et de tribu ſua ſpernit
Sanſon matrimonium.
18 *Sanſon Gazæ ſeras pandit,*
Et aſportans portas ſcandit
Montis ſupercilium.
19 *Sic de Iuda leo fortis,*
Fractis portis diræ mortis
Die ſurgit tertia.
20 *Rugiente uoce patris,*
Ad ſupernæ ſinum matris
Tot reuexit ſpolia.
21 *Cetus Ionam fugitiuum*
Veri Ionæ ſignatiuum,
Poſt tres dies reddit uiuum
De uentris anguſtia.
22 *Botrus Cypri refloreſcit,*
Dilatatur & excreſcit.
Synagogæ marceßit,
Et floret eccleſia
23 *Mors & uita conflixere.*
Reſurrexit Chriſtus uerè
Et cum Chriſto ſurrexere
Multi teſtes gloriæ.
24 *Mane nouum manè lætum*
Veſpertinum tergat fletũ.
Quia uita uicit letum
Tempus eſt lætitiæ.
25 *Ieſus uictor, Ieſus uita,*
Ieſu uitæ uia trita,
Cuius morte mors ſopita,
Ad paſchalem nos inuita
Menſam cum fiducia.
26 *Viue panis, uiuax unda,*
Vera uitis & fœcunda.
Tu nos paſce tu nos munda
Vt à morte nos ſecunda
Tua ſaluet gratia.
Amen.

¶ Hæc proſa, rythmicæ modulationis conſtringitur numeris: ſicut illa de ſancto Stephano. Heri mundus exultauit, & propemodum ad illius accedit compoſitionis formã & ſpeciem. In ea explicantur mira dominicę reſurrectionis myſteria: in veteri quidem teſtamento multis figuris præſignata, & in nouo nobis ex bonitate diuina clarius exhibita. Vnde complures hic recenſentur figuræ legis antiquæ: quarum velamine & vmbra, tanta redemptionis humanæ ſacramenta ſunt præſignificata & obducta, quemadmodum annotationes ſingulatim elucidabunt. Et ſanè hęc proſa admodum diuina eſt, paucis multa complectens: & tota

tota ex ſacris literis præclare deſumpta: cuius & hiſtorias & ſententias congruenter copioſéque adapta propoſito, vt hoc ſuo opificio author ipſius Adam de ſancto Victore liquidò prodat ſe in diuinis ſcripturis apprime exercitatũ & promptum fuiſſe. Quod & in compluſculis proſis à ſe cõpoſitis (quarum permultæ huic libro inſeruntur) gnauiter obſeruat vt qui illarum ſtudio fuerit addictiſsimus.

1 ❡ANNOTATIONES. In primo verſu. Zima vetus expurgetur. Vt ſuperius iam dictum eſt: zima fermentum eſt, & peccati typum expreſsionémque gerit in ſcriptura: cùm agnum paſchalem ſine fermento manducari debere ipſa iubet, & in ſacrificio domini fermentum miſceri prohibet. Monet igitur his verbis author vetuſtatem peccati à nobis expurgandam eſſe: vt in ſyncæritate animorum tantam ſolennitatem dignè celebremus, quaſi cum apoſtolo illud noſtris auribus inclamans verbum. Expurgate vetus fermentum: vt ſitis noua conſperſio. Exod. 12. Leui. 2. 1. Cor. 5.

3 ❡In tertio verſu. Hæc Aegyptum ſpoliauit. Quæcunque tempore legis antiquæ in figura contigerunt huius ſacræ diei præſignificatiua: iure huic diei tanquam veritati & præcipuo exemplari attribuuntur, vt ad quam omnis typ⁹ & vmbra tendebat. Itaque hæc dies reſurrectionis ſpoliauit Aegyptum: quoniam ſignificata fuit per diem illũ quo Hebræi ſpoliauerunt Aegyptios auro argento & veſtibus precioſis commodato acceptis, quo etiam Hebræi fuerunt liberati à fornace ferrea Aegypti: à domo ſeruitutis & graui iugo Pharaonis. Sic enim & hoc die Chriſtus ſpoliauit inferos: & genus humanum redemit ab intolerabili ſeruitute principis tenebrarum. Exod. 2.

4 ❡In quarto verſu. His in arcto conſtitutis. Populus Hebræorum preſſus anguſtia ſeruitutis Aegyptiæ: adigebatur ad opera quotidiana conficiendorum laterum ex luto & palea, quemadmodum in Exodo ſcriptũ legimus hoc modo: Oderant filios Iſrael Aegyptij, & affligebant illudentes & inuidentes eis: atque ad amaritudinẽ perducebant vitam eorum operibus duris luti ac lateris, omniq; famulatu quo in terræ operibus premebantur. Sic genus humanũ miſeræ dæmonum ſeruituti fuit ſubiectum ante aduentum Chriſti & ab eis ad varias trahebatur concupiſcẽtias carnis, opum & honorum, quibus tanquam duriſsimo iugo preſſum: prauis operibus erat addictum. Exod. 1.

6 ¶In ſexto verſu. Hæc eſt dies quam fecit dominus. Illud ſumptum eſt ex pſalmo centeſimo decimoſeptimo: vbi dicit propheta. Hæc dies quam fecit dominus: exultemus & lætemur in ea. Quem quidem verſum ſæpius decantat eccleſia in feſtis paſchalibus: eo ipſo inſinuans illum rectè accommodari ad ſolennitatem dominicæ reſurrectionis. Eam enim diem ſingulariter & præ cęteris fecit dominus: cum ipſam admirabili reſurrectionis Chriſti gloria inſigniuit.

7 ¶In ſeptimo verſu. Lex eſt vmbra futurorum. Hoc Paulus atteſtatur: ita ſcribens ad Hebræos. Vmbram ha-

*Pſal.*117. bens lex futurorum bonorum non ipſam imaginem rerũ

*Heb.*10. per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis quas offerunt indeſinenter: nunquam poteſt accedentes perfectos facere. Nomen quidem legis hoc in loco, ſimiliter & in ſecundo verſu huius proſæ: pro veteri lege accipitur, ſicut & in ſancta ſcriptura vt plurimum ea dictio per ſe poſita ſumitur. Quòd

*Rom.*10. verò Chriſtus ſit filius promiſſorum: oſtendit etiam Paulus cum ait ad Romanos. Finis legis eſt Chriſtus: ad iuſtitiam omni credenti. In ipſo enim conſummata ſunt omnia & cópleta: quæ prædixerunt prophetæ, & quæ ipſa lex figurarum inuolucris prçſignauit. Omnes enim prophetę & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt: qui fuit Chriſto contemporaneus, officioſúſque præcurſor.

8 ¶In octauo verſu. Chriſti ſanguis igneam. In præcedétis proſæ explanatione dictum eſt quomodo Chriſtus ſua morte amouit gladium flammeum atque verſatilem: qui fuerat poſitus ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Hoc idem

*Mat.*11. præſens verſus aſtruit, ſanguinem ſcilicet Chriſti effuſum pro nobis in cruce: hebetaſſe obtuſúmque reddidiſſe illum

*Gen.*3 gladium, vt non valeat amplius prohibere aditum paradiſi, quoniam precioſus Chriſti ſanguis tanquam clauis regni cælorum: illud humano generi ante occluſum reſerauit, cunctiſque patefecit illius introitum.

9 ¶In nono verſu. Puer noſtri forma riſus. Iſaac filius Abrahæ ex Sara, dicitur hic forma ſiue figura noſtri riſus & gaudij: quod ex reſurrectione domini & reparatione vitæ merito debemus habere, quoniam à riſu id nomé Iſaac

*Gen.*12 accepit, cum dixerit Sara iam eo partu leuata. Riſum fecit mihi deus: & quicunque audierit, corridebit mihi.

Pro illo autem veruex ſiue aries occiſus legitur: quando angelus de cælo clamans prohibuit Abrahæ ne immolaret filium ſuum, quemadmodum diuinæ voci obediens facere propoſuerat. Tunc enim leuauit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus: quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. Fuit ſanè Iſaac & paſsionis domini & reſurrectionis ad vitam & ſignum & ſymbolum: quoniam iam morti deſtinat⁹ erat quam paratus fuit ſubire, & poſt deſtinatam hanc oblationem, immò poſt arietem pro ſe occiſum: viuus permanſit. Gen. 22

10 ¶ In decimo verſu. Ioſeph exit de ciſterna. Fratres ipſius Ioſeph inuidiæ ſtimulis agitati ipſum à patre miſſum ad eos viſitandos nudauerunt tunica talari ac polymita, miſerúntque eum in ciſternam veterem quæ non habebat aquam. Deinde prætereuntibus Madianitis negociatoribus extrahentes eum de ciſterna vendiderunt viginti argéteis: vt habet liber Geneſeos. Ita planè pater cæleſtis filium ſuũ vnigenitũ miſit in mundum: ad inuiſendos fratres ſuos Iudæos. Verùm illi liuore inuidiæ ſtimulati nudum ipſum crucifixerunt & repoſuerunt in ſepulchro: à quo tertia die rediuiuus ſurrexit. Itaque immiſsio ipſius Ioſeph in ciſternã ſignificabat ipſi⁹ domini noſtri tumulationem, collocationemq; in ſepulchrum. Extractio autem ipſius Ioſeph de ciſterna: ſignat reditum Chriſti de ſepulchro per glorioſam reſurrectionem. Exod. 7.

11 ¶ In vndecimo verſu. Hic dracones Pharaonis. Iuſſu domini tulit Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis eius, proiecitque in terram: quæ protinus verſa eſt in colubrum. Malefici itidem Aegyptij per incantationes Aegyptiacas ſuggerente Pharaone etiam proiecerunt virgas ſuas in terram: quæ verſæ quidem ſunt in dracones, ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Vbi per ſerpentem virgæ Aaron, intelligitur Chriſtus: ab omni veneno peccati immunis. Per dracones verò Aegyptiorum, intelligendi ſunt dæmones: malitiæ tabe prorſus corrupti, & peſtiferum ſuum virus diris ſibilis in alios diffundentes. Significat igitur hæc figura quòd Chriſt⁹ per ſuam mortem dæmoniacæ cohortis vires confregit, & reſurrectione ſua mortem profligauit.

12 ¶ In duodecimo verſu. Quos ignitus vulnerat. Vt ſacra libri Numeri narrat hiſtoria, quicunque ab ignitis ſerpentibus immiſsis à deo propter murmurationem filiorũ Iſrael erant percuſsi: conſpecto æheo ſerpente quem Moyſes iuſſu domini erexerat in deſerto, illicò ſunt curati. Ita quicunque igneis nequiſsimi telis ſunt transfixi, morſúve peſtifero peccati ſauciati, conſpecto in cruce ſuſpẽſo Chriſto (qui per æreum ſerpentem ſignatur) per oculos interiores fidei & deuotionis: protinus ſanãtur ab illato vulnere. Vnde dominus in euangelio hanc figuram veritati accommodans inquit. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat: ſed habeat vitam æternam.

Num. 21.

Ioan. 3

13 ¶ In decimotertio verſu. Anguem forat in maxilla. Iob quadrageſimo cap. de ſathana ſub nomine leuiathan loquens ait An extrahere poteris leuiathan hamo: aut armilla perforabis maxillam eius. Quem locum exponens beatus Gregorius dicit: quòd humanitas Chriſti fuit vt eſca prouocans dæmonem ad deuorandum eam, pertrahendúmque in mortem. Diuinitas autem eiuſdem vt hamus ſub eſca latitans: qua dæmon incautus in maxilla eſt perforatus. Quoniam cum humanitatem Chriſti ſicut aliorum hominum deglutire voluit: virtute deitatis illius perforatus quam vorauerat prædam amiſit.

Iob. 40.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Manum mittit ablactatus. Ea ſententia ſumpta eſt ex vndecimo capite Eſaiæ: vbi ait propheta. Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramina aſpidis: & in cauernam reguli qui ablactatus fuerit, manũ ſuam mittet. Vbi per infantem ab vbere ſimiliter & ablatum: intelligitur (vt explicat gloſa ordinaria) Chriſtus purus & innocens, malitiáque paruulus. Per aſpidem verò cuius percuſsio præſentaneam infert mortem, & per regulum ſiue baſiliſcum regem omnium ſerpentium: qui flatu & viſu non ſolum cætera ſed & aues volantes necat, intelligitur diabolus. Per cauernam autem illius: aut corpora dæmoniis obſeſſa aut potius hic mundus intelligitur, in quo tanquam ſpelunca fecerat ſibi ſathanas habitaculum. Denique per manum ablactati rectè accipitur diuina Chriſti potentia: quæ comprehenſum regulum è ſua cauerna traxit captiuum cum virtute ſua principem huius

Eſaia 11.

huius mundi eiecit foras. Et ſic hoſpes huius ſeculi ſerpens ille antiquus (qui longo tempore hoſpitium & habitationem huius mundi occupauerat per cultum idolorum) diffugit exturbatus è ſua cauerna: poſtquam ablactatus miſerat manum ſuam in illam. Ex quo liquet tertiam clauſulam præcedentis verſus, ſcilicet in cauernam reguli, pertinere ad ſententiam præſentis verſus, & in ea legendum eſſe: in cauernam, non autem in cauerna, vt aliqui habent libri: quoniam verbum mittere, motum ad locum ſignat. Ioan.12

15 ¶ In decimoquinto verſu. Irriſores Heliſæi. Quartus liber Regum de Heliſæo propheta refert, quòd cum poſt raptum Heliæ in cælum aſcenderet per viam in Bethel: parui egreſsi ſunt de ciuitate & illudebant ei dicentes. Aſcende calue, aſcende calue. Qui cum reſpexiſſet vidit eos: & maledixit eos in nomine domini. Egreſsique ſunt duo vrſi de ſaltu: & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Hæc autem figura fuit eorum quæ in paſsione domini & poſt aſcenſionem eius in cælum Iudæis contigerunt. Nempe Chriſtum in cruce exaltatum irriſerunt Iudæi dicentes. Vah qui deſtruis templum dei: & in triduo reædificas illud. Alios ſaluos fecit: ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si filius dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Propter quæ maledictio dei venit ſuper illos, & poſt quadraginta duos annos ab eius paſsione, ſignatos per totidem pueros laceratos ab vrſis, duo vrſi de ſylua gentium exierunt, Veſpaſianus ſcilicet & Titus imperatores Romani, & vrbem Hieroſolymitanam funditus euerterunt: totúmque Iudæorum populum exterminauerunt. 4. Reg. 2. Mat. 27

16 ¶ In decimoſexto verſu. Dauid arreptitius. Primus liber Regum commemorat de Dauid, quòd cum apud Achis regem Geth vrbis Philiſteorum diuerſaretur: vt euaderet manus Saul iniuſte & crudeliter ipſum perſequentis, audirétque ſeruos ipſius Achis ſuggerentes regi ſuo quod Dauid eſſet ille qui occidiſſet Goliath fortiſsimum Philiſteorum: timens ne quid grauius in ſe conſuleretur ſimulauit inſaniam, & collabebatur inter manus aſſiſtentium, & impingebat in oſtia portæ: defluebántque ſaliuæ eius in barbam. Quod videns rex Getheus, & furioſum ipſum Dauid exiſtimans iuſsit illum dimitti. Et ita Dauid hac ſimulatione furiæ: euaſit manus inimicorum 1. Reg. 2

 ſuorum

ſuorum incolumis. Ita Chriſtus per Dauid figuratus, Iudęorum cuſtodientium eius ſepulchrum & volentium impedire reſurrectionem ipſius, effugit manus: potentifica ſua virtute à mortuis reſurgens. Præterea Leuiticus inter cęteras cærimonias ritum emundationis leproſi deſcribens, dicit duos paſſeres eſſe ſumendos: quorum vnus immoletur domino, & alter dimittatur auolare viuus. In feſto quoq; expiationis accipiendos eſſe duos hircos, quorum vn⁹ ſuper quem ceciderit ſors ipſi domino: debeat offerri deo pro expiatione peccati ipſius populi. Alter verò hircus, cui ſcilicet obuenerit ſors capri emiſſarij: dimittatur viuus & ducatur in ſolitudinem. Per hunc autem paſſerem & hircum qui dimittuntur viui: ſignficatur Chriſtus poſt reſurrectionem rediuiuus & in cælos regreſſus, qui ita manus Iudæorum hoſtiles euaſit: vt neque eum ſepulchro detinere, neque poſtea ipſum in perſona ſua perſequi potuerint,

17 ℭ In decimoſeptimo verſu. In maxilla mille ſternit. Liber Iudicum meminit de Sanſon quòd cum à viris Iudaducetur ligatus ad Philiſteos: diruptis ſubito vinculis inuétam maxillam aſini arripiens interfecit in ea mille viros ex Philiſteis. Cæterùm per Sanſon intelligitur Chriſtus, qui à Iudæis in paſsione ligatus & gentibus traditus: omnem dæmonum cateruam per Philiſteos ſignificatam proſtrauit virtute ſuæ diuinitatis. Idem quoque liber enarrat, quòd Sanſon deſcendens in Thānata vrbem Philiſteorum, vidit ibi mulierem de filiabus Philiſtinorum, petiuitque à parentibus ſuis eam ſibi poſtulari & accipi in vxorem: nolens illis acquieſcere ſuadentibus quòd potius de tribu ſua Dan vxorem duceret ſecundum inſtituta legis Moſaicæ, & nō de populo incircuncifio atque gentili. Hæc autem figura erat illius myſterij in Chriſto completi, quod non de cognatione ſua & Iudæorum turba eccleſiam collegerit ſponſam, ſed deſeruerit illam domum ſuam, propter cæcitatem & incredulitatem ipſorum, & ex gentibus per Philiſteos ſignatis elegit ſibi ſponſam dilectam: ſanctam ſcilicet eccleſiam ſuo ſanguine ablutam.

Iudicum 15 *Indic. 14.* *Iudic. 16*

18 ℭ In decimo octauo verſu. Sanſon Gazæ ſeras pandit. Liber Iudicum inſuper de Sanſone recitat, quod cum Philiſtei cognouiſſent ipſum intraſſe Gazam vrbem eorum: poſuerunt cuſtodes in porta ciuitatis, qui facto mane illum egre-

egredi volentem occiderent. Ipſe verò intempeſtæ noctis ſilentio conſurgens apprehendit ambas portæ fores cũ poſtibus ſuis & ſera: impoſitáſque humeris ſuis portauit ad verticem montis qui reſpicit Hebron. Ita ſanè Iudæi corpus Chriſti tumulo conditum circumſepſerunt cuſtodibus: ne poſſet die tertia reſurgere, ſicut ab eo prædictum audiuerant, ſed irritus fuit omnis eorum conatus. *Mat.27.*

19 ¶ In decimonono verſu. Sic de Iuda leo fortis. Hic verſus explicat veritatem repræſentatam per præcedentis verſus figuram. Nempe quod modo de Sanſone dictũ eſt ſignificat quod Chriſtus confregit ſeras inferni carceris, vectéſque eius ferreos euulſit: eductis inde ſanctis patribus. Et videntibus illis qui ad cuſtodiam ſepulchri eius erant deputati ſurrexit à mortuis ac quadrageſimo deinde die aſcendit victor in montem ſanctum dei, verticémque cælorum. Porrò dicitur hic Chriſtus de Iuda leo fortis: quoniam ita appellatur apud Ioannem in Apocalypſi, vbi ait. Vicit leo de tribu Iuda: radix Dauid. Leo inquam: propter inuictam ipſius fortitudinem, cui nullus obluctari aut reſiſtere poſsit.

20 ¶ In viceſimo verſu. Rugiente voce patris. Dicitur leo rugitu ſuo excitare catulos: cum recens in lucem editi iacent vt exanimes. Huic autem naturali proprietati alludẽs author, quia Chriſtum vocauit leonem: dicit imperio dei patris (quod rugientis vocis nomine exprimit) ipſum à mortuis excitatum, quandoquidem ſcriptura ſępi⁹ de Chriſto teſtatur: quòd eum deus pater ſuſcitauit à mortuis. Poſt reſurrectionem verò ſuam cælos conſcendens Chriſtus, captiuam duxit captiuitatem: & ſpolia inferno lacu direpta ſanctos ſcilicet patres reduxit ſecum in cælos, in ſinũ ſcilicet ſupernæ matris noſtræ Hieruſalem, eccleſiæque triumphantis. *Apoc.5.* *Actu.2.*

21 ¶ In viceſimoprimo verſu. Cetus Ionam fugitiuũ. Ionas cum fugeret à facie domini in Tharſis ne mitteretur in Niniuen: naui conſcenſa & oborta graui tempeſtate, cũ per ſortem ipſe deprehenſus eſſet fuiſſe cauſa ipſius procelloſæ commotionis in mari ſubito exortatæ: proiectus eſt ſuo ipſius ſuaſu & conſenſu in mare, & abſorptus ab immani piſce quem dominus ad hoc parauerat. At ipſe in ventre ceti tribus diebus ac noctibus deliteſcens: demùm inco- *Ioſu.5.*

lumis in terram eiectus eſt, vt liber eius propheticus atteſtatur. At verò Ionas propheta in his operibus quæ geſſit & perpeſſus eſt, ſignificat Chriſtum à deo patre miſſum in mundum vt prædicaret hominibus pœnitentiam & viam ſalutis, grauiſsimis agitatum eſſe perſecutionibus malicia Iudæorum in ipſum excitatis, & demùm poſt crucis opprobriũ ſepulchro fuiſſe impoſitum: de quo poſt tres dies ſurrexit à mortuis. Quemadmodum dominus ipſe Iudæis ſignum quęrentibus reſpondit. Generatio praua & adultera ſignum quęrit: & ſignum non dabitur ei niſi Ionæ prophetæ. Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic filius hominis erit in cordæ terræ tribus diebus & tribus noctibus.

Mat. 12

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Botrus Cypri refloreſcit. Locus iſte ſumptus eſt ex canticis amatoriis Salomonis: vbi ſponſa ait. Botrus Cypri dilectus meus mihi: in vineis Engaddi. In quibus quidem verbis Chriſtus ſponſus eccleſiæ dicitur botrus Cypri propter reſurrectionem ſuam, vt ait Bernardus hunc locum in canticis exponens ſermone quadrageſimoquarto, ſicut antè dictus eſt ibidem faſciculus myrrhę propter ſuæ paſsionis amaritudinem. Ergò (inquit) dominus meus Ieſus, myrrha mihi in morte: botrus in reſurrectione. Et rectè botrus: propter ſuauitatem dulcedinémque gratiarum ac virtutũ, quę ab eo proceſſerunt in omnem populum Chriſtianum. Is autem botrus Cypri hic refloreſcere dicitur: quoniam poſt mortis anguſtias per reſurrectionem redit ad vitam immortalem, quemadmodũ vinea hyberno tempore marcida & ſterilis: adueniente vere iterum induit virorem frondium, floréſque regerminat Idem quoque botrus dilatatur & excreſcit: quoniam nomen Chriſti per prædicationem apoſtolorum in omnes terræ plagas eſt dilatatum, vt cum prius notus fuerit in Iudæa deus & in Iſrael magnum nomen eius: poſtea in toto terrarum orbe celebratum ſit & diuulgatum. Et quoniam adueniente veritate, ceſſare debet vmbra: lex Moſaica cũ ſuis cęrimoniis (quę nomine ſynagogæ hic inſinuatur) poſt reſurrectionem Chriſti eſt abolita. Lex verò euangelica cum ſacramentis noui teſtamenti (quæ per eccleſiam hic ſignatur) vegetum robur accepit & viget.

Cant. 1.

Pſal. 75.

Mat. 27.

23 ¶ In viceſimotertio verſu. Et cum Chriſto ſurrexere.

Illi ſcilicet ſancti patres, de quibus ſcribit Matthæus quòd tempore mortis Chriſti monumenta aperta ſunt: & multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem & apparuerunt multis. Et illos quidem ad vitam immortalem reſurrexiſſe nulla deinceps morte interceptam neque caſuram: ex eo ſumunt argumentū ſancti patres, quoniam idonei teſtes reſurectionis Chriſti non fuiſſent: ſi non & ipſi ad incorruptibilis & immortalis vitæ ſtatum (ſicut Chriſtus) ſurrexiſſent.

24 ¶ In viceſimoquarto verſu. Mane nouum, mane lætū. *Pſal.29.*
Hæc ſententia ſumpta eſt ex illo verſu pſalmi viceſimono no. Ad veſperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia. Quem exponēs ſacer Hieronymus ait. Ad veſperum demorabitur fletus: quia paſſo & ſepulto domino, apoſtoli & mulieres in fletu & gemitu morabantur. Et ad matutinū lætitia: quia mane venientes ad ſepulchrum, gloriam reſurrectionis ab angelicis acceperunt. *Marc.16.*

25 ¶ In viceſimoquinto verſu. Ad paſchalem nos inuita.
Menſa paſchalis eſt ſacrum illud conuiuium in quo Chriſtus ſumitur ex inſtituto eccleſiaſtico: quo quiſque legitimæ ætatis aſtringitur ad ſumendam ſacroſanctam eucharistiam quotannis in feſto paſchæ. Ad quam ſumptionem petit author nos diuina miſeratione perduci cum fiducia animi bona, quòd ea nobis ſit ad iuſtificationem & vitam: non autem ad damnationem & interitum ex noſtra culpa.
Quòd autem Ieſus Chriſtus & via ſit & vita, quemadmodū hic verſus eum cognominat: ex his ipſius verbis eſt ſatis notum. Ego ſum via, veritas & vita.

26 ¶ In viceſimoſexto verſu. Viue panis, viuax vnda.
Quòd Chriſtus ſit panis viuus: nullum efficacius eſt teſtimonium quàm ipſius dicentis. Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi. Et iterum. Ego ſum panis vitæ. Quòd autem ſit aqua viua, teſtatur & ipſe per Hieremiam prophetam dicens. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Denique quòd ſit vera vitis: ipſe quoque in euangelio teſtimoniū perhibet, cum ait. Ego ſum vitis vera: & pater meus agricola eſt. Et iterum ad diſcipulos. Ego ſum vitis vera, & vos palmites Horum autem omniū nominū propria ratio *Ioan.14.* *Ioan.6* *Hiere.2.* *Ioan.15.*

cur Chriſto attribuantur: ſuis eſt locis requirenda, in euangelica ſcilicet explanatione.

In feſtis paſchalibus: alia proſa.

Lux illuxit dominica:
Lux inſignis, lux unica:
Lux lucis & letitie:
Lux immortalis glorie.
3 *Diem mundi conditio:*
Commendat ab initio.
4 *Quam Chriſti reſurrectio*
Ditauit priuilegio.
5 *In ſpe perennis gaudij*
Lucis exultent filij.
6 *Vendicent membra meritis*
Conformitatem capitis.
7 *Solennis eſt celebritas:*
Et uota ſunt ſolennia.
Primæ diei dignitas
Prima requirit gaudia.
8 *Solennitatem gloria:*
Paſchalis eſt uictoria.
9 *Sub multis ænigmatibus*
Prius promiſſa patribus.
10 *Iam ſciſſo uelo patuit:*
Quod uetus lex præcinuit
11 *Figuram res exterminat,*
Et umbram lux illuminat
12 *Quid agnus ſine macula*
Quid hedus typi geſſerit,
Noſtra purgans piacula
Meſsias nobis aperit.
13 *Per mortem nos indebitam*
Soluit à morte debita.
14 *Prædam captans illicitam,*
Præda priuatur licita.
15 *Carnis delet opprobria*
Caro peccati neſcia,
Die reflorens tertia:
Corda confirmat dubia.
16 *O mors Chriſti mirifica*
Tu Chriſto nos uiuifica.
17 *Mors morti non obnoxia*
Da nobis uitæ præmia.
Amen.

¶ Hæc proſa certis etiam rythmicæ conſonantiæ numeris conſtat Nam vt plurimum quiſque verſuum eius, duas ſolum clauſulas rythmicas complectitur in exitu ſyllabarũ adinuicẽ conuenientes. Vnaquęque autẽ illarũ clauſularũ

octo continet ſyllabas ſempérque penultimam breuē. Interdum verò vnus verſus quatuor comprehendit huiuſmodi clauſulas alternis locis conſonantiam ſeruantes, vt prima tertiæ & ſecunda quartæ in conſimili ſyllabarū deſinentia reſpondeat. Nonnunquam itidem eiuſdem verſus quatuor ſunt clauſulæ, eodē penitus inter ſe exitu deſinentes, quemadmodum ſtudioſus lector facilè primo ipſius literæ obtutu diiudicabit.

Author eius, Adam de ſancto Victore. Commendatur in ea multis præconiis glorioſa Chriſti reſurrectio: ob magna beneficia quæ humano generi contulit, ſcilicet redemptionem ab hoſte antiquo, reparationem vitæ, liberationē à morte, & ſpem immortalitatis in nobis conſequendæ in conſummatione ſeculi. Et quoniam die dominico facta eſt Chriſti reſurrectio, illa dies etiam egregiis extollitur titulis & laudibus.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Lux illuxit dominica. Lucem pro die ſępius apud authores accipi, notius eſt quàm vt teſtimonio aut declaratione egeat. Et ita hoc in loco quoties in nominatiuo collocatur, accipitur. Nam in ſecundo verſu in genitiuo poſitum id nomen: claritatem ſiue lumen ſignat. Dicitur autem dies dominica: quę ſabbatum proxime conſequitur, immo potius quam ſabbatum ſeptimo loco ſequitur. Nam prima eſt illa dies: & ordine tēporis & excellentia dignitatis. Et quoniam in nouo teſtamento dies ille conſecratus eſt domino, vt in eo deus ipſe peculiarius ac integrius quàm in aliis hebdomadæ diebus colatur, quemadmodum in veteri teſtamento in ſabbato, idcirco diei dominicæ nomen ſortitur & dominica dies dicitur quaſi dies domini, ſpecialitérque domino dedicatus atque addictus.

3 ¶ In tertio verſu. Diem mundi conditio. Creatio ſiue formatio mundi (quæ hic conditio dicitur: quoniam mundus à deo conditus eſt) commendat diem dominicū, quandoquidem ipſa mundi productio incœpta eſt die dominico, vt ille, ſex dierum quibus formatus eſt mundus: fuerit primus, quemadmodum in primo huius operis libro oſtēſum eſt, in expoſitione illius hymni. Primo dierū omniū: quo mundus extat conditus. Accedit autem illi & altera Marci 16
dignitas, quòd in ea ſit facta Chriſti reſurrectio. Nā ma-

ne prima ſabbati, id eſt prima poſt ſabbatum die Chriſtus ſurrexit. Hæc autem eſt dies dominica. Et propter huiuſmodi excellentias, dies iſta dicitur in primo huius proſæ verſu dies inſignis & vnica: id eſt præcipua ſiue primaria & in ſecundo eadem dicitur dies lucis & lætitiæ, dies item immortalis gloriæ: quòd per reſurrectionem Chriſti nobis lucem, lætitiam & immortalem gloriã attulerit & hãc ob cauſam quartus habet verſus: quòd ipſam diem dominicã reſurrectio Chriſti exornauit inſigni priuilegio, ſin-
1. Ioan. 1 gularique dignitate.

5 ¶ In quinto verſu. Lucis exultent filij. Deus lux eſt (vt inquit Ioannes) & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Qui ergo dei ſunt imitatores & mandata eius cuſtodiunt: ij ſunt filij lucis, quoniam opera lucis faciunt & fugiunt o-
Ioan. 12 pera tenebrarum. Et ita etiam à domino nominantur in euangelio: cum ait ad Iudæos. Dum lucem habetis credite in lucem, vt filij lucis ſitis. In ſexto autẽ verſu. Membra corporis myſtici dicuntur fideles, per bona opera vitam gratiæ in ſe habentes, & ipſi capiti Chriſto per vinculum dilectionis annexi: vt etiam ad integritatem & perfectionem ſacri corporis Chriſti attineant. Admonet ergo hic verſus, quòd ipſi fideles id bonis ſibi comparent operibus & ſynceritate vitæ: vt demùm conformes effici
Matth. 27 mereantur capiti Chriſto, & ad immortalẽ reſurgere gloriam, ſicut & ipſe ſurrexit.

10 ¶ In decimo verſu. Iam ſciſſo velo patuit. In paſſione domini velum tẽpli ſciſſum fuiſſe legitur à ſummo vſque deorſum. Quæ quidem diſciſſio myſtice ſignificauit: velamen veteris teſtamenti occultatus variis figuris myſteria nouæ legis, iam eſſe motum, & præſente rerũ exhibitione tunc patuiſſe ſacratiſsima noſtræ redemptionis
Exo. 12 ſacramenta, quæ ad illud vſque tempus delituerant ſub figurarũ velamento abdita ac abſtruſa, perinde atque ſublato velo palam conſpicitur: quicquid illo prius obuelatum fuerat.

12 ¶ In duodecimo verſu. Quid agnus ſine macula. In Exodo filij Iſrael iuſſi ſunt immolare agnum ſine macula, & iuxta eundem ritum accipere hœdum ad veſperum paſchæ: aſperſionẽque ſanguini illius ad poſtes domus & ſuperliminaria, liberati ſunt ab angelo percuſſore primogenitorum

mogenitorum AEgypti. Ille autem agnus geſſit typũ atq; figuram Chriſti, veri agni & immaculati: cuius precioſo ſanguine effuſo in cruce, liberati ſumus à dæmonica ſeruitute, quemadmodum ſuperius illud ſæpenumero adductum eſt & latius explicatũ. 13 ❡ In decimotertio verſu. Per mortem nos indebitam. Chriſtus debitor mortis non fuit, quia omnino peccati fuit expers, per peccatũ autem, mors eſt introducta. Nos autẽ omnes mortis ſumus debitores, quia peccato obnoxij. Itaque Chriſtus per mortem indebitam quam ſponte pertulit: nos libarauit à morte debita, non ſolum temporali ſed etiam æterna. At verò proxime ſequens verſus non ita ad Chriſtum ſed ad dæmonem refertur qui oppoſito ad Chriſtum modo cum rapere tentaret prædam illicitam, ſcilicet Chriſtum in quo nihil habuit iuris: priuatur iuſte præda licita ſcilicet toto genere humano, in quod ius ſibi vendicauerat ob cõtagionem & labem peccati.

15 ❡ In decimoquinto verſu. Carnis delet opprobria. Caro ipſius Chriſti ab omni peccato aliena. delet opprobria & maculas noſtræ carnis vere peccatricis. Quoniam ipſe habens quidem ſimilitudinẽ carnis peccati non tamen carnem peccati: abſtulit à nobis peccatum, qui certe habemus carnem peccati. Neque ſolũ opprobria culpæ à carne noſtra ſuſtulit: ſed etiam opprobria pœnæ, ſcilicet mortalitatem, paſſibilitatem & corruptibilitatem, per cõſumptæ reſurrectionis gloriam. Ipſa etiam Chriſti caro reflorens tertia die per reditum ad vitam immortalem: confirmauit corda dubia diſcipulorum, diutius de veritate reſurrectionis eius ſubdubitantium, quibus præbuit ſeipſum Ioan. 20
viuum in multis argumentis. Act. 1

De reſurrectione domini; alia proſa.

1
ECce dies celebris:
Lux ſuccedit tenebris,
Morti reſurrectio.

2 *Lætis cedant triſtitia.*
Cum ſit maior gloria:
Quàm prima confuſio.

3 *Vmbram fugat ueritas:*

Vetuſtatem

Vetuſtatem nouitas,
Luctum conſolatio.
4 *Paſcha nouum colite*
Quod præit in capite:
Membra ſperent ſingula.
5 *Paſcha noſtrum Chriſtus eſt:*
Qui pro nobis paſſus eſt
Agnus ſine macula.
6 *Hoſtis qui nos circuit:*
Prædam Chriſtus eruit.
Quod Sanſon præcinuit:
Dum leonem lacerat.
7 *Dauid fortis uiribus,*
A leonis unguibus
Et ab urſi faucibus
Gregem patris liberat.
8 *Quòd in morte plures ſtrauit,*
Sãſon Chriſtum figurauit.
Cuius mors uictoria.
9 *Sanſon dictus ſol eorũ.*
Chriſtus lux eſt electorum.
Quos illuſtrat gratia
10 *Iam de crucis ſacro uecte*
Botrus fluit in dilectæ
Penetrale eccleſiæ.
13 *Iam calcato torcu-lari:*
Muſto gaudent debriari
Gentium primitiæ.
12 *Saccus ſciſſus & pertuſus,*
In regales tranſit uſus.
Saccus fit ſoccus gratiæ:
Caro uictrix miſeriæ.
13 *Quia regem peremerunt,*
Rei regnum perdiderunt:
Sed non deletur penitus
Cain, in ſignum poſitus.
14 *Reprobatus & abiectus*
Lapis iſte nunc electus:
In trophæum ſtat erectus
Et in caput anguli.
15 *Culpam delens non naturam]*
Nouam creat creaturam,
Tenens in ſe ligaturam
Vtriuſque populi.
16 *Capiti ſit gloria,*
Membriſq; concordia.

Amen.

Hæc proſa conſimilem habet rythmicam compoſitionem, ſicut illa paulo antè explicata. Mane prima ſabbati: ſurgens dei filius. Author eius, Adam de ſancto Victore. Prædicatur in ea dominicæ reſurrectionis gloria, per quam excuſſi ſumumus a faucibus leonis rugientis: ſicut

multis

multis antiqui teſtamenti figuris illud fuit præſignificatũ, per illam itidem & mortem Chriſti profluit gratia in totam eccleſiã, quam indubitato percipiunt quicunque ore & opere confitentur Chriſtum authorem vitæ & ſaluatorem mundi, à quo ſolo ſalus eſt ſperanda.

2 ❡ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Cum ſit maior gloria. Prima confuſio fuit, quam induxit primorum parentum præuaricatio, tranſgreſſióque diuini præcepti. Propter illam enim tota humana propago: maledicto fuit ſubiecta & regno cælorum extorris. At nunc in reſurrectione Chriſti maior eſt gloria humani generis: quàm fuerat dignitas illa quæ per primam confuſioné eſt deperdita. Nempe humana natura nunc ad immortalitatem eſt ſubuecta, qua nunquam mori poterit, nunc ea eſt incorruptibilitate & impaſſibilitate dotata: qua nunquam ſuſtinere corruptionem aut paſſionis moleſtiam valebit. Ante primam verò confuſionem, non ita ſimpliciter immortalis fuit & incorruptibilis noſtra natura, ſed ſolummodo ſecundum aliquid, quia ſcilicet potuit non diſſolui morte, aut corruptione nõ atteri, quamdiu perſtitiſſet in ſua rectitudine. Atqui tam mala fuit prima cõfuſio: quàm bona fuit conditio humani generis per illam confuſionẽ deperdita. Sed huiuſmodi conditio noſtra ante lapſum nõ fuit tam præclara & excellens: ſicut eſt ſtatus humanæ naturæ per reſurrectionem glorificatæ, vt iam oſtẽſum eſt. Ergo prima cõfuſio non fuit tam mala: quàm bona eſt cõditio carnis noſtræ per reſurrectionem beatæ. Eſt igitur nunc maior humani generis gloria poſt reſurrectionem, quàm fuerit prima confuſio per culpam, quòd eſt propoſitum. 6 ❡ In ſexto verſu. Hoſtis qui nos circuit. Quãdo Sanſon cum parentibus ſuis iuit in Thannata vrbem Philiſteorum vt inde vxorem acciperet & veniſſet ad vineas oppidi: apparuit catulus leonis ſæuus & rugiẽs & occurrit ei. Irruit autem ſpiritus domini in Sanſon: & dilacerauit leonem quaſi hœdum in fruſta diſcerperet, nihil omnino habens in manu, vt refert liber Iudicum. In eo autem opere, Sanſon figura fuit Chriſti: & leo ille rugiens, ipſius diaboli, de quo dicit beatus Petrus. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit: quærens quem deuoret. Siquidem ipſe Chriſtus totum genus humanum (quod

Iudic. 14

1. Pet. 5

(quòd fuit præda hoſtis noſtri) eripuit manibus illius, ipſúmque glorioſè deuicit ac proſtrauit humi, vires eius cõtundens ac comminuens.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Dauid fortis viribus. Ipſe Dauid ante conflictum cum Goliath ad Saul regẽ verba faciẽs: hoc ipſum quod hic deſcribitur his verbis enarrrat. Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus & tollebat arietẽ de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum. Et illi conſurgebant aduerſum me: & apprehendebam mentum eorum & ſuffocabam interficiebámque eos. Nam & leonẽ & vrſum interfeci ego ſeruus. Cæterùm Dauid qui interpretatur manu fortis, & vultu deſiderabilis: Chriſtum ſignificat fortem in prælio, & ſpecioſum forma præ filiis hominum, qui gregem patris ſui totum ſcilicet genus humanũ eruit de faucibus & vnguibus dæmonis: ſignificati per vrſum & leonem, & id quidẽ: per mortem & paſſionẽ ſuã.

1.Reg.17

Iudic.16

8 ¶ In octauo verſu. Quòd in morte plures ſtrauit. Cum Philiſtei ſolenne celebrarent conuiuium, laudantes Dagõ deum ſuum quòd captus eſſet ab eis Sãſon hoſtis eorum, iuſſerunt inter epulas ipſum Sanſon educi carcere, vt coram eis luderet. Ipſe verò cum aliquantum ludi illis præbuiſſet ſpectaculum, perductus à puero regente greſſus ſuos ad columnas quibus tota domus innitebatur vt pauliſper ibi quieſceret: inuocato deo, apprehenſas manibus ſuis duas illas columnas grauiter colliſit adinuicem tanto impetu, vt tota domus corruerit ſuper diſcumbentes, oppreſſitq; circiter tria millia tam virorum quàm mulierum, qua quidem ruina & ipſe etiam extinctus eſt: multóque plures occidit mortuus, quàm viuus fecerat. Ita & Chriſtus per Sanſonem figuratus, morte ſua validius cõtriuit poteſtates tenebrarum & perfectius: quàm fecerat ante adhuc viuus. Siquidem cum in terra diuerſaretur ante paſſionem: paticulatim dæmonia corporibus obſeſſorum expulit, & ſemel legionem integram eorum attriuit: illam ſolo verbi imperio eiiciens. Morte verò ſua non vnum ſolum aut alterũ euicit dæmonium, ſed ipſum principem huius mundi cum tota ſua nigra cohorte eiecit foras, potentérque profligauit: omnem illam malarum poteſtatum cateruam virtute ſuæ mortis proſternens.

Luc.8

In

9 ¶ In nono verſu. Sanſon dictus ſol eorum. Hic verſus oſtendit ex interpretatione nominis Sanſon: quòd rectè per ipſum ſignificatur Chriſtus. Quoniã Sanſon (inquit) interpretatur ſol eorum, vtpote Hebræorum: quos iudicaria directione, inſigni fortitudine & protectione ab hoſtibus mirifice ſuo tempore illuſtrauit. Chriſtus autem & ſol eſt iuſtitiæ & lux electorum: quos in hac vita lumine gratiæ, & in altera gloriæ ſuæ claritate perluſtrat. Ratio igitur nominis Sanſon: aptè Chriſto conuenit. Inſuper Sanſon ante conceptum ſuum parentibus ſuis per angelũ fuit nunciatus, ita Chriſti conceptio ſacroſanctę matri ſuæ per Gabrielem eſt annunciata. Sanſon ex matre ſterili natus eſt. Chriſtus ex matrę virgine: obumbrante illi ſpiritu ſancto. Sanſon item toto vitæ ſuæ tempore fuit Nazaræus, id eſt conſecratus domino. De Chriſto autem dictũ eſt per prophetam, quoniam Nazarenus vocabitur. Rurſum mira fortitudine corporis. Sanſon cæteros homines pręſtitit. De Chriſto verò dicit Eſaias: quòd vocabitur nomen eius deus fortis, & de eodem propheta in pſalmo dominus fortis & potens dominus potens in prælio. Poſtremùm. Sanſon ad tempus liberauit populum Hebræorum de manibus Philiſteorum: Chriſtus autem perpetuo eripuit genus humanũ de manibus nequitiarũ ſpiritualium leonúmque rugientium. *Iudith.13* *Matth.2* *Eſa.6* *Pſal. 23*

10 ¶ In decimo verſu. Iam de crucis ſacro vecte. Vectis dicitur in vna ſuarum acceptionũ ſudes aut baculus: quo quippiam portatur ac vehitur, vt in Exodo legimus dominum præcepiſſe Moyſi, quòd faceret vectes ad ferendam arcam. Crux autẽ ſancta portauit regem cælorum & dominum: ideo hic rectè vectis nomine ſignantur. Penetrale verò, alis, ſubſtantiuum nomẽ: dicitur penitiór & interior pars domus aut templi, immo quicquid intimum alicui eſt: nomine penetralis exprimitur, vt penetralia pectoris noſtri dicimus. Sublata verò per apocopen poſtrema litera: dicimus pro eodem ſignificato penetral, alis. Demùm botrus dicitur racemus vuæ integer. Senſus itaque huius verſus eſt, quòd ſicut torculari compreſſa vua, vinum ſuum demittit in vaſa ſubiecta: ita precioſus Chriſti ſanguis patibulo crucis expreſſus, defluit in eccleſiæ ſponſæ Chriſti dilectæ præcordia ac viſcera. Nam eo ſanguine *Exo.25*

guine irrigata eſt & aſperſa ſancta eccleſia: inde etiā ſanctificationem accepit & omnem ſuorum ſalutarium ſacramentorum vim præcipuam.

3 ❡ In vndecimo verſu. Iam calcato torculari. Poſtquā torculari compreſſæ ſunt vuæ, ſi quis de muſto quod inde effluxit largius hauriat: facile in ebrietatem prolabitur. Chriſtus autem (vt ait propheta) torcular calcauit ſolus: & de gentibus non erat vir cum eo: quando crucis ſupplicium pertulit. Ab illo autem torculari profluxit gratia paſſionis Chriſti in multitudinem gentium: ad fidem, apoſtolica prædicatione conuerſarum, tāquam ſpirituali muſto inebrietati ſunt: qui primi ex gentibus Chriſtum receperunt, larga enim profuſione chariſmatū ſpiritus ſancti, & affluentius quàm alij: ſunt repleti.

12 ❡ In duodecimo verſu. Saccus ſciſſus & pertuſus. Metaphorica locutione ſacrum Chriſti corpus ob mortalitatis & paſſibilitatis conditionem hic ſaccus ſciſſus & pertuſus dicitur: quoniam in acerba paſſione eius ſpinis ſauciatum, flagellis vulneratum, clauiſque & lancea erat trāſfixum. Illud autem in regales tranſiit vſus: quando per reſurrectionem immortalitatis ſtola eſt indutum & incorruptibilitatis virtute præcinctum, quemadmodum Chriſtus in pſalmo dicit ad patrem. Concidiſti ſaccum meum: & circundediſti me lætitia, id eſt mortalitate carnis iam depoſita immortalitatis gloria me coronaſti. Secundum eundem quoque ſenſum ſaccus fit ſoccus gratiæ: quia Chriſti caro prius mortalis fit receptaculum inſigne immortalitatis, & gratia incorruptibilitatis dotatur. Demùm Caro Chriſti per reſurrectionem facta eſt victrix paſſibilitatis & corruptionis: quæ ad miſeriam conditionis humanæ ſpectant.

Pſal.29 *Gen.4*

13 ❡ In decimotertio verſu. Sed non deletur penitus. Inuidiæ facibus accenſus Cain, quia vidit fratrem ſuum ſibi apud deum meritis prælatum: occidit ipſum. Verùm vt huius cædis pœna & punitio eſſet diuturnior: noluit dominus ipſum Cain breui & ſubita mortis illatione à quopiam interfici, ſed in ipſo vago & profugo ſuper terram poſuit ſignum: vt quicunque inueniret eum non interficeret illum. Ita Iudęi Chriſtum fratrem ſuum cognatione carnis, & paſtorem animarum noſtrarum: ob inuidiam

uidiam morti tradiderunt. In cuius horrendi ſceleris pu nitionem perdito ſuo regno diſperſi ſunt in omnem terram: & in captiuitatem ducti. Neque voluit deus eorum poſteritatem penitus deleri: vt ſupereſſent ſemper aliqui tanquam ſignum & monumẽtum tanti criminis, & in quibus legeretur grauitas vltionis à deo inflictæ, quique forent teſtimonium quoddam mortis Chriſti à Iudæis illatæ: & grauis afflictionis eam ob rem ipſis à deo irrogatæ, quemadmodum ait de Iudæis pſalmiſta. Ne occidas eos: nequando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua: & depone eos protector meus domine. Itaque Abel, ipſius Chriſti: Cain autem, Iudæorum fuit typus & figura. *Pſal.58*

14 ¶ In decimoquarto verſu. Reprobatus & abiectus. Sumptus eſt hic locus ex pſalmo centeſimo decimoſeptimo: vbi ait propheta de Chriſto. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli. Quẽ verſum ipſe Chriſtus in euangelio oſtendit in ſe eſſe completum, cum diſceptans contra ſcribas & phariſæos ſubinſinuat ſe eſſe lapidem illum reprobatum ab ipſis: erectum tamen à deo in caput totius eccleſiæ, & poſitum in fundamentum angulare totius fabricæ eccleſiaſticæ. *Pſal.114*

15 ¶ In decimoquinto verſu. Nouam creat creaturam. Chriſtus dicitur hic nouam creare creaturam: non nouitate naturæ & ſubſtantiæ, ſed profeſſionis & innocẽtiæ, quoniam abiecta peccati vetuſtate per regenerationem baptiſmalem, contulit omnibus ipſum recipientibus nouitatem vitæ ſpiritualis & renouationem animorum. Vnde & à beato Paulo noua facti creatura in Chriſto dicimur. In eodem quoque verſu dicitur Chriſtus in ſe tenere ligaturam, compagem & iuncturam vtriuſque populi: Iudæi inquam & gentilis. Nam vtrunque coniunxit in confeſſionem veræ, fidei & euangelicæ legis ſuſceptionem. Quemadmodum beatus Paulus de Chriſto dicit quòd ipſe eſt pax noſtra: qui fecit vtraque vnum, quia Iudæos & gentes in vnam coniunxit eccleſiam catholicam: factúmque eſt ex ipſis vnum ouile, cui vnus præeſt paſtor Chriſtus. *Matth.21* *2.Cor.5* *Ephe.2* *Ioan.10*

T In

In aſcenſione domini.

REx omnipotens die hodierna. Mundo triumphali redempto potentia.
1 Victor aſcendit cælos, unde deſcenderat.
Nam quadraginta poſtquam ſurrexerat diebus ſacris, cõfirmans pectora Apoſtolorum pacis chara relinquens oſcula. Quibus & dedit poteſtatẽ laxandi crimina. Et miſit eos in mundum: baptizare cũctas animas. In patris & filij & ſpiritus ſancti clementia. Et conueſcens præcepit eis: ab Hieroſolymis Ne abirent, ſed expectarent promiſſa munera. Non poſt multos enim dies, mittam uobis ſpiritum paraclitum in terris. Et eritis mihi teſtes in Hieruſalem, Iudæa ſiue Samaria. Et cum hoc dixiſſet: uidentibus illis eleuatus eſt, & nubes clara Suſcepit eum ab eorũ oculis, intuentibus illis aera. Ecce ſtetere amicti duo uiri ĩ ueſte alba iuxta, dicẽtes, quid admiramini cælorũ alta Ieſus enim hic qui aſſũptus eſt à uobis ad patris dextrã.
3 Vt aſcendit ita ueniet, quærens talenti cõmiſſi lucra.
4 O deus maris, poli, arui: hominem quem creaſti, quem fraude ſubdola Hoſtis expulit paradiſo: & captiuatũ ſecũ traxit ad tartara. Sãguine proprio quem redemiſti deus.
5 Illuc & reuehis: unde prius corruit, paradiſi gloria. Iudex cum ueneris iudicare ſecula. Da nobis quæſumus ſempiterna gaudia in ſanctorum patria. In qua tibi cantemus omnes halelu ia. Amen.

Hæc proſa ſolutam habet cõpoſitionẽ, & nulla rythmi obſeruatione aſtricta, præter id ꝙ plærũque verſus fore omnes in eiuſdẽ vocalis ſcilicet à ſonum deſinunt. Deſcribitur in ea, glorioſa Chriſti aſcenſio: & quæ ante eã à Chriſto facta ſunt & dicta ſunt diſcipulis ſuis. Verũ ea omnia partim in ſanctis euangeliis, partim verò in principio actionũ apoſtolicarũ apertius ſunt expreſſa: & ex illis locis clarius intelligenda. Circa finẽ verò proſæ, ipſius populi fidelis ad Chriſtũ in cælos regreſſum ponitur inuocatoria

catoria oratio: vt in die iudicij ipſum cæleſtis gaudij faciat conſortem.

1 ℂ ANNOTATIONES. Victor aſcendit cælos. Cõpleta diffinitur & conſummata progreſsio: quando quis ad eundem ragreditur locum vnde prius eſt egreſſus. Vt cum paterfamilias domo peregrè profectus, permẽſo ſuo itinere domum reuertitur, reducique greſſu in ſua ſe tecta recipit. Et hæc non ſolum in iis quæ voluntate & ratione aguntur, ſed & in iis quæ ſola diriguntur natura, locum habet cõſummatoria ad ſuum principium regreſsio. Nam vt præclare canit Boetius.

Repetunt proprios quæque recurſus:
Reditúque ſuo ſingula gaudent.
Nec manet vlli traditus ordo:
Niſi quod fini iunxerit ortum,
Stabilémque ſui fecerit orbem.

Hoc autem motionis complementum: in triumphali aſcẽſione Chriſti etiam eſt perſpectum. Nam vt de ipſo dicit pſalmus, à ſummo cælo egreſsio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. *Pſal.* 18

2 ℂ Confirmans pectora apoſtolorũ. Cùm enim diutius vacillanti animo de reſurrectione Chriſti addubitarent: omnimodis eam ambiguitatem ab eorũ cordibus amouit, præbens illis ſeipſum viuum in multis argumentis. Reliquit & illis chara oſcula pacis, cum diſceſſurus ab eis dixit. Pacẽ meam do vobis: pacem relinquo vobis. Nõ quomodo mundus dat, ego do vobis. Inſuper poteſtatem laxãdi crimina dedit apoſtolis, quando inſufflans in eos dixit. Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittũtur eis & quorum retinueritis retenta erunt demũ miſit eos in mundũ baptizare cũctas animas, peccato originali infectas, id eſt homines (nomine partis intelligẽdo totũ, per ſynecdochen, quod in ſcriptura frequens eſt) quando dixit eis quod eſt apud Matthæum. Euntes docete omnes gẽtes: baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Et hoc modo cætera quæ ex euangelio & actis apoſtolorum hic afferuntur: ſuis reſtituantur locis, quod cuique ſtudioſo ſacrarum literarum erit factu facile. *Act.* 1 *Ioan.* 14 *Ioan.* 20

3 ℂ Quærens talenti commiſſi lucra. His verbis innuit

lumis in terram eiectus eſt, vt liber eius propheticus atteſtatur. At verò Ionas propheta in his operibus quæ geſsit & perpeſſus eſt, ſignificat Chriſtum à deo patre miſſum in mundum vt prædicaret hominibus pœnitentiam & viam ſalutis, grauiſsimis agitatum eſſe perſecutionibus malicia Iudæorum in ipſum excitatis, & demùm poſt crucis opprobriũ ſepulchro fuiſſe impoſitum: de quo poſt tres dies ſurrexit à mortuis. Quemadmodum dominus ipſe Iudæis ſignum quærentibus reſpondit. Generatio praua & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei niſi Ionæ prophetæ. Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic filius hominis erit in cordæ terræ tribus diebus & tribus noctibus.

Mat.12

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Botrus Cypri refloreſcit. Locus iſte ſumptus eſt ex canticis amatoriis Salomonis: vbi ſponſa ait. Botrus Cypri dilectus meus mihi: in vineis Engaddi. In quibus quidem verbis Chriſtus ſponſus eccleſiæ dicitur botrus Cypri propter reſurrectionem ſuam, vt ait Bernardus hunc locum in canticis exponens ſermone quadrageſimoquarto, ſicut antè dictus eſt ibidem faſciculus myrrhæ propter ſuæ paſsionis amaritudinem. Ergò (inquit) dominus meus Ieſus, myrrha mihi in morte: botrus in reſurrectione. Et rectè botrus: propter ſuauitatem dulcedinémque gratiarum ac virtutũ, quæ ab eo proceſſerunt in omnem populum Chriſtianum. Is autem botrus Cypri hic refloreſcere dicitur: quoniam poſt mortis anguſtias per reſurrectionem rediit ad vitam immortalem, quemadmodũ vinea hyberno tempore marcida & ſterilis: adueniente vere iterum induit virorem frondium, floréſque regerminat Idem quoque botrus dilatatur & excreſcit: quoniam nomen Chriſti per prædicationem apoſtolorum in omnes terræ plagas eſt dilatatum, vt cum prius notus fuerit in Iudæa deus & in Iſrael magnum nomen eius: poſtea in toto terrarum orbe celebratum ſit & diuulgatum. Et quoniam adueniente veritate, ceſſare debet vmbra: lex Moſaica cũ ſuis cærimoniis (quæ nomine ſynagogæ hic inſinuatur) poſt reſurrectionem Chriſti eſt abolita. Lex verò euangelica cum ſacramentis noui teſtamenti (quæ per eccleſiam hic ſignatur) vegetum robur accepit & viget.

Cant.1. *Pſal.75.*

Mat.27. 23 ¶ In viceſimotertio verſu. Et cum Chriſto ſurrexere.

Illi

Illi ſcilicet ſancti patres, de quibus ſcribit Matthæus quòd tempore mortis Chriſti monumenta aperta ſunt: & multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem & apparuerunt multis. Et illos quidem ad vitam immortalem reſurrexiſſe nulla deinceps morte interceptam neque caſuram: ex eo ſumunt argumentũ ſancti patres, quoniam idonei teſtes reſurectionis Chriſti non fuiſſent: ſi non & ipſi ad incorruptibilis & immortalis vitæ ſtatum (ſicut Chriſtus) ſurrexiſſent.

24 ¶ In viceſimoquarto verſu. Mane nouum, mane lætũ. *Pſal.29.*
Hæc ſententia ſumpta eſt ex illo verſu pſalmi viceſimonono. Ad veſperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia. Quem exponẽs ſacer Hieronymus ait. Ad veſperum demorabitur fletus: quia paſſo & ſepulto domino, apoſtoli & mulieres in fletu & gemitu morabantur. Et ad matutinũ lætitia: quia mane venientes ad ſepulchrum, gloriam reſurrectionis ab angelicis acceperunt. *Marc.16.*

25 ¶ In viceſimoquinto verſu. Ad paſchalem nos inuita.
Menſa paſchalis eſt ſacrum illud conuiuium in quo Chriſtus ſumitur ex inſtituto eccleſiaſtico: quo quiſque legitimæ ætatis aſtringitur ad ſumendam ſacroſanctam eucharistiam quotannis in feſto paſchæ. Ad quam ſumptionem petit author nos diuina miſeratione perduci cum fiducia animi bona, quòd ea nobis ſit ad iuſtificationem & vitam: non autem ad damnationem & interitum ex noſtra culpa.
Quòd autem Ieſus Chriſtus & via ſit & vita, quemadmodũ hic verſus eum cognominat: ex his ipſius verbis eſt ſatis notum. Ego ſum via, veritas & vita.

26 ¶ In viceſimoſexto verſu. Viue panis, viuax vnda.
Quòd Chriſtus ſit panis viuus: nullum efficacius eſt teſtimonium quàm ipſius dicentis. Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi. Et iterum. Ego ſum panis vitæ. Quòd autem ſit aqua viua, teſtatur & ipſe per Hieremiam prophetam dicens. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Denique quòd ſit vera vitis: ipſe quoque in euangelio teſtimoniũ perhibet, cum ait. Ego ſum vitis vera: & pater meus agricola eſt. Et iterum ad diſcipulos. Ego ſum vitis vera, & vos palmites Horum autem omniũ nominũ propria ratio *Ioan.14.* *Ioan.6* *Hiere.2.* *Ioan.15.*

cur Chriſto attribuantur: ſuis eſt locis requirenda, in euangelica ſcilicet explanatione.

In feſtis paſchalibus: alia proſa.

Lux illuxit dominica:
Lux inſignis, lux unica:
Lux lucis & lætitiæ:
Lux immortalis gloriæ.
3 *Diem mundi conditio:*
Commendat ab initio.
4 *Quam Chriſti reſurrectio*
Ditauit priuilegio.
5 *In ſpe perennis gaudij*
Lucis exultent filij.
6 *Vendicent membra meritis*
Conformitatem capitis.
7 *Solennis eſt celebritas:*
Et uota ſunt ſolennia.
Primæ diei dignitas
Prima requirit gaudia.
8 *Solennitatem gloria:*
Paſchalis eſt uictoria.
9 *Sub multis ænigmatibus*
Prius promiſſa patribus.
10 *Iam ſciſſo uelo patuit:*
Quod uetus lex præcinuit
11 *Figuram res exterminat,*
Et umbram lux illuminat
12 *Quid agnus ſine macula*
Quid hedus typi geſſerit,
Noſtra purgans piacula
Meßias nobis aperit.
13 *Per mortem nos indebitam*
Soluit à morte debita.
14 *Prædam captans illicitam,*
Præda priuatur licita.
15 *Carnis delet opprobria*
Caro peccati neſcia,
Die reflorens tertia:
Corda confirmat dubia.
16 *O mors Chriſti mirifica*
Tu Chriſto nos uiuifica.
17 *Mors morti non obnoxia*
Da nobis uitæ præmia.
Amen.

¶ Hæc proſa certis etiam rythmicæ conſonantiæ numeris conſtat Nam vt plurimum quiſque verſuum eius, duas ſolum clauſulas rythmicas complectitur in exitu ſyllabarũ adinuicẽ conuenientes. Vnaquęque autẽ illarũ clauſularũ

octo

octo continet ſyllabas ſempérque penultimam breuẽ. Interdum verò vnus verſus quatuor comprehendit huiuſmodi clauſulas alternis locis conſonantiam ſeruantes, vt prima tertiæ & ſecunda quartæ in conſimili ſyllabarũ deſinentia reſpondeat. Nonnunquam itidem eiuſdem verſus quatuor ſunt clauſulæ, eodẽ penitus inter ſe exitu deſinentes, quemadmodum ſtudioſus lector facilè primo ipſius literæ obtutu diiudicabit.

Author eius. Adam de ſancto Victore. Commendatur in ea multis præconiis glorioſa Chriſti reſurrectio: ob magna beneficia quæ humano generi contulit, ſcilicet redemptionem ab hoſte antiquo, reparationem vitæ, liberationẽ à morte, & ſpem immortalitatis in nobis conſequendæ in conſummatione ſeculi. Et quoniam die dominico facta eſt Chriſti reſurrectio, illa dies etiam egregiis extollitur titulis & laudibus.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Lux illuxit dominica. Lucem pro die ſępius apud authores accipi, notius eſt quàm vt teſtimonio aut declaratione egeat. Et ita hoc in loco quoties in nominatiuo collocatur, accipitur. Nam in ſecundo verſu in genitiuo poſitum id nomen: claritatem ſiue lumen ſignat. Dicitur autem dies dominica: quę ſabbatum proxime conſequitur, immo potius quam ſabbatum ſeptimo loco ſequitur. Nam prima eſt illa dies: & ordine tẽporis & excellentia dignitatis. Et quoniam in nouo teſtamento dies ille conſecratus eſt domino, vt in eo deus ipſe peculiarius ac integrius quàm in aliis hebdomadæ diebus colatur, quemadmodum in veteri teſtamento in ſabbato, idcirco diei dominicæ nomen ſortitur & dominica dies dicitur quaſi dies domini, ſpecialitérque domino dedicatus atque addictus.

3 ¶ In tertio verſu. Diem mundi conditio. Creatio ſiue formatio mundi (quæ hic conditio dicitur: quoniam mundus à deo conditus eſt) commendat diem dominicũ, quandoquidem ipſa mundi productio incœpta eſt die dominico, vt ille, ſex dierum quibus formatus eſt mundus: fuerit primus, quemadmodum in primo huius operis libro oſtẽſum eſt, in expoſitione illius hymni. Primo dierũ omniũ: quo mundus extat conditus. Accedit autem illi & altera dignitas, quòd in ea ſit facta Chriſti reſurrectio. Nã ma- *Marci 16*

ne

ne prima ſabbati,id eſt prima poſt ſabbatum die Chriſtus ſurrexit. Hæc autem eſt dies dominica. Et propter huiuſmodi excellentias, dies iſta dicitur in primo huius proſæ verſu dies inſignis & vnica:id eſt præcipua ſiue primaria & in ſecundo eadem dicitur dies lucis & lætitiæ,dies item immortalis gloriæ: quòd per reſurrectionem Chriſti nobis lucem, lætitiam & immortalem gloriã attulerit & hãc ob cauſam quartus habet verſus: quòd ipſam diem dominicã reſurrectio Chriſti exornauit inſigni priuilegio,ſin-
1.Ioan.1 gularique dignitate.

5 ❡ In quinto verſu. Lucis exultent filij. Deus lux eſt (vt inquit Ioannes)& tenebræ in eo non ſunt vllæ. Qui ergo dei ſunt imitatores & mandata eius cuſtodiunt : ij ſunt filij lucis, quoniam opera lucis faciunt & fugiunt o-
Ioan.12 pera tenebrarum. Et ita etiam à domino nominantur in euangelio: cum ait ad Iudæos. Dum lucem habetis credite in lucem, vt filij lucis ſitis. In ſexto auté verſu. Membra corporis myſtici dicuntur fideles,per bona opera vitam gratiæ in ſe habentes,& ipſi capiti Chriſto per vinculum dilectionis annexi: vt etiam ad integritatem & perfectionem ſacri corporis Chriſti attineant. Admonet ergo hic verſus,quòd ipſi fideles id bonis ſibi comparent operibus & ſynceritate vitæ : vt demùm conformes effici
Matth. 27 mereantur capiti Chriſto,& ad immortalé reſurgere gloriam, ſicut & ipſe ſurrexit.

10 ❡ In decimo verſu. Iam ſciſſo velo patuit. In paſſione domini velum tẽpli ſciſſum fuiſſe legitur à ſummo vſque deorſum. Quæ quidem diſciſſio myſtice ſignificauit: velamen veteris teſtamenti occultatus variis figuris myſteria nouæ legis,iam eſſe motum,& præſente rerũ exhibitione tunc patuiſſe ſacratiſsima noſtræ redemptionis
Exo.12 ſacramenta, quæ ad illud vſque tempus delituerant ſub figurarũ velamento abdita ac abſtruſa,perinde atque ſublato velo palam conſpicitur: quicquid illo prius obuelatum fuerat.

12 ❡ In duodecimo verſu. Quid agnus ſine macula. In Exodo filij Iſrael iuſſi ſunt immolare agnum ſine macula, & iuxta eundem ritum accipere hœdum ad veſperum paſchæ : aſperſionéque ſanguini illius ad poſtes domus & ſuperliminaria,liberati ſunt ab angelo percuſſore primogenitorum

mogenitorum AEgypti. Ille autem agnus geſſit typũ atq; figuram Chriſti, veri agni & immaculati: cuius precioſo ſanguine effuſo in cruce, liberati ſumus à dæmonica ſeruitute, quemadmodum ſuperius illud ſæpenumero adductum eſt & latius explicatũ. 13 ❡ In decimotertio verſu. Per mortem nos indebitam. Chriſtus debitor mortis non fuit, quia omnino peccati fuit expers, per peccatũ autem, mors eſt introducta. Nos autẽ omnes mortis ſumus debitores, quia peccato obnoxij. Itaque Chriſtus per mortem indebitam quam ſponte pertulit: nos libarauit à morte debita, non ſolum temporali ſed etiam æterna. At verò proxime ſequens verſus non ita ad Chriſtum ſed ad dæmonem refertur qui oppoſito ad Chriſtum modo cum rapere tentaret prædam illicitam, ſcilicet Chriſtum in quo nihil habuit iuris: priuatur iuſte præda licita ſcilicet toto genere humano, in quod ius ſibi vendicauerat ob cõtagionem & labem peccati.

15 ❡ In decimoquinto verſu. Carnis delet opprobria. Caro ipſius Chriſti ab omni peccato aliena. delet opprobria & maculas noſtræ carnis vere peccatricis. Quoniam ipſe habens quidem ſimilitudinẽ carnis peccati non tamen carnem peccati: abſtulit à nobis peccatum, qui certe habemus carnem peccati. Neque ſolũ opprobria culpæ à carne noſtra ſuſtulit: ſed etiam opprobria pœnæ, ſcilicet mortalitatem, paſſibilitatem & corruptibilitatem, per cõſumptæ reſurrectionis gloriam. Ipſa etiam Chriſti caro reflorens tertia die per reditum ad vitam immortalem: confirmauit corda dubia diſcipulorum, diutius de veritate reſurrectionis eius ſubdubitantium, quibus præbuit ſeipſum Ioan. 20
viuum in multis argumentis. Act. 1

De reſurrectione domini: alia proſa.

1
Ecce dies celebris:
Lux ſuccedit tenebris,
Morti reſurrectio.

2 *Lætis cædant triſtitia.*
Cum ſit maior gloria:
Quàm prima confuſio.

3 *Vmbram fugat ueritas:*

Vetuſtatem

Vetuſtatem nouitas,
Luctum conſolatio.
4 *Paſcha nouum colite*
Quod præit in capite:
Membra ſperent ſingula.
5 *Paſcha noſtrum Chri-*
ſtus eſt:
Qui pro nobis paſſus eſt
Agnus ſine macula.
6 *Hoſtis qui nos circuit:*
Prædam Chriſtus eruit.
Quod Sanſon præcinuit:
Dum leonem lacerat.
7 *Dauid fortis uiribus,*
A leonis unguibus
Et ab urſi faucibus
Gregem patris liberat.
8 *Quòd in morte plures*
ſtrauit,
Sāſon Chriſtum figurauit.
Cuius mors uictoria.
9 *Sanſon dictus ſol corū.*
Chriſtus lux eſt electorum.
Quos illuſtrat gratia
10 *Iam de crucis ſacro*
uecte
Botrus fluit, in dilecta
Penetrale eccleſiæ.
13 *Iam calcato toreu-*
lari:
Muſto gaudent debriari
Gentium primitiæ.
12 *Saccus ſciſſus & per-*
tuſus,
In regales tranſit uſus.
Saccus fit ſoccus gratiæ:
Caro uictrix miſeriæ.
13 *Quia regem pereme-*
runt,
Rei regnum perdiderunt:
Sed non deletur penitus
Cain, in ſignum poſitus.
14 *Reprobatus & abie-*
ctus
Lapis iſte nunc electus:
In trophæum ſtat erectus
Et in caput anguli.
15 *Culpam delens non na*
turam]
Nouam creat creaturam,
Tenens in ſe ligaturam
Vtriuſque populi.
16 *Capiti ſit gloria,*
Membriſq; concordia.

Amen.

Hæc proſa conſimilem habet rythmicam compoſitionem, ſicut illa paulo antè explicata. Mane prima ſabbati ſurgens dei filius. Author eius, Adam de ſancto Victore. Prædicatur in ea dominicæ reſurrectionis gloria, per quam excuſſi ſumumus a faucibus leonis rugientis: ſicut multis

multis antiqui teſtamenti figuris illud fuit præſignificatũ, per illam itidem & mortem Chriſti profluit gratia in totam eccleſiã, quam indubitato percipiunt quicunque ore & opere confitentur Chriſtum authorem vitæ & ſaluatorem mundi, à quo ſolo ſalus eſt ſperanda.

2 ℭ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Cum ſit maior gloria. Prima confuſio fuit, quam induxit primorum parentum præuaricatio, tranſgreſſióque diuini præcepti. Propter illam enim tota humana propago: maledicto fuit ſubiecta & regno cælorum extorris. At nunc in reſurrectione Chriſti maior eſt gloria humani generis: quam fuerat dignitas illa quæ per primam confuſioné eſt deperdita. Nempe humana natura nunc ad immortalitatem eſt ſubuecta, qua nunquam mori poterit, nunc ea eſt incorruptibilitate & impaſſibilitate dotata: qua nunquam ſuſtinere corruptionem aut paſſionis moleſtiam valebit. Ante primam verò confuſionem, non ita ſimpliciter immortalis fuit & incorruptibilis noſtra natura, ſed ſolummodo ſecundum aliquid, quia ſcilicet potuit non diſſolui morte, aut corruptione nõ atteri, quamdiu perſtitiſſet in ſua rectitudine. Atqui tam mala fuit prima cõfuſio: quàm bona fuit conditio humani generis per illam confuſionẽ deperdita. Sed huiuſmodi conditio noſtra ante lapſum nõ fuit tam præclara & excellens: ſicut eſt ſtatus humanæ naturæ per reſurrectionem glorificatæ, vt iam oſtẽſum eſt. Ergo prima cófuſio non fuit tam mala: quàm bona eſt cõditio carnis noſtræ per reſurrectionem beatæ. Eſt igitur nunc maior humani generis gloria poſt reſurrectionem, quàm fuerit prima confuſio per culpam, quòd eſt propoſitum. 6 ℭ In ſexto verſu. Hoſtis qui nos circuit. Quãdo Sanſon cum parentibus ſuis iuit in Thannata vrbem Philiſteorum vt inde vxorem acciperet & veniſſet ad vineas oppidi: apparuit catulus leonis ſæuus & rugiẽs & occurrit ei. Irruit autem ſpiritus domini in Sanſon: & dilacerauit leonem quaſi hœdum in fruſta diſcerperet, nihil omnino habens in manu, vt refert liber Iudicum. In eo autem opere, Sanſon figura fuit Chriſti: & leo ille rugiens, ipſius diaboli, de quo dicit beatus Petrus. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit: quærens quem deuoret. Siquidem ipſe Chriſtus totum genus humanum (quod

Iudich. 14

1. Pet. 5

(quòd fuit præda hoſtis noſtri)eripuit manibus illius,ipſúmque glorioſè deuicit ac proſtrauit humi, vires eius cõtundens ac comminuens.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Dauid fortis viribus. Ipſe Dauid ante conflictum cum Goliath ad Saul regẽ verba faciẽs: hoc ipſum quod hic deſcribitur his verbis enarrrat. Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem,& veniebat leo vel vrſus & tollebat arietẽ de medio gregis:& perſequebar eos, & percutiebam,eruebámque de ore eorum. Et illi conſurgebant aduerſum me:& apprehendebam mentum eorum & ſuffocabam interficiebámque eos. Nam & leonẽ & vrſum interfeci ego ſeruus. Cæterùm Dauid qui interpretatur manu fortis,& vultu deſiderabilis: Chriſtum ſignificat fortem in prælio, & ſpecioſum forma præ filiis hominum, qui gregem patris ſui totum ſcilicet genus humanũ eruit de faucibus & vnguibus dæmonis:ſignificati per vrſum & leonem,& id quidẽ:per mortem & paſsionẽ ſuã.

1.Reg.17

Iudic.16

8 ¶ In octauo verſu. Quòd in morte plures ſtrauit. Cum Philiſtei ſolenne celebrarent conuiuium,laudantes Dagõ deum ſuum quòd captus eſſet ab eis Sãſon hoſtis eorum, iuſſerunt inter epulas ipſum Sanſon educi carcere, vt coram eis luderet. Ipſe verò cum aliquantum ludi illis præbuiſſet ſpectaculum, perductus à puero regente greſſus ſuos ad columnas quibus tota domus innitebatur vt pauliſper ibi quieſceret: inuocato deo, apprehenſas manibus ſuis duas illas columnas grauiter colliſit adinuicem tanto impetu, vt tota domus corruerit ſuper diſcumbentes, oppreſſitq; circiter tria millia tam virorum quàm mulierum,qua quidem ruina & ipſe etiam extinctus eſt:multóque plures occidit mortuus, quàm viuus fecerat. Ita & Chriſtus per Sanſonem figuratus,morte ſua validius cõtriuit poteſtates tenebrarum & perfectius: quàm fecerat ante adhuc viuus. Siquidem cum in terra diuerſaretur ante paſsionem: paticulatim dæmonia corporibus obſeſſorum expulit,& ſemel legionem integram eorum attriuit: illam ſolo verbi imperio eiiciens. Morte verò ſua non vnum ſolum aut alterũ euicit dæmonium, ſed ipſum principem huius mundi cum tota ſua nigra cohorte eiecit foras,potentérque profligauit: omnem illam malarum poteſtatum cateruam virtute ſuæ mortis proſternens.

Luc.8

9 ¶ In nono verſu. Sanſon dictus ſol eorum. Hic verſus oſtendit ex interpretatione nominis Sanſon: quòd rectè per ipſum ſignificatur Chriſtus. Quoniã Sanſon (inquit) interpretatur ſol eorum, vtpote Hebræorum: quos iudicaria directione, inſigni fortitudine & protectione ab hoſtibus mirifice ſuo tempore illuſtrauit. Chriſtus autem & ſol eſt iuſtitiæ & lux electorum: quos in hac vita lumine gratiæ, & in altera gloriæ ſuæ claritate perluſtrat. Ratio igitur nominis Sanſon: aptè Chriſto conuenit. Inſuper Sanſon ante conceptum ſuum parentibus ſuis per angelũ fuit nunciatus, ita Chriſti conceptio ſacroſanctę matri ſuæ per Gabrielem eſt annunciata. Sanſon ex matre ſterili natus eſt. Chriſtus ex matrę virgine: obumbrante illi ſpiritu ſancto. Sanſon item toto vitæ ſuæ tempore fuit Nazaræus, id eſt conſecratus domino. De Chriſto autem dictũ eſt per prophetam, quoniam Nazarenus vocabitur. Rurſum mira fortitudine corporis. Sanſon cæteros homines pręſtitit. De Chriſto verò dicit Eſaias: quòd vocabitur nomen eius deus fortis, & de eodem propheta in pſalmo dominus fortis & potens dominus potens in prælio. Poſtremùm. Sanſon ad tempus liberauit populum Hebræorum de manibus Philiſteorum: Chriſtus autem perpetuo eripuit genus humanũ de manibus nequitiarũ ſpiritualium leonúmque rugientium.

Iudith.13 *Matth.2* *Eſa.6* *Pſal. 23*

10 ¶ In decimo verſu. Iam de crucis ſacro vecte. Vectis dicitur in vna ſuarum acceptionũ ſudes aut baculus: quo quippiam portatur ac vehitur, vt in Exodo legimus dominum præcepiſſe Moyſi, quòd faceret vectes ad ferendam arcam. Crux autẽ ſancta portauit regem cælorum & dominum: ideo hic rectè vectis nomine ſignantur. Penetrale verò, alis, ſubſtantiuum nomẽ: dicitur penitior & interior pars domus aut templi, immo quicquid intimum alicut eſt: nomine penetralis exprimitur, vt penetralia pectoris noſtri dicimus. Sublata verò per apocopen poſtrema litera: dicimus pro eodem ſignificato penetral, alis. Demùm botrus dicitur racemus vuæ integer. Senſus itaque huius verſus eſt, quòd ſicut torculari compreſſa vua, vinum ſuum demittit in vaſa ſubiecta: ita precioſus Chriſti ſanguis patibulo crucis expreſſus, defluit in eccleſiæ ſponſæ Chriſti dilectæ præcordia ac viſcera. Nam eo ſanguine

Exo.25

guine irrigata eſt & aſperſa ſancta eccleſia: inde etiā ſanctificationem accepit & omnem ſuorum ſalutarium ſacramentorum vim præcipuam.

3 ¶ In vndecimo verſu. Iam calcato torculari. Poſtquā torculari compreſſæ ſunt vuæ, ſi quis de muſto quod inde effluxit largius hauriat: facile in ebrietatem prolabitur. Chriſtus autem (vt ait propheta) torcular calcauit ſolus: & de gentibus non erat vir cum eo: quando crucis ſupplicium pertulit. Ab illo autem torculari profluxit gratia paſſionis Chriſti in multitudinem gentium: ad fidem, apoſtolica prædicatione conuerſarum, tāquam ſpirituali muſto inebrietati ſunt: qui primi ex gentibus Chriſtum receperunt, larga enim profuſione chariſmatū ſpiritus ſancti, & affluentius quàm alij: ſunt repleti.

12 ¶ In duodecimo verſu. Saccus ſciſſus & pertuſus. Metaphorica locutione ſacrum Chriſti corpus ob mortalitatis & paſſibilitatis conditionem hic ſaccus ſciſſus & pertuſus dicitur: quoniam in acerba paſſione eius ſpinis ſauciatum, flagellis vulneratum, clauiſque & lancea erat trāſfixum. Illud autem in regales tranſiit vſus: quando per reſurrectionem immortalitatis ſtola eſt indutum & incorruptibilitatis virtute præcinctum, quemadmodum Chriſtus in pſalmo dicit ad patrem. Concidiſti ſaccum meum: & circundediſti me lætitia, id eſt mortalitate carnis iam depoſita immortalitatis gloria me coronaſti. Se-
Pſal.29 cundum eundem quoque ſenſum ſaccus fit ſoccus gratiæ: quia Chriſti caro prius mortalis fit receptaculum inſigne immortalitatis, & gratia incorruptibilitatis dotatur. De-
Gene.4 mùm Caro Chriſti per reſurrectionem facta eſt victrix paſſibilitatis & corruptionis: quæ ad miſeriam conditionis humanæ ſpectant.

33 ¶ In decimotertio verſu. Sed non deletur penitus. Inuidiæ facibus accenſus Cain, quia vidit fratrem ſuum ſibi apud deum meritis prælatum: occidit ipſum. Verùm vt huius cædis pœna & punitio eſſet diuturnior: noluit dominus ipſum Cain breui & ſubita mortis illatione à quopiam interfici, ſed in ipſo vago & profugo ſuper terram poſuit ſignum: vt quicunque inueniret eum non interficeret illum. Ita Iudęi Chriſtum fratrem ſuum cognatione carnis, & paſtorem animarum noſtrarum: ob inuidiam

uidiam morti tradiderunt. In cuius horrendi ſceleris pu nitionem perdito ſuo regno diſperſi ſunt in omnem terram: & in captiuitatem ducti. Neque voluit deus eorum poſteritatem penitus deleri: vt ſupereſſent ſemper aliqui tanquam ſignum & monumētum tanti criminis, & in quibus legeretur grauitas vltionis à deo inflictæ, quique forent teſtimonium quoddam mortis Chriſti à Iudæis illatæ: & grauis afflictionis eam ob rem ipſis à deo irrogatæ, quemadmodum ait de Iudæis pſalmiſta. Ne occidas eos: nequando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua: & depone eos protector meus domine. Itaque Abel, ipſius Chriſti: Cain autem, Iudæorum fuit typus & figura. *Pſal.58*

14 ❡ In decimoquarto verſu. Reprobatus & abiectus. Sumptus eſt hic locus ex pſalmo centeſimo decimoſeptimo: vbi ait propheta de Chriſto. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli. Quē verſum ipſe Chriſtus in euangelio oſtendit in ſe eſſe completum, cum diſceptans contra ſcribas & phariſæos ſubinſinuat ſe eſſe lapidem illum reprobatum ab ipſis: erectum tamen à deo in caput totius eccleſiæ, & poſitum in fundamentum angulare totius fabricæ eccleſiaſticæ. *Pſal.114*

15 ❡ In decimoquinto verſu. Nouam creat creaturam. Chriſtus dicitur hic nouam creare creaturam: non nouitate naturæ & ſubſtantiæ, ſed profeſſionis & innocētiæ, quoniam abiecta peccati vetuſtate per regenerationem baptiſmalem, contulit omnibus ipſum recipientibus nouitatem vitæ ſpiritualis & renouationem animorum. Vnde & à beato Paulo noua facti creatura in Chriſto dicimur. In eodem quoque verſu dicitur Chriſtus in ſe tenere ligaturam, compagem & iuncturam vtriuſque populi: Iudæi inquam & gentilis. Nam vtrunque coniunxit in confeſſionem veræ, fidei & euangelicæ legis ſuſceptionem. Quemadmodum beatus Paulus de Chriſto dicit quòd ipſe eſt pax noſtra: qui fecit vtraque vnum, quia Iudæos & gentes in vnam coniunxit eccleſiam catholicam: factúmque eſt ex ipſis vnum ouile, cui vnus præeſt paſtor Chriſtus. *Matth.21* *2.Cor.5* *Ephe.2* *Ioan.10*

catoria oratio: vt in die iudicij ipſum cæleſtis gaudij faciat conſortem.

1 ¶ ANNOTATIONES. Victor aſcendit cælos. Cõpleta diffinitur & conſummata progreſsio: quando quis ad eundem regreditur locum vnde prius eſt egreſſus. Vt cum paterfamilias domo peregrè profectus, permẽſo ſuo itinere domum reuertitur, reducique greſſu in ſua ſe tecta recipit. Et hæc non ſolum in iis quæ voluntate & ratione aguntur, ſed & in iis quæ ſola diriguntur natura, locum habet cõſummatoria ad ſuum principium regreſsio. Nam vt præclare canit Boetius.

Repetunt proprios quæque recurſus:
Redituque ſuo ſingula gaudent.
Nec manet vlli traditus ordo:
Niſi quod fini iunxerit ortum,
Stabilémque ſui fecerit orbem.

Hoc autem motionis complementum: in triumphali aſcẽſione Chriſti etiam eſt perſpectum. Nam vt de ipſo dicit pſalmus, à ſummo cælo egreſsio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. *Pſal. 18*

2 ¶ Confirmans pectora apoſtolorũ. Cum enim diutius vacillanti animo de reſurrectione Chriſti addubitarent: omnimodis eam ambiguitatem ab eorũ cordibus amouit, præbens illis ſeipſum viuum in multis argumentis. Reliquit & illis chara oſcula pacis, cum diſceſſurus ab eis dixit. Pacẽ meam do vobis: pacem relinquo vobis. Nõ quomodo mundus dat, ego do vobis. Inſuper poteſtatem laxãdi crimina dedit apoſtolis, quando inſufflans in eos dixit. Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittũtur eis & quorum retinueritis retenta erunt demũ miſit eos in mundũ baptizare cũctas animas, peccato originali infectas, id eſt homines (nomine partis intelligẽdo totũ, per ſynecdochen, quod in ſcriptura frequens eſt) quando dixit eis quod eſt apud Matthæum. Euntes docete omnes gẽtes: baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Et hoc modo cætera quæ ex euangelio & actis apoſtolorum hic afferuntur: ſuis reſtituantur locis, quod cuique ſtudioſo ſacrarum literarum erit factu facile. *Act. 1* *Ioan. 14* *Ioan. 20*

3 ¶ Quærens talenti commiſſi lucra. His verbis innuit

Luc.12 author futuram extremi iudicij diſcuſsionem: qua ab v-
Matt.25 noquoque id exigetur quod per conceſſa gratiarum do-
na ſuperlucratus eſt, ſecundum illam domini ſententiam.
Omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab
eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.
Quod etiam innuit parabola illa euangelica de homine
peregre proficiſcente qui diſtribuit ſeruis bona ſua: & v-
ni dedit quinque talenta, alij duo, alij è verò vnũ, vnicui-
que ſecundum propriam virtutem. Reuerſus autem à pe-
regrinatione poſuit rationẽ cum ſeruis ſuis, vt ſciret quan
tum quiſque negociatus eſſet, & vltra acceptum talentum
ſuperlucratus.

Pſal.88 4 ❡ O deus maris, arui, poli. Dicitur deus maris: quia fa
Pſal. 103 ctor eſt maris & dominator, vt dicit pſalmus. Tu domina-
Pſal. 46 ris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu miti-
Pſal.88 gas. Ita deus arui vocatur id eſt terræ: quia initio terram
Pſal.145 fundauit ſuper ſtabilitatem ſuam, eámque ſua prouidẽtia
diſponit. Vt enim dicit propheta in pſalmo: rex omnis ter
ræ deus. Et rurſum, Tui ſunt cæli & tua eſt terra: orbem
terræ & plenitudinem eius tu fundaſti. Simili quoque ra-
tione dicitur deus cæli: quoniam ipſius cæli creator eſt &
rector, ſicut ait pſalmus. Confitemini deo cæli: quoniam
in ſeculum miſericordia eius. Et hæc tria hic nominat au-
thor, ſub quibus cætera ſenſibilia corpora comprehẽdit:
quoniam in pſalmo eadem coniunctim exprimũtur eo lo
co. Beatus cuius deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in do-
Pſal.135 mino deo ipſius: qui fecit cælum & terram, mare & omnia
quæ in eis ſunt.

5 ❡ Illuc reuehis vnde corruit. Sicut enim ait ſacer Pau
lus, aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiui-
Ephe.4 tatem, cum ſanctos patres prius ſeruiliter captiuos ab ho-
ſte, iam libertate donatos ſua duxit virtute captiuos in æ-
thera, ſed ſumme liberos. Porrò nonnulli hoc in verſu le-
gunt: paradiſi gaudia, & accuſatiuũ illum ſubaudita præ-
poſitione ad, referunt ad verbum reuehis. Alij verò habẽt
paradiſi gloria, & ablatiuum illum ſubintellecta præpoſi-
tione à ordinant cum verbo corruit. Vtérque autem ſen-
ſus, & orationis contextus iam aſsignatus: aptus eſt &
rectus.

De

De aſcenſione domini: alia proſa.

Summi triumphum regis proſequamur laude. Qui cæli, qui terræ regit ſceptra, inferni iure domito. Qui ſeſe pro nobis redimendis permagnum dedit precium.

1 *Huic nomen extat conueniens Idithum. Nam tranſiliuit omnes ſtrenue montes, colliculóſque Bethel.*

2 *Saltum de cælo dedit in uirginalem uentrem, inde in pelagus ſeculi.*

3 *Poſtquam illud ſuo mitigauit potentatu, tetras phlegetontis aßiliit tenebras. Principis illius diſturbato imperio. Maniplis plurimis inde erutis, mundum illuſtrat ſuo iubare. Captiuitatemq́; detentam inibi, uictor duxit ſecũ. Et rediuiuum iam ſuis ſe præbuit ſeruis & amicis. Denique ſaltum dederat hodie maximum, nubes polòſque curſu præcipiti tranſuolans.*

4 *Celebret ergo populus hũc diem credulus: cuius morbida Idithum corpora in ſemetipſo altis ſedibus cæli inuexit dei filius.*

5 *Et tremens iudicem expectet affuturum, ut duo angeli fratres docuerunt. Qui Ieſus à uobis aſſumptus eſt in cælum, iterum ueniet ut uidiſtis eum. Iam Idithum noſtrũ uocibus ſedulis omnes imploremus. Vt à dextris patris qui ſedet, ſpiritum mittat nobis ſanctum.*

6 *In fine ſeculi ipſe quoque ſemper ſit nobiſcũ. Amẽ.*

Hæc etiam proſa ſolutæ orationis habet contextum: ſine aliqua rythmi obſeruatione. Incitatur in ea populus Chriſtianus ad celebrandas Chriſto laudes in ſua glorioſa aſcenſione: cuius inſignem prædicat triumphum, oſtendens quomodo in terras ante deſiliit & deinde ad inferna: illíſque ſpoliatis rurſum in cælos ſe victor receperit. Vnde demum orbem iudicaturus deſcendet.

1 ¶ ANNOTATIONES. Huic nomen extat conueniens Idithum. Inter cantores domini in primo libro Pa-

 ralipomenon

1.*Para.* 25 ralipomenon enumeratos, nominatur Idithũ cũ filiis ſuis, de quib' eo in loco dicit ſcriptura. Filij Idithum ſex, ſub manu patris ſui Idithũ, qui in cithara prophetabat ſuper cõfitentes & laudantes dominũ. Verũ vt ibidẽ dicit gloſa, Idithũ interpretatur tranſiens, & ſecundũ Hieronymum, Idithũ tantundẽ valet atque ſaliens vel trãſiliens eos. Itaque cum hoc loco nomen Idithũ Chriſto attribuitur non ſolũ ſemel & iterũ, ſed etiam tertio: nõ pro viro illo cãtore diuinæ laudis ſumitur, ſed ſignificationẽ habet appella-
Eſa. 66 tiui nominis atque cõmunis, quã ſua exprimit interpreta-
Pſal. 10 tio: idémque ſignat quod tranſiens vel tranſiliens. Rectè igitur hoc nomen Chriſto in aſcenſione aſcribitur, quia tranſiliuit omnes montes & colles Bethel (vt dicit litera) id eſt domus dei, quippe Bethel Hebræum nomen: interpretatur domus dei vel habitaculum dei, ſecundũ Hiero-
Ephe. 4 nymum. Domus autẽ dei, cælum eſt, ſicut ipſe per prophetã ait. Cælum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellũ pedum meorũ. Et alio in loco. Dominus in cælo ſedes eius. Omnes igitur montes & colles ipſius Bethel tranſiliuit Chriſtus, quia omnẽ cælorũ celſitudinẽ & verticẽ in aſcenſio-
Can. 2 ne ſua tranſcendit. Aſcendit enim (vt ſcribit Paulus ad Ephe.) ſuper omnes cælos, vt adimpleret omnia. Videtúrq; locus huius literæ alludere ei quo in canticis dicit ſponſa de Chriſto ſuo ſponſo. Ecce iſte venit ſaliens in montib': tranſiliens colles. Similis eſt dilectus meus capræ, hinnulóque ceruorum. Et rurſum eodẽ loco. Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi capræ hinnulóque ceruorum, ſuper montes Bethel. 2 ¶ Inde in pelagus ſeculi. Licet id poſſet intelligi ſine metaphora de ipſo mari ſenſibili, in quod do-
Matth. 8 minus diceretur feciſſe ſaltum, quando intrauit in nauiculam cum diſcipulis vt transfretaret. Deinde oborta graui tempeſtate excitatus à ſomno imperauit ventis ac mari: factáque eſt tranquillitas magna, aut etiã quando ambulauit ſuper aquas maris ſine immerſione. Melius tamen ſermone metaphorico per pelagus ſeculi hoc loco intelligitur mundus, ob varia pericula tẽpeſtuoſus ac fluctuãs, & propter tribulationes eius multas ſupra modum amarus. Et certe in ſcriptura nomine maris ſæpius hic mũdus
Pſal. 130 intelligitur, eique nõ ineptè accõmodatur id pſalmi. Hoc mare magnũ & ſpacioſum manibus: illic reptilia quorum

nō eſt numerus. In hoc ergo pelagus ſeculi fecit dominus ſaltum, quando ex virginali vtero per natiuitatem venit in hunc mundum. Iſtud itidem mare ſuo mitigauit potentatu, quia omnes mundi fallacias, blandimenta & fraudes deuicit pedibúſque conculcauit, quemadmodum diſcipulis ſuis paulo antè paſſionem ſuam dixit. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundū. Sane beatus Gregorius in homilia euangelij ſolennitatis hodiernę exponens illud paulò antè adductum ex cāticis verbum. Ecce iſte venit ſaliens in mōtibus, ait Dominus noſter veniendo ad redemptionem noſtram: quoſdam (vt ita dixerim) ſaltus fecit. Vultis fratres chariſsimi: ipſos eius ſaltus cognoſcere? De cælo venit in vterum; de vtero venit in præſepe, de præſepio venit in crucem, de cruce venit in ſepulchrum, de ſepulchro venit in cælum. Vbi ſecundo loco ponit Gregorius ſaltum ſiue progreſſionem domini de vtero materno in præſepe: qui idem omnino eſt cū proceſſu eius de vtero in hunc mundum. Quare etiam in hoc loco (qui verbis Gregorij modo allatis propemodum reſpondet) ſecundo ordine innuitur ſaltus Chriſti ex ventre virginali in hunc mundum: per pelagus ſeculi ſignificatū. *Ioan.16*

3 ¶ Tetras phlegetōtis aſſiliit tenebras. Phlegeton, tis: fluuius eſſe dicitur infernalis, flammis æſtuantibus rapidus, ita nuncupatus à phlego verbo Greco: quod ſignificat ardeo. De quo Virgilius in AEneide. Quæ rapidus flāmis ambit torrentibus amnis. Tartareus Phlegeton: torquétque ſonantia ſaxa. Inde phlegetontæus adiectiuum: id eſt infernalis. Proinde phlegeton frequenter apud authores pro inferorū loco ſumitur atque tartaro: vt in præſenti litera. Principis autē inferni Chriſtus illuc deſcēdēs diſturbauit imperiū: quoniā (ſicut eſt ad Coloſcēſes ſcribit Paulus) expoliās principatus ac poteſtates, traduxit confidenter: palā triumphans illos in ſeipſo. Manipulos itidem plurimos inde eruit, quoniā magnū ſanctōrū patrum numerum inde eduxit. Manipulus enim vel per ſyncopā maniplus, interdum ſignificat exiguam militum manū quæ vnum ſequitur ſignum, & inde tranſumitur ad quāuis hominum multitudinem ſignificandā. Demùm Chriſtus mundum illuſtrauit ſuo iubare: quando per reſurrectionem luce immortalitatis amictus, eam per totū mundū diffudit. *Coloſ.2*

Hoc autem poſtremo loco verbum illuſtrat legédum eſt: non illuxit: vt aliqui habent libri, quoniam illuceo verbũ neutrum datiuo adiungi debet: nõ accuſatiuo. Illuſtro autem actiuum, petit accuſatiuum. In hac autem illuſtratione ſe iterum viuum præbuit ſeruis & amicis: apoſtolis ſcilicet & diſcipulis, quibus ante paſſionem dixerat. Vos amici meí eſtis: ſi feceritis quę ego præcipio vobis. Et iterum. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à patre meo annunciaui vobis.

Ioan. 15

4 ¶ Cuius morbida Idithum corpora. Sicut reſurrectio Chriſti noſtræ reſurrectionis eſt cauſa, & ipſe reſurgens nos etiam ſecum in ſpe conſurgere fecit: qui reſurgentiũ eſt primitiæ, ita aſcenſio Chriſti in cælum, exemplar eſt & cauſa noſtri in cælos aſcenſus: & ipſe cælos aſcendens nos etiam ſecum fecit conſcendere cęlos in ſpe, & fœlici quadam expectatione. Quia quod in Chriſto tanquam capite noſtro præceſſit, hoc etiam virtute capitis membris omnibus communicatum eſt: ſuo quidem tempore illis exhibendum. Proinde dicit beatus Paulus de deo patre: quòd conreſuſcitauit nos & conſidere fecit ſecum in cæleſtibus in Chriſto. Hanc ob cauſam ipſi Idithum noſter Chriſtus ſcilicet dei filius: mundum in ſua aſcenſione tranſiliens, morbida corpora noſtra in ſemetipſo altis inuexit cæli ſedibus, quoniam naturam ſuam humanam noſtræ corporeæ ſubſtantiæ ſimilem non tamen in ſe morbidam: tranſuexit ad aſtra, & noſtram itidem naturam corpoream nũc quidem in nobis morbidã, ſed per glorioſam reſurrectionem in conſummatione ſeculi omni morbo mortalitatis, corruptionis & paſſibilitatis liberandam: etiam ſecum rapiet in æthera.

Ephe. 2

5 ¶ Vt duo angeli fratres docuerunt. Fratrum nomine hic diſcipulos Chriſti intelligit author: quos dominus poſt reſurrectionem in euãgelio ſæpe fratres compellat. Vt cum ait mulieribus. Ite nunciate fratribus meis: vt eãt in Galilæam. Et cum dicit Mariæ Magdalenæ. Vade ad fratres meos: & dic eis. Denique in pſalmo dicit filius dei ad patrem. Nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio eccleſiæ laudabo te. Quomodo autem duo angeli nunciauerunt apoſtolis Chriſtum ad iudicium tandem venturum: ex primo capite actuum apoſtolicorum eſt clarum.

Matth. 28
Ioan. 20
Pſal. 21

6 ¶ In fine ſeculi ipſe quoque ſemper ſit nobiſcum. Nõ petimus his verbis, quòd Chriſtus duntaxat nobiſcum ſit in fine & conſummatione ſeculi: non autem ante finem ei° quandoquidem non minus nunc quàm in exitu mundanę durationis: nobis eſt neceſſaria præſens dei virtus, & protectrix præſentia. Sed hoc loco expoſcimus: quòd non ſolum nunc ſed etiam vſque ad finem ſeculi nobiſcum ſit, ſecundum illud promiſſum ſuum diſcipulis factum. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus: vſque ad conſummationem ſeculi. Illud autem petentes, illa duo expoſcimus: quod & ante finem ſeculi & in fine ſeculi ſemper ſit nobiſcum. Mat.28.

In die pentecoſtes.

SAncti ſpiritus aſſit nobis gratia. Quæ corda noſtra ſibi faciat habitacula.

1 *Expulſis inde cunctis uitiis ſpiritualibus. Spiritus alme illuſtrator hominum. Horridas noſtræ mentis purga tenebras.*

2 *Amator ſanctæ ſenſatorum ſemper cogitatuum. Infunde unctionem tuam clemens noſtris ſenſibus. Tu purificator omnium flagitiorum ſpiritus. Purifica noſtri oculum interioris hominis. Vt uideri ſupremus genitor poſſit à nobis.*

3 *Mundi cordis quem ſoli cernere poſſunt oculi.*

4 *Prophetas tu inſpiraſti, ut præconia Chriſti præcinuiſſent inclyta. Apoſtolos confortaſti, uti trophæũ Chriſti per totum mundumueherent.*

5 *Quando machinam per uerbum ſuum fecit deus, cæli, terræ, marium. Tu ſuper aquas foturus eas, numen tuum expandiſti ſpiritus.*

6 *Tu animabus uiuificandis aquas fœcundas. Tu aſpirando das ſpirituales eſſe homines.*

7 *Tu diuiſum per linguas mundum & ritus, adunaſti domine.*

mine. Idolatras ad cultum dei reuocas, magiſtrorum optime. Ergo nos ſupplicantes tibi exaudi propicius, ſancte ſpiritus. Sine quo preces omnes caſſæ creduntur, indignæ dei auribus.

8 Tu qui omnium ſeculorum ſanctos tui numinis docuiſti inſtinctu amplectendo ſpiritus. Ipſe hodie apoſtolos Chriſti donans munere inſolito, & cunctis inaudito ſeculis. Hunc diem glorioſum feciſti. Amen.

¶ Hæc proſa etiam ſolutæ orationis laxis procurrit habenis: neque rythmica lege coarctata ſtringitur. Eius author fuiſſe memoratur Robertus quondam rex Franciæ: non minus bonarum literarum quàm virtutum ſplendore ſpectabilis, qui inter cætera ſuæ præclaræ eruditionis monumenta hanc quoque proſam compoſuit: tam grauibus & diuinis refertam ſententiis, vt à doctiſsimo quouis theologo compoſita cenſeri poſsit. Idem etiam nonnulla contexuit reſponſoria eccleſiaſtica, vt illud de natiuitate domini. Iudæa & Hieruſalem, & de ſanctis martyribus. O conſtantia martyrum, quæ ambo in ſecundo præſentis operis libro, ſuo loco ſunt expoſita, inſuper & illud de ſancto Petro. Cornelius Centurio, necnon & alia id genus: magnam animi in deum pietatem, religionémque præſe ferentia. In ea primum fit inuocatio ſancti ſpiritus, vt mentes noſtras gratię ſuæ claritate dignetur illuſtrare. Deinde multa commemorantur opera inſignia: per ſpiritum ſanctum & in veteri & in nouo teſtamento facta. Et poſtremùm pia ad ipſum dirigitur ſupplicatio à fideli populo: vt preces illius benigniter exaudiat.

1 ¶ ANNOTATIONES. Cunctis vitiis ſpiritualibus. Vitia ſpiritualia dicuntur quæ potiſsimum ad animum ſpectant, affectuſque cordium ſine corpore interius mouent, vt ſuperbia, inuidia, auaritia. Carnalia verò quæ ad corp⁹ attinent illóque tanquam inſtrumento peraguntur: & ad corporales trahunt affectus, vt iracundia, & gula, luxuria. Accidia vera ſiue pigritia vtriuſque vitij in ſe naturā ſortiri videtur, quòd & animi ſit inertia & corporis. Cum igitur hic petit author ſpiritualia expelli vitia quæ ſolum

con-

contaminant animum: multò magis petendum innuit quod & carnalia expellantur quæ non animum ſolum ſed & corpus commaculant. At ipſum etiam corpus noſtrum ſancti ſpiritus eſſe debet habitaculum: vt his verbis dicit beatus Paulus. Neſcitis quòd corpora veſtra templum ſunt ſpirit⁹ ſancti: qui habitat in vobis, quem habetis à deo, & non eſtis veſtri? Mundus autem habitator teſte Auguſtino mundam quærit domum.

2 ¶ Senſatorum ſemper cogitatuum. Senſati cogitatus ſunt mundæ, puræ & bonæ cogitationes: quæ obuerſantur animo. Senſatus enim in ſcriptura pro prudente & ſapiente ſumitur: ſicut ſenſus interdum pro ſcientia & prudentia. Vt cum dicit Eccleſiaſticus Si videris ſenſatum: euigila ad illum, & ſeruo ſenſato liberi ſeruient, & in aliis multis eiuſdem libri locis. Ex oppoſito inſenſatus eſt imprudens & inſipiens: vt apoſtolus Galatas vocat inſenſatos. Eſt autem ſpiritus ſanctus amator ſenſatorum cogitatuum: quoniam ſicut ſecundum Sapientis ſententiam peruerſæ cogitationes ſeparant à deo, ita è diuerſo rectæ & bonæ cogitationes coniungunt animos noſtros deo: ipſúmque habent intimum hoſpitem & inhabitatorem. *1. Cor. 6.* *Eccl. 6.* *Eccl. 20.* *Gal. 3.* *Sap. 1.*

3 ¶ Mundi cordis ſoli quem cernere. Hoc atteſtatur dominus in euangelio dicens. Beati mundo corde: quoniam ipſi deum videbunt. Non enim poteſt oculus corporeus contueri lucem, quãdiu craſsis humoribus eſt obſitus aut lippitudine læſus. Detergantur prius humores illi oportet & quicquid ad oculos ſordium defluit emundetur: quàm lympida acie ſolem conſpicari poſsint aut igneam lucem. Deus autem lux eſt clariſsima, & nullis fuſcata tenebris. Quare neceſſarium eſt ab oculis animorum noſtrorum abſtergi omnes noxios affectus, omnéque peccati labem & maculam: vt illius haurire poſsimus innocue fulgorem, puriſsimúmque radium. Mat. 5

4 ¶ Prophetas tu inſpiraſti. Profitetur enim fides catholica ſpiritum ſanctum per prophetas eſſe locutum, & beatus Petrus idem comprobat dicens. Non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti dei homines. Quòd verò apoſtolos vt noui teſtamenti patres ſpiritus ſanctus cõfortauerit: ex eo cõpertum habetur, quòd accepto ſpũ ſancto 2. Pet. 1.

in

in die pen tecoſtes protinus Chriſtum publicè annunciare
Act.2. cœperunt, neque minis neque flagellis perſecutorum deterriti: qui prius propter metum Iudæorum foribus clauſis ſe domi continebant. Idem quoque & dominus in euangelio innuit: cum dixit eis. Cũ ſteteritis ante reges & præſides: nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora: quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini: ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.

Ioan.20. Mat.10 5 ❡ Quando machinam per verbum ſuum. Ipſius Geneſeos exordio cum deſcribitur deus creaſſe cælum & terrã: adiicit & hoc ſcriptura, quòd ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas. Vbi per ſpiritum domini haud dubiè intelligitur
Gen.1. ſpiritus ſanctus: qui in ipſa mundi productione bonitatem ſuam expandit ſuper aquas, id eſt materiam rerum informem adhuc atque inſtabilem: vt ex illa, rerum ſpecies aptè & accommodatè ſuo ordine ac tempore prodirent. Itaq; fouit eas aqua ſpiritus domini: quia omnia benefica ſua virtute atque viuifica adaptauit ipſas rebus deinde producendis, quandoquidem ſola bonitate dei (quæ ſpiritui ſancto propriè attribuitur) omnia rerum genera ad ortum ſunt perducta.

6 ❡ Tu animabus viuificandis aquas fœcundas. Siquidẽ aquæ lauacri baptiſmalis ſanctificantur in ſpiritu ſancto: vt ex illis ſpirituali fœcunditate renaſcantur homines ex aqna & ſpiritu ſancto, ſecundum illud verbum ſaluatoris noſtri. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto:
Ioan.3. non poteſt introire regnum dei. Idem etiam ſpiritus domini ſuam infundendo gratiam reddit homines ſpirituales viuentes ſcilicet ſecundum ſpiritum: qui prius erant carnales & ſecundum carnem viuentes. Et de hac aſpiratione lo
Ioan.3. quitur dominus in euangelio: cum ait. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis: ſed neſcis vnde veniat aut quo va
Gen.11 dat, quod natum eſt ex carne: caro eſt & quod natum eſt ex ſpiritu: ſpiritus eſt.

7 ❡ Tu diuiſum per linguas mundum. Ex Geneſi id perſpectum habetur quòd cum terra eſſet labij vnius poſt diluuium, tentauerunt qui ex filiis Noe deſcenderant ædificare turrim verticè cælos contingentem: vt celebrarent nomen ſuum apud poſteros, & futuri diluuij (vt putarunt) diſcri-

diſcrimen euaderent. Verum ad impediendos illorum improbos conatus, deus vnam illorum linguam in ſeptuaginta duas diuiſit linguas: vt non amplius ſe mutuo intellexerint, propter quod prætermiſſo opere inchoato diſperſi ſunt in vniuerſam terram. & diuerſos viuendi ritus colendique deos ſunt amplexi. Nunc autem per linguarum multarum in apoſtolis adunationem: ad verum vnius dei cultũ reuocati ſunt, & ab idolorum cultura ad veram dei cognitionem reducti, ſicut de ſpiritu ſancto ita canit eccleſia.
Qui per diuerſitatem linguarum cunctarum: gentes in vnitate fidei congregaſti. Porrò idolatra dicitur qui colit idola, id eſt ſimulacra, & idolatria: ſimulacrorum adoratio. Eſt enim idolum ſimulacrum: & latria cultus ſoli deo debitus. At qui Græcè linguæ exactam rationem ſeruant, proferunt vtranque datarum dictionum adiecta tertio loco ſyllaba lo, quæ ſit finis primæ partis componentis hoc pacto, idololatra & idololatria. Nam vt dicunt duæ dictiones datæ non componuntur ab idos quod formã ſignificat, ſed ab idolũ: quare tertia illius dictionis ſyllaba in cõpoſitione debet proferri & ſcribi. Conſimiliter huius dictionis idolum ſecundam ſyllabam in prolatione ferè omnes corripiunt: cum tamen debeat longa proferri, eo quòd apud Græços ſcribitur per ω quæ ſemper eſt longa. Baptiſta Mãtuanus. Verum etiam qui vana ſacris idola prophanis. Et fragiles coluere deos. Debemus autem potius artem & veritatem ſequi quàm vſu per imperitiam introducto à recto abduci.

8 ¶ Tu qui omnium ſeculorum ſanctos. Idem ſol ſenſibilis diuerſorum temporum homines ſuo perfundit iubare, ipſorúmque oculos ſuo lumine luſtrat: & ad colorum diſcernicula reddit diſpoſitos. Haud aliter ſpiritus ſanctus vt ſol ſpiritualis: omnium ætatum homines ſuæ claritatis imbuit ſplendore, edocuitque & eos qui ante legem fuerunt: & qui ſub lege & poſt legem myſteria Chriſti reſerarunt. 1. Cor. 5.
Omnes enim eodem ſpiritu locuti ſunt. Ipſe quoque idem (nam vnus & idem eſt ſpiritus: qui operatur omnia in omnibus apoſtolos hoc inſigni & ſingulari munere adornauit vt variis linguis locuti fuerint magnalia dei, quod diuerſarum regionum populos prorſus attonitos adduxit in admirationem & ſtuporem; vt ſecundum caput in actis apoſtolorũ

lorum latius refert. Neque vnquam antea auditum eſt aut lectum ſimile diuerſarum linguarum miraculum. Porrò hoc in loco nonnulli potius legendum cenſent, amplectens de ſpiritus, vt illud participium vocatiuus ſit ſingularis, ad ſubſtantiuum ſpiritus ordinatus cum quo coniunctim in oratione collocetur. Amplectendum autem ſpiritum ita legendo vocare liceret: quoniam honorandus eſt, & ſingulari veneratione colendus, immò ſummopere quærendus & amore proſequendus. Et hæc ſententia admodum apta videtur: & præſenti loco cógruenter accommoda. Verum tamen vulgata lectio per gerundium contexta, non omnino repudianda cenſeri debet. Nempe gerundium illud cũ eodem ordinatum accuſatiuo, cum quo verbum docuiſti, vtpote ſanctos, ſententiam reddit apertam. Ipſe enim omnium ſeculorum ſanctos amplectendo, eoſdem docuit ſui numinis inſtinctu ac inſpiratione.

De ſancto ſpiritu: alia proſa.

Veni ſancte ſpiritus:
Et emitte cœlitus
Lucis tuæ radium.
2 *Veni pater pauperum,*
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.
3 *Conſolator optime:*
Dulcis hoſpes animæ,
Dulce refrigerium.
4 *In labore requies:*
In æſtu temperies,
In fletu ſolatium.
5 *O lux beatiſſima:*
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
6 *Sine tuo numine:*
Nihil eſt in lumine,
Nihil eſt innoxium.
7 *Laua quod eſt ſordidum:*
Riga quod eſt aridum,
Sana quod eſt ſaucium.
8 *Flecte quod eſt rigidum:*
Foue quod eſt frigidum,
Rege quod eſt deuium.
9 *Da tuis fidelibus*
In te confidentibus,
Sacrum ſeptenarium.
10 *Da uirtutis meritum,*
Da ſalutis exitum,
Da perenne gaudium.
Amen.

Hæ

¶ Hæc proſa, rythmicę ſonoritatis norma & legibus aſtrin gitur: in vnoquoque verſu tres cõplectens clauſulas rythmicas, quarum ſingulæ: ſeptem comprehendunt ſyllabas, penultimámque breuem. Duæ earum quæ eiuſdem ſunt verſus: mutuam inter ſe habent in ſyllabarum exitu conſo nantiam. Tertia verò reſponſum habet in ſimili deſinentia cum tertia clauſula proximi verſus: aut continuò præcedẽ tis aut ſequentis. Continet autem præſens proſa piam inuocationem & deuotam populi fidelis ad ſanctum ſpiritũ, ad quem totius proſę oratio dirigitur: nunc pręclara ipſius nomina quibus ſua in homines inſinuatur bonitas dinumerans, nunc verò vt ſuorum fidelium corda illuminet doniſque ſuis impleat expoſcens. Neque ſatis hæc oratio, mea quidem ſententia commendari poteſt: nam omni commendatione ſuperior eſt, tum ob miram eius ſuauitatẽ cũ facilitate apertiſsima, tum ob gratam eius breuitatem cum vbertate & copia ſententiarum: vt vnaquæque ferè clauſula rythmica vnam complectatur ſententiam, tum deniq; ob concinnam eius in contextu venuſtatem: qua oppoſita inter ſe aptiſsimo nexu compacta cernũtur. Crediderimq́; facilè authorem ipſum (quiſquis is fuerit) cùm hanc contexuit orationem, cæleſti quadam dulcedine fuiſſe perfuſum interius: qua ſpiritu ſancto authore, tantam eructauit verbis adeò ſuccinctis ſuauitatem.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Veni ſancte ſpiritus. Habet aptiſsimam & accommodatiſsimam expreſſionem affectus animi frequens illa eiuſdem verbi repetitio: qua inuitamus vt veniat ad nos ille pater miſericordiarum & deus totius conſolationis. Cum enim non ſemel ſed & ſecundo & tertio & quarto inuitamus ipſum vt huc 1. Cor. 1. veniat: affectuoſior animus noſter inſinuatur ingens noſtrum deſiderium quo eius in nos exoptamus aduentum. Ita enim & in pſalmis frequens eiuſdem dictionis repetitio: pleniorem exprimit & feruentiorem noſtrum affectum in deum. Eſt autem hęc inuocatoria ſupplicatio: ex illa oratione eccleſiaſtica deſumpta. Veni ſancte ſpiritus, reple tuorum corda fidelium & tui amoris in eis ignem accende.

4 ¶ In quarto verſu, In æſtu temperies. Vehemens in nobis plęrũque eſt æſtus concupiſcentiarum irrationalium: quę ex carne ebulliũt, aut honoris ambitione aut appetẽtia diuitiarum.

diuitiarum. Verũ huiuſmodi noxios æſtus temperat in nobis ſuo rore cæleſti, ſpiritus ſanctus: refrigerans incendia libidinum, extinguens ardorem opum, animorúmque reprimens elationem. Idcirco in veteri teſtamento per nubẽ ſignatus eſt: qui filios Iſrael quotidie protexit in deſerto à feruore ſolis. Et in transfiguratione Chriſti per nubem illã

Exod.13. lucidam etiam eſt repræſentatus, qui diſcipulos in monte ſancto obumbrauit.

Mat.17. 7 ¶ In ſeptimo uerſu. Laua quod eſt ſordidum. Anima noſtra ſordida eſt: cum peccatis eſt maculata. Arida verò: cũ nihil ſpiritualis habet humoris quo fœcundetur aut humectetur. Saucia autem cum grauiter vitiis eſt vulnerata. Eadem quoque eſt rigida: cum ob nimiam duritiã ex peccandi conſuetudine inductam, inſtar ſilicis præduri obrigeſcit. Frigida verò, cum nullam diuini feruoris aut fraternę dilectionis habet ſcintillam. Deuia autem, cum à via mandatorũ dei exorbitat & aberrat. Idcirco horum ſex malorum oppoſita petimus à ſpiritu ſancto nobis concedi, vtpote animam noſtram lauari à ſordibus peccatorum, irrigari imbre cæleſtis gratiæ, ſanari à plagis vitiorum. Inſuper eandem flecti in mollitudinẽ, vt ablato corde lapideo detur nobis cor carnuem, ipſam itidem foueri uiuifico calore ignis diuini, & denique eandem dirigi in ſemita mandatorum domini.

9 ¶ In nono verſu. Sacrum ſeptenarius. Ille ſacer ſeptenarius qui hic expetitur eſt ſeptem donorum ſancti ſpirit⁹ qui idcirco ſeptiformis munere dicitur & ſeptuplex, & ſeptipotens ſicut in explanatione hymni. Veni creator ſpiritus, in primo libro amplius eſt pertractatum, in qua ſeptẽplicem ſpiritum & ſeptena eius ſacra munera explicata inuenies. Neq; id hoc loco repetere piget quod paulò antè dictum eſt, non ocioſam ſcilicet eſſe verbi dationem ſignãtis quarto hic factam repetitionem. Habet enimilla pręter orationis elegantiam, etiam maiorem quandam expreſſionem affectus noſtri & efficatiorem petendi vim, quandoquidem apud deum grata eſt perſeuerans operandi inſtantia, importunitas & perſiſtens improbitas. Ea autem congruenter deſignatur, cum ipſum petendi verbum frequenter ingeminatum inculcatur, iterúmque & iterum auribus dei ingeritur.

De

De ſancto ſpiritu: alia proſa.

LVx iocunda, lux inſignis:
Qua de throno miſſus ignis
In Chriſti diſcipulos·
2 Corda replet, linguas ditat:
Ad concordes nos inuitat
Linguæ, cordis modulos.
3 Chriſtus miſit quod promiſit
Pignus ſponſæ: quam reuiſit
Die quinquageſima.
4 Poſt dulcorem melleum:
Petra fudit oleum,
Petra iam firmiſsima.
5 In tabellis ſaxeis,
Non in linguis igneis:
Lex de monte populo.
6 Paucis cordis nouitas
Et linguarum unitas:
Datur in cœnaculo.
7 O quàm fœlix quàm feſtiua.
Dies: in qua primitiua
Fundatur eccleſia.
8 Viuæ ſunt primitiæ
Naſcentis eccleſiæ:
Tria primum millia.
6 Panes legis primitiui:
Sub una ſunt adoptiui:
Fide, duo populi.
10 Se duobus interiecit:
Sicq; duos unum fecit
Lapis, caput anguli
11 Vtres noui non uetuſti:
Sunt capaces noui muſti
Vaſa parat uidua:
12 Liquorem dat Heliſeus.
Nobis ſacrum rorem deus
Si corda ſint congrua.
13 Non hoc muſto uel liquore,
Non hoc ſumus digni rore,
Si diſcordes moribus
14 In obſcuris uel diuiſis,
Non poteſt hæc paraclitis
Habitare cordibus.
15 Conſolator alme ueni,
Linguas rege, corda leni.
Nihil fellis aut ueneni,
Sub tua præſentia.
16 Nihil iucundum, nil amœnum.

Nil ſalubre nil ſerenum,
Nihil dulce nihil plenum,
Niſi tua gratia.
17 Tu lumen es & unguentum,
Tu cæleſte condimentum.
Aquæ ditans elementum
Virtute myſterii.
18 Noua facti creatura,
Te laudamus mente pura.
Gratiæ nunc, ſed natura
Prius iræ filij.
19 Tu qui dator es & donum,
Tu qui condis omne bonum,
Cor ad laudem redde pronum
Noſtræ linguæ formans ſonum
In tua præconia.
20 Tu purga nos à peccatis,
Author ipſe puritatis,
Et in Chriſto renouatis,
Da perfectæ nouitatis,
Plena nobis gaudia.
Amen.

¶ Hæc proſa rythmicæ conſonantiæ normam exactè ſeruat: perſimilis quantum ad compoſitionis formam illi proſæ prius explicatæ. Zima vetus expurgetur. Author eius: Adam de ſancto Victore. Commendatur in ea multifariam myſterium miſsionis ſpiritus ſancti in apoſtolos: & variis antiquæ legis figuris ac factis præſignatum fuiſſe oſtenditur. Deinde ad ſpiritum ſanctum dirigitur totius eccleſiæ oratio: petens vt nos peccatis expurgatos ducat in æterna cæli tabernacula.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Linguę, cordis modulos. Tunc moduli cordis ſunt concordes ipſi linguæ: quando illud dei præconium quod lingua perſonat, etiam ipſum cor piè meditatur, vt non ſolum lingua proferat diuinarum laudum modulationem: ſed & cor illarum ſenſum ſententiámque attendat: vt cum apoſtolo pſallam° ſpiritu, pſallamus & mente. Quocirca manifeſtum eſt, hoc loco nomen illud linguæ, datiui eſſe caſus: & cum adiectiuo concordes ordinari.

3 ¶ In tertio verſu. Chriſtus miſit quod promiſit. Enimverò promiſerat diſcipulis dominus noſter. Ego rogabo patrem: & alium paraclitum dabit vobis. Et iterum. Si non

non abiero:paraclitus non veniet ad vos,ſi autem abiero, mittam eum ad vos & aliis multis in locis. Illud ergo pignus amoris ſui in eccleſiam ſponſam ſuam: vt fidelis & verax miſit in die pentecoſtes. Et rectè hic pignus nominatur ſpiritus ſanctus. Nam eo etiam nomine ſignatur apud beatum Paulum:cum ſcribit ad Corinthios, Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto & qui vnxit nos, deus :& qui ſignauit nos & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. Rurſum alio loco ad eoſdem. Qui autem efficit nos in idipſum:deus eſt:qui dedit nobis pignus ſpiritus. Inſuper ad Epheſios ſcribens inquit. In quo & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto:qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis. Demùm die quinquageſima poſt ſuam reſurrectionem reuiſit ſponſam ſuam eccleſiam Chriſtus:non quidem in ſua ipſius perſona,ſed in ſpiritus ſancti miſsione,qui eiuſdem cum eo ſubſtantiæ eſt & naturæ.

4 ¶In quarto verſu. Poſt dulcorem melleum. Per dulcedinem mellis quæ fluxit de petra rectè hic intelligitur doctrina euangelica,quæ ſacro Chriſti ore profluxit cum prædicaret populo ante paſsionem ſuam. Chriſtus namque ſecundum apoſtolum petra eſt:& quidem firma,ſuper quam fundata eſt eccleſia. At verò propheta in pſalmo eloquia domini comparat melli:cum ait. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua:ſuper mel ori meo. Et iterum. Iudicia domini recta:iuſtificata in ſemetipſa. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum : & dulciora ſuper mel & fauum. Quæ autem ſacratiora dederis & auguſtiora eloquia domini : quam quæ diuino Chriſti ore deprompta in euangelio continentur? Per oleum verò:ſpiritus ſanctus & effuſio gratiæ eius in homines aptè intelligitur,ſecundum ſcripturæ morem. Nam de ſpiritu ſancto loquens deus pater ad filium: ait in pſalmo. Propterea benedixit te deus:deus tuus oleo lætitiæ:præ conſortib⁹ tuis. Et beatus Petrus in actis apoſtolorum de Chriſto loquens ait. Quem vnxit deus ſpiritu ſancto. Oleo autem fit inunctio. Sæpius item in ſcriptura, vnctionis nomine ſpiritus ſanctus intelligitur. Itaque huius verſus ſentẽtia eſt: quòd poſt euangelij doctrinam Chriſtus profudit in diſcipulos ſpiritus ſancti chariſmata.

5 ¶In quinto verſu. In tabellis ſaxeis. Datio legis Moſaicę in monte Sinai, quinquageſimo die poſt egreſſum filiorum Iſrael de Aegypto facta ipſi populo: figura fuit miſſionis ſpiritus ſancti in diſcipulos in die pentecoſtes. Inter illam tamen & hanc: lata eſt differentia. Nam lex Moyſi deſcripta fuit in tabulis lapideis: vt refert Exodus. Lex autem noua per ſpiritus ſancti miſsionem promulgata: in cordibus hominum vt viuis tabulis eſt ſcripta, quemadmodũ per Hieremiam promiſerat dominus his verbis. Ecce dies venient dicit dominus: & feriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus nouum. Non ſecundum pactum quod pepigi cũ patribus veſtris: in die qua apprehendi manum eorum vt educerem eos de terra Aegypti. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael. Poſt dies illos dicit dominus dabo legem meam in viſceribus eorum: & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in deum: & ipſi erunt mihi in populum. Rurſum lex Moyſi non data eſt in linguis igneis: ſed fulgure, tonitruo & lampadibus ardentibus, quę terrorem incutiant. Spiritus autem ſanctus, in ſpecie linguarum ignearum miſſus eſt ad ſignandum ſuæ virtutis effectũ: quòd diuerſarum linguarum ſermonem in diſcipulis adunaret, & in ipſis linguas omnes vniret. Inſuper lex Moyſi toti populo Iſraelitico eſt denunciata: loquente domino. Spiritus autem ſanctus & per eum lex noua, paucis eſt primum collata, vtpote centum & viginti fidelibus congregatis in vnum: ſed per quos toti mundo propaganda eſſet ipſa legis nouitas. Denique lex Moyſi data eſt de monte: & in vertice montis Sinai. Lex verò noua in cœnaculo ſancto vbi erant diſcipuli congregati & perſeuerantes in oratione.

Exod.20. *Exod.31* *Hiere.31* *Exod.16.* *Exo.20* *Act.2.*

8 ¶In octauo verſu. Viuæ ſunt primitiæ. In lege Moyſi, ipſo die pentecoſtes offerebatur domino ſacrificium de primitiis frugum: & iuſſæ fuerunt eo die domino offerri primitiæ, vt habet Leuiticus. Ita myſticè in ipſo die pentecoſtes: oblatæ ſunt domino ab apoſtolis primitiæ credentiũ. Vnde naſcentis eccleſiæ, primitiæ viuæ: ſunt illi qui poſt effuſionem ſpiritus ſancti in diſcipulos, primi crediderunt Illi autem in actis apoſtolorum, trium milium complere dicuntur numerum. Nam poſt ſermonem beati Petri illo die factum ad populum: ſubiungit beatus Lucas. Qui ergo receperunt

Leui.23. *Act.2.*

ceperunt ſermonem eius:baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in illa die animæ circiter tria milia.
9 ¶ In nono verſu. Panes legis primitiui. In die pentecoſtes, quinquageſimo ſcilicet poſt paſcha: filij Iſrael ſecundum inſtituta veteris legis in Leuitico declarata, debuerũt offerre domino duos panes primitiarum de duab⁹ decimis ſimilæ fermentatæ, decoquendos in primitias domini. Ita in exordio naſcentis eccleſiæ, ſuccedente figuris veritate: in die pentecoſtes quo ſpiritus ſanctus miſſus eſt in apoſtolos, duo panes primitiarum myſtici: ſunt oblati domino, vtpote duo populi: Iudaicus & gentilis, vocati in adoptionẽ gratiæ ſub vna fide Chriſti. Tunc enim & Iudæorum popu lus & gentium, cœpit per apoſtolorum prædicationem domino offerri in obſequium fidei. Leui.23 Pſal.177
10 ¶ In decimo verſu. Se duobus interiecit. Chriſtus ſecundum ſententiam pſalmi ſæpius ante adductam, eſt lapis ab ædificantibus reprobatus: factus tamen à deo in caput anguli. Et in huiuſmodi compage ſpirituali: interiecit ſeipſum Chriſtus duobus illis populis, Iudæorum ſcilicet & gẽtium, quia ſeipſum eis intermedium conſtituit: vt vtrunq; in ſe connecteret & hoc pacto duos illos populos fecit vnum populum: ſcilicet Chriſtianum. In primitiua enim eccleſia, & ex Iudæis & ex gentibus ſumpti ſunt: qui credentium eccleſiam & cœtum conſtituerunt.
11 ¶ In vndecimo verſu. Vtres noui non vetuſti. Iſte locus ſumptus eſt ex euangelio: vbi dominus ait turbis Iudæorum. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres: & vinum effuditur & vtres pereunt, ſed vinum nouum in vtres nouos mittunt: & ambo conſeruantur. Quem locum expones Remigius ait. Vtres veteres appellat Chriſtus ſuos diſcipulos, qui ante paſsionem ſuam nondum perfectè erant innouati: Vinum nouũ appellat plenitudinem ſpiritus ſancti, & profunda cæleſtium myſteriorum: quæ tunc diſcipuli ferre non poterãt Sed poſt reſurrectionem vtres noui facti fuerunt, & vinum nouum receperunt, quando ſpiritus ſanctus repleuit corda eorum. Vnde quidam dixerunt: omnes iſti muſto pleni ſunt. Hæc Remigius. Ex cuius verbis ſententia hui⁹ verſus quantum ad duas primas eius clauſulas: eſt intellectui ſatis peruia. Tertia nanque clauſula eiuſdem ad ſequen- Mat.9.

tis verſus pertinet ſententiam: & ad illam debet referri, vt
mox conſtabit.

4. Reg. 4. 12 ¶ In duodecimo verſu. Liquorem dat Heliſeus. Cum
mulier quædam de vxoribus prophetarum conquereretur
Heliſæo, quòd mortuo viro ſuo creditor vellet tollere
duos filios ſuos & in ſeruitutem ſubigere quoad perſolu-
tum eſſet debitum: iuſsit Heliſæus vt ipſa mutuo peteret
multa vaſa vacua, & ſingulis eorum aliquid olei quod ha-
bere ſe dixit infunderet. Quod cum illa feciſſet: adeò mul-
tiplicatum eſt oleum vaſis infuſum, vt omnia fuerint vſq;
ad os repleta oleo. Id vbi nunciaſſet Heliſæo: iuſsit vt ven
deret illud oleum, & ſatisfaceret creditori. De eo aũt quod
reliquum eſſet: ipſa & filij eius viuerent. Myſticè autem
per oleum illud intelligitur gratia ſpiritus ſancti, quæ à
deo ſignificato per Heliſæum, præſtatur abundè nobis per
viduam ſignatis, ſi modo vaſa habeamus vacua: id eſt, cor-
da noſtra non repleta iniquitate, ſed congruè diſpoſita ad
huius ſacri liquoris ſuſceptionem.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Non poteſt hæc paracliſis.
Sicut paracletus vel paraclitus græcè idem eſt quod con-
ſolator, & pro ſpiritu ſancto potiſsimum ſumitur in ſacris
literis: ita paracliſis, ſeos, ſignificat conſolationem, & gra-
tiam ſancti ſpiritus mœſtorum cordium conſolatricem.
Quoniam igitur paulo antè dictum eſt quòd nobis ſacrum
rorem ſancti ſpiritus largitur deus, modo vaſa cordis no-
ſtri ſint congrua illi recipiendo: hic verſus accommodatè
oſtendit, quidnam reddat corda noſtra indiſpoſita ad ſacro
rum chariſmatum perceptionem, potiſsimùm duo expri-
mens quæ ſunt impedimento tantis bonis, ſcilicet obſcuri-
1. Cor. 13. tatem cordis obtenebrationémque per peccata, & diſcor-
diam animorum per contentiones & odia. Cum enim ſpi-
ritus ſanctus ſit lux ſpiritualis, & deus pacis atque dilectio-
nis, neque in obtenebratis cordibus neque diuiſis abinui-
cem per diſſenſiones & rixas, vnquam deliget ſuæ maieſta
tis habitaculum aut ſedem.

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. Aquæ ditans elementum.
Id dictum putetur tum quòd in principio creationis mun-
di ſpiritus domini ſuper aquas ferebatur vt ſuperius dictũ
Gen. 1. eſt, tum etiam quia virtute ſua ſpiritus ſanctus aquas ſan-
ctificat, vt ſalutare baptiſmi lauacrũ conficiant, quo aſper-

ſi

ſi homines abluantur à peccatis ſuis,& noua fiant in Chri ſto creatura,renati ex aqua & ſpiritu ſancto. Vnde & ſuper Chriſtum baptizatum in Iordane ſpiritus ſanctus apparuit,ad ſignificandum quòd in baptiſmo ritè ſuſcepto datur ſpiritus ſanctus. *Ioan.1.*

18 ¶ In decimooctauo verſu. Gratiæ nunc, ſed natura. Cum naſcimur,originalis peccati labe adhuc ſordidati, ſumus filij iræ,maledictionis & perditionis: quemadmodum beatus Paulus dicit ad Epheſios. Eramus natura filij iræ: ſicut & cæteri. Suſcepto verò ſacramento baptiſmi & ſpiritus ſancti dono percepto:efficimur filij gratiæ & adoptionis , filiique regni ,per ſpiritualem huiuſmodi in Chriſto regenerationem. Tunc enim ex deo nati ſumus:& filij dei effecti. Verum enitendum nobis eſt ſummopere vt hanc dei filiationem ſuſceptam in baptiſmo , integram in nobis inuiolatámque ſeruemus per ſyncæram fidem & bonorũ operum fructum. Ne per ignauiam noſtram deperdita tanta dignitate qua filij dei nominamur & ſumus :decidamus à numero filiorum dei,& efficiamur filij Sathanæ per imitationem illius & expletionem deſideriorum eius. Tanto ſiquidem grauior erit culpa noſtra: ſi exciderimus à ſorte filiorum dei per irrationabiles concupiſcentiarum noſtrarũ motus:quanto maior fuit dei in nos dignatio qua nos ipſos aſciuit in cœtum & numerum filiorum ſuorum,qua ſpiritum ſuũ ſanctũ diffudit in corda noſtra vt hoſpitem & habitatorem animarum noſtrarum.Cui ſi intulerimus contumeliam,per peccata eum à nobis propellentes & Sathanę ſpiritum vltrò admittentes in penetralia cordis noſtri non effugiemus vindicem dei iram A qua nos ſua benignitate præſeruet ſpiritus totius bonitatis. Amen. *Ephe. 2.*

19 ¶ In decimonono verſu. Tu qui dator es & donũ. Spiritus ſanctus dator eſt:quia hominibus ſua dona largitur, quemadmodum oſtendit ſacer Paulus:ita ſcribens ad Corinth. Alij per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ:alij fides in eodem ſpiritu. Et demùm in fine concludit. Hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Ipſe etiam donum eſt:quia à deo datur iis qui illum dari ſibi petunt, quemadmodum teſtatur dominus in euangelio. Si vos (inquit) cũ eſtis mali,noſtis bona data dare filiis veſtris:quantò magis pater veſter *1.Cor.12* *Luc.11*

cœleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Dicitur & ipſe ſpiritus ſanctus omne bonum condere: id eſt creare, producere, & formare, quia omnibus eſt ſpiritus: & à quo bonum omne profluit in creaturas, cui & bonitas peculiariter attribuitur.

De ſancto ſpiritu: alia proſa.

Simplex in eſſentia.
Septiformis gratia,
Nos reformet ſpiritus
2 *Cordis luſtret tenebras,*
Et carnis illecebras
Lux emiſſa cælitus.
3 *Lex præceßit in figura,*
Lex pœnalis lex obſcura,
Lumen euangelicum.
4 *Spiritalis intellectus*
Literali fronde tectus,
Prodeat in publicum.
5 *Lex de monte populo,*
Paucis in cœnaculo,
Noua datur gratia.
6 *Situs docet nos locorum,*
Præceptorum uel donorum
Quæ ſit eminentia.
7 *Ignis, clangor, buccinæ,*
Fragor cum caligine,
Lampadum diſcurſio.
8 *Terrorem incutiunt,*
Nec amorem nutriunt,
Quem effudit unctio.
9 *Sic in Sina lex diuina.*
Reis eſt impoſita.
10 *Lex timoris nõ amoris,*
Puniens illicita.
11 *Ecce patres prælecti,*
Dij recentes ſunt effecti,
Culpæ ſoluunt uincula.
12 *Pluunt uerbo, tonant minis,*
Nouis linguis & doctrinis
Conſonant miracula:
13 *Exhibentes ægris curã*
Morbum damnãt non naturam,
Perſequentes ſcelera.
14 *Reos premunt & caſtigant,*
Modo ſoluunt, modo ligant,
Poteſtate libera.
15 *Typum gerit iubilei*
Dies iſte, ſi diei
Requiris myſteria.
16 *In quo tribus milibus*
Ad fidem currentibus,
Pullulat eccleſia.

Iubileus

17 *Iubileus eſt uocatus,*
Vel dimittens uel mutatus
Ad priores uocans ſtatus,
Res diſtractas libere.
18 *Nos diſtractos ſub*
peccatis,
Liberet lex charitatis.
Et perfectæ libertatis
Dignos reddat munere.
Amen:

Hæc proſa, rythmicæ cõpoſitionis tenet legem, perinde atque ea quæ ſuperius eſt declarata. Mane prima ſabbati. Id tamen vltra illam habet ſpeciale: quòd in nono & decimo verſu duas tantũ habet clauſulas rythmicas, quarum prior conſonantiam ſyllabarum ſeruat in ſuiipſius medio & fine, poſterior verò clauſula vnius datorum verſuum reſpondet in ſimili deſinentia poſteriori clauſulæ alterius verſus. Author eius, Adam de ſancto Victore. Celebratur in ea claris laudibus ſpiritus ſancti miſsio in diſcipulos: per quam lex noua eſt promulgata, ipſiúſque nouæ legis ſupra veterem multiplex excellentia & dignitas aſsignatur. Apoſtolorum item, qui noui teſtaméti ſunt patres, magna virtus & operãdi energia depromitur, & demùm ipſius diei pentecoſtes ad annum iubileum Iudæorum fit comparatio, in conditionum ac proprietatũ quadam affinitate.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Simplex in eſſentia. Salomon in libro Sapientiæ dicit de ipſa ſuperdiuina ſapientia, quòd in ea eſt ſpiritus intelligentiæ ſanct⁹, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſert⁹, mobilis, incoinquinatus, & ita de cæteris eius proprietatibus: quas deinde ſubnectit. Sed quiſnam eſt ſpiritus æternæ ſapientiæ: niſi ſpiritus ſanctus? qui ab apoſtolo ſpiritus filij & ſpiritus Christi nominatur. Chriſtus aũt, dei virt⁹ eſt & dei ſapientia. Eſt igitur ſpiritus ſanctus: & & vnicus & multiplex, vnicus in ſubſtantia: multiplex in donis, quod etiam hic inſinuatur cum dicitur ipſe ſpiritus ſimplex ac indiuiduus in eſſentia, ſeptiformis tamen gratia ac munere, perinde atque vnicus natura eſt ſol: multiplices tamen operationes efficit in hæc inferiora, quæ vegetat, fouet, illuminat, calefacit ac viuificat. Et vnica in corpore noſtro eſt anima: multorum tamen operum ſecundum diuerſas virtutes ſuas effectiua.

Sapi.7
Galat.4
Rom.8
1. Corin. 1

In

3 ¶ In tertio verſu. Lex præceſſit in figura. A tertio ver ſu vſque ad decimum fit veteris legis ad nouam quantum ad excellentiæ & dationis earum habitudinẽ collatio, vtpote quòd illa figura eſt, hæc veritas, illa dura ac grauis: hæc ſuauis & leuis, illa vmbra, hæc lumen, illa literam habet occidentem, hæc ſpiritum viuificantem, illa ſub velamine ac corticæ literæ ſenſum ſpiritualẽ occultat, hæc occultatum detegit ac reuelat. Illa in monte data eſt: hæc in cœnaculo, illa toti populo: hæc paucis diſcipulis. Illa in clangore buccinæ, fulgore, tonitruo, igne & fumo, hæc in vehementi ſono, aduenientis ſpiritus ſancti nuncio, & linguis igneis. Illa in terrore eſt data ad incutiendum timorem, hæc in placido ignis innocui delapſu qui foueat amorem. Denique illa duæ ceruicis populo eſt impoſita in ſeruitutem: hæc ſuperni patris filiis in libertatem. Poſtremùm illa timoris eſt lex & rigoris: hæc verò amoris & lenitatis.

11 ¶ In vndecimo verſu. Ecce patres præelecti. Ab vndecimo verſu vſque ad decimumquartum, ſanctorum apoſtolorum qui primitias ſancti ſpiritus acceperunt, ponitur multiplex commendatio. Dicuntur enim primũ patres prælecti, quoniã præ alijs electi ſunt vt noui teſtamẽti ſint non ſolũ patres ſed & patriarchæ, figurati per duodecim veteris teſtamenti patriarchas. Dicuntur & dij per participationem effecti, quoniam ſpiritus ſanctus illis ſu-
Pſal. 46 peruenieus deiformes illos reddidit, & propemodum diuinos, de quibus intelligitur illud pſalmi. Principes populorum congregati ſunt cum deo Abraham, quoniam dij fortes terræ vehementer elati ſunt. Apoſtoli quoque pluunt verbo quoniam ſalutarẽ doctrinæ ſuæ imbrem aridis hominum mentibus vna voce inſtillarunt, ad proferendum
Eſaiæ 60 fructum ſalutis. Idcirco nubium nomine ſignantur apud Eſaiam: cum ait. Qui ſunt hi qui vt nubes volant: & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Tonãt itidem minis: nam vox eorum vehemens & æterna malis ſupplicia comminãs ac interminãs, more tonitrui commouit animos auditorum. Vnde pſalmus de eorum prædicatione dicit. Vox tonitrui tui in rota. Alluxerunt corruſcationes tuæ orbi terræ: cõ-
Eſa. 76 mota eſt & contremuit terra. Præterea eorum doctrinis conſonant miracula: quoniam doctrinam ſuam ſignorum nouitate

nouitate & virtute confirmarunt, vt ait Marcus. Illi autem profecti prædicauerunt vbique domino cooperante: & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Denique quòd ligandi atque ſoluendi habeant poteſtatem: ex verbis domini apud Matthæum capitulo decimooctauo, & apud Ioannem capitulo viceſimo eſt manifeſtum.

15 ℭ In decimoquinto verſu. Typum gerit Iubilei. Ab hoc verſu vſque ad finem, dies iſte aduentus ſpiritus ſancti in diſcipulos comparatur anno Iubileo Iudæorū (qui & quinquageſimus dictus eſt: quòd quinquageſimo quoque anno obuenit) in conformitate proprietatum: quæ Iudæis quidem carnaliter, nobis autem ſpiritualiter conueniunt. Nempe Iubileus interpretatur (vt hic ait) dimittens vel mutatus: quòd eo anno debita dimittebantur, & qui ante ſerui erant manumittebantur, exules reuertebantur in patriam, & vnuſquiſque ad domum & poſſeſſionem ſuam redibat: quam ante vendiderat, vt ex viceſimoquinto capite Leuitici conſtat. Et ita mutabatur prior rerum ſtatus atque conditio: in meliorem. Nam qui ante ſerui erant: tunc effecti ſunt liberi. Et prius natali ſolo extorres: tunc illius facti ſunt incolæ, denique prius ſuis agris aut domibus deſtituti: tunc efficiebantur eorum poſſeſſores, & prius debitores: tunc abſoluti debitis. Hæc autem omnia: ſpiritualiter in hominibus completa ſunt per aduentum ſpiritus ſancti. Nam debita peccatorum relaxata ſunt, ſeruitus peccati adempta, virtutum reddita poſſeſſio: poſtquam ſub peccato fuimus venundati, & in cæli patriam conceſſus reditus: à quo fueramus excluſi. Porrò ſecundum alios iubileus interpretatur initiatus ſiue remiſſiuus, quòd annus ille quinquageſimus ex diuina conſtitutione deo conſecratus, mancipatúſque crederetur, atque remiſsionem debiti & ſeruituti indulgens. Hæc autem interpretatio etiam rectè conueuit tempori miſsionis ſpiritus ſancti: per quem prius idolorum cultui dediti, dei ſacris ſunt initiati, illiúſque addicti obſequio: ac peccatorum ſuorum remiſsionem conſecuti.

Marc. 16

De ſancto

De ſancto ſpiritu: alia proſa.

Qui procedis ab utroque:
Genitore, genitóque,
Pariter paraclite,
2 *Redde linguas eloquentes,*
Fac feruentes in te mentes
Flamma tua diuite.
3 *Amor patris filiiq;,*
Par amborum, & utrique
Compar & conſimilis.
4 *Cuncta reples, cuncta foues,*
Aſtra regis, cælum moues:
Permanens immobilis.
5 *Lumen clarum, lumen charum,*
Internarum tenebrarum
Effugas caliginem.
6 *Per te mundi ſunt mundati:*
Tu peccatum & peccati
Deſtruis rubiginem.
7 *Veritatem notam facis,*
Et oſtendis uiam pacis,
Et iter iuſtitiæ.
8 *Peruerſorum corda uitas*
Et bonorum corda ditas
Munere ſcientiæ.
9 *Te docente: nil obſcurum*
Te præſente, nil impurum,
Sub tua præſentia.
10 *Gloriatur mens iocunda,*
Per te læta, per te munda
Gaudet conſcientia.
11 *Tu commutas elemēta:*
Per te ſuam ſacramenta
Habent efficaciam.
12 *Tu nociuam uim repellis:*
Tu confutas & refellis
Hoſtium nequitiam.
13 *Quado uenis: corda lenis.*
Quando ſubis: atræ nubis
Effugit obſcuritas.
14 *Sacer ignis, pectus ignis.*
Non comburis: ſed à curis
Purgas, quando uiſitas.
15 *Mentes prius imperitas,*
Et ſopitas & oblitas,
Erudis & excitas.
16 *Foues linguas, formas ſonum.*
Cor ad bonū facit pronū,

A te

Alte data charitas.
17 *O iuuamen oppreſſo-*
rum,
O ſolamen miſerorum,
Pauperum refugium.
18 *Da contemptum ter-*
renorum
Ac amorem ſupernorum
Trahe deſiderium.
19 *Pelle mala, terge ſor-*
des.
Et diſcordes fac concor-
des,
Et affer præſidium.
20 *Tu qui quondam ui-*
ſitaſti.
Docuiſti, confortaſti,
Timentes diſcipulos.
21 *Viſitare nos digneris.*
Nos ſi placet conſoleris:
Et credentes populos.
22 *Par maieſtas perſona-*
rum:
Par poteſtas eſt earum,
Et communis deitas.
23 *Tu procedens à duo-*
bus,
Coæqualis es ambobus,
In nullo diſparitas.
24 *Quia tantus es & ta-*
lis
Quantus pater eſt & qua-
lis.
Seruorum humilitas.
25 *Deo patri, filioq;*
Redemptori, tibi quoque,
Laudes reddat debitas.
Amen.

In hac proſa, conſimilis ratio rythmicæ compoſitionis obſeruata conſpicitur, ſicut in penultima. Lux iucuncunda lux inſignis, præter id id quod in decimotertio & decimoquarto verſu non habet prima clauſula reſpōſum in exitu ſyllabarum ad ſecundam eiuſdem verſus, ſed ſingulæ earum finem ſuum habent conſonātem ſuo medio, vt vnius & eiuſdem clauſulæ medium reſpondeat in ſimili deſinentia ſua ipſius fini.

In ea commendatur multipliciter ſpiritus ſanctus, tum à diuinis proprietatibus & habitudine eius ad patrem & filium, circa principium præſentis proſæ & finem, tum à variis ſuæ bonitatis in creaturas operibus potiſsimum in homines, quorū animas ſua dignatione viſitat & illuſtrat. Demùm humilis ad ipſum fidelis populi fit ſupplicatio: à decimoſeptimo verſu vſque ad viceſimumprimū. Et quoniam totius proſæ contextus admodum facilis eſt & legē-

tibus peruius:paucis annotationibus ea tranſigetur. Author eius:Adam de ſancto Victore.

2 ℭ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Flamma tua diuite. Spiritus ſancti flamma: ignis eſt ille ſpiritualis & cæleſtis, quem immittit cordibus hominum. Et hæc diues eſt: propter multiformitatem donorum ſacram inflammationem conſequentium. Exuberantiã enim gratiarum & diuitias ſuorum munerum confert illis: qui ad cæleſtes illas opes recipiendas cordis ſui præparãt promptuarium quo eas recondant. Eſt enim ſpiritus ſanctus (vt Pauli verbis vtar) diues in omnes qui inuocant illũ: omniúmque eſt artifex, omnia cognoſcens, omnia proſpiciens. 4 ℭ In quarto verſu. Permanens immobilis. Quæ in libro Sapientiæ de æterna ſapientia dicuntur in ſeptimo capite, ſpiritui quoque ſancto congruè adaptantur, vt qui eiuſdem ſit cum filio dei naturæ, & ſubſtãtiam diuinam conſequentes proprietates (quales ſunt eæ: de quibus eſt ſermo) omnino cum ipſo habeat communes, vtputa quòd cum ſit vnus: omnia poteſt, & in ſe permanens: omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicóſque dei & prophetas conſtituit. Ex quo & id continuò colligitur, quòd aſtra regit cælúmque mouet: permanens tamen immobilis, ſtabilisque manens dat cuncta moueri: vt canit Boetius.

Rom.10
Sapien.7
Ibidem.

11 ℭ In vndecimo verſu. Tu commutas elementa. Id non ſecundum eorũ ſubſtantiam eſt intelligendum ſed ſecundum vſum ac virtutem. Nam elementum aquæ ſanctificatione ſpiritus ſancti conſecratum: accommodatur lauacro baptiſmi, & nouam quodã modo induit virtutem, vt quod prius corpora ſolum abluebat: nunc etiam ad abſtergendas animæ maculas ſit idoneum. Neque ſolum baptiſmi ſacramentum: ſed & cætera omnia virtute ſpiritus ſancti conficiuntur, & ſuam inde vim deſumunt. Nullum enim perficitur ſacramentum: quòd non ſpiritus ſancti inuocatione abſoluatur.

14 ℭ In decimoquarto verſu. Sacer ignis pectus ignis. Primo loco, ignis: nomé eſt vocatiui caſus. Nã per totam proſã ſermo ad ſpiritũ ſanctum dirigitur. Secũdo verò loco, ſecunda eſt perſona præſentis indicatiui, huius verbi: ignio, is, ire, quod inflammare ſignificat: & accuſatiuo iungitur.

gitur. Porrò ſacer ille ignis eſt: de quo canit eccleſia. Aduenit ignis diuinus non comburens ſed illuminans: nec conſumens ſed lucens, & inuenit corda diſcipulorum receptacula munda: & tribuit eis chariſmatum dona.

De ſancta trinitate.

Benedicta ſemper ſancta ſit trinitas, deitas ſcilicet unica coequalis gloria. Pater, filius, ſanctus ſpiritus, tria ſunt nomina, omnino eadem ſubſtantia.

2 *Deus genitor, deus genitus, in utroque ſacer ſpiritus, deitate ſocius.*

3 *Non tres tamen dij ſunt, deus uerus unus eſt, ſic pater dominus, filius, ſpiritusq; ſanctus.*

4 *Proprietas in perſonis, unitas eſt & in eſſentia. Maieſtas par & poteſtas, decus honor æquè per omnia. Sydera, maria continens, arua ſimul & uniuerſa condita. Quē tremunt impia tartara, colit quoque quem & abyſſus infima.* 5 *Nunc omnis uox atque lingua fateatur hunc laude debita. Quem laudant ſol atque luna, dignitas adorat angelica. Et nos uoce præcelſa omnes modulemur organica cantica, dulci melodia. Eia & eia nunc ſimul iubilemus altithrono domino laudes in excelſis. O adoranda unitas. O ueneranda trinitas. Per te ſumus creati, uera æternitas.* 6 *Per te ſumus redempti, ſumma tu charitas. Populum cunctum tu protege, ſalua, libera, eripe, & munda. Te adoramus omnipotēs, tibi canimus, tibi laus & gloria, per infinita ſecula ſeculorum. Amen.*

Hæc pſa nullā habet rythmi formā: ſed ſolutæ oratiōis ſchemate eſt contexta. In ea ſummæ trinitatis prædicatur myſterium, pia fidei confeſſione à nobis credendum & venerandum, quòd ſcilicet vnus eſt deus in eſſentia, trinus autem in perſonis, quarum eadem eſt diuinitas, virtus, & maieſtas. Deinde incitatur fidelis populus ad ipſius vnitrinæ deitatis laudem ſedula deuotione depromendā: & ſupplex ad illam habetur inuocatio.

ANNO·

1 ¶ANNOTATIONES. Tria ſunt nomina. Nō hoc ita accipiendum, quòd in ſuperſancta triade, ſola nominū ſit trinitas, ſine aliqua perſonarum diſtinctione aut differentia, vt ſine aliqua rei diſcretione, pater, & filius, & ſpiritus ſanctus ſolam vocabulorum ſuſtineant diuerſitatem & diſcrepantiam. Nam qui ita ſentiret: prolaberetur in damnatiſsimam Sabellij hæreſim, inducentis cōfuſionem perſonarum: & earum differentiam exceptis ſolis nominibus negantis, vt qui vnam & eandem perſonam, nunc patrem, nunc filium, nunc ſpiritum ſanctum appellari debere confinxerit. Sed cum nomina rebus ad diſcretionē earū dinoſcendam ſint impoſita: per tria nomina, etiam rerum nominibus ſignatarū diſtinctio & differentia hic inſinuatur. Vt ſenſus ſit, in trinitate diuina, tria eſſe nomina: id eſt tres perſonas tribus diuerſis nominibus expreſſas, vt per nominum trinitatem quæ poſterior eſt, rerum illis ſignificatarum diſcretio quæ prior eſt, innuatur. Non enim quia tria ſunt nomina: tres ſunt perſonæ diuinæ, ſed ediuerſo quoniam tres ſunt perſonæ, tria ſunt nomina earum enunciatiua. Sunt nanque res ipſæ, nominibus ſuis tempore & natura priores, & rerum diſtinctio, nominum diſtinctionem antecedit.

2 ¶ In vtroque ſacer ſpiritus. In vtroque: patre ſcilicet & filio, eſt ſacer ſpiritus per mutuam immeationem & intimam immanſionem, qua propter omnimodam ſubſtantiæ diuinæ in tribus perſonis idētitatem ac ſimplicitatem: vnaquæque diuinarum perſonarum duabus reliquis immanet intima, eáſque immeat ac indigreſſibiliter inhabitat. De qua ineffabili immanentia: Chriſtus in euangelio dicit ad Iudæos. Vt cognoſcatis & credatis: quia pater in me eſt, & ego in patre. Et iterum. Pater autem in me manens: ipſe facit opera. Idem enim de ſpiritu ſancto ad patrem & filium eſt iudicium.

Ioan.10 3 ¶ Non tres tamen dii ſunt. Poſt hunc verſum, aliqui
Ioan.14 libri continuò hunc habēt ſubiunctum. Ipſe tamen filius: deus verus à patre, præclarus itaque ſpiritus ab vtroque emanat. Qui ſanè nequaquam ſuperfluus eſt, nam diuinarum perſonarum vnius ad aliam, habitudinem ſecundum intimam emanationem depromit. Neque itidem eſt neceſſarius. Nam ſine illius adiectione, perfecta vtique eſt

ſententia

ſententia. Pro inde in illo aut adiiciendo, aut prætermittẽdo vnuſquiſque ſequatur eccleſiæ ſuæ vſum, illiq́ue ſe pſus cõformet. Ita vbi paulo pòſt litera habet, dignitas adorat angelica: alij libri habent, pluralitas adorat angelica. Vtrunque autem horum, rectè dicitur. 4 ¶ Sydera, maria continens. Hic locus deum omnium creaturarum vbiuis ſuſtinentium continere ambitum & fulcire naturam, oſtendit. Quædã enim ſupremo continentur loco, vt corpora cæleſtia: & ſyderum nomine hic intelliguntur. Quędam medio mundi ſenſibilis loco: vt corpora naturalia, elemẽta & ex ipſis commixta, & hic per maria & arua inſinuantur. Quędam verò infimo ſubſident loco, vt ęternis damnatæ tenebris noxiæ poteſtates: & hoc in loco per infima tartara & abyſſum infimum innuuntur. Hæc autem tria rerum conditarum genera, vno generali nomine per vniuerſa condita etiam intelligũtur: ſpiritus angelicos & cæleſtes inſuper comprehendente, vt cognoſcatur deus ipſe, rerum omnium, cæleſtium ſcilicet terreſtrium & infernorum princeps eſſe ac dominus.

5 ¶ Nunc omnis quod vox. Conueniens hic ſumitur argumentum atque apta ratiocinatio, oſtendens id æquum eſſe & rationi conſentaneum, quòd omnis uox & lingua humana cuiuſuis nationis & regionis deum confiteatur & laudet. Nam irrationales (inquit) creaturæ vt ſol & luna ipſum laudent, quandoquidem ex ſuá ſubſtãtia virtute & motu immenſam dei potentiam, ſapientiam, & bonitatem prædicant: ipſiúſque laudandi in ſuis operibus amplam præſtant materiam. Sub ſole autem & luna hic expreſſis, aliæ etiam creaturæ rationis expertes comprehendantur, quæ ex ſua natura dei virtutem & perfectionem itidẽ manifeſtant. Turba quoque angelica deum aſſidua laude in cælis concelebrat. Par eſt igitur atque rationabile: & nos homines deo noſtro creatori & redemptori debitas exoluere laudes.

6 ¶ Simul iubilemus altithrono domino. Non diuiſim hoc nomen legendum altithroni: vt faciunt nonnulli, ſed coniunctim altithrono: quod adiectiuum eſt, cõpoſitũ ex altus & thronus, ſignificatque eum qui ſublimi & excelſa ſede reſidet, quod maxime deo conuenit: cuius cælũ ſedes eſt, & qui ſedet ſuper cherubim. Quare ſequens particula

in excelſis, non uerbo iubilemus annecti debet, ſed nomini iam dato altithrono. Non enim qui terram adhoc incolimus: iubilamus in excelſis, laudes domino, ſed altithrono in excelſis, id eſt in cælis ſublimem habenti ſedem maieſtatis domino: laudes iubilare connitimur.

De ſancta trinitate: alia proſa.

Profitentes unitatem,
Veneremur trinitatem
Pari reuerentia.
2 *Tres perſonas aſſerentes,*
Perſonali differentes
A ſe differentia.
3 *Hæ dicuntur relatiue,*
Cum ſint unũ ſubſtantiue,
Non tria principia.
4 *Siue dicas tres uel tria,*
Simplex tamen eſt uſia,
Non triplex eſſentia.
5 *Simplex eſſe, ſimplex poſſe,*
Simplex uelle, ſimplex noſſe,
Cuncta ſunt ſimplicia.
6 *Non unius quàm duarum,*
Siue trium perſonarum
Minor efficacia.
7 *Pater, proles, ſacrum flamen,*
Deus unus, ſed hi tamen
Habent quædam propria
8 *Vna uirtus, unum numen,*
Vnus ſplendor, unum lumẽ.
Hoc una quod alia.
10 *Patri proles eſt æqualis,*
Nec hoc tollit perſonalis
Amborum diſtinctio.
11 *Patri compar filioq;*
Spiritalis ab utroque
Procedit connexio.
12 *Non humana ratione*
Capi poſſunt hæ perſonæ:
Nec harum diſcretio,
13 *Non hic ordo temporalis,*
Non hic ſitus, aut localis
Rerum circunſcriptio.
14 *Nil in deo præter deum,*
Nulla cauſa præter eum
Qui cauſat cauſalia.
15 *Effectiua uel formalis*
Cauſa, deus: & finalis:
Sed nunquam materia.
16 *Digne loqui de perſoni s*

ſonis:
Vim tranſcendit rationis,
Excedit ingenia.
Quid ſit gigni, quid proceſſus:
Me neſcire ſum profeſſus.
Sed fide non dubia.
17 *Qui ſic credit: ne feſtinet,*
Et à uia non declinet
Inſolerter regia.
18 *Seruet fidem, formet mores:*
Nec declinet ad errores
Quos damnat eccleſia.
19 *Nos in fide gloriemur:*
Nos in una modulemur
Fidei conſtantia.
20 *Trinæ ſit laus unitati:*
Sit & ſimplæ trinitati
Coæterna gloria.
Amen.

Hæc proſa vniformem habet rythmicæ modulationis in omnibus ſuis verſibus formam. In ſingulis enim tres cõtinet clauſulas rythmicas: quarum duæ primæ mutuã adinuicem habent in exitu cõſonantiam: & vtraque illarum octo complectitur ſyllabas, quarum penultima ſemper lõga aut ſyllabæ longe in tenore prolatiõis perſimilis. Tertia verò cuiúſque verſus clauſula reſponſum habet ad tertiam proximi verſus in ſimili deſinentia: & ſeptem conſtringit ſyllabas penultimãmque breuẽ. Author eius, Adam de ſancto Victore. Explicatur in ea concinnè, elegãter & appoſitè altiſsimum ſuperſanctæ trinitatis myſterium, quomodo in illa nec vnitas deitatis repugnat trinitati perſonarum, nec harum pluralitas illius ſimplicitati, quomodo etiã ipſæ perſonæ licet vnius ſint eſſentiæ: proprietates tamẽ habent ſingulares & perſonales, ſecũdum quas earum attenditur ac ſumitur diſcretio. Et alia id genus ad ſacratiſsimum iſtud fidei arcanum ſecretúmque ſacramentum attinentia hic decenter & dilucide reſerãtur, quæ ex ſymbolo Athanaſij & eius explanatione in ſecundo libro poſita: plana ſatis & clara euadere poſſunt, idcirco illorum declarationibus non opus erit hic diutius immorari ac inſiſtere.

3 ¶ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Hæ dicuntur relatiue. Diuinæ perſonæ adinuicem relatiue dicuntur

ſicut & vna ſubſtantia atque eſſentia. Quomodo igitur illa minor erit in vna perſona quàm in pluribus, aut maior in pluribus quàm vna? eſſet enim tunc illa ſiue virtus ſiue ſapientia, reuera ſeipſa minor, cum ſit eadem in omnibus.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Sed hi tamen habent quædam propria. Pater enim ſingularem habet proprietatem, ipſius à filio & ſpiritu ſancto diſcretiuam: ſcilicet innaſcibilitatem ſiue ingignentiam, quòd à nullo prodeat ſed ſeipſo ſolo ſubſiſtat. Filius gignentiam ſiue naſcẽtiam habet quòd à patre ſolo ſit genitus. Spiritus autem ſanctus perſonalem habet proprietatem, quam proceſſibilitatem ſiue proceſſionem dicere ſolent: quòd à patre & filio, proceſſu intimo & nobis imperſcrutabili prodeat. Veruntamen vt proxime ſequens dicit verſus, hoc eſt vna perſona quod alia. Nam perſonalis iſta diſcretio & proprietatum differentia, nullam ſubſtantiæ aut naturæ diuerſitatem indicit. Pronomen autem hoc, & quod, & ſimilia, aut nomina aut pronomina in neutro genere, ſubſtantiæ ſunt indicatiua, ſicut oſtendit illud verbum domini in euãgelio. Ego & pater, vnum ſumus.

10 ¶ In decimo verſu. Spiritualis ab vtroque procedit connexio. Spiritualis connexio hic intelligitur ſpiritus ſanctus, qui nexus dicitur & amor patris & filij, quo pater diligit filium vt habet euangelium, & filius etiam patrem. Pater (inquit) diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Et filius de ſeipſo. Sed vt cognoſcat mundus quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio. Et ſanè proprium amoris eſt connectere & coadunare plura adinuicem placido dilectionis vinculo, mutuóq; nexu cõſtringere, ſicut diſcordia diſſipat & diſiungit. Spiritus autem ſanctus, amor eſt, rectè igitur ipſe hic connexio dicitur.

Ioan. 10

Ioan. 3

Ioan. 14

12 ¶ In duodecimo verſu. Non hic ordo temporalis. Ipſæ tres perſonæ, coæternæ ſunt adinuicem, vt ſicut pater eſt æternus: ita filius & ſpiritus ſanctus patri coæternus. Nullus igitur inter eos eſt ordo duratiõis, neq; vna perſonarum prior aut poſterior alia durationis ordine dici poteſt. Rurſum, cum ſitus & poſitio in loco, localis item circunſcriptio & concluſio: ſolis conueniat corporibus, & rebus ſe in molem attollentibus ac magnitudine præditis.

Ioan. 4

Hiere. 23

Deus autem ſpiritus eſt: & vnaquæque diuinarum perſonarum ſuperſpiritualis eſt, figuræ & quãtitatis exors: planum eſt etiam in diuinis perſonis neque ſitum inueniri localem neque circunſcriptionem. Quomodo enim circunſcribetur deus: qui immenſus eſt? qui cælum & terram implet, qui in cælo eſt ſurſum & in abyſſis deorſum?

13 ¶ In decimotertio verſu. Nulla cauſa præter eum: qui cauſat cauſalia, cælũ, ſol, & elementa cauſæ ſunt rerum, ſed non primæ, habent enim priorem cauſam deum, qui prima eſt omnium & ſimpliciter cauſa. Inſuper quæ ſub deo cauſæ ſunt rerum, non habent à ſeipſis ratione & vim cauſalitatis, ſed à deo qui cæteris cauſalitatem cõmunicat, illiſque præſtat vt poſt ipſum ſint cauſæ. Deus autem ab alio nõ mutuatur nec accipit precario rationem cauſæ, ſed à ſeipſo primũ habet quòd ſit cauſa. Rectè igitur hic nulla dicitur eſſe cauſa prima, abſoluta & perfecta præter eũ qui omnia producit cauſalia & omnes effectus. Dicuntur enim cauſalia, ipſa effecta, quæ à cauſis producuntur & prodeunt. 14 ¶ In decimoquarto verſu. Effectiua vel formalis. Vnitas in trinitate & trinitas in vnitate in deo: multis rerum proditur indiciis, & potiſsimum in triformi ratione cauſæ, quod ipſe vna & maxime omnium vna eſt cauſa, & tamen trina ſecundum rationem, ſcilicet efficiẽs, forma & finis. Efficiens quidem, quia ab ipſo vt primo authore ſunt omnia. Forma, quia per ipſum ſubſiſtũt omnia. Dat enim eſſe rebus, & conſeruat eas in eſſe. Finis verò, quoniam in ipſum vt optimum finem referuntur omnia, & ipſius gratia agũtur omnia. Semper enim quod melius eſt, aliorum finis debet conſtitui. Et ſiquis patri effectricẽ aſcripſerit cauſam: ex quo omnia, filio formam, quia per eum omnia, & ſpiritui ſancto finem, quia in ipſum reuocãtur omnia, non abſurdam accommodationem fecerit. Nihilo ſecius ipſæ tres perſonæ: vna ſunt omnium cauſa, efficiens, forma & finis, & vnaquæque earũ: effectrix eſt cauſa, & forma, & finis. At verò cauſæ materialis ratio, deo non conuenit: quia neque ex eo vt ſubſtrato alterius cõpoſitioni ſit aliquid, neque in eo etiam vt ſubiecto quippiam recipitur: quod illi more accidentis inſit.

In feſto ſanctiſsimi ſacramenti euchariſtiæ.

1 *LAuda Sion ſaluatorem*
Lauda ducem & paſtorem
In hymnis & canticis.
2 *Quantum potes: tantum aude.*
Quia maior omni laude,
Nec laudare ſufficis,
3 *Laudis thema ſpecialis,*
Panis uiuus & uitalis
Hodie proponitur.
4 *Quem in ſacræ menſa cœnæ*
Turbæ fratrum duodenæ,
Datum non ambigitur.
5 *Sit laus plena, ſit ſonora,*
Sic iocunda, ſit decora
Mentis iubilatio.
6 *Dies enim ſolennis agitur,*
In qua menſæ prima recolitur
Huius inſtitutio.
7 *In hac menſa noui regis:*
Nouũ paſcha nouæ legis,
Phaſe uetus terminat.
8 *Vetuſtatem nouitas:*
Vmbram fugat ueritas,
Noctem lux eliminat.
9 *Quod in cœna Chriſtus geſsit,*
Faciendum hoc expreſsit
In ſui memoriam.
10 *Docti ſacris inſtitutis:*
Panem, uinum in ſalutis
Conſecramus hoſtiam.
11 *Dogma datur Chriſtianis,*
Quòd in carnem trãſit panis,
Et uinum in ſanguinem.
12 *Quod non capis, quod non uides*
Animoſa firmat fides
Præter rerum ordinem.
13 *Sub diuerſis ſpecieb⁹,*
Signis tantum & non rebus,
Latent res eximiæ.
14 *Caro cib⁹, ſanguis pot⁹*
Manet tamẽ Chriſt⁹ totus:
Sub utraque ſpecie.
15 *A ſumente nõ cõciſus,*
Nõ confractus, nõ diuiſus,
Integer accipitur.
16 *Sumit unus, ſumunt mille.*

Quantum iſti: tantum ille.
Nec ſumptus conſumitur.
17 *Sumunt boni: ſumunt mali.*
Sorte tamen inæquali
Vitæ uel interitus.
18 *Mors eſt malis, uita bonis,*
Vide, paris ſumptionis
Quàm ſit diſpar exitus.
19 *Fracto demùm ſacramento,*
Ne uacilles, ſed memento
Tantũ eſſe ſub fragmento:
Quantum toto tegitur.
20 *Nulla rei fit ſciſſura,*
Signi tantum fit fractura.
Qua nec ſtatus nec ſtatura
Signati minuitur.
21 *Ecce panis angelorũ:*
Factus cibus uiatorum.
Vere panis filiorum:
Non mittendus canibus.
22 *In figuris præſignatur,*
Cum Iſaac immolatur.
Agnus paſchæ deputatur,
Datur manna patribus.
23 *Bone paſtor, panis uere,*
Ieſu noſtri miſerere.
Tu nos paſce, nos tuere,
Tu nos bona fac uidere,
In terra uiuentium.
24 *Tu qui cuncta ſcis & uales,*
Qui nos paſcis hic mortales.
Tuos ibi commenſales,
Cohæredes & ſodales,
Fac ſanctorum ciuium.
Amen.

Hæc proſa rythmicæ orationis menſuram tenet & formam ſicut præcedens: non tamen vbique ſeruat vniformitatem rythmi ſicut illa, ſed interdum ad venuſtatem & ornatum, euariat compoſitionis modum: vt in ſexto & octauo verſu, quid diuerſam inter ſe & à præcedentibus verſibus habent contextus ſpeciem. Similiter in decimonono verſu & deinceps: plures tribus continentur in vnoquoq; verſu clauſulæ rythmicæ, nunc quatuor nũc verò quinq;, vt multiformis illa rythmorum cõtextio: maiorẽ affe rat gratiam & elegantiam orationi. Author eius fuiſſe traditur beatus Thomas Aquinas, qui totum officium ſolennitatis ſacroſanctæ euchariſtiæ cõpoſuiſſe dicitur, ad cuius integritatẽ & hæc ꝓſa pertinet. Et certè opus ipſũ liquido oſtendit:

oſtendit, qualis fuerit eius artifex. Nam adeò dilucidè, eleganter, & ſublimiter hic reſerantur tanti ſacramenti myſteria: prima ſcilicet eius inſtitutio, documenta fidei de eo tenendæ, & figuræ veteris teſtamenti ipſum præſignantes: vt non niſi à doctiſsimo & ſacrarum literarum ſcientiſsimo viro illa ſic exprimi potuerint.

2 ¶ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Quantum potes tantum aude. Hęc ſententia reſpondet verbis Eccleſiaſtici: quibus ita domini dei magnificentiam prædicat. Eccl. 43
Multa dicimus & deficimus verbis, conſummatio autem ſermonum ipſe eſt. Glorificantes dominum quantumcunque potuerimus ſuperualebit adhuc, & admirabilis magnificentia ipſius. Benedicentes dominum, exaltate illum quãtum poteſtis: maior eſt enim omni laude. Ex quo quidem poſtremo dicto, hic locus manifeſte ſumptus videtur.

3 ¶ In tertio verſu. Laudis thema ſpecialis. Thema græcum nomen: latinè poſitum ſeu poſitio dicitur, & oratio eſt breuiter explicans rei de qua diſſerendum eſt materiam. Proinde ea propoſitio quam aſſumunt in exordio, concionantes ad populum, generatim complectens materiam faciendi ſermonis, vulgo thema dicitur, quòd proponat paucis ea quæ latius ſunt diſcutienda.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Phaſe vet⁹ terminat. Phaſe hebręũ nomen in Exodo & tribus ſequentibus libris per quam frequens tranſitum ſignificat. Et ſolennitatem illam azymorum ſignat quàm Iudæi quotannis agebant: agnum paſchalem immolantes in memoriam liberationis ſuæ ab Aegypto. Huic autem figuræ ſacratior ſucceſsit veri agni immolatio, ſcilicet Chriſti in cruce, qui eſt ipſa veritas. Et hęc eſt nouum paſcha noſtrum.

8 ¶ In octauo verſu. Noctem lux eliminat. Non hic illuminat legendum eſt, vt habent libri mendoſi, ex vicinitate vnius vocabuli ad alterum quantum ad ſcripturam & prolationem, in errorem pertracti, cum tamen lata ſit vnius & alterius ſignificati differentia. Eſt enim eliminare: expellere, foras ꝓpellere, & quaſi extra limen agere, cõpoſitum ab è propoſitione, & limen, inis. Mant. Saturni, Martiſq; graues eliminat iras. Illuminare autem longè aliam habet ſignificantiam, nulli ferè ignotam. Et certè multo aptior eſt ſenſus, ſi quis eliminat hic legat, quàm illuminat, vt oſtendit

dit præcedens conformis ſignificationis verbum fugat.
13 ¶ In decimotertio verſu. Sub diuerſis ſpeciebus. Species hic dicuntur accidentia ſenſibilia panis & vini: poſt cõſecrationem deſinente illorum ſubſtantia, remanentia, vt figura rotunda & albedo ipſius hoſtiæ, color & humiditas ipſius vini. Nempe præ ſe ferunt formam & effigiem veri panis & vini. Huiuſmodi autem ſpecies tantum ſunt ſigna & non res: quoniam repręſentant & ſignificant pręſentiam veri corporis & ſanguinis Chriſti, inuiſibiliter & mirabiliter ibidem contenti. Neque ſpecies illæ ſunt ea quę ſignantur aut demonſtrantur in hoc ſanctiſsimo ſacramento. Res autem eximiæ illarum ſpecierum: ſunt ſacrum Chriſti corpus ſpeciebus panis obtectum, & precioſus eius ſanguis vini ſpeciebus obuelatus, quoniam per huiuſmodi panis & vini ſpecies, ea duo ſacro modo repræſentãtur & ſignãtur.
14 ¶ In decimoquarto verſu. Manet tamen Chriſtus totus ſub vtraque ſpecie. Diuerſo tamen modo. Nam virtute verborum ad conſecrationem hoſtiæ attinentium: ſub ſpecie panis, præſertim & primum continetur ſacroſanctum Chriſti corpus, in illis expreſſum. Deinde conſequio quodam: eiuſdem ſanguis, anima, & diuinitas, quoniam hæc à corpore Chriſti nunquam diſſeparantur. Sub ſpecie verò vini primùm continetur ſecundum enunciationem verborum conſecrationis ipſius calicis, precioſus Chriſti ſanguis, conſequenter verò eius corpus, anima, & diuinitas: à quibus nunquam ſeiungitur ſacer ipſe ſanguis. Ex his autem quatuor, corpore, ſanguine, anima, & deitate: totus coaleſcit Chriſtus.
15 ¶ In decimoquinto verſu. A ſumente non conciſus. Nempe corpus Chriſti immortale, incorruptibile, glorioſum, & impaſsibile: neque conciſionem pati poteſt neque confractionem neque diuiſionem. Quinimmò in vltima cœna, ipſe adhuc mortalis & paſsibilis: ſuũ corpus immortale & impaſsibile tradidit diſcipulis, vt quod uullam ex ipſorum manducatione diuulſionem ſuſtinuerit aut læſionem. Quanto magis ipſe nunc immortalis & incorruptibilis: ſuum corpus impaſsibile & incorruptibile nobis communicat. Proinde conciſio, confractio, & diuiſio, ipſarum ſolum ſunt ſpecierum panis & vini, ſub quibus tam ſacræ res continentur.

16 ¶ In decimoſexto verſu. Sumit vnus, ſumunt mille: Perinde atque vox eadem à proferente ędita: omnium auribus integra excipitur, vt quam vnus haurit aſtantium: eandem hauriant & mille pręſentes. Neque tamen idcirco primaria illa vox ab integritate ſua decidit: quòd à tot & tantis articulatim & diſtinctim percipiatur. Sic eundem ſolis orbem videt vnus, vident & mille, quantum iſti: tantum etiam ille, nec ſol viſus aut ſui viſione, aut continua luminis in oculos intuentium ſuæque ſpeciei diffuſione: aut cóſumitur aut imminuitur. Sic denique primitiui ſigilli formam ſuſcipit vna cæra, ſuſcipiunt & mille: vnaquæque tamen earum integram & totam, nec frequente ſui impreſſione primarium illud ſigillum ſentit detrimentum, aut diminutionem ſuæ ſubſtantiæ aut formæ. *Ioan. 6*

18 ¶ In decimooctauo verſu. Mors eſt malis, vita bonis. De bonis & digne ſumentibus, dicit Chriſtus in euangelio. Qui manducat meam carnem & bibit meũ ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. De malis verò & irreuerenter ſumentibus dicit Paulus. *1. Cor. 11.* Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini. Et mox ſubiungit. Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Et planè eadem medicina ritè præparatis ad eam ſuſcipiendam eſt ſalutifera, minus verò diſpoſitis, exitialis & mortifera.

19 ¶ In decimononoverſu. Fracto demùm ſacraméto. Ad idipſum firmius credendum, exemplo ſpeculi facilè manuducimur, quod integrum & continuum, vnicam repræſentat & integram rei obiectæ vt faciei humanæ effigiem. Confractum verò in minutulas partes, in vnaquaque particularum ab aliis ſeiunctarum non minus integram & totam referet rei prius repræſentatæ ſpeciem. Verum hæc non tam manuductionibus indigent, quàm ſynçæra & firma fide, qua omnipotenti dei virtuti longè plura tribuere debemus quàm mente complecti aut ratione conſequi poſſimus.

20 ¶ In viceſimo verſu. Nulla rei fit ſciſſura. Res ipſa ſub ſpecie panis cótéta (vt dictũ iã eſt) ſacrũ eſt Chriſti corpus ſignatũ & exhibitũ per ſpecies illas ſenſibiles. Illud autem quia immortale & impaſsibile, nullã diſciſsioné aut diuulſioné

ſionem pati poteſt. Quare per hoſtię cõſecratę in diuerſas partes diſſectionem: neque in corpore Chriſti aliqua fit partium diſtractio, neque habitus ipſius aut integritatis aliqua imminutio. Sed ſignum ipſum ſcilicet ſpecies illa panis: ratione ſuæ quantitatis ſuperſtitis frangitur in partes & diuellitur. Et ita de vini ſpeciebus dicendum.

21 ¶ In viceſimoprimo verſu. Ecce panis angelorum. Panis iſte ſuperſubſtantialis dicitur panis angelorum, quoniam illo non quidem tecto velamine ſpecierum, ſed nudo & aperto, tanquam inuiſibili cibo & indeficienti reficiuntur in regno cælorum ſpiritus angelici. Et idem panis factus eſt cibus viatorum, ſcilicet hominum deſertum huius mundi peragrantium, vt ad terram viuẽtium demùm perueniant. Quare de iſto ſacro pane non abſurdè intelligitur hoc verbum pſalmi. Panem angelorum manducauit homo. Et quoniam tam ſanctus eſt iſte panis: ſolis dei filiis per dignam imitationem & aſsimilationem vitæ eſt communicandus, non autem canibus, id eſt inuidis, immundis, & ſordidis. Id enim prohibet dominus dicens. Nolite ſanctum dare canibus. Et iterum. Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus. Ex quo poſteriore euangelij loco, quod hic dicitur deſumptum eſt.

Pſal. 77. *Mat. 5.* *Mat. 15.*

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. In figuris præſignatur. Triplex hic ponitur figura huius excellentiſsimi ſacramẽti, ex veteri teſtamento ſumpta. Prima, immolatio ipſius Iſaac, deſtinata & propoſita ab Abraham patre ſuo, quæ typum geſsit immolationis Chriſti in cruce, à deo patre nobis exhibitæ. Secunda, immolatio agni paſchalis, facta à populo Iſraelitico Aegyptum egreſſuro. Et hæc etiam figura fuit oblationis ipſius Chriſti in cruce, cuius memoria potiſsimum per hoc recolitur myſterium. Tertia figura fuit manna de cælo datum populo Iſrael quadraginta annis, quandiu ſcilicet demorati ſunt in deſerto. Ita nobis in hac vita peregrinantibus, datum eſt ſupercæleſte manna, vt hoc viatico, præſentis vitæ curſum tranſigamus & terram promiſsionis denique ſubeamus. Quam nobis tandem ingredi præſtet virtus viuifica huius ſalutaris & deifici panis. Amen.

Gen. 22. *Exod. 12.*

In diebus dominicis.

1 OMnes una celebremus,
Celebrando ueneremur
Chriſti nunc ſolennia.
2 Ecce dies magnus dei.
Dies ſummus requiei,
Dies eſt dominica.
3 In qua mundus ſumpſit exordium,
In qua uita cæpit initium,
Hæc eſt dies.
4 In qua Chriſtus contriuit inferos
Plaſma ſuum uexit ad ſuperos,
Hæc eſt dies.
5 In qua pax apoſtolis
Datur, clauſis ianuis:
A diuino munere.
6 In qua ſancti ſpiritus
Sunt repleti gratia
Doctores eccleſiæ.
7 In eadem ſumitur
Tuba euangelij
Prædicandi populo.
8 Eſt in hac prohibitum,
Ne fiat pontificum
Niſi conſecratio.
9 Ergo debet uenerari
Et deuote celebrari
Dies hæc ſanctiſsima.
10 Celebrantes ueneremur.
Et deuote poſtulemus,
Vt die nouiſsimo
11 In æterna requie
Noſtræ uiuant animæ,
Redemptionis gratia.
Amen.

¶ Hæc proſa multiformem habet rythmicæ compoſitionis ſpeciem. Nam duo primi verſus inter ſe conformitatē habent, tertius item & quartus inter ſe cōſimiles: ſed diuerſi à cæteris. Deinde quintus & tres ſequentes, itidem & poſtremus: in eadem rythmi forma conueniunt, ſed à cęteris præcedentibus diſcrepant. Denique nonus & decimus primis duobus verſibus ſunt in eadem compoſitione conformes, vt vel ex ipſa lectione facilè diiudicabunt omnes. In ea explicantur myſteria diei dominicæ: quæ à Chriſto & apoſtolis in ea ſuut peracta, & prius aliquantulum explicata in illa proſa reſurrectionis domini. Lux illuxit dominica. Deinde fidelis populus incitatur ſedula exhortatione

ad debitam tantæ diei & deuotam celebrationem.

2 ¶ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Dies ſummus requiei. In eo enim quieſcere debent Chriſtiani ab omni opere ſeruili, vt Iudæi olim in ſuo ſabbato: quo melius vacare poſsint deo & diuinis laudibus. Potiſsimum autem abſtinere debent ab opere peccati quod maximè omnium eſt ſeruile. Inſuper dies dominica quia octaua: ſignificat requiem ſanctorum futuram in cælo poſt vniuerſalē reſurrectionem & conſummationem ſeculi, quæ ſumma eſt requies nullo interpellāda labore neque vnquā finienda.

3 ¶In tertio verſu. In qua mundus ſumpſit exordium. Nam primus ſex dierum quibus deus produxit mundum: fuit dies dominicus & in eo creata eſt lux, vt iam ante dictum eſt. In eo etiam die vita noſtra cœpit initium: per reſurrectionem Chriſti illo die factam: qui vitam noſtram reſurgendo reparauit.

4 ¶In quarto verſu. In qua Chriſtus contriuit inferos. Nam reſurrecturus, inde eduxit ſanctos patres & ad hunc noſtrum orbem ſubuexit: quorum aliqui cum eo ſurrexerunt. Hæc autem omnia, eodem die & quidem dominico peracta ſunt. Cæterùm cū hic dicitur Chriſtus plaſma ſuū vexiſſe ad ſuperos: id non de aſcenſione eius aut inductione ſanctorum patrum in regnum cælorum intelligendum eſt, quandoquidem illa non eſt facta die dominico ſed de eorum ſubuectione ab infernis terræ locis: ad huius mundi medij ſpacium.

5 ¶In quinto verſu. In qua pax apoſtolis. Nam ipſo die reſurrectionis dominus noſter clauſis ianuis intrauit domum in qua congregati erant apoſtoli, & ſtetit in medio eorum: dixitq; eis, pax vobis. Quinimmò & poſt octo dies iterum eis hoc modo apparuit. cum iam Thomas apoſtol⁹ eſſet cum eis, qui prius fuerat abſens, vt ſcribit Ioannes. Quare bis die dominico id factum eſt: quod hic verſ⁹ proponit. Ioan. 20.

6 ¶In ſexto verſu. In qua ſancti ſpiritus. Dies pentecoſtes in quo datus eſt ſpiritus ſanctus apoſtolis: fuit quinquageſimus à die reſurrectionis dominicæ, vtroque extremorum dierum connumerato, quare & ille fuit dominic⁹. Et ita die dominico ſpiritus ſanctus in diſcipulos miſſus fuiſſe dinoſcitur. Et tunc (vt ſequens dicit verſus) ſumpta eſt

eſt tuba euangelicæ prædicationis :quoniam eo die apoſtoli incœperunt euangelicam legem palam enunciare, quare etiam die dominico incœpta eſt euangelij in mundum publicatio.

8 ¶In octauo verſu. Eſt in hac prohibitum. Tam celebris & ſancta (inquit) eſt dies dominica: vt epiſcoporum conſecratio non niſi die dominico fieri debeat, ſecundum canonicas ſanctiones. Et merito quidem. Nam pontificalis functio :auguſtiſsima eſt & ſummæ authoritatis in ſorte eccleſiaſtica, quare in die omnium celebratiſsimo, ſacrorúmque myſteriorum refertiſsimo, & cæteros dies dignitate excellentiáque præſtante: fieri meritò debet. Talis autem eſt dies dominicus: cæteris hebdomadæ diebus ſacratior & eminentior. Quòd verò ſanctionum canonicarum decreto epiſcoporum conſecratio die dominico fieri debeat, vt dicit hic verſus: manifeſtè conſtat ex conſtitutione Anacleti papæ, quæ ſeptuageſimaquinta diſtinctione cap. Ordinationes epiſcoporum, exprimitur in hunc modum. Ordinationes epiſcoporum authoritate apoſtolica ab omnib⁹ qui eadem in prouincia fuerint epiſcopis ſunt celebrandę, qui ſimul conuenientes ſcrutinium cum precibus celebrent: manus cum ſanctis euangeliis imponentes dominica die hora tertia, orantes ſacráque vnctione prophetarum exẽplo regum capita perungentium, eos more apoſtolorum & Moyſi vngentes, quia omnis ſanctificatio conſtat eſſe in ſpiritu ſancto: cuius virtus inuiſibilis, ſancto eſt chriſmati permixta. Et hoc ritu ſolennem celebrent ordinationem. Hæc Anacletus.

In dedicatione eccleſiæ

1 *Pſallat eccleſia mater illibata, & uirgo ſine ruga: honorem huius eccleſiæ.*

2 *Hæc domus, aulæ cæleſtis probatur particeps. In laude regis cælorum: & cærimoniis. Et lumine continuo æmulans ciuitatem ſine tenebris. Et corpora in gremio confouens animarum: quæ in cælo uiuunt. Quam dextera protegat dei: ad laudem ipſius diu. Hic nouam prolem gratia parturit: fœcundo ſpiritu ſancto.*

Angeli,

3 *Angeli,ciues uiſitant hic ſuos,& corpus ſumitur Ie ſu.Fugiunt uniuerſa corporis nocua· Pereunt peccatricis animæ crimina.Hic uox lætitiæ perſonat. Hic pax & gau dia redundant. Hac in domo trinitati laus & gloria ſem per reſultat. Amen.*

¶ Hæc proſa,nulla rythmicæ formæ lege tenetur:ſed libe ram habet orationis ſolutæ cōpoſitionem.In ea cōmendā-tur dignitates & munera gratiarum collata à domino ec-cleſiæ militanti in terris:quæ in templo diuino nomini cō-ſecrato adunatur ad ſacramentorum perceptionem & lau des deo decantandas. Numerantur & permulta beneficia: hominibus in templo domini indulta.

1 ¶ ANNOTATIONES.Pſallat eccleſia mater illiba ta.Eccleſia Chriſti in terris degens:& mater dicitur & vir go.Mater quidem:quia ſpirituales illi gignit filios per la-uacrum regenerationis.De quo myſtico partu intelligitur verſus ille paulo pòſt ſequens.Hic nouam prolem gratia parturit:fœcunda ſpiritu ſancto.Virgo verò: quia non eſt ſanguinibus neque ex voluntate carnis neque voluntate viri,ſed ex deo natos ędit filios.Nam ſpiritu ſancto fœcun data,prolem nouam parit Chriſto: manens ſemper caſta & inuiolata.Sine ruga verò:quia nullam habet deformita tem ex ſenio aut ſorde peccati contractam,& ſicut dicit a-poſtolus:neque maculam habet neque rugam.

Ioan.1.

Ephe.5

3 ¶ Hæc domus:aulæ cæleſtis. Templum in dei honorē conſecratum:aſsimilatur propemodum cæleſti manſioni re gnóque cælorum quod deus inhabitat. Nam illic iugis eſt laus diuini nominis:ſecundum illud verbum pſalmi. Bea-ti qui habitant in domo tua domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te. Hic etiam pſalmorū cantica,hymni & lectio-nes:in dei pręconium continuè reſonant. Illic deo reueren tia & adoratio:à cunctis ſanctorum ordinibus cum ſumma veneratione exhibetur. Hic verò inclinationibus,genufle-xionibus,proſtrationibus,oblatione thuris,ſacrificiis,& cę teris id genus cærimoniis:cultus diuinæ maieſtati debitus exoluitur. Illic item contiuuus ſine nocte dies : luménque perenne eſt.Hic verò ſacris thædis, cæreis & lampadibus: nocturnæ effugantur tenebræ : & per aſsiduam luminis

Pſal.83.

ſenſibi-

ſenſibilis effulgentiam in hoc materiali templo: quædã fit repræſentatio immenſæ illius claritatis quæ in cælo refulget. Denique illic animæ ſanctorum in pace dei quieſcunt Hic verò corpora defunctorum in beata ſpe futuræ reſurrectionis ſunt repoſita. Et hæc quatuor proportionalia tẽpli noſtri ad domum dei cæleſtem: in litera eo (quo hic) digeruntur ordine.

3 ¶ Angeli, ciues viſitant ſuos. Ciues angelorum, quin potius conciues ſaltem in ſpe: ſunt homines hic adhuc militantes in eccleſia Chriſti, poſtea verò tranſituri ad eccleſiã triumphantem in cælo, & illic habitaturi communem cum angelicis ſpiritibus ciuitatem cæleſtem. Et hi ab angelis viſitantur in templo dei: tum quia ipſis circa diuinum cultũ occupatis & ſpirituali intentis operi potius aſsiſtunt, officioſéque adſunt, tum quia orationes eorum & pia vota in templo ab hominibus profuſa deo obſequenter offerunt. In templo quoque (vt dicit litera) ſumitur corpus Ieſu, quia ſacramentum euchariſtiæ & alia ſacramenta quæ ſanis adminiſtrari poſſunt, non niſi in templo hominibus cõmunicantur. Neque enim baptiſmus neque ſacrificiũ miſſæ neque pœnitentiæ remedium, extra templi ſepta (niſi id neceſsitas, quæ nulla ligatur lege, efflagitet) decenter & honeſte poſſunt hominibus adminiſtrari. Denique à templo dei fugiunt vniuerſa corporis nocua, vt ſubiungit litera: quoniam dextera dei locum ſibi conſecratum protegente, qui in templo ſunt à morbis cæde & morte potius conſeruantur, quàm ſi in alio eſſent loco. Vnde confugientibus ad templa, iure prohibetur inferri violentia, vt inde abſtrahi minimo poſſint, neque in vincula aut carcerem coniici. Poſtremùm pereunt animæ peccatricis crimina in templo, quoniam per confeſsionem ſacramentalem abolentur & deterguntur.

In dedicatione templi: alia proſa.

HIeruſalem & Sion filiæ,
Cœtus omnis fidelis curiæ,
Melos pangat iugis lætitiæ.
Hale luia.
2 *Chriſtus enim deſponſat hodie*

hodie
Matrem noſtram normaiu
ſtitiæ:
Quam de lacu traxit miſe-
riæ
Eccleſiam.
3 *In ſpiritus ſancti clemen*
tia:
Sponſa ſponſi lætatur gra-
tia.
A reginis laudis cum glo-
ria
Fœlix dicta.
4 *Dos ut datur: creſcit*
letitia,
Quæ dos, quanta triplex po
tentia
Tangens cælum, terram, & ſtygia
Iudicia.
5 *Mira loquar: ſed ſana cre*
dere
Fœderatam tam largo mu-
nere,
De proprio produxit la-
tere
Deus homo.
6 *Formaretur ut ſic eccle*
ſia,
Figuratur in pari gloria.
Adæ coſtis formata fœmi-
na,
Hoſtis Eua.
7 *Eua fuit nouerca po-*
ſteris,
Hæc eſt mater electi gene-
ris,
Vitæ portus, aſylum miſe-
ris
Et tutella.
8 *Pulchra, potens, partu*
mirabilis,
Vt luna, ſol fulget ſpectabi-
lis,
Plus acie multo terribilis
Ordinata.
9 *Multiplex eſt, ſingularis,*
una,
Generalis & indiuidua.
Omnis æui ſexus ſimul
una
Parit turmas.
10 *Hæc ſignata Iordanis*
fluctibus.
Hæc quæ uenit à terræ fini-
bus,
Scientiam audire cominus
Salomonis.
11 *Hæc typicis deſcripta*
ſenſibus
Nuptiarum induta ueſti-
bus,
Cæli præeſt hodie ciuibus
Chriſto iuncta.
12 *O ſolennis feſtum læ*
titiæ,

Quo

Quo unitur Chriſtus eccle
ſiæ
In quo noſtræ ſalutis nu-
ptiæ
Celebrantur.
13 *Cœtus fœlix, dulce con*
uiuium,
Lapſis ubi datur ſolatium,
Deſperatis offertur ſpa-
cium
Reſpirandi.
14 *Iuſtis inde ſoluuntur*
præmia,
Angelorum nouantur gau-
dia.
Læta nimis quod facit gra
tia
Charitatis.
15 *Ab æterno fons ſa-*
pientiæ
Intuitu ſolius gratiæ,
Sic præuidit in rerum ſerie
Hæc futura.
16 *Chriſtus ergo nos ſuis*
nuptiis
Recreatos ueris delitiis,
Intereſſe faciat ſocus
Electorum. Amen.

¶ Hæc proſa vniformem ſeruat rythmicæ menſuræ legē In ſingulis ſiquidem verbis: quatuor habet clauſulas rythmicas, quarum tres primæ conſimilem inter ſe habent ſyllabarum deſinentiam, & vnaquæque earum decē complectitur ſyllabas, penultimámq; breuem. Quarta verò clauſula (quæ ſemper verſum terminat) quatuor tantum conti net ſyllabas: neque certam quantitatis regulam in penultima, neque reſponſum in exitu ſyllabarum ad aliam clauſulam obſeruans. Author eius: Adam de ſancto Victore. In ea verò dulce canit epithalamium, carménque nuptiale de ſponſationis Chriſti ſponſi & eccleſiæ ſuæ ſponſæ: quam proprio acquiſiuit ſauguine, vt eſſet ſancta & immaculata in conſpectu eius, neque maculam habens neque rugam. Oſtenditur item eccleſia multis antiqui teſtamenti figuris eſſe præſignata: quæ mirabilem eius dignitatem, fœcunditatem, & ornatum præmonſtrarunt, ſed mirabilius ea omnia in ipſa eſſe completa ſecundum myſticum ſenſum dignoſcuntur.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Hieruſalē & Sion filiæ. Filia Hieruſalem dicitur eccleſia triūphās in cælis: vbi vera eſt pacis viſio. Filia verò Sion: eccleſia in terris militans, quæ per fidem adhuc ſpeculatur deum, vidétque

nunc per ſpeculum & in ænigmate. Sion enim: ſpeculum ſiue ſpeculatio interpretatur. Hieruſalem verò: viſio pacis Vnde pſalmus de fidelibus animabus quæ filiæ ſunt militantis
*Pſal.*149 tantis eccleſiæ: dicit, Et filiæ Sion exultent in rege ſuo. Et
*Cant.*3. in Canticis canticorum dicit ad eaſdem ſponſa. Egredimini filiæ Sion & videte regem Salomonem in diademate: quo coronauit illum mater ſua in die deſpõſationis illius. Promiſcuè tamen alterum pro altero ponitur, vt filię Hieruſalem in Canticis ſæpenumero dicuntur animæ fideles eccleſiæ militantis. Vt cum in loco ſupradicto præmittit de rege Salomone, verè pacifico. Aſcenſum purpureum media charitate conſtrauit: propter filias Hieruſalem. Et filiæ Sion animæ ſanctorum in cælis deum ſpeculantes. Vnde pſalmographus hæc duo nomina tanquam pro eodẽ
Pſal. 64. accipi ſolita: in eodem verſu coniungit: dicens. Te decet hymnus deus in Sion: & tibi reddetur votum in Hieruſalem. Itaque huius verſus hæc eſt ſententia. Omnis ſocietas fidelis populi decantet eccleſiæ tam triumphanti quàm militanti ſuaue canticum continui gaudij ſcilicet hale luia.

2 ¶ In ſecundo verſu. Quam de lacu traxit miſeriæ. Matrem noſtram eccleſiam militantem (quæ nos Chriſto per baptiſmum genuit) Chriſtus traxit de lacu miſeriæ ipſius culpæ: quando ipſam ſuo redemit ſanguine & lauit à peccatis. Alteram verò matrem noſtram quæ ſurſum eſt & regnat in cælis, Hieruſalem ſanctam, traxit de lacu miſeriæ tribulationum & tentationum huius mundi: quando eam ſubuexit ad æthera, & liberauit ab hoc ſeculo nequam.

*Cant.*6. 3 ¶ In tertio verſu. A reginis laudis cum gloria. Lo-
*Prou.*31 cus iſte ſumptus eſt ex Canticis canticorum: vbi ait Salomon de ſponſa æterni regis, ſancta ſcilicet eccleſia. Viderunt eam filiæ Sion: & beatiſsimam prædicauerunt eam, reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam. Et conſimilis penè ſententia habetur in poſtremo capite Prouerbiorum de ipſa eccleſia, ſub typo mulieris fortis. Surrexerunt filij eius: & beatiſsimam prædicauerunt, vir eius: & laudauit eam.

4 ¶ In quarto verſu. Quę dos: quanta? In fœdus & arram connubij ſolet dos aſsignari ab hominibus. Ita in nuptiis illis ſpiritualib⁹ Chriſti & eccleſiæ non defuit ampla & my-

ſtica

ſtica dos : tradita à ſponſo ipſi ſponſæ. Hic enim ſponſus omnium dominus authórque bonorum dotauit ſponſam ſuam:non ſponſa ſponſum:vt apud homines.Quòd ſi percontaris : qualis & quanta fuerit illa dos data in hoc connubio:reſpondet hic verſus eam dotem adeò eſſe amplã: vt ſuo ambitu complectatur cœleſtia, terreſtria, & inferna.Sunt enim non ſolum in cœlo & terra, ſed & apud inferos:qui ad eccleſiæ ſanctæ pertinent conſortium.vt qui purgatorio igne expiantur:demùm transferendi ad cœleſtem Hieruſalem.Complectitur itaque dos illa largiſſima triplicem mundi machinam : cœlum,terram, & abyſſum. Ecce quàm largum eſt munus acceptum à ſponſo: quo ipſa ſponſa illi in coniugium eſt confœderata.

5 ¶ In quinto verſu . De proprio produxit latere . Cum Chriſti in cruce dormientis per mortem,latus eſt apertum lancea militis:inde profluxit ſanguis & aqua,vnde ſacramenta eccleſiaſtica ſuam acceperunt efficaciam . Tunc ſanè Chriſtus de illo latere ſuo tranſfixo formauit eccleſiam quoniam à prioribus eam ſordibus emundauit,& illo ſanguine & aqua abluit . Hoc autem myſterium (vt ſequens dicit verſus) figuratum fuit in formatione primæ mulieris,quæ de latere viri dormientis & ex coſta Adæ formata in Geneſi legitur. *Ioan.19.*

7 ¶ In ſeptimo verſu. Eua fuit nouerca poſteris. Quoniã Eua de coſta viri formata : geſſit typum eccleſiæ , ſicut & Adam:ipſius Chriſti. nunc quantum fuerit diſcrimen inter figuram & veritatem:hic verſus expromit . Certe Eua & hoſtis fuit & nouerca ſuæ poſteritati:quoniã ipſam ſubiecit maledictioni,morti & damnationi per ſuam præuaricationem. Eccleſia vero , pientiſſima eſt mater : quæ filios gignit electionis non perditionis , filios gratiæ non iræ, filios vitæ non mortis. *Gene.2.*

8 ¶ In octauo verſu . Pulchra , potens , partu mirabilis. Exprimuntur hoc loco præclaræ proprietates ipſius eccleſiæ Chriſti ſponſæ. Primum quòd pulchra ſit , de ea nanque dicit ſponſus in Canticis. Tota pulchra es amica mea : & macula non eſt in te . Et rurſum. Ecce tu pulchra es amica mea,ecce tu pulchra:oculi tui columbarum. Secundo. quòd ſit potens. Nam ſponſa ſui ſponſi titulis inſignitur & honeſtatur. Sponſus autem eius:eſt dominus for *Canti.4. Canti.1. Pſal.23.*

tis & potens, dominus potens in prælio, quare & ipſa eodem potentiæ titulo decoratur. Tertio quod partu eſt mirabilis. Nempe fœcunda ſemper & nunquam effœta: numeroſa prole fœlix, multiplicique ſobole beata, tamen ſemper virgo manens: quia illius eſt ſponſa qui de virgine matre natus eſt. Quarto quòd fulgida eſt vt luna, & cóſpicua vt ſol: ob ſuarum virtutum ſplendorem & refulgentiam. Quinto, quòd terribilior eſt acie caſtrorum ordinata: contra hoſtiles turmas & ſpirituales nequitias. Hæ auté duæ poſtremæ conditiones: deſumptæ ſunt ex illo præconio eccleſiæ in Canticis canticorum poſito. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol: terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

Cant.6.

9 ¶ In nono verſu. Multiplex eſt, ſingularis, vna. Explicat hic verſus & alias eccceleſiæ proprietates, quadam oppoſitionis ratione inter ſe diuerſas: nullo tamen modo repugnantes. Quarum prima eſt, quòd ipſa eccleſia, multiplex eſt & ſimul ſingularis. Multiplex quidem: quia ex omni natione quæ ſub cælo eſt, & ex omni tribu populo & lingua conſtans. Singularis verò: quia in vna fide & confeſsione diuini nominis in ſpiritu vnita. Vnde in Canticis dicit de ea ſponſus. Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Secundo, ipſa generalis eſt & tamen indiuidua. Generalis quidem: quantum ad ſui dilatationem & ambitum, quo omnes terræ gentes & regiones complectitur. Indiuidua verò: quia ſchiſmata, hæreſes & hæreticorum conuenticula, diſceſsionéſque ab integritate fidei non admittit. Vnica enim fuit arca: quæ ſaluauit Noe cum ſua familia à diluuio. Vna item domus, in qua comedebatur apud Hebræos agnus paſchalis, & vnica rurſum domus Raab: in qua ſaluati ſunt quicunque in eà cum ſubuerteretur ciuitas Hierico ſunt reperti. Hęc enim tria iam adducta: ſymbolum quoddam ſunt & ſignum vnitatis eccleſiæ. Tertio, quòd ipſa parit prolem Chriſto cuiuſuis æui & ſexus. Nam recipiuntur ad baptiſmum nó ſolum infantes: ſed & adulti & ſenio graues, neque ſolùm viri ſed & mulieres. Et id mirum, quòd cum ab exordio naſcentis eccleſiæ nunquam deſierit parere filios, neque ad finem vſquemundi deſinet: tam crebro tamen partu neque fracta eſt neque reddita imbecillior, ſed vegeta ſemper & inte-

Ibidem. *Gen.7.* *Exo.12.* *Ioſu.6.*

integra virtute robuſta permanet: vt quæ nec temporis ſuſtineat fluorem nec ſenectutis incommoda, ſed ſupra tempus & ætatem perpetuo vigore ſolidetur.

10 ¶ In decimo verſu. Hæc ſignata Iordanis fluctibus. Ecclesia ſancta per Iordanis fluenta eſt ſignata, tum quia Iordanis aquas tranſeuntes Hebræi vt intrarent terram promiſsionis: expreſſerunt typum baptiſmi, per quem peruenitur ad terram viuentium lacte & melle manantem, tum quia in Iordane baptizatus dominus cõſecrauit baptiſmũ: per quem regenerantur eccleſiæ filij. Inſuper regina Saba quæ venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis (vt tertius liber Regum meminit) figura fuit ipſius eccleſiæ ex gentibus: quæ ab extremis terræ plagis venit excitata per prædicationem apoſtolorum ad Chriſtum dei ſapiẽtiam vt eius legem amplecteretur, doctrinam audiret, & mandata capeſſeret. *Ioſue.3.* 3. *Reg.10.*

11 ¶ In vndecimo verſu. Hæc typicis deſcripta ſenſibus. Eccleſia dicitur typicis ſiue figuralibus deſcripta ſenſibus: quoniam multiplici figurarum veteris teſtamenti deſcriptione eſt repræſentata, vt ſequens proſa diffuſius declarabit. Eadem quoque eſt nuptiarum induta veſtibus: quoniã vario virtutum & gratiarum ornatu à Chriſto ſponſo ſuo eſt decorata, quibus tanquam ſplendidis veſtibus nitida refulget. Quod & propheta in pſalmo teſtatur dicens. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: circundata varietate. Et rurſum. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus: in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. *Pſal.44.*

12 ¶ In duodecimo verſu. Quo vnitur Chriſtus eccleſiæ. De hac vnione ſpirituali loquitur beatus Ioannes in Apocalypſi dicens. Vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem, nouam deſcendentem de cælo, à deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem. Ecce tabernaculum dei cum hominibus & habitabit cum eis. Et eo in loco de nuptiis ſponſę & agni frequenter inducit ſermonem. *Apoc.21.*

14 ¶ In decimoquarto verſu. Angelorum nouantur gaudia. Si enim gaudiũ eſt angelis ſuper vno peccatore pœnitentiã agente qui adhuc in periculo relabendi ad præterita mala verſatur: quanto magis ipſis eſt gaudium ſuper præmiis iuſtorum qui introducũtur in cælũ & adiun- *Luc.15.*

guntur conſortio beatorum, quoniam inde ruina ipſorum reparatur. Et huiuſmodi gaudium inducit ſyncæra illa charitas & dilectio: quam habent angeli ad homines.

15 ¶ In decimoquinto verſu. Ab æterno fons ſapientiæ. Hoc comprobat beati Pauli ſententia: dicētis ad Epheſios de deo patre. Qui elegit nos in ipſo Chriſto, ante mundi conſtitutionem: vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Et id quidem ſola gratia. Nam ſola
Eph.1. & 2 gratia & gratuito diuini muneris indultu: vocati ſumus ad fidem & ſinum matris eccleſiæ. Quod & Paulus atteſtatur ſcribens ad Epheſios. Gratia eſtis ſaluati per fidem: & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt, non ex operibus: vt ne quis glorietur.

In dedicatione eccleſiæ: alia proſa.

*Q*Vam dilecta tabernacula
Domini uirtutum & atria
Quam electi architecti:
Tuta ædificia.
3 *Quæ non mouent immò fouent:*
Ventus, flumen, pluuia.
4 *Quam decora fundamenta:*
Per concinna ſacramenta
Vmbræ præcurrentia.
5 *Latus Adæ dormientis*
Euam fudit: in manentis
Copulæ primordia.
6 *Arca ligno fabricata*
Noe ſeruat: gubernata
Per mundi diluuium.
7 *Prole ſera tandē fæta:*
Anus Sara ridet læta
Noſtrum lactans gaudium.
8 *Seruus bibit qui legatur;*
Et camelus adaquatur
Ex Rebeccæ hydria.
9 *Hæc in aures & armillas*
Aptat ſibi: ut per illas
Viro fiat congrua,
10 *Synagoga ſupplātatur*
A Iacob: dum diuagatur
Nimis freta literæ.
11 *Lippam Liam latent multa:*
Quibus uidēs Rachel fulta,
Pari nubit fœdere.
12 *In biuio tegens nuda:*
Geminos parit ex Iuda
Thamar diu uidua.
13 *Hic Moyſes à puella*
Dum ſe lauat: in fiſcella

Repe-

Reperitur ſcirpea.
14 *Hic mas agnus immolatur,*
Quo Iſrael ſatiatur,
Tinctus eius ſanguine.
15 *Hic tranſitur rubẽs unda,*
Aegyptios ſub profunda
Obruens uoragine.
16 *Hic eſt urna manna plena,*
Hic mandata legis dena,
Sed in arca fœderis.
17 *Hic ſunt ædis ornamenta.*
Hic Aaron indumenta,
Quæ præcedit poderis.
18 *Hic Vrias uiduatur.*
Berſabee ſublimatur,
Sedis conſors regiæ.
19 *Hæc regi uarietate*
Veſtis aſtat deauratæ,
Sicut regum filiæ.
20 *Huc uenit auſtri regina,*
Salomonis quam diuina
Condit ſapientia.
21 *Hæc eſt nigra ſed formoſa,*
Myrrhæ & thuris famoſa
Virga pigmentaria.
22 *Hæc futura, quæ figura*
Obumbrauit, reſerauit
Nobis dies gratiæ.
23 *Iam in lecto cum dilecto*
Quieſcamus, & pſallamus
Aſſunt enim nuptiæ.
24 *Quarum tonat initium*
In tubis epulantium,
Et finis per pſalterium.
25 *Sponſum millena milia,*
Vna laudant melodia.
Sine fine dicẽtia, halelu ia.
Amen.

Hæc proſa, rythmicæ cõpoſitionis variam præ ſe fert ſpeciem. Nã in principio & circa finem: ſingulæ verſuum clauſulæ conſonantiam habent & ſimilem ſyllabarũ deſinentiam in ſuiipſarum medio & fine. In cæteris autẽ verſibus, tres ponuntur clauſulæ rythmicæ, duæ quidem inter ſe conſonantes: & tertia vnius verſus reſpondens tertiæ clauſulæ proximi verſus, quod rythmi genus in proſis eſt frequentiſsimum. Author eius, Adã de ſancto Victore.

Explican-

Explicantur in ea præconia, laudes & myſteria ſanctæ matris eccleſiæ: multis modis per veteris teſtamenti figuras præſignificata, in pſalmis quoque & euãgelio mirifice prędicata. vt annotationes ſubiunctæ declarabunt.

Pſal.83. 1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Quàm dilecta tabernacula. Hoc proſæ exordium ex pſalmo octogeſimotertio ſumptum eſt. vbi ait propheta. Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Et cætera: quæ deinde conſequũtur. Illic enim per tabernacula & atria domini: intelligitur eccleſia cum militans tum triumphans, de qua eodem loco ſubiungit. Beati qui habitant in domo tua domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te.

Luca.6. 2 ¶ In ſecundo verſu Quàm electi architecti. Ex euangelio ſumpta eſt huius & proxime ſequentis verſus ſentẽtia: vbi dominus eum qui audit ſermones ſuos & facit eos, ſimilem eſſe dicit homini ædificanti domum qui fodit in altum & poſuit fundamẽtum ſupra petram. Inundatione autem facta illiſum eſt flumen domui illi: & non potuit eam mouere. Fundata enim erat ſupra petram. Cæterùm hic ſapiens architectus & electus ex milibus: Chriſtus eſt, qui ſuper ſeipſum petram firmiſſimam: ædificauit domum ſuam ſcilicet eccleſiã, & portæ inferi non præualuerunt nec pręualebunt vnquam aduerſus eam. Venerunt quidem flu-

Matth.16. mina tribulationum & flauerunt venti perſecutionum: à tyrannis & hæreticis excitati contra eccleſiam. Sed nõ potuerunt eam dimouere ſuo loco: quia ſtabilitati ſpiritualis petre erat innixa.

Pſal.86. 4 ¶ In quarto verſu. Quàm decora fundamenta. De his fundamentis dicit propheta in pſalmo. Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Et huiuſmodi fundamenta præcurrerunt per concinna ſacramenta vmbrę, quoniam præſignificata ſunt per varias figuras veteris teſtamenti, ſuo ordine hic ſubinde digeſtas. Illæ autem figuræ hic ſacramenta vocantur: quoniam ſacræ rei in nouo teſtamento complendæ erant ſigna. Vmbra verò hic vetus teſtamentum dicitur: quoniam figuris erat adumbratum & inuolutum. Demũm cõcinna fuerunt illa vmbræ ſacramenta: quoniã apta admodũ & cõgrua fuerũt ipſi veritati per ea ſignatę.

5 ¶ In

5 ¶ In quinto verſu. Latus Adæ dormientis. Prima eccleſiæ figura hic expreſſa fuit Eua formata de latere viri ſui dormientis, quę in præcedēte proſa eſt latius enodata. Secunda. Arca Noe ex ligno compoſita. conſeruauit ipſum Gene.7 & eius familiam à diluuio. Sic eccleſia cruci Chriſti innixa: ſeruat in ea contentos inter fluctus & procellas ſeculi Gene.21 ſaluos & incolumes. Tertia. Sara diu ſterilis, in ætate decrepita filiũ peperit Iſaac à materno riſu ſic denominatũ, qui Chriſtum ſignificauit: noſtrum verè gaudium. Ita eccleſia ex gentibus diutius ſterilis, vtpote toto tēpore præcedente aduentum Chriſti in carnem in nouiſsimis dieb⁹ copioſam ędidit prolem poſt Chriſti ad cælos aſcenſionē.

8 ¶ In octauo verſu. Seruus bibit qui legatur. Quarta Gene.24 eccleſiæ figura eſt Rebecca, accerſita honorabili legatione vt ſit vxor Iſaac, quę ſeruo Abrahæ dedit potum ex hydria ſua, & accepit ab eo, dono in aures: & armillas quib⁹ ornaretur. Sic eccleſia vocata eſt vt ſponſa ſit Chriſti, largũmque ſalutaris doctrinæ potum ſuis porrigit cultorib⁹, à quo è diuerſo virtutum pulchritudine exornatur. Quinta figura. Iacob ſurripuit benedictionem fratri ſuo Eſau: dum is diuagaretur per agros venatui intentus. Ita eccle- Gene.27 ſia à Chriſto benedictonem eſt adepta, cũ ſynagoga nimiũ inhærens & innitens literæ legis, expatiatur à recto calle veritatis. Porrò in decimi verſus hanc quintam explicantis figurã tertia clauſula, author præſentis proſæ ponit dictionem fretus cum datiuo caſu: ad reſponſum in exitu ſyllabarum ſeruandũ cum verſu proximè ſequente. Id tamē eſt contra vſum probatorum authorum: qui eam dictionē cum ſolo ponunt ablatiuo, vt Virgilius. Threicia fretus cythara fidibúſque canoris.

11 ¶ In vndecimo verſu. Lippam Liã latent multa. Sexta figura. Lia quæ lippis erat oculis, ſynagogam ſignat cæcutientem & velatis palpitantem oculis: cui multa erant occulta diuinæ in homines diſpenſationis myſteria. Rachel verò venuſta facie & decoro aſpectu claróſque ha- Gene,29 bens oculos: eccleſiam Chriſti ſignificat, in lumine & claritate euangelij illa perſpicientem ſacramēta, quę lauerãt ſynagogam. Et ambæ ſorores coniunctæ erant ipſi Iacob fœdere connubij, quia tam ſynagoga quàm eccleſia, fuit ipſius Chriſti, illa prius: hæc verò poſterius. Septima

figura.

Gen.38 figura. Thamar geminis viduata maritis cum non tradere tur tertio filio Iudæ iã adulto in vxorem: cócedit in biuio vt ſcortum, & faciem ſuam ne agnoſceretur occultans có cepit ex Iuda filio Iacob duos gemellos Zarã & Phares. Sic eccleſia diu deſerta, & per cultum idolorum fornicatrix: demùm fœcunda facta eſt cum à Chriſto ſponſo ſuo viſitatur, & multos illi filios in ſpiritu peperit, vt comple tum fuerit in illa id Eſaiæ vaticinium. Multi filij deſertæ: magis quàm eius quæ habet virum. Fuit enim copioſior eccleſiæ proles quæ deſerta fuerat: quàm ſynagogæ quæ

Eſa.54 habuit deum ſibi ſponſum. Et quemadmodum cecinit An

1.Reg.2 na Samuelis, tunc ſterilis eccleſia plurimos peperit. & ſynagoga quæ multos habebat filios, infirmata eſt. Octaua

Exo.2 figura. Moyſes primum in lucem ęditus, cũ non poſſet am plius à ſuis parentibus occultari: poſitus eſt in fiſcella ex ſcirpo & iunco contexta, & expoſitus in flumine, ibique inuentus à filia Pharaonis regis AEgypti: quæ tum forte exiuit ad flumen vt lauaretur. Ita eccleſia variis à deo erroribus abducta & expoſita graui periculo ſubmerſionis

Exo.12 in abyſſum: à Chriſto miſerante triſtem eius caſum eſt ſuſ cepta & benigniter educata. Nona figura. Agnus paſcha lis iuſſus eſt in vna Hebræorum domo manducari: cuius ſanguine aſperſi poſtes propulerunt exterminatorem primogenitorum. Ita in vna eccleſię domo Chriſtus verus

Exo.14 agnus ſumitur à fidelibus & eius ſanguine potantur Chri ſtiani, in ſacro ſcilicet ſanctæ euchariſtiæ conuiuio.

15 ¶ In decimoquinto verſu. Hic tranſitur rubens vnda: Decima figura, populus Iſraeliticus duce Moyſe pertran ſiuit incolumis mare rubrum: in quo AEgyptij ſunt ſub-

Heb.9 merſi. Ita Chriſto inſtituente, in eccleſia baptiſmus ſuſcipi tur per rubrum mare ſignatus: & in eo totus dæmonum exercitus vitiorúmque turba demergitur. Vndecima. In arca fœderis fabricata à Moyſe continebatur vrna repleta cæleſti manna, & tabulæ lapideæ decem præcepta legis complexæ. Haud aliter in eccleſia per arcam figurata cótinetur ſanctiſsimum euchariſtiæ ſacramentum, & euan-

Exo.26 gelium dei mãdata perfectius explicans. Duodecima. Tabernaculum teſtimonij compoſitum à Moyſe: multa fuit adornatum varietate ſacrorum vaſorum & vtenſilium ad dei cultum ſpectantiũ: vt habet Exodus. Hoc autẽ repræ-

ſentabat eccleſiam, multo ſacramétorum decore & vario miniſtrantium ordine inſignitam. Decimatertia. Aaron ſummus ſacerdos diuerſa habuit veſtimenta ſacra, mira arte contexta, quorum omnium primum & quod ante alia induitur eſt poderis: veſtis talaris, & ad pedes vſque (à quibus nomen accipit) defluens, quæ & à Ioſepho & in Exodo tunica byſſina dicitur: duplici ſyndone intexta. Cuius item mentionem facit Ioannes in Apocalypſi: cũ ait, Et conuerſus vidi ſeptem candelabra aurea: & in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſimilem filio hominis veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea. Ita eccleſia Chriſti multiplicem habet ornatum virtutũ: quibus tanquam veſtibus precioſis adornatur. Decimaquarta. Vrias vir Berſabee in bello contra filios Ammon interfectus eſt: & Barſabee deinde nupſit ipſi Dauid regi, effectáque eſt regina. Ita ſynagoga per Vriam intellecta, abolita eſt & emortua. Eccleſia verò per Berſabee ſignata: Chriſto regi æterno, fœdere nuptiali eſt coniuncta.

Exo. 28

Apoc. 1

2. Reg. 11

19 ¶ In decimonono verſu. Hæc regi varietate. Decimaquinta figura. Ipſa eccleſia ſignatur in pſalmo per reginam quæ aſtat à dextris æterni regis & filij dei: in veſtitu deaurato, circundata varietate. Siquidem regina eſt eccleſia: quoniam regis ſponſa aſtat in veſtitu deaurato charitatis & cæterarum virtutum, circũdata varietate ordinum eccleſiaſticorum, & miniſtrantium in ea ſecundum diuerſos gradus ac functiones. Quod autem ſubiungit litera præſens, ſicut regũ filię, etiam reſpondet illi loco eiuſdem pſalmi. Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis à domibus eburneis: ex quibus delectauerũt te filiæ regum in honore tuo, & illi itidem loco. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus. Decima ſexta. Regina Saba venit à parte auſtrali ſiue meridie in Hieruſalem cum magno comitatu & diuitiis: vt audiret ſapientiam Salomonis, quàm fama ante cognouerat. Sic eccleſia à longinquis venit terræ finibus, vt Chriſtum verũ Salomonem per legem euangelicam loquentem audiret, quemadmodum in proſa præcedẽte iam explicatum eſt. Decimaſeptima figura hic expreſſa. Ipſa eccleſia poſtremũ ſignatur per ſponſam illam quæ in Canticis dicit de ſeipſa. Nigra ſum ſed formoſa filiæ Hieruſalem.

Pſal. 44

3. Reg. 10

Can.1 lem,ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Et
Can.3 de qua in eodem libro dicit admirabunda fidelium turba.
Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Sane hæc omnia ſupradicta, veteris teſtamẽti figuris fuerũt obumbrata, ſed per diem gratiæ, id eſt lumen noui teſtamenti reſerata fuere: & in apertum prolata. 23 ¶ In viceſimotertio verſu. Iam in lecto cum dilecto. Lectulus ſponſi, qui ſæpe in Canticis nominatur, pla
Pſal.4 cidam ſignat animi in domino quietem, quando omnibus curis liber & à mundo alienus, illam ſolum meditatur & iugiter contemplatur. Hanc autem tranquillitatem & requiẽ vt amplectamur, admonet præſens verſus, qua poſthabitis ſeculi negociis & ſedatis affectibus noſtris, in pace in idipſum dormiamus & requieſcamus in domino, ꝓpter celebritatem nuptiarum Chriſti & eccleſiæ, in quibus feriari oportet.

24 ¶ In viceſimoquarto verſu. Quarum tonat initium. Tubæ, veteris teſtamẽti nobis indicant ſtatum: quoniam in eo iuſſæ ſunt fieri à domino, ad mouẽda caſtra, ad conuocandam multitudinem, ad exeundum in bellum, & denique ad feſta celebranda. De quarta enim cauſa inſtitutionis earum, ſic legitur deus dixiſſe filiis Iſrael. Siquan
Leui.10 do habebitis epulum & dies feſtos & calendas: canetis tu
Pſal.80 bis ſuper holocauſtis & pacificis & victimis, vt ſint vobis
Pſal.141 in recordationem dei veſtri. Et rurſum alio loco. Canite in neomenia tuba, in inſigni die ſolennitatis veſtræ. Iterum propheta in alio pſalmi loco. In voce exultationis & confeſsionis: ſonus epulantis. Pſalterium verò inſtrumentum muſicum (quod decachordum eſt, decémque chordis modulationem ędit longe ſuauiorem & gratiorem auditu: quam ſit in tubarum ſonitus obſtrepens) noui teſtamenti conditionem inſinuat, in perfecta decem mandatorum dei obſeruatione potiſsimum conſiſtentem. Quamuis enim in veteri lege illa fuerint tradita, tamen ex euangelicæ perfectiõis doctrina multo clarius elucidata ſunt, & perfectius obſeruari præcepta. Itaque huius verſus ſententia eſt quòd initium harum nuptiarum Chriſti & eccleſiæ fuit in veteri teſtamento: quinimmo paulo pòſt productionem humani generis, quandoquidem ſecundũ Gre

gorium

gorium & cæteros doctores, ecclesia Christi incœpit ab Abel iuſto: & per totum veteris teſtamenti decurſum continuata eſt atque progreſſa. Finis verò illarum nuptiarum ad nouum pertinet teſtamentum: in quo conſummatæ ſunt & completæ illæ ſpirituales nuptiæ, quæ ante illud tempus necdum perfectæ fuerant, quia nondũ ex gentibus collectio ad fidem per apoſtolos fuerat facta, neque plenitudo gentium adhuc intrauerat ad Chriſtum, ſed ſolum ex Idæis (exceptis paucis) tunc conſtabat eccleſia. In nouo verò teſtamento, Iudæorum multitudo pariter & gentium per lapidem angularem in eccleſiæ perfectum ædificium eſt compacta. Et ergo finis complementum & perfectio illarum nuptiarum, ſpectat ad noui teſtamenti dignitatem ac ſtatum.

25 ¶ In viceſimoquinto verſu. Sponſum millena milia. Hic locus ex Apocalypſi ſumptus eſt: vbi dicit beatus Ioannes. Et vidi & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni, animalium & ſeniorum, & erat numerus eorum milia milium, dicentium voce magna. Dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere virtutem & diuinitatem, & ſapientiam & fortitudinem & honorem, & gloriam, & benedictionem. Agnus autem qui occiſus eſt, ſpõſus eſt eccleſiæ Ieſus Chriſtus: qui hoc pacto à milibus milium laudatur. Milia autem milium & millena milia, eundem conflant numerũ: ſcilicet mille milia vel millies mille. Quare idem prorſus ſignatur numerus hic per millena millia: & in Apocalypſi per milia milium. Et hic proſæ locus, illi aptè reſpondet. Apoc. 5

Cæterùm huius author proſæ Adã de ſancto Victore aliam inſuper non minus quam hæ duæ poſtremæ elegantẽ, cõpoſuit proſam de dedicatione eccleſiæ, cuius initiũ eſt. Rex Salomon fecit templum, cuius inſtar & exemplum, Chriſtus & eccleſia. In qua totam templi Salomonis ſtructuram applicat ad myſticum ſenſum & ſpiritualem fabricam eccleſiæ. Verùm quoniam illa ſeipſam ſatis explicat & latẽtem aperit intelligentiam: conſultò hic prætermiſſa eſt.

Sequuntur

Sequuntur proſę de ſanctis: & primum de ſancto Andrea apoſtolo.

1 *SAcroſancta hodiernæ feſtiuitatis præconia. Digna laude uniuerſa categorizet eccleſia. Mitiſsimi ſanctorum ſanctiſsima extollendo merita.*

2 *Apoſtoli Andreæ, admiranda præfulgentis gratia. Hic accepto à Ioanne baptiſta, quòd ueniſſet qui tolleret peccata. Mox eius intrans habitacula, audiebat eloquia. Inuentoq́; fratre ſuo Bariona, inuenimus ait ouãs meßiam.*

3 *Et duxit eum ad dulcifluam ſaluatoris præſentiam. Hunc perſcrutantem maria, Chriſti uocauit clementia. Artem piſcandi commutans dignitate apoſtolica.*

4 *Huius animam poſt clara feſti paſchalis gaudia. Sancti ſpiritus præclara perluſtrauit potentia. Ad prædicandum populis pœnitẽtiã. Et dei patris per filium clementiam.*

5 *Gratulare ergo tanto patre Achaia. Illuſtrata eius ſalutari doctrina. Honorata multimoda ſignorum frequentia. Et tu gemens plora, trux carnifex Egea. Tu lues inferna & mors tenet æterna. Sed Andream fœlicia per crucem manent gaudia. Iam regem tuum ſpectas, iam in eius conſpectu Andrea ſtas.*

6 *Odorẽ ſuauitatis iam aſpiras, quem diuini amoris aroma dat. Sis ergo nobis inclyta dulcedo ſpirans intima Cæleſtis uitæ palſama. Amen,*

Hæc proſa liberam ſolutæ orationis habet compoſitionem, nulla rythmi lege aſtricta. Explicantur in ea, præclara ſancti Andreæ præconia , vocatio ad apoſtolatũ, prædicatio euangelij ad gentes, & fœlix per martyrium vitæ cõſummatio. Demùm fidelis populi ad ipſum ponitur ſupplicatio: vt ipſo adiutore cæleſtis regni ſuauitatem percipiat.

1 ¶ ANNOTATIONES. Vniuerſa categorizet eccleſia. Categorizo as, are, vel potius categoreo verbum Græcum: idem ſignificat quod prædicare. Inde categoria prędicamentum. Et Ariſtotelis liber de prædicamentis: categoriarum liber inſcribitur. Vnde categorica propoſitio apud dialecticos, quæ vnum de vno enunciat, vt homo eſt animal. Latinè prædicatiua ſiue prædicatoria dici poteſt. Vniuerſa ergo eccleſia categorizet, id eſt prædicet, celebret, & enunciet. Hic accepto à Ioanne baptiſta. Ex primo euãgelij Ioannis cap. quod hic dicitur eſt depromptũ. Vbi duo ex diſcipulis Ioãnis baptiſtæ (quorum alter fuit Andreas frater Simonis Petri) poſtquam audiuerunt teſtimonium Ioannis de Chriſto quòd eſſet agnus dei: ſecuti ſunt Ieſum, & ingreſſi domum eius, manſerũt apud ipſum die illo. Deinde inuentum fratrem ſuum Simonem poſtridie reddidit participem agnitionis Chriſti: adduxitque eũ ad Ieſum. Dicitur autem beatus Petrus hoc loco ſicut & in euangelio Matthæi, Bariona, quaſi filius Ionæ: ꝙ bar hebræum nomen filium ſignificat. Apud Ioannem autem capi. primo nominatur filius Ioanna & capi. vltimò, filius Ioannis: quòd pater eius credatur fuiſſe binomius, & vulgo nominatus nunc Ionas, nunc Ioanna ſiue Ioannes. *Ioan. 1* *Matth. 5*

3 ¶ Hũc perſcrutantem maria. Hanc vocationẽ Andreæ ad apoſtolatum: ſcribit Matthæus quarto capi. quomodo videlicet Ieſus ambulans ſecus mare Galileæ vidit duos fratres Simonem & Andræam: mittentes rete in mare, erant enim piſcatores. Et ait illis. Venite poſt me: faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò, relictis retibus: ſecuti ſunt eum. *Act. 1*

4 ¶ Huius animam poſt clara. In die ſcilicet pentecoſtes: quo ſpiritus ſanctus in linguis igneis datus eſt apoſtolis, inter quos & andreas in actis apoſtolicis expreſſe nominatus eſt. Datus inquam, ad prædicandam populis pœnitentiã, quoniã miſſi ſunt apoſtoli prædicare in nomine Chriſti remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Ad prędicandum itidem dei patris per filium clementiam: qua deus ſic dilexit mũdum vt filium ſuum vnigenitum daret & mitteret in mundum, vt ſaluetur mundus per ipſum. *Luc. 24*

5 ¶ Tanto patre Achaia. Achaia, æ, vel Achais, idis, vel Achaida, æ, regio eſt Græciæ vndique circunſepta mari *Ioan. 3*

præterquam à ſeptentrione, quæ prius Danaa eſt dicta: Vnde Græci apud authores: Achiui, Achęi, & Danai dicti ſunt. De hac regione Ouidius. Ah quoties dices: quàm pauper Achaia noſtra eſt. Hanc itaque prouinciam, cum diſpergerentur apoſtoli in totum orbem: ſortitus eſt beatus Andreas, vt illam euangelicæ veritatis luce illuſtraret. Quam cum aſſidua prædicatione & crebris miraculis ad fidem conuertiſſet, ab Agea proconſule prouinciæ cruci affixus: præcioſa in conſpectu domini morte deum glorificauit. 6 ℭ Odorem ſuauitatis iam aſpiras. Species aromatica gratum de ſe diffundit odorem: quem aſpirando & halitum attrahendo haurit, qui præſens eſt. Ita (inquit) à diuino amore, & deo qui ſummus eſt amor, diffunditur in regno cælorum odor ſuauiſsimus, ſed ſuper ſpiritualis: quem (vt cæteri ſancti) Andreas inceſſanter aſpirando percipit. Cuius ſanè odoris & nos participes effici depoſcimus, obnixius petentes à beato Andrea vt inſpiret animis noſtris vitæ cæleſtis dulcedinem: qua prægustata, alacrius & ocyus ad eam plene obtinendam properemus. Credi autem poteſt author hæc prædicta de ſuauitate odoris adduxiſſe vt alluderet præconio eccleſiaſtico de ſancto Andrea. Dilexit Andreã dominus, in odorem ſuauitatis.

De ſancto Andrea: alia proſa.

EXultemus & læte-
mur,
Et Andreæ delecte-
mur
Laudibus apoſtoli.
2 *Huius fidem, dogma,*
mores,
Et pro Chriſto tot labo-
res,
Digne decet recoli.
3 *Hic ad fidem Petrum*
duxit.
Cui primum lux illuxit,
Ioannis indicio.
4 *Secus mare Galilææ:*
Petri ſimul & Andreæ
Sequitur electio.
5 *Ambo prius piſcato-*
res,
Verbi ſunt aſſertores,
Et forma iuſtitiæ.
6 *Rete laxant in captu-*
ram,
Vigilemq́; gerunt curam

Naſcentis

Naſcentis eccleſiæ.
7 *A fratre diuiditur,*
Et in partes mittitur
Andreas Achaiæ.
8 *In Andreæ retia*
Currit dei gratia
Magna pars prouinciæ,
9 *Fide, uita, uerbo, ſignis,*
Doctor pius & inſignis.
Cor informat populi
10 *Vt Egeas comperit*
Quid Andreas egerit,
Iræ ſurgunt ſtimuli.
11 *Mens ſecura, mens uirilis,*
Cui præſens uita, uilis,
Viget patientia.
12 *Blandimenta eſt aut tormentis:*
Non eneruat robur mentis
Iudicis inſania.
13 *Crucem uidens præparari,*
Suo geſtit conformari
Magiſtro diſcipulus.
14 *Mors pro morte ſoluitur,*
Et crucis appetitur
Triumphalis titulus.
15 *In cruce uixit biduum,*
Victurus in perpetuum.
16 *Nec uult uolente populo*
Deponi de patibulo.
17 *Hora fere dimidia*
Luce perfuſus nimia,
Cum luce, cum lætitia
Pergit ad lucis atria.
18 *O Andrea glorioſe,*
Cuius preces precioſæ.
Cuius mortis luminoſæ
Dulcis eſt memoria.
19 *Ab hac ualle lachrymarum*
Nos ad illud lumen clarũ,
Pie paſtor animarum
Tua transfer gratia.
Amen.

Hæc proſa rythmicæ menſurationis tenet legem, ſicut illa paulò ſuperius declarata. Lauda Sion ſaluatorem. Author eius, Adã de ſancto Victore. Deſcribit autem inclyta ſancti Andreæ prçconia, vocationem eius ad Chriſtũ, prędicationem euangelij ab eo factam gentibus, & mortem eius in cruce glorioſam. Et planè multa eorum quę hic referuntur, ex præcedéte proſa intellectu facilia ſunt, quare paucioribus hic annotationibus opus erit.

6 ❡ ANNOTATIONES. In ſexto verſu. Rete laxãt in capturam. Hic ſermo metaphoricus eſt: quo per la-

xationem retis in capturam, inſinuatur ſtudium & ſedulitas prædicationis amborum fratrum ad conuerſionem populorum. Verbum enim prædicationis eorũ fuit rete ſpirituale, quo explicati ſunt multos homines obrutos fluctibus infidelitatis & vitiorum: vt à voragine damnationis reſpirarent ad lucem vitæ. Reſpondétque ea clauſula verbis domini: dictis ad eos de materiali piſcatione, Laxate retia veſtra in capturam, & tunc concluſa retibus copioſa

Luc. 5 piſcium multitudine (quæ ſignificabat ingentem hominũ multitudinem per ipſos conuertendam) relictis retibus & naui ſecuti ſunt dominum.

13 ¶ In decimotertio verſu. Crucem videns præparari. Hoc eccleſia in vna antiphonarum ita canit de ſancto dei apoſtolo. Cum perueniſſet beatus Andreas ad locum vbi crux parata erat: exclamauit & dixit. O bona crux diu deſiderata, & iam cõcupiſcenti animo præparata: ſecurus & gaudens venio ad te, ita vt tu exultans ſuſcipias me diſcipulum eius qui pependit in te.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Mors pro morte ſoluitur. Mors ſcilicet Andreæ: ſolitur pro morte Chriſti. Mortem enim quã Chriſtus pro omnium ſalute pati dignatus eſt: ipſe ſanctus Andreas in cruce moriens reddidit ſaluatori, & pro Chriſti morte ſuam mortem repẽdit, eo ipſo nõ parum exultans, quòd in cõſimili mortis genere ſcilicet crucifixione, ſuo magiſtro cõformaretur. vocatur autem hic triumphalis titulus crucis: quoniã in eo triumphauit Chriſtus de principe huius mũdi. Et ſanctus Andreas de Egea impio perſecutore: à quo non ſuſtinuit ſe viuum de cruce deponi.

18 ¶ In decimooctauo verſu. Cuius mortis luminoſæ. Luminoſam vocat author ſancti Andaeæ mortem, quoniam cum lumine cæleſti completa eſt. Vt enim præcedens dicit verſus, cum dilectus deo apoſtolus iam biduo in cruce pependiſſet, de ea vt cathedra doctoris populum docens tãta denique circa ipſum claritas cælitus effuſa emicuit, vt nõ poſſẽt oculi mortales in ipſum defigere obtutus. Cúmque permãſiſſet illa lux ibidem fere dimidię horæ ſpacio, abſcedente paulatim lumine beatũ emiſit ſpiritum, & fœliciter obdormiuit in domino.

De ſancto Nicolao.

Plebs fidelis iocundetur:
Et ab ea ueneretur
Præſulis memoria
2 *Nicolai: cuius uita*
Mundo fuit inaudita.
Odit tranſitoria.
3 *Vir præclarus abſtinēdo*
Docet, antequam loquēdo,
Quàm deus mirabilis.
4 *Quarta die hic & ſexta*
Semel ſuxit hora certa:
Iacens in cunabulis.
5 *Eſt præclarum & inſigne:*
Caſtitatis uſtus igne
Quòd per auri cōpiam
6 *Opprobrium puellarum*
Tulit: & patris earum
Exemit inopiam.
7 *De ſupernis uoce lapſa,*
Tandem ei eſt commiſſa
Præſulatus dignitas.
8 *Quem uirtutum tot honore,*
Perornauit miro more
Diuina clementia.
9 *Ergo ſancte pater audi*
Nicolae tuæ laudi
Aſtantes, & impetra.
10 *Vt qui fecit te beatum,*
Nobis præbeat ducatum
Vbi pax & gaudium.

Amen.

Hæc proſa rythmicam habet formam: tritam admodū & frequentem: qua ſinguli verſus tres cōplectuntur clauſulas rythmicas, duas primas inter ſe conſonantes, & tertiam reſpondentem tertiæ clauſulæ proximi verſus.

Deſcribit autem præclara ſancti Nicolai merita: miram in ætate infantili abſtinētiam, miſeratricem eius benignitatem, inopiæ pariter & caſtitati proximorum conſulentem, cælitúſque factam eius ad præſulatum electionem. Quæ omnia: ex hiſtoria ſanctiſsimæ eius vitæ comperta & explorata habentur.

2 ¶ANNOTATIONES. In ſecūdo verſu. Mundo fuit inaudita. Tam eximia (inquit) & eminentis ſanctitatis fuit Nicolai vita: vt de aliis ſanctis viris conſimilis ſanctimonia & excellentia virtutum vix audita fuerit. Raros enim

Cuius fuit dignitatis
Vox de cælo nuncia.
8 Per quam prouectus,
Præſulatus ſublimatur
Ad ſumma faſtigia.
9 Erat in eius animo
Pietas eximia.
Et oppreſſis impendebat
Multa beneficia.
10 Auro per eum, uirginum
Tollitur infamia.
Atque patris earundem
Leuatur inopia.
11 Quidam nautæ nauigãtes,
Et contra fluctuum
Sæuitiam luctantes.
Naui pene diſſoluta.
12 Iam de uita deſperantes,
In tanto poſiti
Periculo, clamantes
Voce dicunt omnes una.
13 O beate Nicolae,
Nos ad maris portũ trahe
De mortis anguſtia.
14 Trahe nos ad portum maris,
Tu qui tot auxiliaris
Pietatis gratia.
15 Dum clamarent, nec incaſſum,
Ecce quidam, dicens aſſum
Ad ueſtra præſidia,
16 Statim aura datur grata,
Et tempeſtas fit ſedata,
Quieuerunt maria.
17 Ex ipſius tumba manat
Vnctionis copia.
18 Quæ infirmos omnes ſanat
Per eius ſuffragia.
19 Nos, qui ſumus in mundo
Vitiorum in profundo
Iam paſſi naufragia.
20 Glorioſe Nicolae
Ad ſalutis portum trahe:
Vbi pax & gloria.
21 Ipſam nobis unctionẽ
Impetres à domino
Prece pia,
22 Quæ ſanauit læſionem
Multorum peccaminum
In Maria.
23 Huius feſtum celebrantes.
Gaudeant per ſecula.
24 Et coronet eos Chriſtus
Poſt uitæ curricula.
Amen.

Hæc proſa rythmicam habet in ſua ſtructura menſuram: ſed multiformem. Nunc enim duas continet in vno verſu clauſulas rythmicas, nũc tres, nunc quatuor, neque vniformem etiam ſeruat in deſinẽtia & exitu ſyllabarum conſonantiam, vt ex ipſa lectione facilè quiuis deprehendere poterit.

Author eius: Adam de ſancto Victore. In ea prædicantur inſignia beati Nicolai præconia, mirabilis indoles puerilis ætatis iaciens fundamenta magnarum (quæ poſtea in eo emicuerũt) virtututum, deo authore facta eiuſdem ad epiſcopatum vocatio, miraculorum eius cum in vita tum poſt mortem claritudo & frequentia. Verùm ex vita eius quæ in omnium verſatur manibus dilucida ſunt: neq; magnam efflagitant declarationem.

4 ❡ ANNOTATIONES. In quarto verſu. A papillis cœpit ſumma. Papilla eſt ipſum mammæ capitulum atque extremum, vnde lac trahitur, ſic dicta, quaſi parua papula ſiue tuberculum: quòd huiuſmodi mamillæ caput ſit papulæ perſimile. Capitur etiã interdum pro tota mamma: vt apud Virgilium in AEneide. Haſta ſub exertã donec perlata papillam hęſit. Et hoc ſecundo modo hic ſumitur. Cœpit autem à papillis Nicolaus promereri ſumma gaudia cæli, quoniam ab vberibus matris & infantili ætate cœpit ieiunij operibus inſiſtere, per quæ demùm adiectis aliarum virtutum actionibus æterna cæli gaudia promeritus eſt.

8 ❡ In octauo verſu. Per quam prouectus, præſulatus. Hoc loco prouectus participium eſt, à prouehor paſſiuo verbo deductum, idem ſignificans quod promotus, ſubuectus, & in altum ſublatus. Virgilius. Huc ſe prouecti diuerſo in littore condunt. Inuenitur autem & ea dictio interdum eſſe nomen verbale, & promotionem aut progreſſionem ſignare. Neque hoc cũ ſubſtantiuo præſulatus ordinari debet, quod genitiui caſus eſt: ſed ad ſubſtantiuum præcedens confeſſor ſiue Nicolaus, vt hæc habeatur ſentẽtia. Per quam vocem cælo delapſam ipſe Nicolaus prouectus: ſublimatur ad ſumma faſtigia, apicémque ipſius prę- ſulatus & dignitatis pontificalis.

11 ❡ In vndecimo verſu. Quidã nautæ nauigantes. Inter multa miracula quæ deus per beatum Nicolaũ operatus

eſt:duo ſolum hic recenſet author, vt ea ad myſticum deín de ſenſum applicet, petitioniq́ue noſtræ congruenter adaptet. Primum de nautis, qui oborta tempeſtate inuocantes beati Nicolai opem: à periculo mortis imminentis ſunt ei⁹ auxilio liberati. Ita in decimonono verſu, nos qui hoc in mundo verſamur vitiorum procellis obruti: petimus beati Nicolai ductu ad æternæ portum ſalutis pertingere. Secũdum in decimoſeptimo verſu innuitur miraculum: de emanatione olei ex tumba beati Nicolai. Haud aliter in viceſimoprimo verſu petimus vnctionem ſpiritualem & ſancti ſpiritus gratiam nobis à deo beati Nicolai precibus impetrari: qua animi noſtri vlcera, vulneráque inuncta curentur. Et ita vtraque petitio fidelis populi hic facta: apta proportione reſpondet duobus illis miraculis antè memoratis.

21 ¶ In viceſimoprimo verſu. Impetres à domino. Hoc loco non impetret, vt nonnulli habent libri legendum eſt: ſed impetres, vt continuatus ſit ſermo deprecatorius ad ſanctum Nicolaum, & ad eum dirigatur oratio: ſicut in præcedente verſu per ſecundæ perſonæ verbum direct⁹ eſt ita in viceſimoſecundo verſu non legendum eſt relatiuum qui, in maſculino genere, ſed in fœminino quæ: vt referatur ad præcedens nomen vnctionem. Quamuis enim qui pronomen ad antecedens domino poſſet referri: non tamẽ tantæ ſignificantiæ eſt oratio, neque adeò accommodata præcedenti ſententiæ, ſicut cum ſit hoc loco relatio ad vnctionem.

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Multorum peccaminum in Maria. Id de beata Maria Magdalena intelligendum cuius multa peccata ſanauit vnctio diuinæ gratiæ, cum à cæleſti medico dictum eſt de ea. Dimiſſa ſunt illi peccata multa: quoniam dilexit multum. Et iterum ad eam, remittũtur tibi peccata tua.

1 De ſancto Nicolao: alia proſa

SOſpitati dedit ægros:
Olei perfuſio.
2 Nicolaus naufragãtũ
Affuit præſidio.
3 Reuelauit à defunctis
Defunctũ in biuio.

Bapti-

4 Baptiſatur auri uiſo
Iudæus indicio.
5 Vas in mari merſum : patri
Redditur cum filio.
6 O quàm probat ſanctũ dei
Fratris augmentatio,
7 Ergo laudes Nicolao
Concinat hæc concio.
8 Nam qui corde poſcit illum,
Propulſato uitio:
Soſpes regreditur. Amen.

¶Hæc proſa rythmicam ſeruat modulationem in ſecunda cuiuſque verſus clauſula ſeptem complectente ſyllabas & penultimam earum breuem, conformémque in exitu ad quanque aliorum verſuum ſecundam clauſulam. Prima verò vniuſcuiuſque octo verſuum clauſula, & ſi octo contineat ſyllabas & penultimam earum longam : non tamen ſeruat conſonantiam in exitu ad aliquam aliorum verſuũ primam clauſulam, & hoc ipſo deficit à perfecta rythmicę modulationis ratione atque conditione. Cómplectitur autem præſens oda nonnulla beati Nicolai miracula: partim in præcedente proſa, & partim in illo hymno de eodẽ ſancto in primo huius operis libro explicato. Pange lingua Nicolai præſulis præconium, latius declarata. Quocircanõ eſt opus eadem hoc in loco repetere: ne tædioſa cuiquam ingeratur prolixitas.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Soſpitati dedit ægros. De eo tantum oleo hic fit mentio: quod ex ſacris beati Nicolai oſsibus & reliquiis manare traditur, quo delibuti ægroti quacunque detinentur infirmitate ſanitatem protinus recipiunt, vt in præcedente etiam proſa eſt dictũ. Eſt autem in hoc primo verſu hypallage, conuerſúſque ſermo: enuncians olei perfuſionem dediſſe ægros ſoſpitati, cum accommodatior eſſet & aptior loquendi ratio, quòd olei perfuſio dederit ægris ſoſpitatem: ſed datiui in accuſatiuum & è diuerſo: hic intelligenda eſt commutatio. In ſecundo itidem verſu inſinuatũm miraculum, de nautis ſancti Nicolai præſidio liberatis à naufragio : in præcedente proſa diffuſius eſt expreſſum.

3 ¶In tertio verſu. Releuauit à defunctis. Intelligendus eſt ex præcedente verſu nominatiuus Nicolaus: qui ordinetur

netur cum verbo releuauit. Quo autem ordine geſtum fuerit id miraculum de ſuſcitato à mortuis viro: qui periuriũ commiſerat & fraudem per aurum baculo concauo infuſum, & præcipiti currus agitatione effuſum, & Iudæo baptizato poſt dolum detectum: in hymno paulo antè nominato ſatis ample eſt enarratum. Vbi etiam de vaſe mari demerſo cum filio, patri reſtituto: & vt meminit quintus verſus, & de augmentatione frumenti cuius mentionem facit ſextus verſus: copioſè eſt dictum. Porrò faris nomen apud antiquos de omnibus dicebatur frugibus: quòd eas terra ferat, inde farinam deduci putant, ipſius farris purgamentũ & excrementum: quod tanquam denſius & magis terreſtre ſecernitur ab eo quod minutius eſt ac candidius. Sæpius tamen de frumento & tritico far dici: vſus obtinuit longa cõſuetudine inductus.

8 ¶ In octauo verſu. Soſpes regreditur. Hæc clauſula nequaquam attinet ad integritatem huius proſæ, ſed finis eſt reſponſorij de ſancto Nicolao cantari ſoliti: quod eſt huiuſmodi. Ex eius tumba marmorea ſacrum reſudat oleum: quo liniti ſanantur cæci, ſurdis auditus redditur. Et debilis quiſque: ſoſpes regreditur. Poſt cuius decantatum verſum qui eſt. Cateruatim ruunt populi cernere cupientes quæ per eum fiunt mirabilia, repetitámque reſpõnſorij clauſulam, & debilis quiſque: decantari ſolet hæc proſa, cuius octauo verſu expleto: repetentur poſtrema reſponſorij antè dicti verba, ſoſpes regreditur: conuenientia etiam & adaptata completioni ſententiæ ipſius proſæ, vt vltima illa verba aptè reſpondeant & fini proſæ, & ipſius etiam reſpõſorij (cuius ſunt pars) calci atque conſummationi.

1 De conceptione beatæ Mariæ.

Dies iſte celebretur
In quo pierecẽſetur
Conceptio Mariæ.
2 *Virgo mater generatur*
Concipitur & creatur
Dulcis uena ueniæ.

3 *Adæ uetus exilium*
Et Ioachim opprobrium
Hinc habent remedia.
4 *Hoc prophetæ præuiderunt,*
Patriarchæ præſenſerunt,
Inſpi-

Inſpi rantegratia.
5 *Virgo prolem conceptura,*
Stella ſolem paritura:
Hodie concipitur.
6 *Flos de uirga proceſſurus,*
Sol de ſtella naſciturus:
Chriſtus intelligitur.
7 *O quàm fœlix & præclara:*
Nobis grata, deo chara,
Fuit hæc conceptio.
8 *Terminatur miſeria,*
Datur miſericordia,
Luctus cedi gaudio.
9 *Noua mater nouam prolem.*
Noua ſtella nouum ſolem,
Noua profert gratia.
10 *Genitorem genitura,*
Creatorem creatura.
Patrem parit filia.
11 *O mirandam nouitatem:*
Nouam quoque dignitatem.
Ditat matris caſtitatem
Filij conceptio.
12 *Gaude uirgo gratioſa,*
Virga flore ſpecioſa,
Mater prole generoſa,
Vere plena gaudio.
13 *Quod præceſſit in figura,*
Nube latet ſub obſcura,
Hoc declarat genitura
Piæ matris, uirgo pura
Pariendi uertit iura,
Fuſa, mirante natura,
Deitatis pluuia.
14 *Triſte fuit in Eua ue,*
Sed ex Eua format aue
Verſa uice ſed non praue,
Intus ferens in conclaue
Verbum bonum & ſuaue
Nobis mater uirgo faue,
Tua frui gratia.
15 *Omnis homo ſine mora*
Laude plena ſoluens ora
Illam colas, ipſam ora
Omni die omni hora.
Sit mens ſupplex, uox ſonora,
Sic ſupplica, ſic implora
Huius patrocinia.
16 *Tu ſpes certa miſerorum,*
Vere mater orphanorum,
Tu leuamen orpreſſorum
Medicamen infirmorum,

Omni-

Omnibus es omnia.
17 *Te rogamus uoto pari*
Laude digna ſingulari.
Vt errantes in hoc mari
Nos in portu ſalutari
Tua ſiſtat gratia. Amen.

¶ Hæc proſa rythmicæ ſeruat menſuræ legem quemadmodum illa de ſancto Andrea. Exultemus & lætemur. Non tamen ſemper tres complectitur ſingulis verſibus rythmicas clauſulas: ſed aliquando quinque, & nonnunquam etiã ſeptem. Quotquot tamen fuerint: omnes inter ſe ſeruant in ſimili cadentia terminali conformitatem præter poſtremam, quæ reſpondet in huiuſmodi conſonantia poſtremæ clauſulæ proximi verſus. In ea extollitur præclaris laudibus immaculata beatæ virginis Mariæ conceptio: copioſáque commemorantur beneficia quæ per illam humano generi ſunt indulta. Tantæ itidem & tam ſingularis virginis multiplex prædicatur dignitas ac præcellentia: ad quam toto ſtudio inuocandam fidelis populus impenſius incitatur.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Virgo mater generatur. Ex primo verſu repetatur præpoſitio cũ ſuo caſu: ſcilicet in quo, vt hic habeatur ſenſus, in quo itidem die: virgo mater generatur, & in quo etiam concipitur & creatur dulcis vena veniæ. Sic enim aptior erit cohærentia ſecundi verſus ad primum accommodatiorq; ſententia.

3 ¶ In tertio verſu. Adæ vetus exilium. Per conceptionem Mariæ, Adæ vetus exilium habuit remedium: quoniã per ipſam finitum eſt hoc triſte exilium, & reditus in cæli patriam conceſſus. Per eandem quoque opprobrium ſancti Ioachim patris Mariæ virginis habuit remedium: quoniã per illam ablata eſt ab eo thori coniugalis ſterilitas, quæ prius illi munera in templo offerenti à pontifice fuerat improperata & exprobrata. *Eſaie 11.*

4 ¶ In quarto verſu. Hoc prophetæ præuiderunt. Hanc ſacroſanctæ virginis conceptionem præuiderunt & prædixerunt prophetæ: vt Eſaias. Egredietur (inquit) virga de radice Ieſſe, & flos, de radice eius aſcendet. & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini. Eandem quoque præſenſerunt patriarchæ. Abraham, Iſaac & Iacob: quoniam per eam Chriſtum ex ſua ſtirpe & progenie oriturũ, in ſpiritu præcognouerunt.

¶ In

9 ¶ In nono verſu. Noua mater nouam prolem. Noua mater quoniam non humano conſortio ſed ſpiritu ſancto fœcunda. Noua inſuper: quoniam in conceptu & partu filij virgo immaculata permanſit, atque poſt partum perpetuo virginitatis honore decorata refulget. Denique noua mater & ſingularis: quoniam filium ſuum ſine dolore peperit. Noua etiam eſt proles: quoniam matris ſuę integritatẽ virginalem non abſtulit, ſed adauxit. Noua rurſum proles quoniam de cælo, angelo nunciante ſuſcepta. Denique noua proles: nam æterna & temporalis, immenſa & corporis anguſtia clauſa, incircumſcripta & circũſcripta, impaſsibilis & paſsioni obnoxia, deus & homo. Quam admirandam
Eſa.7 nouitatem & nouam partus conditionem aperuit Eſaias cum inquit. Propterea dabit dominus ipſe vobis ſignum.
Hiere.31 Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Et Hieremias cum dixit. Nouum faciet dominus ſuper terram: mulier circundabit virum.

11 ¶ In vndecimo verſu. Ditat matris caſtitatem. Honoratior enim & glorioſior eſt virginitas fœcunditati cõiuncta, quàm quæ ſine prole eſt domino conſecrata, quia rarior & mirabilior. Hæc enim: multis eſt virginibus cõmunis, illa verò: ſolius matris domini eſt propria. Hæc item naturæ metas non tranſcendit: illa verò: ſupra naturam eſt. Quocirca conceptio filij dei reddidit maternam integritatem longè digniorem & ſacratiorem: quàm ante fuerat.
Iudicum 6. Cæterum, potius hic ditat, quàm dicat (vt aliqui habent libri) eſt legendum, nam ſic ſignificantior atque quadrantior eſt ſententia: & laus beatæ virginis Marię cumulatior.

13 ¶ In decimotertio verſu. Quod præceſsit in figura. Vellus Gedeonis cæleſti rore perfuſum, tota reliqua terra manente arida: figura fuit admirandæ illius conceptionis, qua virgo Maria imbre ſancti ſpiritus irrigata, & pluuia deitatis irrorata: cõcepit filium dei ſupra legem & iura naturæ. Porrò hic verſus itidem & ſequens, paulo aliter hic contextus eſt: quàm habeant vulgati codices. Nam difficile admodum eſt & operoſum, ex ipſis ita vt habent libri (quoniam inemendati ſunt quantum coniecto) diſpoſitis: integrum aliquem ſenſum elicere. Quare opus fuit vtrunque iſtorum verſuum paucis mutatis: ad aliquam aptam ſententiam conuertere,

¶ In

14 ❡ In decimoquarto verſu. Sed ex Eua format aue. Angelus(inquit) Gabriel deferens in cubiculum ſacratæ deo virginis, hoc verbum bonum & ſuaue. Aue gratia plena dominus tecum: commutauit nomen Euæ quod doloris eſt & luctus, in nomen aue quod eſt ſalutis & gaudij. Conuerſis enim & oppoſito ſumptis ordine ſcribuntur elementis hæ duæ dictiones. Eua & aue. Et reſpondet huius verſus ſententia: illi verſui hymni, Aue maris ſtella, ſecundo loco occurrenti. Sumens illud aue Gabrielis ore: funda nos in pace, mutans nomen Euæ.

16 ❡ In decimoſexto verſu. Omnibus es omnia. Illud dictum ſumptum videtur ex beato Bernardo: qui conſimilẽ de beata virgine Maria habet ſententiam in quodam ſermone, vbi ait. Quid ad Mariam trepidet humana fragilitas? nihil auſterum in ea: nihil terribile, tota ſuauis eſt: omnibus offerens lac & lanam. Reuolue diligentius euangelicæ hiſtoriæ ſeriem vniuerſam: & ſi quid fortè increpatorium, ſi quid durum, ſi quod denique ſignum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria de cætero ſuſpectam habeas & accedere verearis. Quòd ſi vt verè ſunt, plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena manſuetudinis & miſericordiæ, quę ad eam pertinent inueneris: age gratias eis qui talem tibi mediatricem benigniſsima miſeratione prouidit, in qua nihil poſsit eſſe ſuſpectum. Denique omnibus omnia facta eſt: ſapientibus & inſipiẽtibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit. Omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi: captiuus redemptionem, æger curationem: triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, angelus lætitiam, denique tota trinitas gloriam, filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam: vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius. Hæc Bernardus.

1 De ſancto Thoma archiepiſcopo Cantuarienſi proſa.

Gaude Sion & lætare:
Voce, uoto iocundare
Solenni lætitia.

2 *Tuus Thomas trucidatur*
Pro te Chriſte immolatur
Salutaris hoſtia.

Archi-

3 *Archipræſul & legatus:*
Nullo tamen eſt elatus
Honoris faſtigio.
4 *Diſpenſator ſummi regis,*
Pro tutela ſui gregis
Truſus eſt exilio.
5 *Telo certans paſtorali,*
Enſe cinctus ſpiritali,
Triumphare meruit,
6 *Hic pro dei ſui lege,*
Et pro ſuo mori grege,
Decertare ſtuduit.
7 *Tunc rectore deſolatam*
Et paſtore uiduatam,
Se plangebat Cantua.
8 *Verſa uice plauſu miro,*
Exultauit tanto uiro
Senonenſis Gallia.
9 *Quo abſente, infirmatur,*
Infirmata conculcatur
Libertas eccleſiæ.
10 *Sic nos paſtor reliquiſti*
Nec à uero receßiſti
Tramite iuſtitiæ.
11 *Quondam cætu curiali*
Primus eras, & regali
Militans palacio.
12 *Plebis aura fauorali,*
Et (ut mos eſt) temporali
Gaudebas præconio.
13 *Conſequenter es mutatus,*
Præſulatu ſublimatus
Nouus homo reparatus
Fœlici commercio.
14 *Ex aduerſo aſcendiſti,*
Et te murum obieciſti.
Caput tuum obtuliſti
Chriſti ſacrificio,
15 *Carnis tuæ morte ſpreta,*
Triumphalis es athleta,
Palma tibi datur læta.
Quod teſtantur inſueta
Miranda miracula.
16 *Cleri gemma clare Thoma,*
Motus carnis noſtræ doma
Precum efficacia.
17 *Vt in Chriſto ueræ uitæ*
Radicati, ueræ uitæ
Capiamus præmia.
Amen.

¶ Hæc proſa, rythmica modulatione conſtringitur, ſeruante conſonantiam eandem in omnibus eiuſdem verſus clau-

clauſulis:præter vltimam. In quibus ſingulis: & octonari⁹ eſt ſemper numerus ſyllabarum, & penultima earum lōga In poſtrema verò cuiuſque verſus clauſula:ſeptem tantum ſyllabæ continentur, & ipſarum penultima breuis eſt reſponſuſq; conſonantiæ attenditur ad vltimam clauſulam proximi verſus. Continet autem & commemorat hæc proſa laudes ac præconia glorioſi athletæ & martyris Chriſti, ſancti Thomę Cantuarienſis archiepiſcopi, qui pro tutanda libertate eccleſiæ conatib⁹ Henrici regis Anglię obſiſtens:primum ſeptenni exilio damnatus eſt, & deinde in ſedem ſuam pontificalem reuerſus: martyrio coronatus fœliciter expleuit præſentis uitæ curſum. Act. 4.

2 ❡ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Pro te Chriſte immolatur. Salutaris hoſtia dicitur hic beatus Thomas quoniam ſponte ſua oblatus eſt pro defenſione libertatis eccleſiaſticæ, quæ violentia principum impetebatur & opprimebatur. De martyribus autem dicit Salomon in libro Sapientiæ, quòd dominus quaſi aurum in fornace probauit illos: & tanquam holocauſti hoſtiam accepit eos. At verò pro Chriſto immolatus eſt idem fortiſsimus agoniſta & pugil, quoniam ſi membra Chriſti perſequens ipſum etiā Chriſtum attrociter perſequitur: vt ad Saulum in terram proſtratum eſt conteſtatus, multò potius ſuſcitans perſecutionem in ipſam eccleſiam, dilectam Chriſti ſponſam: etiā molitur ſæuitiam perſecutionis in Chriſtum eccleſiæ ſponſum. Qui igitur pro eccleſia dei gladiis impiorum occubuit:pro Chriſto verè immolatus eſt. Sap. 3

5 ❡ In quinto verſu. Telo certans paſtorali. Telum paſtorale dicitur corporaliter bacul⁹ ipſe paſtoralis, quo ad imitationem paſtoris ouium irrationalium:ipſe paſtor eccleſiaſticus & oues ſuas in vnum cogit, defenditque à rabie & dentibus luporum:arcens illos peruigili cura à ſuo grege. Spiritualiter autem dicitur ipſa authoritas pontificia: cuius poteſtate protegit oues & eccleſiam ſuā pontifex ab infeſtantibus eā. Enſem verò ſpiritualem quo cinctus fuit beatus Thomas, vocat hic author virtutem & conſtantiam animi feruenti zælo coniunctam, qua dimicauit intrepidè & pro lege dei & pro ſuo grege, & demùm in eo conflictu victoria potitus triumphauit. De huiuſmodi autem enſe loquitur propheta in pſalmo dicens. Accingere gladio tuo Pſal. 44 Cant. 3.

ſuper femur tuum potentiſsime. Et Sapiens in Cantico canticorum de ſexaginta fortibus ambientibus lectulum Salomonis ait. Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum: propter timores nocturnos.

8 ¶ In octauo verſu. Senonenſis Gallia. Cantuaria, ciuitas maioris Britanniæ celeberrima: merito confecta eſt dolore ob ſui paſtoris optimi ſeptennem abſentiam, in quem ob eximiam vitæ ſanctitatem: afficiebantur miro deſiderio oues eius. E diuerſo autem ea Galliæ pars quæ Senonibus eſt proxima: exultauit tanti præſulis præſentia, quoniã toto illo ſeptennio vitam egit in illis Galliæ finibus: & potiſſimum in monaſterio Pontiniaci, ab Alexando papa tertio & Ludouico Iuniore Francorum rege: cum ſummo honore ſuſceptus, & illic cum placida tranquillitate degens: donec ad ſedem ſuam pontificalem redire permiſſus eſt: paulo poſt (vt diuina acceperat reuelatione) conſummandus martyrio.

10 ¶ In decimo verſu. Nec à vero receſsiſti. Cum grex dominicus inuaditur à lupis vt hęreticis: volentibus peſtifera diſſeminare zizania ad ſeductionem populi, aut prauis moribus eum corrumpere: tunc paſtor gregis cuius caput nequaquam petitur, gregem deſerens cui deberet aſſiſtere & opitulari: diſcedit à recto calle iuſtitiæ, quia ſuo (vt deberet) fungi non laborat officio. Et de illo: intelligitur id verbum euãgelicum. Mercenarius autem & qui non eſt paſtor: videt lupum venientem & fugit & lupus rapit & diſpergit oues. Mercenarius autem fugit: quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Cum verò non grex ipſe inuaditur, ſed ſolus paſtor ad mortem impetitur ab inimicis capitalibus: haudquaquam recedit à via iuſtitiæ paſtor, ſicut fuga ſaluti ſuæ conſulit. Præcepit enim dominus diſcipulis ſuis. Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate: fugite in aliam. Et ipſe ſępenumero furorem Iudæorum receſſu in locum remotum declinauit: vt nobis exemplum daret id interdum iter tentandum eſſe. Paulus itidem à diſcipulis in ſporta per murũ dimiſſus: euaſit manus præpoſiti Damaſcenorum qui voluit ipſum cõprehendere, vt ipſe de ſe enarrat. Demùm Athanaſius vir celeberrimus à Conſtantio cæſare, Arrianorum aſſectatore, terra mariq́ue quęſitus: dimiſſa eccleſia ſua Alexandrina, in qua

Ioan. 10. Mat. 10 Ioan. 11. Act. 9. 2. Cor. 11.

tutè

tutò conſiſtere non potuit, varias diffugiendo latebras eſt nactus: quibus deliteſcens perſequentium rabiem effugeret. Neque in eo reprehenſione eſt dignus: quinimmò laudem potius meretur. Ita & beat⁹ Thomas ab Henrico Anglorum rege peculiariter infeſtatus, & fugam iniens ob paratas capiti eius inſidias: non aberrauit à rectitudine iuſtitiæ, quod gregem ſuum deſeruerit qui non impetebatur.

13 ¶In decimotertio verſu. Nouus homo reparatus. Cũ beatus Thomas in curia regis Angliæ diuerſaretur ad obeundum munus illi iniunctum (quoniam erat regis cancellarius) & pertractanda regni negocia: difficilè potuit non moueri honoribus illi exhibitis plauſũque populari, quãuis ſuſceptam adminiſtrationem integerrimè, fideliſſimeq; perfecerit. Cum verò ad cathedram pontificalem eſt aſſũptus: iam in alterum virũ mutatus videbatur. Viluit enim illi deinceps & ſorduit, honor mundi, mira in ipſo humilitas in lotione pedum, pauperibus exhiberi ab eo ſolita: liquido eſt perſpecta. Neque cilicium tantum induit, ſed & femoralia aſſumpſit cilicina: vt deprehenſum eſt poſtquã pro Chriſto tanquam victima ad aram cecidit, quemadmodum hiſtoria vitæ eius omnibus ad manum prompta: lati⁹ enarrat.

14 ¶In decimoquarto verſu. Ex aduerſo aſcendiſti. De prophetis inſipiẽtibus, immò paſtorib⁹ omnibus negligenter ſuũm cuſtodientibus gregem conqueritur dominus per Ezech. prophetã dicens. Non aſcendiſtis ex aduerſo: neq; apposuiſtis murum pro domo Iſrael: vt ſtaretis in prælio in die domini. Ex quo loco ſumpta eſt huius verſus ſententia: oppoſito tamen modo & affirmatiue expreſſa ſancti Thomæ præconium, quoniam ex aduerſo aſcendit contra concutientes eccleſiam & ſe muri obiecit ſiue obſtaculum ad ipſius eccleſiæ defenſionem contra perſecutores eiuſdem. 17 ¶In decimoſeptimo verſu. Vt in Chriſto vera vite. Chriſtum eſſe veram vitem: ex euangelio cõſtat, vbi Ioa. xv.
ait. Ego ſum vitis vera: & pater meus agricola eſt. Et per Ioan. 3
ipſum: veram vitam, eiuſque præmia aſſequi poſſumus, nã ipſe eſt via, veritas, & vita.

De ſancta virgine Genoueſa proſa

G Enoueſæ ſolennitas
Solenne parit gau-
dium.
2 Cordis erumpat puritas
In laudis ſacrificium.
3 Fœlix ortus infantulæ
Teſte Germano præſule.
4 Quod præuidit in ſpi-
ritu,
Rerum probatur exitu.
5 Hic ad pectus uirgineũ
Pro pudoris ſignaculo.
6 Nummum ſuſpendit æ-
neum,
Inſignem crucis titulo.
7 Genoueſam, diuinitus
Oblato dotat munere.
8 In templum ſancti ſpiri-
tus,
Sub Chriſti dicans fœdere
9 Inſontem manu feriens,
Mater priuatur lumine.
10 Matri uirgo cũpatiens
Lucis dat uſum priſtinæ
11 Genoueſa magnanimis
Carnem frangit ieiunio
Terramq; rigans lachry-
mis,
Iugi gaudet martyrio.
12 Cæleſti duce præuio:
Cælos luſtrat & tarta-
ra.
Ciueſque precium ſtudio,
Seruat à gente barbara.
13 Diuino diu munere
Sitim leuat artificum.
Contractum caſu, miſeræ
Matri reſignat unicum.
14 Ad primam precẽ uir-
ginis,
Contremiſcunt dæmonia.
Pax datur energuminis,
Spes ægris. reis uenia.
15 In eius manu, cærei,
Reaccenduntur cælitus.
Per hanc, inſignis aluei
Redit amnis coercitus
16 Ignem ſacrum refrige-
rat,
Poſt mortem uiuens meri-
tis.
17 Quæ prius in ſe uicerat
Aeſtus interni fomitis.
18 Morti morbis dæmo-
nibus,
Et elementis imperat.
19 Sic Genoueſa precibus
Naturæ leges ſuperat
20 Operatur in paruulis
Chriſti uirtus magnalia.
21 Chriſto pro tot mira-
culis,
Laus frequens, iugis glo-
ria Amen.

¶ Hæc

¶Hæc proſa rythmicam habet ſonoritatem ferè vniformem: quandoquidem vnaquæque clauſularum, octo complectitur ſyllabas: quarũ penultima eſt breuis, conſimiléms que ſeruat deſinentiam aut ad proximam clauſulam, aut ad eã quæ tertio ponitur loco, vt ſæpenumero quatuor clauſularum continenter ſe conſequentium: prima tertiæ reſpõdeat in ſimili exitu ſyllabarum: & ſecunda quartæ, fiátque crebro grata illa vocalitatis alternatio. Author eius Adam de ſancto Victore: complectens in ipſa exortum vitę, progreſſum & ſanctitatem ſingularẽ ſacratiſſimæ virginis Genouefæ: necnon & frequentia miracula quæ dominus per ipſam & in vita eius & poſt mortem operari dignatus eſt. Horum autem exacta notio, diffuſáque enarratio ex vita eiuſdem ſacræ virginis eſt expoſcenda, & hic tantum breuibus annotare ſatis erit quæ ad præſentis literæ faciunt intelligentiam: quæ compendiaria annotatio huic loco ſufficere putari debet.

3 ¶ANNOTATIONES. In tertio verſu. Fœlix ortus infantulæ Nata fuit ipſa virgo Genouefa apud Nanethodorum, pagum: vrbi Pariſiorum ad ſextum lapidem, vicinum Ad quem cum ſemel orandi gratia ſanct⁹ Germanus Antiſſiodorenſis epiſcopus ſe cõtuliſſet occurrente illi honoris gratia populi multitudine, & Genouefa cum cæteris affuit. Quam intuitus Germanus, & ſpiritu ſancto reuelante cognoſcens eſſe vas electionis: eam à deo electam ſponſam ipſi populo conteſtatus eſt & mira ſanctitate adhuc admirabilem futuram, qua multi ad dominum conuertendi ſint. Deinde ipſam ad virginalem ſuam puritatem domino conſecrandam exhortatus vt ſponſa ſit altiſſimi: nummum æreum cruce inſignitum & dei nutu inuentum ibidem atque è terra ſublatum ſuſpendit ad collum eius: in ſignum deſponſationis cum Chriſto. admonens quòd neque annulis poſthac ornaret digitos: neque collum monilibus, ne terrenum videretur quærere ſponſum: quæ iam cæleſti eſt coniuncta. Et hæc ſententia: ſequentibus verſibus latius explicatur.

9 ¶In nono verſu. Inſontem manu feriens. Cum mater ſacræ virginis Genouefæ ſemel in die ſolenni, templũ eſſet petitura ad audiendum diuinum officium, & Genouefam reclamantem domi manere præciperet: ipſa in irã cõcitata,

quòd contradiceret filiia præcepto materno ,alapam illi incuſsit,& protinus oculorum lumen amiſit,ſicque ferè per biennium iram dei perpreſſa:tandem precibus filię ſuę integrum videndi vſum recuperauit.

11 ¶ In vndecimo verſu.Carnem frangit ieiunio. Quéadmodum teſtantur authores probati & graues:à decimoquinto ætatis ſuæ anno vſque ad quinquageſimum:huic ſacræ virgini eſca erat panis hordeaceus & faba, quam poſt duas aut tres hebdomadas in olla aquæ commiſcens manducabat. A die dominico vſque in quintam feriam plęrunque protraxit ieiunium : & à quinta feria rurſum in diem dominicum,Vinum & quicquid inebriat : nunquam potauit. Poſt quinquageſimum verò annum ſuadentibus epiſcopis ipſa obtemperans:piſcem & lac cum pane hordeaceo comedere cœpit:& ita vitam ſuam ad octogeſimum vſque ætatis annum & amplius produxit, aſsiduo ieiunio carnem ſuam emacerans,& ita iuge ſuſtinens martyrium. Non enim in ſola effuſione ſanguinis pro Chriſto,martyrium cóſiſtere putari debet,ſed teſte Bernardo etiam in aſsidua caſtigatione corporis & redactione in ſeruitutē ſpirit⁹.Pręterea huic ſacratæ virgini familiare fuit & quotidianum : in ſuis orationibus lachrymas vberes profundere, ex ardentiſſimo cordis in deum affectu prodeuntes. Vnde cum ſanctus Germanus(cuius paulò antè facta eſt mentio)rurſum Pariſios aduentaret,& multos de ſancta Genouefa ſiniſtre loquentes audiret(deridetur enim ſæpius iuſti ſimplicitas) ad eius domum profectus: terram lachrymis piæ virginis irrigatam obloquentibus oſtendit,& ita obſtruxit ora loquentium iniqua.

Bernardus

Iacob.12

Pſal.62.

12 ¶ In duodecimo verſu. Cæleſti duce præuio. Cum parentibus ſuis in Chriſto pie defunctis ſacra virgo in vrbem Pariſienſem habitatura ſe tranſtuliſſet,ſubitò tanta paralyſis infirmitate detenta eſt: vt corpus eius laxatis vndiq; artubus ſolutiſque compagibus,totos tres dies iaceret exanime.At cum denuò eſſet ſanitatem aſſecuta , referebat ſe in ſpiritu ab angelo fuiſſe deductam in gloriam ſanctorum ac ſupplicium impiorum,ac deinceps ſecreta conſcientiarum in non modicam admirationem cœpit reuelare prophetię quæ ſpiritu pollere. Inſuper cum Attila rex Hunnorum totam Galliam deuaſtaret , vrbémque Pariſiorum

rum obſidione premeret, minitans ſe illam ferro igniquediruturum niſi deditionem faceret, ſacra virgo Genoueſa poſt aſsiduas preces & vigilias ciues Pariſienſes bono animo debere eſſe dixit, futurum enim, quòd hoſtis nullum vrbi nocumentum eſſet illaturus. Quod & factum eſt. Nam ſoluta obſidione, reque infecta Hunni cum ſuo rege abierunt, deo precibus Genoueſæ ita vrbem protegente.

13 ¶ In decimotertio verſu. Diuino diu munere. Cum in honore ſanctiſsimi patris Dionyſij ad quem ſingulari deuotione afficiebatur) pia virgo Genoueſa procuraret in eo loco vbi ſacri eius cineres primùm erant reconditi, baſilicam conſtrui. ac operariis potus deficeret, accipiens ipſa dolium vacuum ſeceſsit in locum ſecretum, & cum lachrymis dominum orauit vt inſtanti neceſſitati ſuccurreret. Deinde ab oratione ſurgens, ipſum vas ſigno crucis ſignauit: quod ſtatim vſque ad os impletum eſt potu, & vſque ad cõſummationem operis, operariis abunde potum adminiſtrauit. Rurſum cum matronæ cuiuſdam filius ætatis annorum quatuor in puteum cecidiſſet, & poſt tres horas inde mortuus extractus (matre in lachrymas & eiulatum prorumpente) ſanctæ Genoueſæ fuiſſet oblatus, ad orationem cõfugiens, pallio ſuo ſuper corpus mortuum extento, puerũ viuum continuo matri reddidit. Alium itidem vnicum matris filium contractum omnino & diſſolutum ex lapſu præcipiti, fuſa ad deum oratione, matri ſuæ reſtituit incolumẽ quòd poſtremum miraculum, litera ipſa potius videtur inſinuare.

15 ¶ In decimoquinto verſu. In eius manu cærei. Quadam nocte ſabbati circa gallicantum, egreſſa eſt ſancta virgo Genoueſa ad eccleſiam beati Dionyſij. Cæreus autem qui ante ferebatur (procurante id dæmone) extinctus eſt, ob quod turbatis virginibus quæ cum ea erant ob horrorem noctis, ipſa cæreum ſibi dari præcepit.
Quem vt manu tenuit, protinus angelico miniſterio illuminatus eſt. Eodem etiam tempore cum in eccleſia diu proſtrata in oratione, demùm ſurgeret, cæreus eius nullo admoto igne, diuino nutu accenſus eſt in manu eius. De quo & plures infirmi poſtmodum particulam auferentes cum firma fide, ſanati ſunt. Adhæc cum Sequana fluuius

Pariſios alluens & apud authores nominatiſsimos, alueo ſuo egreſſus per agros ſtagnaret exundarétque licentius: precibus ſanctæ virginis Genouefæ in ſuum alueum rurſum ſe coercuit, & aquas ſuas ripis vt conſtitutis limitibus continuit: ne agricolis diutius id inferret diſpẽdium ac nocumentum: quod reſtagnatio ſolet ingerere. Alij idem miraculum ita referunt. Cum quodam tempore flumen Sequanæ vltra modum intumeſceret: & iuxta ſacellum virginum (quod propè templum ſancti Ioannis baptiſtæ virgo Genouefa conſtruxerat) ad medium vſque ædificij fluctus pertingeret: lectus in quo ſancta virgo deceſſerat hac vita qui ibidem ſeruabatur: flumini ſupernatans aquis cõtinuè deſcendentibus atque diſcedentibus, ab illis intactus eſt inuentus. Fuitque lecti illius ad aquas contactus tantæ virtutis: vt continuo reſederint aquæ, ſuúmque tumorem reliquerint.

16 ¶ In decimoſexto verſu. Ignem ſacrum refrigerat, longo poſt fœlicem ſacræ virginis obdormitionem tempore, diuina vltione morbus igneus (quem medici ignem ſacrũ appellant) hominum membra abſumpſit: quæ miſeri exhibuerant ad ſeruiendum iniuſtitiæ & iniquitati. Aegrotis autem multorum ſuffragia ſanctorum implorantibus nec impetrantibus opem: recordatus eſt venerandus Pariſiorum antiſtes Stephanus, quòd beata virgo Genouefa vrbem Pariſienſem à multis olim periculis liberauit, & ad eius patrocinium eſſe confugiendum: ratus ſolennem inſtituit ſupplicationem, in qua ſacræ reliquiæ ſanctiſsimæ virginis in monte æditiore, templóque ab ea denominato repoſitę cum magna veneratione deferrerentur ad ſacram ædem beatæ Marię virginis. Cúmque frequente populi comitatu delatum eſſet ſanctæ Genouefæ feretrum in templum ſanctæ dei genitricis: continuò ad contactum feretri omnes eo correpti morbo ſanati ſunt: In cuius rei miraculique memoriam, templum ſanctæ Genouefæ conſtructum eſt iuxta baſilicam glorioſæ virginis Mariæ: ab ardore illius ſacri ignis nuncupatum. Et quotannis dies feſtus agitur in commemorationem tanti beneficij: quòd à curatione ardentium nomen deſumpſit. Neque in hac ſolum anguſtia, ſancta virgo Genouefa ſubſidium Pariſienſibus implorata attuliſſe credenda eſt: Sed & in aliis permultis,

vt

vt merito tanquam Pariſiorum patrona habeatur ac colatur. Vnde & noſtra tempeſtate quoties aut nimia ſiccitas arefacit terram ac fructus eius, aut nimius humor pluuiæ madefacit plus æquo terram atque ſuperfunditur, aut horridus bellorum ingruit furor, ſolet cum mira deuotione, totiúſque populi concurſu deferri in ſolenni ſupplicatione ipſius ſacræ virginis reliquiæ, ſanctiq; cineres, & quæ expetuntur beneficia: à domino impetrari.

De ſancto Antonio eremita: proſa.

1 *PIa uoce prædicemus:*
Et deuotis celebrem'
Laudibus Antoniũ.
2 *Dei ſanctus exaltetur*
Et in ſuis honoretur
Sanctis, author omnium.
3 *Hic contempſit mundi florem,*
Opes eius & honorem,
Parens euangelio.
4 *Et confugit ad deſertum,*
Vt non currat in incertum
In hoc uitæ ſtadio.
5 *Mira fuit eius uita,*
Clarus fulſit eremita.
Sed mox hoſtis ſubdoli
6 *Bella perfert, ſæpe concutitur*
Graui pugna, uerum non uincitur
Inſultu diaboli.
7 *Ictu crebro flagellatur,*
Et ſæuis laceratur
Immane dæmonibus.
8 *Lux de cælo micuit:*
Et clara perſonuit
Dei uox de nubibus.
9 *Quia fortis in agone*
Decertaſti, regione
Omni nominaberis
10 *Te clamabit totus orbis,*
Pro pellendis item morbis
Ignis, inuocaberis,
11 *Id Antoni nunc impletum*
Conſpicamur, & repletum
Mundum tuo nomine.
12 *Hoc implorat gens deuota,*
Tibi pia defert uota
Pro tuo munimine.
13 *Nunc in forma ſpecioſæ*

Mulieris preciosæ
Nunc in maſſæ ſpecie:

14 *Dæmõ ſtruit illi frau des,*
Sed qui tanta uafer audes:
Succumbis in acie.

15 *Mille fraudes, mille doli*
Sunt inanes, illi ſoli
Cedit orcus ingemens.

16 *Militem hunc ueteranum,*
Et robuſtam eius manum,
Horret hoſtis infremens.

17 *Non lorica corporali*
Fultus, inimico tali
Hic athleta reſtitit.

18 *Aqua potus, terra lectus,*
Illi fuit, his protectus
Armis, uictor extitit.

19 *Herba fuit illi uictus,*
Palmæ frõdes & amictus,
Ac cum beſtiis conuictus
Intra ſolitudinem.

20 *Præcum aßiduitate,*
Operandi crebritate.
Atque ſomni parcitate,
Reſtinxit libidinem.

21 *Confutatis Arrianis,*
Et philoſophis prophanis,
Paulum uiſit, nec inanis
Fit uia, nec irrita.

22 *Nam conuenit hunc uiuentem,*
Inde ſanctum eius mentem
Cælos uidit aſcendentem,
Carne terræ reddita.

23 *O Antoni, cum beatis*
Nunc in regno claritatis
Gloriaris, hic grauatis
Mole carnis, pietatis
Tuæ pande uiſcera.

24 *Ne nos rapiat tremen dæ*
Mors gehẽnæ, manũ tende.
Nos à morbido defende
Igne, nobis & impende
Gloriam poſt funera.
Amen.

Rythmica huius proſæ modulatio om nino perſimilis eſt & in numero verſuum, & clauſularum in vno verſu cõtentarum multitudine, quinimmò & in ipſo rythmi contextu: illi proſæ de ſanctiſsimo euchariſtiæ ſacramento prius expoſitæ, lauda Sion ſaluatorem: lauda ducẽ & paſtorẽ in hymnis & canticis. Cõtinet autem mores ſanctos & vitã admirabilem beati patris Antonij: quam eximius & celeberrimus vir Athanaſius Alexandrinus epiſcopus beato Antonio contemporaneus & familiaris luculenter

&

& copioſè cõſcripſit Græco ſermone. Euagrius autẽ preſbyter eandem in Latinum traduxit. Ex ea itidem hiſtoria vitæ eiuſdem ſancti quæ paſsim in omnium manibus verſatur: quæ hac in proſa afferuntur, facilè perſpecta ſunt & cognita. 3 ¶ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Parens euangelio. Hanc ſententiam his verbis explicat Athanaſius. Poſt mortem (inquit) parentum, annorum circiter decem & octo ſeu viginti Antonius cum ſorore admodũ paruula derelictus: & domus ad ſororis honeſtam curam agebat. Necdum verò ſex fluxerant menſes: cum ad eccleſiam (vt ſolebat) accurrẽs recordabatur, quomodo & apoſtoli omnibus ſpretis ſecuti fuiſſent ſaluatorem: & multi in Actibus apoſtolorum facultatibus ſuis venditis precia ad pedes eorum detuliſſent ægentibus diſtribuenda, cogitabat item, quæ aut quanta ſpes iiſdẽ repoſita eſſet in cælis. Talia ſecum voluens intrauit eccleſiam, & accidit vt tunc euangelium legeretur in quo dominus dicit ad diuitem. Si vis perfectus eſſe: vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus: & veni & ſequere me, & habebis theſaurum in cælis. Quo audito, quaſi diuinitus huiuſmodi ante memoriam concepiſſet, & veluti propter ſe hæc eſſet ſcriptura recitata, ad ſe dominicum traxit imperium. Statimque regreſſus: poſſeſsionem quam habebat tutè (erant autem ei trecentæ arbores oliuarum valdè optimæ) vicinis largitus eſt: ne in aliquo aut ſibi aut ſorori moleſtia gigneretur. Cætera verò quę in mobilib⁹ poſſidebat vniuerſa vendidit: & aggregato non exiguo precio pauperibus diſtribuit, paucis propter ſororem reſeruatis, quæ ſexu & ætate videbatur infirmior. Rurſum autẽ eccleſiam ingreſſus: cũ audiſſet dominũ in euangelio dicentẽ. Nolite cogitare de craſtino, relictã quoq; portionẽ egenis eſt elargit⁹. Neq; ſe verſari paſſus eſt domi, ſed ſororẽ fidelib⁹ ac notis virginibus cõmendauit: vt ad earũ nutriretur exemplũ. Ipſe iã ab omnibus ſeculi vinculis liber, aſperũ atq; arduũ arripuit inſtitutũ. Hæc, ſacer Athanaſius. 4 ¶ In quarto verſu, vt nõ currat in incertũ: in hoc vitæ ſtadio. Sũpta eſt illa ſentẽtia ex beato Paulo: ita ad Corinthios ſcribente: Neſcitis ꝙ ij qui in ſtadio currũt, omnes quidẽ currunt, ſed vnus accipit brauiũ. Sic currite & cõprehendatis, omnis enim qui in agone cõtendit: ab

Matt.4 *Act.4* *Matth.4* *Matth.6* *1. Corin.9*

ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem vt corruptibilẽ coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi ærem verberans. Sed caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Hæc Paulus. Ita & ſanctus Antonius nõ in incertum cucurrit in præſentis vitæ ſtadio, ſed propoſita ſpe æternorum bonorum, quæ conſequeretur per contemptum terrenorum. Ad hunc ſcopum, omnem ſuæ mentis aciem contuitúmque direxit.

6 ❡ In ſexto verſu. Sæpe concutitur graui pugna. Impetiuit beatum Antonium antiquus hoſtis primum graui infeſtatione ſpiritus fornicationis: qua adoleſcentis titillauit animum, verum ipſe aſſidua oratione & meditatione ſcripturarum, animoſe tentationem omnem reiecit, vt in ſpecie horridi æthiopis apparens & prouolutus ad pedes Antonij ſuúmque confeſſus nomen ſpiritus ille nequam, propria cõteſtatus eſt voce ſe ab ipſo eſſe deuictum. Deinde crebro & duro verbere ita malignus ſpiritus contudit & ſauciauit Antonium: vt tanquam mortuus è ſpelunca in proximam villam ſit delatus. Inde recepto ſpiritu & vigore animi curauit ſe rurſum in ſuum perferri ſpecũ: & ipſos hoſtes infenſiſſimos laceſſiuit ad pugnam. Qui in variis ferarum beſtiarúmque figuris, leonum, pardorum, luporum, ſerpentiúmque formis, adeo crudeliter eum inuaſerunt, vt vix in ipſo reliqua fuerit vita corporis. Animus tamen eius immotus, in oratione & inuocatione diuini nominis aſſiduè perſtitit.

8 ❡ In octauo verſu. Lux de cælo micuit. Id verbis aſtruit Athanaſius, poſt deſcriptam atrociſsimam dæmonũ in Antonium ſeuitiã ac conflictationem. Non obitus (ait) Ieſus colluctionis ſerui ſui: eidẽ protector eſt factus. Denique cum leuaret Antonius oculos, vidit deſuper culmẽ domus aperiri, & depulſis tenebris radium ad ſe lucis influere. Poſt cuius ſplendoris aduentum: nec dæmonum aliquis apparuit, & corporis dolor extemplo deletus eſt. AEdificium ququе quod paulò ante diſſipatum fuerat inſtauratum eſt. Illico præſentiam domini intellexit Antonius, & ex imo pectore trahens longa ſuſpiria, ad viſionẽ quæ ei apparuerat loquebatur. Vbi eras Ieſu bone: vbi eras?

tas? Quare non affuiſti à principio: vt ſanares vulnera mea? Et vox ad eum facta eſt dicens. Antoni hic eram: ſed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicãdo viriliter non ceſſiſti: ſemper auxiliabor tibi, & faciam te in toto orbe nominari. His auditis exurgens & multum roboratus orabat, vt intelligeret ſe plus recepiſſe tunc virium, quàm ante perdiderat. Erat autem tunc Antonius natus quinque & triginta annos. Hæc Athanaſius.

13 ¶ In decimotertio verſu. Preciosæ nunc in maſſæ ſpecie. Hunc antiqui ſerpentis dolum Athanaſius ita refert. Antonius (inquit) ſuſpirans ad vitam ſolitariam & eremiticam, ſolus conſcendit in montem & eremi adhuc monachis ignotæ rupto meatu, viam conatus eſt pandere. Sed nec tunc ceſſauit infatigabilis inimicus. Nam impedire eius propoſitum volens: argenteum diſcum in itinere proiecit. Quo viſo Antonius callidi artificis cognouit aſtutiam, ſtánſque intrepidus & diſcuntorius, intuens oculis, doli authorem in phantaſmate obiurgabat argenti: ſecum talia reputãs. Vnde hic in deſerto diſcus: Inuium hoc iter eſt, nulla ſunt veſtigia cõmeantium, lapſus de ſarcina: pro magnitudine latere non potuit, ſed & qui perdiderat: reuerſus ob ſolitudinem locorum inueniſſet profecto quod ruerat. Hoc artificium diabole tuum eſt. Non impedies voluntatem meam: argentum tuum tecum ſit in interitũ. Hæc illo dicente, diſcus vt fumus euanuit. Dehinc non vt ante phantaſiam: ſed ingentem maſſam auri iacentem in itinere conſpexit. Verùm hanc vtrum diabolus ſimulauerit, an ad Antonium comprobandum quia nec veris opibus ineſcaretur, virtus cæleſtis oſtenderit: ignoratur. Hoc tantum agnouimus, quia quod viſum eſt, aurum fuit. At ille magnitudinẽ admiratus radiantis metalli, rapido curſu quaſi quoddam vitaret incendium, ad montem vſque perrexit.

14 ¶ In decimooctauo verſu. Aqua potus, terra lectus. Idipſum Athanaſius his verbis conteſtatur. Diſponẽs Antonius durioris ſe vitæ lege diſtringere: cum omnes infatigabilem eius mirarentur inſtantiam, ſanctum toleranter ferebat laborem, quia volũtariæ ſeruitutis longum in dei opere ſtudium: conſuetudinem in naturam verterat. Inediæ autem & vigiliarum multum patiens erat: vt crudelitate m

tatem viribus vinceret. Pernoctabat in oratione ſæpiſſime. Edebat ſemel in die poſt ſolis occaſũ. Nonnũquã biduo, triduóq; ſic permanens quarta demũ die reficiebatur. Sumebat verò panem & ſalem, potúmque aquæ paululũ. De carnibus verò & vino, reticere melius puto: quã quicquam dicere, quoniam nec apud plurimos quidẽ monachorũ, iſtiuſmodi aliquid reperiatur. Quietus autẽ mẽbra concendens, iunco contexto & cilicio vtebatur. Aliquotiens etiam ſuper nudam humum iacebat. Et hoc viuendi genere ac inſtituto: centum & quinque annorũ expleuit ætatem.

21 ¶ In viceſimoprimo verſu. Confutatis Arrianis. Teſtis locupletiſsimus huiuſce confutationis eſt Athanaſius, ita ſcribens. Sic etiam Antonius Arrianos deteſtabatur: vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidam eſſe accedendũ. Nam cum veniſſent ad ipſum quidam Arrianitæ, reperta poſt eorum examinationem infideliſsima ſecta, effugauit eos de monte dicens multo ſerpentibus deteriores horum eſſe ſermones. Mentientibus autem Arrianis aliquando, Antonium ita vt ſe credere, admiratus eorum audaciam & iuſti doloris ira commotus: rogatúſque ab epiſcopis atque vniuerſis fratribus deſcendit Alexandriam, atque Arrianitas ſermone publico condemnauit: vltimam hanc eſſe hæreſim & precurſorem antichriſti affirmans. Prædicabátque in populo filium dei non facturam nõ ex nullis exiſtentibus: ſed propriũ & vnius cum patre ſubſtantiæ: ne creatura potius, aut adoptio, aut appellatio videatur, ipſũ eſſe dicens vel mente cõcipere: erat quando non erat, cũ verbum quod ſemper deus eſt: patri ſit coæternũ, quia ex ex deo natum eſt patre qui ſemper eſt. Vnde Aiebat Antonius. Cum Arrianis ſit vobis nulla coniunctio. Quę enim ſocietas lucis ad tenebras? Vos fideliter credẽtes: Chriſtiani eſtis. Illi verbum dei filium qui ex deo patre eſt, creaturam dicentes, nullo interuallo à gentilibus ſeparantur, qui ſeruierunt creaturæ magis quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Ipſa mihi credite iraſcuntur elementa, & omnis contra Arrianum furorem ſecũdum apoſtoli dictum ingemiſcit creatura, quòd ſic dominũ ſuum per quẽ omnia & in quo omnia facta ſunt: videat blaſphemari. Hæc tanti viri prædicatio, exprimi non poteſt, quãtum ad fidem

2. Corin. 6

Rom. 1

Rom. 8

fidem popolũ corroborauerit. Lætabantur quippe hoſtilé Chriſto & inimicã hæreſim anathematizari ab eccle. colũ na. De philoſophis a ũt ꝓphanis, idẽ author paulo pòſt ita refert. Aliquãdo autẽ philoſophi duo gentiles venerũt ad eũ: putãtes Antoniũ ſe poſſe decipere, erat verò in exterio ri mõte. Quos cũ vidiſſet: paganos ĩtellexit ex vultu, & ꝓ cedens ad eos ita cœpit dicere. Quare tã longe ad ſtultũ hominẽ ſapientes ſe vexare voluerunt. Illis autẽ dicentibus non eſſe illum ſtultum ſed nimium ſapientem: vigilãter reſpondit. Si ad ſtultũ veniſtis: ſuperfluus labor veſter eſt. Si autem putatis me eſſe ſapientem, & ſapientia bonũ eſt, imitamini quæ probatis: quia bona conuenit imitari. Si ego ad vos veniſſem: vos imitarer. Sed quia vos ad me quaſi ad ſapientem veniſtis: eſtote (ſicut & ego ſum) Chriſtiani. Abſceſſerunt philoſophi: vtrunque mirantes, & acumen ingenij & dæmonũ expulſionem. Alios quoque mundi ſapientes, qui eum irridere cupiebant quia literas ignorabat: tali diſputatione colligauit dicens. Reſpondere, mihi, quid prius eſt: ſenſus an literæ, & quid cuius exordium eſt, an ſenſus ſcilicet ex literis, an literę oriuntur ex ſenſu. illis aſſerentibus: quia ſenſus eſſet author & adinuẽtor literarũ: ait. Igitur cuius ſenſus incolumis eſt: hic literas nõ requirit. Quis præſentiũ, poſt hanc collocutionẽ non exclamauerit: cũ obſtupuerint & ipſi qui victi ſunt, tantã in viro literarũ imperito ſagacitatẽ admirantes. Hæc Athanaſius, qui deinde latius proſequitur, quomodo tertio ad Antonium venerint gentiles, ad irridendã fidem Chriſtianam, expoſcendámque illius rationẽ. Quos luculenta & præclara oratione Antonius cũ gratia & modeſtia cõfutauit, edocens potius in Chriſtũ crucifixũ eſſe credẽdum: qui tanta ante crucis tormentũ operatus eſt miracula & ſalutarẽ mundo doctrinã præbuit, & poſt crucis ſupplicium ſurrexit à mortuis, cælóſque conſcendit, quã in deos ipſos gentiliũ quorum ſpurciſſima decantãtur crimina: ſtupra, adulteria, infandæ libidines, cædes, furta, rapinæ, quorum oracula, cortinæ & tripodes obmuteſcunt, poſtquam nomen Chriſti prædicatum eſt, quorum denique templa, ſimulacra, idola, & cultus, virtute Chriſti ſunt exploſa. Demùm cum adeſſent illic dęmoniaci: ſiquid numinis (inquit)

quit)habẽt dij veſtri: virtute illorum dæmones ab his vexatis expellite, vt hoc argumento cognoſcatur eorũ diuina poteſtas. Quod ſi præſtare non potueritis, & ad inuocationẽ nominis Chriſti expellantur dæmonia ab iſtis obſeſſis: ſubmittite collum ad fidem Chriſti, eúmque vel hoc ſigno verum deum agnoſcite. Hæc vbi dixit Antonius: inuocato nomine Ieſu cum vitale ſignum crucis in ſacro nomine trinitatis impreſſiſſet frontibus dæmoniacorum: illico dæmones expulſi ſunt, & vana philoſophorum gentilium confutata eſt ſapientia. Qui in admirationem tanti ingenij quod in Antonio elucere perſpiciebant, pariter & ſignorum adducti: ab eo attoniti diſceſſerunt.

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Nam conuenit hũc viuentem. Beatus Hieronymus in vita ſancti Pauli primi eremitæ, quam eleganter & ſplendide conſcripſit: diffuſius enarrat, quomodo beatus Antonius diuina reuelatiõe admonitus: inuiſerit ipſum Paulũ vitæ eremiticę in illis finibus primum authorem & inchoatorem. Quem in prima ſua profectione inuenit adhuc ſuperſtitem: & habuit gratiſsimum hoſpitem. Cum verò ad ſuam cellam reuerſus Antonius denuo itineri ſe accinxiſſet, vt eundem ſecundo viſitaret: inter eundum vidit animam eius ſacratiſſimã ab angelis in cælum deferri. Ingreſſus autem ſpeluncã eiuſdem, corpus ipſius exanime flexis in terram genibus erectum conſpexit in ſpeciem orantis: quo quidem ſchemate & geſtu ipſe Paulus ſanctam deo animam reddiderat. Deinde duorum leonum nutu dei ſuperuenientium ad effodiendam ſepeliendo corpori foſſam, præſidio adiutus: ipſum ſacrum Pauli corpus terra condidit. Verùm quoniã hæc hiſtoria in præſente verſu & præcedente inſinuata, à beato Hieronymo in antedicto opere latius recitatur, non opus fuit eam ex integro repetere.

De ſancta Agnete:

ANimetur ad agonem,
Recolentes paſsionem
Glorioſæ uirginis.
2 *Contrectantes ſacrum florem*
Reſpiremus ad odorem

Reſperſæ

Reſperſæ dulcedinis.

3 Pulchra prudens & illuſtris:
Iam duobus Agnes luſtris
Addebat triennium.

4 Proles amat hãc præfecti,
Sed ad eius uirgo flecti
Reſpuit arbitrium.

5 Mira uis fidei:
Mira uirginitas.
Mira uirginei
Cordis integritas.

6 Sic dei filius
Nutu mirabili,
Se mirabilius
Prodit in fragili.

7 Languet amans: cubat lecto,
Languor notus fit præfecto,
Maturat remedia.

8 Offert multa, ſpondet plura,
Petiturus peritura.
Sed uileſcunt omnia:

9 Nudam proſtituit
Præſes flagitiis,
Quam Chriſtus induit
Comarum fimbriis,
Stolaq; cæleſti.

10 Cæleſtis nuncius
Aßiſtit propius
Cella libidinis
Fit locus luminis,
Turbantur inceſti.

11 Cæcus amans indignatur
Et irrumpens præfocatur
A maligno ſpiritu.

12 Luget pater, lugent cuncti,
Roma fleuit pro defuncti
Iuuenis interitu.

13 Suſcitatur ab Agnete.
Turba fremit indiſcrete,
Rogum parant uirgini,

14 Rogus ardens reos urit.
In furentes flamma furit.
Dans honorem numini.

15 Grates agẽs ſaluatori,
Guttur offert hæc lictori,
Nec ad horam timet mori,
Puritatis conſcia.

16 Agnes, agni ſalutaris
Stãs ad dexterã gloriaris,
Et parentes conſolaris
Inuitans ad gaudia.

17 Ne te flerent ut defunctam
Iam cæleſti ſponſo iunctã,
His ſub agni forma ſuam
Reuelauit, atque tuam
Virginalem gloriam,
Nos ab agno ſalutari

Non permitte ſeparari.
Cui te totam conſecraſti,
Cuius ope tu curaſti
Nobilem Conſtantiam.
19 *Vas electum, uas honoris,*
Incorrupti flos odoris.
Angelorum grata choris,
Honeſtatis & pudoris
Formam præbes ſeculo.
20 *Palma fruens triumphali,*
Flore uernans uirginali.
Nos indignos ſpeciali:
Fac ſanctorum generali
Vel ſubſcribi titulo.

Amen.

Hæc proſa rythmicæ modulationis legem eccleſiaſticis proſis familiarem & domeſticam ſeruat. Nam in compluſculis verſibus omnes clauſulæ rythmicæ præcedentes vltimam, adinuicem conſonant in ipſo exitu, & ſingulæ, octo complentur ſyllabis: quarum penultima eſt longa. Poſtrema verò illorum verſuũ clauſula reſponſum in cõſonantia habet ad vltimam proximi verſus, & ſeptem conficitur ſyllabis penultimáq; breui. At verò in quinto verſu & ſexto, ſimiliter in nono & decimo ſingulæ rythmicarum clauſularum ſex complectuntur ſyllabas, quarum in quatuor primis penultima ſyllaba ſẽper eſt breuis. In quinta autẽ noni & decimi verſus clauſula, penultima ſyllaba occurrit longa. Porrò quatuor primæ ſupradictorũ verſuum clauſulæ nunc alternis locis habent mutuum in ſimili deſinẽtia reſponſum: vt prima tertiç conſpiret, & ſecunda quartæ, nunc verò proximis locis poſitæ conſimili terminantur vocalitate, vt prima ad ſecundam referatur, & tertia ad quartam. Demùm poſtrema clauſula noni verſus: ad poſtremam decimi ſuam tenet conformitatem. Author eius: Adam de ſancto Victore, qui eleganti & canora modulatione totam glorioſæ virginis Agnetis paſſionem in illa complectitur: à capite ad calcẽ vſque eam perſequens, quod illi in aliis itidem proſis ſanctorum vitam & martyrium deſcribentibus: cõſuetudinarium eſt & peculiare. Inſuper apparitionem illam ſanctam, qua poſt fœlicem ſuam obdormitionem parentibus ſuis lugentib' ipſius mortem: ſuã manifeſtauit gloriam, inſinuat hic author, & Conſtantiæ reginæ curationem meritis beatæ Agnetis

netis præſtitam. Verùm quoniam beatus Ambroſius huius ſacræ virginis vitam & agonem pro Chriſto præclare & copioſè conſcripſit, & illa elucubratio cæteris eius operibus inſerta ab omnibus facilè haberi poteſt & legi:non ſunt pro clariori elucidatione illa quæ ad hiſtoriam paſſionis eius attinent hic repetenda,ſed ex ipſo potius ſuauiſſimo fonte haurienda.Itaque legatur ad horum intelligentiam Ambroſius.

2 ¶ ANNOTATIONES.In ſecundo verſu. Contrectantes ſacrum florem. Qui manibus pulchrum attrectat florem & ſuauiter olentem: haud dubiè reſpergitur dulci odore illius floris,& placida ipſius percipit ſpiracula. Ita (inquit)noſipſi ſacratæ deo virginis Agnetis(quę flos eſt ſpiritualis virgineo candore nitens, & effuſione ſui ſanguinis roſeus:dulciſsimúmque virtutum omnium ſpirans odorem)mores,vitam,& acta commemorantes: aſpergamur ſuauitate virtutum ipſius, & per ſedulam imitationẽ curramus in odore vnguentorum eius. 1.Cor.1

6 ¶ In ſexto verſu. Se mirabilius prodit in fragili. Beatus Paulus ad Corinthios ſcribens: dicit de Chriſto quòd infirma huius mundi elegit vt fortia quæque confundat, quod certe in victoria ſanctarum virginum de tyrãnis huius ſeculi,manifeſto declarat argumento. Nempe longe potentius ſuam oſtendit virtutem in tenellis illis virgunculis ſexu & ætate fragilibus, cum in eis confringit vires tyrannorum & dæmonum:quàm in viris animo robuſtioribus & maſculo vigore præditis. Idcirco ſancta eccleſia ipſius dei commendans omnipotentiam,illud ei pręconiũ aſcribit, quòd inter cætera potentiæ ſuæ miracula etiã in ſexu fragili victoriam martyrij contulerit.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Dans honorem numini. Dani.3
Sicut ignis fornacis Babylonicę comburens miniſtros regis qui eam incendebant, tres autem pueros omnino intactos relinquẽs: declarauit dei gloriam & virtutem,ſéque obedientem illi ſupra naturam exhibuit. Ita & ignis ille cui iniecta fuit beata Agne à ſeditioſa & furẽte turba:dedit honorem deo.Nam quaſi ſentiẽs nutum & imperium ſui factoris : exuſsit improbos idolorum cultores, & ſanctam Agnetẽ illæſam ſeruauit, vnde ipſius dei gloria manifeſtata eſt:& honor nominis eius acreuit.

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. His ſub agni forma ſuam. Hæc verba(ſicut & præcedentia & ſequentia) diriguntur à fideli populo in modum laudis & præconij ad ſacroſanctam virginem agnetem. O agnes(inquit)cæleſtis ſponſus tuus Ieſus Chriſtus,his parentibus tuis reuelauit ſuam gloriam ſub agni forma:qui ſimul tecum ipſis apparuit niue candidior. Reuelauit etiam iiſdem tuā virginalem gloriam, quam in cælis poſt huius vitæ curſum obtines immarceſsibilem.Verùm hæc reuelatio(ob quam inſtitutum eſt feſtum beatæ Agnetis ſecundo celebrādū: octauo ſcilicet poſt primi celebrationem die)à beato Ambroſio luculenter & ample in deſcriptione paſſionis eius explicatur.

18 ¶ In decimooctauo verſu. Tu curaſti nobilem Cōſtantiam. Hæc Conſtantia,filia fuit Conſtantini Romanorum imperatoris: graui quidem morbo affecta,& toto in corpore vulneribus afflicta. Quæ auditis mirabilibus à domino per beatam Agnetem factis,venit ad eius tumulū recuperandæ ſanitatis gratia. Neque ſuo fraudata eſt voto,nam ibidē placido correpta ſopore,& in ſomnis à glorioſa Agnete viſitata,integræ reſtituta eſt ſanitati, quemadmodum in loco ſupradicto denarrat eleganter Ambroſius. 20 ¶ In viceſimo verſu. Nos indignos ſpeciali Non eſt tanta in nobis(ait)vitæ ſanctimonia ſanctitatisq; excellētia: vt ſimus digni ſpeciali titulo ſanctorum,& nominemur atque habeamur particulari nuncupatione ſancti: ſicut ij qui in ſanctorum catalogum ſpeciatim nominatimque rediguntur. Sed id vnum præſtat tibi famulantibus ſeruis O beata Agnes: vt ſubſcribamur ſaltem generali titulo ſanctorū, comprehendamúrque ſub vniuerſali ipſorum nuncupatione : habentes partem hereditatis in regno dei. Quam quicunque demùm conſequuntur: haud dubie communi ſanctorum nomine continentur,etſi particularem illam denominationem apud homines non mereantur,neque ſanctorum ordini in terra ſint aſcripti.

DE SAN-

De ſancta Agnete: alia proſa.

LAus ſit regi gloriæ,
Cuius formam gratiæ
Solis ſplendor obſtupeſcit
2 In hortos eccleſiæ
Lilia colligere,
Tanquam ſponſus dũ proceßit.
3 Ecce Agnes inuenitur,
Et inuenta colligitur
Lilium de lilio.
4 Annulo cuius munitur,
Et in ſponſam eligitur
Regi, regis filio.
5 Cuius feruẽs in amore,
Mundũ ſpernit cũ decore,
Blandimentis nec tormẽtis
Emollita iudicis.
6 Cumq; mẽtis in feruore
Spõſum quærit ſponſæ more,
Spoliata ueſtimentis
Denſis latet capillis.
7 Tunc inducta lupanari,
Cella fulget, ut ſolari
Splendore, lucis copia.
8 Ab angelo confortari
Meruit, atque uelari
Cyclade auro contexta.
9 Illic uirgo ne tangatur,
Impudicus ſuffocatur
Pro quo Agnes dum precatur,
Reuiuiſcit iuuenis.
10 Per quem Chriſtus dũ laudatur,
Plebs hinc furens indignatur,
Agnẽ magnã proteſtatur:
Tradens hanc incendiis.
11 Sed ignis obſtupẽs cedit
Nec Agnẽ nec lanã lædit,
Eius roris & pudoris
Non ferens potentiam.
12 Cuius guttur enſis cædit,
Mortiq; uita ſuccedit.
Ecce uidit quod cupiuit:
Per ſponſi præſentiam.
13 Poſtquã ergo ſic triumphat,
Virgo martyr gaudẽs intrat
Sui ſponſi thalamum.
14 Apud quẽ nũc intercendat,
Vt cæli nobis concedat
Intrare palacium.
Amen.

Hæc proſa multiformem habet rythmi legem:& in di uerſis verſibus variam. Nempe in duobus primis : duæ primæ clauſulæ heptaſyllabæ ſunt,& penultimam haben-tes breuem,tertia verò octo complectitur ſyllabas:& pe-nultimam continet longam. In duobus verò ſequentibus è diuerſo duæ primæ clauſulæ ſunt octo ſyllabarum,con-tinéntque penultimam longam,& tertia heptaſyllaba eſt, penultimámque breuem ſeruat. In aliis autem verſibus: tres primæ clauſulæ adinuicem habent reſponſum in ſimi li deſinentia ſyllabarum, & quarta vnius verſus clauſula cum quarta proximi verſus aſſeruat hanc conſimilem ſo-noritatem:quemadmodum ſola ipſa lectio & rythmi men ſura ſatis prodit. Complectitur autem hæc proſa vitam & martyrium ſanctiſsimæ virginis Agnetis, haudquaquam diſcrepans à ſententia præcedentis proſæ,ex qua hæc prę ſens magnam capit lucem atque claritatem, neque multa indiget expoſitione.

1 ❡ ANNOTATIONES. In primo verſu. Cuius for-mam gratiæ, ſolis ſplendor obſtupeſcit. Alludere vide-tur hæc ſententia verbis ſacræ Agnetis, quæ reſpondiſ-ſe ſcribitur filio præfecti, capto eius amore, & expeten-ti eius nuptias, quæque in præconium huius inclitæ vir-ginis,ab eccleſia decantantur, hoc modo. Ipſi ſum deſ-ponſata cui angeli ſeruiunt , cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur,ipſi ſoli ſeruo fidē,ipſi me tota deuotio-ne committo. Et merito ſolis ſplendor obſtupeſcit formā & ſpecioſitatem regis glorię,quoniam vt de diuina ſapiē-

Sapien.7 tia quæ deus eſt:dicit Salomon. Eſt enim hæc ſpecioſior ſole,& ſuper omnem ſtellarum diſpoſitionem:luci com-parata,inuenitur prior. Illi ſuccedit nox,ſapiētiam autem non vincit malitia. Et in alio eiuſdem libro loco de genti libus qui ſolem & lunam rectores orbis terrarū deos pu-tauerunt loquens:ait. Quorum etſi ſpecie delectati deos putauerunt : ſciant quanto his dominator eorū ſpecioſior

Sapien.13 eſt,ſpeciei enim generator,hæc omnia conſtituit.

3 ❡ In tertio verſu . Et inuenta colligitur,lilium de li-lio. Tunc Chriſtus eccleſiæ ſponſus proceſsit in hortos ad colligenda lilia,vt dicit verſus præcedens:quando ip-ſe mortalitatis noſtræ forma indutus, ſacro ore deprom-pſit conſilium de virginitate ſeruanda in lege gratiæ: di-

cens

cens apud Matthæum. Et ſunt eunuchi qui ſe caſtrãt propter regnum dei, qui poteſt capere: capiat. Et cũ per apoſtolos ſuos eccleſiæ ſanctę fundatores, incitauit fideles ad calcãdas voluptates carnis: intemeratúmque pudorẽ deo conſecrandum, quod Paulus ad Corinthios ſcribens ſalubriter admonet. Cum itaque in hortis eccleſiæ catholicæ ſpõſus eius perquireret lilia ſpiritualia, quæ colligeret: beata Agnes in tenella adhuc ætate conſtituta, inuenitur inter candentia lilia virginum, inſpirata à domino ad conſecrandum illi inuiolatum ſuæ puritatis candorem. Et ab ipſo lilio, ſponſo ſcilicet virginum immo virgine puriſsimo: ipſa Agnes vt cãdidum lilium colligitur, virgóque à Chriſto aſſumitur, conſeruatur & protegitur. Eſt enim lilium, ob niueum ſuorum foliorum condorẽ, virginitatis inſigne. Et ipſe Chriſtus ſeipſum vocat lilium in cantico Canticorum: cum ait. Ego flos campi, & lilium conualliũ. Quinimmo & paſci inter lilia dicitur in eodẽ libro: quoniam nitidis ſacrarum virginum choris delectatur, & quoniam ſumme mundus eſt: mundorũ etiã gaudet conſortio.

Matth. 19 · *1. Cor. 7* · *Can. 1*

4 ¶ In quarto verſu. Annulo cuius munitur. Annulus datur in pignus fidei ſeruandę, coniugaliſque fœderis inter ſponſum & ſpóſum contracti. Et quoniam Agnes ſe in ſponſam Chriſti conſecrauerat, qui gratiam illi contulit ſeruandæ huiuſmodi deſponſationis, annulo eius inſignita hic dicitur, quemadmodũ & ipſa de ſponſo ſuo loquẽs proteſtatur his verbis. Annulo ſuo ſubarrauit me, dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus precioſis, induit me cyclade auro texta: & immenſis monilibus ornauit me, poſuit ſignum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem aſſumam: & ſanguis eius ornauit genas meas. Dicitur autem ipſa electa in ſponſam regi & regis filio: quoniam Chriſtus eius ſponſus, & rex eſt: vt in ſecundo pſalmo de ſe dicit, & regis æterni, dei ſcilicet patris filius. Quod propheta in pſalmo ad deum patrem de Chriſto verba faciens: ita innuit. Deus iudicium tuum regi da: & iuſtitiam tuam filio regis.

Pſal. 2 · *Pſal. 71*

6 ¶ In ſexto verſu. Sponſum quærit ſpóſæ more. In Cãtico canticorum deſcribitur ſponſa caſto ſui ſponſi amore languens: miro deſiderio & affectu ipſum abſentem quęrere. Inquit enim. Indica mihi quem diligit anima

Can.1 mea:vbi paſcas,vbi cubes in meridie:ne vagari incipiam poſt greges ſodalium meorum. Rurſum alio in loco. In lectulo meo per noctem quęſiui quem diligit anima mea. Quæſiui illum & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas: quærã quem diligit anima mea.
Can.3 Quæſiui illum & non inueni. Inuenerunt me vigiles:
Ibidem. qui cuſtodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea: vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos: inueni quem diligit anima mea. Denique alio in loco eadem ait. Anima mea liquefacta eſt: vt dilectus locutus eſt. Quæſiui &
Can.5 non inueni illum: vocaui & non reſpondit mihi. Adiuro vos filiæ Hieruſalem,ſi inueneritis dilectum meũ vt nunctietis ei: quia amore langueo. Eo igitur feruore & affectu ardenti ſancta Agnes ſuum quæſiuit ſponſum: parata pro eo contumelias & mortem pati.

8 ¶ In octauo verſu. Cyclade auro contexta. Cyclas, veſtis fœminea:rotunda,tenuiſſima,explicatilis & ſpacioſa,id nominis ſortita à cyclos dictione græca,quæ circulũ ſignificat. quoniam circularis & in orbem deductæ eſt figuræ. Iuuenalis. Hæ ſunt quæ tenui ſudant ex cyclade. Rurſum Propertius. Et longa cyclade verrit humũ.Sic Ipſa beata Agnes ornamenta ſibi à ſponſo ſuo tradita dinumerans:ita ſuperius dixiſſe memoratur. Induit me dominus cyclade auro contexta & immenſis monilibus ornauit me.

10 ¶ In decimo verſu. Agnem magnam proteſtatur. Nomina propria virorum aut mulierum tertiæ inflexionis, deſinentiam in es & habentia crementum in obliquis per e longum: plærunque etiam obliquos habent ſine cremẽto æquales nominatiuo in numero ſyllabarũ, vt Chremes genitiuum facit Chremetis vel Chremis: Dares, Daretis vel Daris: Hermes, Hermetis vel Hermis. Ita & Agnes in genitiuo format Agnetis vel Agnis, à quo ſecundo genitiuo deducitur accuſatiuus Agnem: in præſente verſu poſitus, & in ſequente repetitus. Cætera huius proſæ loca annotationem expoſcentia, ex præcedentis proſæ enodatione clareſcunt.

De ſancto

De ſancto Vincentio.

ECce dies præoptata,
Dies fœlix, dies grata,
Dies digna gaudio.
2 *Nos hanc diem ueneremur,*
Et pugnantem admiremur
Chriſtum in Vincentio.
3 *Ortu, fide, ſanctitate,*
Senſu, uerbo, dignitate,
Clarus: & officio.
4 *Hic arcem diaconi:*
Sub patris Valerij
Regebat imperio.
5 *Linguæ præſul impeditæ*
Deo uacat & Leuitæ
Verbi dat officia.
6 *Cuius linguam ſermo rectus:*
Duplex quoque, ſimplex pectus
Exornat ſcientia.
Dumq; fidem docet ſanam
Plebem Cæſar auguſtanam
Comitante gratia.
Sæuit in eccleſiam
...ans idolatriam
...æſidis inuidia.
Poſt auditam fidei conſtantiam
Iubet ambos pertrahi Valentiam
Sub catenis.
10 *Nec iuueni parcitur egregio:*
Nec ætas attenditur ab impio
Sancti ſenis.
11 *Feſſos ex itinere,*
Preſſos ferri pondere:
Tetro claudit carcere
Negans uictualia.
12 *Sic pro poſſe nocuit:*
Nec pro uoto potuit.
Quia ſuos aluit.
Chriſti prouidentia.
13 *Seniorem relegat exilio:*
Iuniorem reſeruat ſupplicio
Præſes acerbiori.
14 *Equuleum perpeſſus & ungulam*
Vincentius: conſcendit craticulam
Spiritu fortiori.
15 *Dum torretur, non torretur,*
Chriſtum magis confitetur,

Nec

Nec tyrannum reueretur
In eius præſentia.
16 *Ardet uultus inhumanus:*
Hæret lingua, tremit manus.
Nec ſe capit Datianus
Præ cordis inſania.
17 *Inde ſpectu martyr retruditur*
Et teſtulis fixus illiditur
Multa tamen hic luce fruitur:
Ab angelis uiſitatus.
18 *In lectulo tandem repoſitus:*
Ad ſuperos tranſit emeritus.
Sicq; ſuo triumphans ſpiritus
Eſt principi præſentatus.
19 *Non cõmuni ſinit iure*
Virum tradi ſepulturæ:
Legi ſimul & naturæ
Vim facit malitia.
20 *In defunctum iudex ſæuit:*
Hinc defuncto laus accreuit.
Nam quo ueſci conſueuit:
Reformidat beſtia.
21 *En cadauer inhumatum*
Coruus ſeruat illibatum:
Sicq; ſua ſceleratum
Fruſtratur intentio.
22 *At prophanus Datianus*
Quod conſumi nequit humi
Vult abſcondi ſub profundi
Gurgitis ſilentio.
Nec tenetur à molari,
Nec celari poteſt mari.
Quem nunc laude ſingulari
Venerari uoto pari
Satagit eccleſia.
24 *Vſtulatum corpus igne,*
Terra, mari fit inſigne.
Nobis Ieſu da benigne
Vt cum ſanctis te condigne
Laudemus in patria.
Amen.

¶ Hæc proſa rythmicæ orationis tenet menſuram: ſed in diuerſis verſibus variam. In aliquibus enim ſingulæ clauſulæ præter vltimã octo ſunt ſyllabarum: & penultimã habent longam. In aliis verò ſeptem ſyllabarum & penultimam tenent breuem. Occurrent & nonnulli verſus, complexi in ſingulis ſuarum clauſularum ante poſtremam, vndecim

decim ſyllabas :in vltima verò nunc quatuor ſyllabas, vt in nono & decimo verſu, nunc verò ſeptem: vt in decimotertio & decimoquarto. Demùm ſunt alij in ſingulis ſuis clauſulis nouiſsimam præcedentibus, comprehendentes decem ſyllabas, in vltima verò: octo, vt decimuſnonus & viceſim⁹. Interdum verò ſingulæ eiuſdem verſus clauſulę citra extremam conſonantiam ſeruant medij ad ſuum finem, vt in viceſimoquarto verſu. Author eius Adã de ſancto Victore. Continet autem hæc ſacrum beati Vincentij pro Chriſto agonem: vincula, carcerem, eculeum, craticulam, & fragmenta teſtea, quibus omnibus ſuperatis: fœlix martyr cum inſigni triumpho cælos introiit. Quinimmò & exanimis ipſius ſancti corporis de ſæuo tyranno & in terra & mari victoriam: etiam commemorat. Verũ hæc ex ſacra vitæ ipſius hiſtoria ſatis vulgata, facile perſpici poſſunt: neque ſunt hic repetenda.

4 ¶ ANNOTATIONES. In quarto verſu. Hic arcem diaconi. Arcem: culmen, dignitatem, apicem. Nam beatus Vincentius iam ſacris erat initiatus, & diaconatus ordinem adeptus ſub ſancto Valerio epiſcopo & patre ſuo ſpirituali: in cuius comitatu & famulatu miniſterium rei eccleſiaſticæ impendebat. Hinc leuita cognominatur Vincentius: quoniam veteris teſtamenti Leuitis & de ſtirpe Leui exortis, in cultus diuini officio conformabatur. Et certè nõ carne ſed ſpiritu leuita fuit: qui (vt illi) miniſterio tabernaculi & altaris erat addictus.

8 ¶ In octauo verſu. Duplex quoque ſimplex pectus. Duplex in beato Vincentio ſcientia fuit: vitæ actiuæ ſcientia, pariter & cõtemplatiuę. Nouit enim & ea quę vitę actiuæ erant pariter & exercuit, docens populum aſsidua prædicatione & ſacrarum rerũ inſtitutione, necnõ adminiſtratione ſacramentorum eundem illuminans. Nouit item & ea quæ vitæ contemplatiuæ erant munera & peregit: ab actione in contemplationem diuinorum ſe reuocãs, & per orationis ſtudium atque lectionis ad tranquillam dei in ſecretis animi penetralibus ſpeculationem ſe erigens. Hinc de illo ſancta canit eccleſia. Sanctus Vincentius à pueritia ſtudiis literarũ traditus, ſuperna ſibi prouidente clementia gemina ſcientia efficaciſſime claruit. Hæc autem duplex ſcien-

ſcientia ornauit eius ſimplex pectus:id eſt non ſubdolum neque doloſum,quomodo & Iob dicitur vir ſimplex & rectus:ac timens deum. Et apoſtoli à domino iubentur eſſe ſimplices ſicut columbæ. Iob.1. Mat.10

9 ¶ In nono verſu. Plebem Cæſar auguſtanam. Cæſarauguſta vrbs eſt Hiſpaniæ Taraconenſis:in qua ſanctus Valerius epiſcopum gerebat,& Vincentius diaconum. Inde adiectiuum formatur Cæſarauguſtanus:nomen patrium. Sic & Valentia hoc loco proprium eſt vrbis nomen. Nam appellatiuum & commune ſignificat valitudinem,ſicut ei⁹ oppoſitum inualentia:inualitudinem.

13 ¶ In decimotertio verſu. Negans victualia. Victualia dicuntur ea quæ ad victum pertinent atque alimoniam & tam cibum quàm potum comprehendunt. Ambroſius de apibus. Cernas omnes certare de munere :alias inuigilare quærendo victualia, alias ſolicitam caſtris adhibere cuſtodiam.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Sic pro poſſe nocuit. Vix apud authores præpoſitio verbo infinitiuo, accuſatiui caſus aut ablatiui locum tenenti adiuncta repetitur, apud quos triuialis & inconcinna cenſeretur hæc oratio:ſecundum poſſe meum:vel pro poſſe meo id feci. Excuſand⁹ tamen & venia dignandus eſt author:quoniam propter certum numerum ſyllabarum in ea clauſula conſtringendum non pro viribus aut pro virili,aut alio conſimili modo eleganti id dicere potuit.

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. Et teſtulis fixus illiditur. Hic potius illiditur per i in ſecunda ſyllaba :quàm illuditur per u(vt aliqui habent libri)eſt legendum, quoniã accommodatior eſt & congruentior propoſito ſententia. Nõ enim tum illuſus eſt,aut irriſionibus verbiſque inſultatoriis impetitus Vincentius:ſed illiſus fragmentis teſtarum in pauimento carceris conſtratarum legitur.

20 ¶ In viceſimo verſu. Ad ſuperos tranſit emeritus. Dicitur miles emeritus,qui iam militia perfunctus eſt:& propter ingraueſcentem ætatem à militiæ laboribus abſolut⁹ vacationem habet. Claudianus. Ducũt emeritos ad paſcua nota iugales. Ita beatus Vincentius peracto duro certamine martyrij,in quo ad mortem vſque deſudauit:iam defunctus ea militia,cælos triumphans conſcendit.

¶ In

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Nam quo: veſci conſueuit. Coruus enim paſci cadaueribus ſolet: nunc autem diuino nutu factus eſt cuſtos ſacri corporis emortui, neque ſolum illud non contigit: ſed inſuper ne ab aliis feris tangeretur prohibuit, vt olim legitur coru⁹ animal ingluuiei deditum: detuliſſe ad Heliam prophetam panem & carnes. Porrò hic per diæreſim conſueuit quadriſyllabum verbũ legi debet: vt ea clauſula octo ſit ſyllabarum.

23 ¶ In viceſimotertio verſu. Fruſtratur intentio. Fruſtratur verbum deponens: hic actiuam habet ſignificationem. Nam accuſatiuum habet ſibi adiunctum: tantundémque valet atque fraudat, fallit, ſiue eludit. Plautus. Neſcio quis præſtigiator hanc fruſtratur mulierem. Cum enim paſſiuam habet ſignificantiam: potius ablatiuo iungitur, vt ſceleratus præſes ſua intentione fruſtratus eſt. Sed hæc ſtatim nota.

26 ¶ In viceſimoſexto verſu. Vſtulatum corpus igne. Vſtulare: comburere, concremare, ab vro quod ſupinum habet vſtum deducitur, Pacuuius. Candenti ferro crines vſtulare. Inde participium vſtulatus, id eſt ambuſtus & exuſt⁹. Liuius. Pauci ſemiuſtulati venere in poteſtatem.

In conuerſione Pauli.

Corde, uoce pulſa cælos:
Triumphale pange melos
Gentium eccleſia.
2 *Paulus doctor gentium*
Conſummauit ſtadium
Triumphans in gloria.
3 *Hic Beniamin adoleſcens,*
Lupus rapax, præda ueſcens
Hoſtis eſt fidelium.
4 *Mane lupus ſed ouis ueſpere.*
Poſt tenebras lucente ſydere
Docet euangelium.
5 *Hic mortis uiam arripit,*
Quem uitæ uia corripit:
Dum Damaſcum graditur
6 *Spirat minas; ſed iam cedit.*
Sed proſtratus iam obedit:
Sed iam uinctus ducitur.

Ad

7 *Ad Ananiā mittitur :*	*Dei ſapientia.*
Lupus ad ouem trahitur,	14 *Raptus ad cælum tertium.*
Mens reſedit effera.	*Videt patrem & filium.*
8 *Fontis ſubit ſacramentum:*	*In una ſubſtantia.*
Mutat uirtus in pigmentū	15 *Roma potens & docta Græcis*
Vnda ſalutifera.	*Præbet colla, diſcit myſteria,*
9 *Vas ſacratum uas diuinum,*	*Fides Chriſti proficit.*
Vas propinās dulce uinum	16 *Crux triumphat, Nero ſæuit.*
Doctrinalis gratiæ.	*Quo docente fides creuit,*
10 *Synagogas circuit,*	*Paulum enſe conficit.*
Chriſti fidem aſtruit	17 *Sic exutus carnis molem*
Prophetarum ſerie.	*Paulus, uidet uerum ſolem*
11 *Verbum crucis proteſtatur,*	*Patris unigenitum.*
Cauſa crucis cruciatur,	18 *Lumen uidet in lumine,*
Mille modis moritur.	*Cuius uiuemus numine*
12 *Sed perſtat uiuax hoſtia*	*Gehennalem gemitum.*
Et inuicta conſtantia	*Amen.*
Omnis pœna uincitur.	
13 *Segregatus docet gētes*	
Mundi uincit ſapientes	

❡ Hæc proſa conſimilem præcedenti habet compoſitionē rythmicam, ſed non adeò variam. Semper enim hic ſinguli verſus, tres complectuntur clauſulas rythmicas, quarum poſtrema ſeptem vbique clauditur ſyllabis. Præcedētes verò clauſulæ modo ſeptem complentur ſyllabis, vt in ſecundo verſu, modo octo, vt in primo, modo decem, vt in quarto verſu. Author eius: Adam de ſancto Victore. Deſcribit autem admirandam beati Pauli ad Chriſtum cōuerſionem in Actis apoſtolorum nono capite explicatam, ſolicitudinē quoque eiuſdem & diligentiam prædicandi euangelium : quæ ex epiſtolis eius & hiſtoria ſacra Actuum apoſtolicorum

rum etiam liquido perſpicitur,& denique fœlicem curſ*
eius conſummationem per martyrium.

3 ❡ANNOTATIONES. In tertio verſu. Hic Beniamin adoleſcens. Hæc ſententia ſumpta eſt ex prophetia ipſius Iacob, qui benedicens filiis ſuis ante mortem: dixit ad Beniamin. Beniamin lupus rapax: mane comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia. Quæ verba de beato Paulo intelligenda eſſe: declarat gloſſa ibidem dicens. Paulus ſignificatur, qui de Beniamin, qui in primordio fideles perſecutus, veſpere diuiſit ſpolia: quia fidelis factus ſacra eloquia diſpenſauit. Gen.49.

5 ❡In quinto verſu. Hic mortis viam arripit. Mortis via: eſt via illa lata quæ ducit ad perditionem. Eam arripit quiſquis peccatum committit,& deo neglecto tendit ad interitum. Via vero vitæ: Chriſtus eſt, qui dicit de ſeipſo. Ego ſum via, veritas & vita. Nemo venit ad patrẽ: niſi per me. Ioan.14 Act.9.

6 ❡In ſexto verſu. Sed iam vnctus ducitur. Non eſt id de vinculis materialibus intelligendum. Nam comites eius qui ad manus duxerunt eum. Damaſcum quòd cæcutiens eſſet & propemodum oculis captus ex apparitione illi facta in via: non ſtrinxerunt eum cathenis, cum eſſent ei familiares & domeſtici. Sed hoc accipiendum eſt de vinculis obedientiæ ad deum: quibus ita fuit conſtrictus, vt ſponte duceretur quocunque deus illum ire iuberet.

9 ❡In nono verſu. Vas ſacratum, vas diuinum. Alludit author ad verba illa domini dicta Ananiæ de Paulo. Vade quoniam vas electionis eſt mihi iſte: vt portet nomẽ meũ coram gentibus,& regibus,& filiis Iſrael. Et certè ipſe fuit vas admirabile & opus excelſi: ornatum omni lapide precioſo gratiarum & virtutum. Eccl.43

11 ❡In vndecimo verſu. Verbum crucis proteſtatur. Verbum crucis vocatur hic fides de Chriſto crucifixo: totius mundi ſaluatore. De quo Paulus. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Et eo loquendi genere vtitur etiam Paulus cum ait. Verbum crucis: pereuntibus ſtultitia eſt. Ita in decimoſexto verſu crux dicitur triumphare: quoniam per prædicationem Pauli fides de cruce Chriſti omniquaq; dilatata, cultum idolorum & ſpurcitiam ſuperſtitionum eliminauit orbe ac propulſauit. At quàm graues ſuſtinuerit per- 1.Cor.1.

perſecutiones Paulus & tormenta propter verbum crucis, & quomodo in mortibus frequenter & in periculis ſæpe fuerit verſatus: ſecunda ad Corinthios epiſtola capite vndecimo & duodecimo latius explicat vbi etiam de raptu eius in cælum (cuius meminit verſus decimuſquartus) fit mentio.

Rom.11. 13 ¶ In decimotertio verſu. Segregatus docet gentes. Id reſpondet verbis beati Pauli: quibus ad Romanos ſcribens dicit ſe vocatum apoſtolum & ſegregatum in euangelium dei. Reſpondet & illi ſententiæ quæ in Actis apoſtolorum ſcribitur. Miniſtrantibus (inquit) illis domino & ieiunantibus: dixit illis ſpiritus ſanctus. Segregate mihi ſaulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos. Docere autē gentes dicitur, quoniam à deo delectus fuit ad hoc miniſteriū vt gentibus euangelium prædicaret: ſicut ipſemet Paulus de ſeipſo teſtatur ad Galatas dicens. Cum autem placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt euangelizarem illum in gentibus. Et ita reliquæ huius proſæ ſentētiç: ad locum aliquem aut Actuum apoſtolorum, aut epiſtolarum Pauli ex quo ſumptæ ſint reuocari debent,

18 ¶ In decimooctauo verſu. Lumen videt in lumine. Patrem ſcilicet deum in filio, qui eſt lumen de lumine, ſecundum illud verbum pſalmi ex quo hic locus ſumptus eſt. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Vel in lumine ſpirituali & ſuperintellectuali cæleſtis gloriæ: videt Paulus deum qui eſt verum lumen.

In purificatione beatæ Mariæ proſa.

1 *Concentu parili hic te Maria ueneratur populus, teq; piis colit cordibus. Generoſi Abrahæ tu filia ueneranda: regia de Dauidis ſtirpe genita. Sanctiſſima corpore, caſtiſſima moribus: omniumq; pulcherrima uirgo uirginum. Lætare mater & uirgo nobilis Gabrielis archangelico quæ oraculo credula, genuiſti clauſa filium.*

In

2 *In cuius ſacratiſſimo ſanguine emundatur uniuerſitas perditiſsimi generis,ut promiſit deus Abrahæ.*

3 *Te uirga arida Aaron flore ſpecioſa, præfigurat Maria,ſine uiri ſemine nato floridam.*

4 *Tu porta iugiter ſerata,quam Ezechielis uox teſtatur Maria,ſoli deo peruia eſſe crederis. Sed tu tamen matris uirtutum dum nobis exemplum cupiſti commendare, ſubiſti remedium pollutis ſtatutum matribus. Ad templum detuliſti tecum mundandum,qui tibi integritatis decus de⁹ homo genitus adauxit intacta genitrix.*

5 *Lætare,quam ſcrutator cordis & renum probat habitatu proprio ſingulariter dignam,ſancta Maria. Exulta(cui paruulus arriſit tunc) Maria,qui lætari omnibus et conſiſtere ſuo nutu tribuit.*

6 *Ergo quique colimus feſta paruuli Chriſti propter nos facti,eiuſque piæ matris Mariæ, Si non dei poſſumus tantam exequi tardi humilitatem, forma ſit nobis eius genitrix.*

7 *Laus patri gloriæ,qui ſuum filium gentibus & populo reuelãs, Iſrael nos ſociat. Laus eius filio,qui ſuo ſanguine nos patri reconcilians,ſupernis ſociauit ciuibus. Laus quoque ſpiritui ſancto ſit per æuum.Amen.*

¶Hæc proſa ſolutam habet compoſitionem ſine aliqua rythmi lege aut forma. Prædicat autem eximias ſacroſanctæ virginis prærogatiuas:nobilitatem generis,vitæ ſanctitatem ,partus dignitatem,& virginalem integritatem, quã multis figuris præmonſtratam fuiſſe declarat. Demùm cõmendat præclaram virginis glorioſæ humilitatem, qua legem purificationis poſt partum(cui tamen non erat ſubiecta)implere voluit.

1 ¶ANNOTATIONES. Cõcentu parili hic te Maria. Parili,æquali,conſono,concordi, & vnanimi. Deducitur autem id nomen ab adiectiuo par,aris,vt æquale ſignificat Corripit ſecundam ſyllabam,formatq; de ſe ſubſtantiuum nomen parilitas quod æqualitatem ſignat. Concent⁹ verò

à verbo concino,is,ere,deductum nomen (vt norunt omnes)ſymphoniam,conſonantiam,& multorum ſimul cantum ſignificat.

2 ¶ In cuius ſacratiſſimo ſanguine. Humani generis(quod perditum erat per peccatum,& maledicto ſubiectum)vniuerſitas,emundata eſt per ſanguinem Chriſti, qui (vt ait
Apo.1. Ioannes in Apocalypſi) dilexit nos & lauit nos à peccatis
Heb.9. noſtris in ſanguine ſuo. Et ſicut ſcribit Paulus ad Hebręos ſanguis Chriſti qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum deo,emũdauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum deo viuenti. Illud autem
Gen.12. promiſit deus Abrahæ,cum dixit ei quòd in ſemine ipſius benedicendæ eſſent omnes gentes. Hoc enim in nemine exorto de Abraham completum eſt,quàm in domino noſtro Ieſu Chriſto.

3 Te virga arida Aaron. Duæ hic figuræ adducuntur ex veteri teſtamento,integritatis virginalis in Maria,dei matre prænunciæ. Prior ex libro Numeri, vbi ſumptis duodecim virgis ſecundum numerum tribuum Iſraeliticarum:ſola virga Aaron legitur ſine humore & fomento terræ frõduiſſe,floruiſſe,& fructum protuliſſe. Altera ex Ezechiele propheta:cui oſtenſa fuit porta ſemper clauſa: per quã
Num.17. ſolus princeps Iſrael ingreſſus eſt. Verum vtraque iſtarũ ſuperius ſæpenumero eſt explicata.

4 ¶ Matris virtutum dum nobis exemplum. Matris virtutum,id eſt humilitatis,quæ baſis eſt & fundamentum omnium virtutum,ſicut ex oppoſito,initiũ omnis peccati eſt ſuperbia,ſecundum Eccleſiaſticum. Itaque ſenſus huius loci eſt,quòd beata virgo cupiens nobis commendare exemplum humilitatis quæ eſt mater virtutum,ſubiit remedium ſtatutum pollutis matribus,vtpote legẽ purificationis poſt partum,Leuitici duodecimo cap. latam,cui tamen ipſa non erat obnoxia:cum non pepererit filium ſuſcepto ſemine, ſed ſpiritus ſancti virtute.

5 ¶ Lætare,quam ſcrutator cordis. Scrutans corda & renes,deus eſt:ſecundum prophetam,& qui nouit abſcondita cordis. Quoniam igitur ipſe intima cognoſcens noſtræ penetralia mentis, ſacroſanctam virginem approbauit & acceptauit vt dignam in qua domicilium ſuæ maieſtatis cõſtitueret:id argumento eſt admirandam puritatem & ſanctitatẽ

ctitatem fuiſſe in ipſa, quam præ omnibus deus elegit vt in ea & ex ea ſumeret noſtræ carnis ſubſtantiam. Sicut enim dei prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur: ita neque eius ſapientia in electione rerum decipitur. Ipſe autem lætari omnibus & conſiſtere tribuit, vt paulo pòſt dicit litera: quoniam vt ait Paulus ad Athenienſes ſtans in medio Areopagi, deus dat omnibus vitam & inſpirationem & omnia, & in ipſo viuimus, mouemur & ſumus.

6 ¶ Ergo quique colimus feſta. Quique non vniuerſalitatem hic ſignat abſolutè, neque tantum valet ſicut omnes quanuis quiſque idem ſit quod omnis, ſed tantum ſignificat vt quicunque, & hypotheticam cõſtituit enunciationẽ.

7 ¶ Qui ſuum filium gentibus & populo reuelans. Reuelauit deus pater filium ſuum gentibus, cum ſtella duce Magi tanquam primitiæ electionis gentium ad ipſum adorandum approperarunt. Reuelauit eundem & populo Iſraelitico, cum paſtores angelo annunciante didicerunt eius natiuitatem, cum etiam iuſtus Simeon & Anna propheti ſſa in templo palàm de illo perhibuerunt teſtimonium: quòd eſſet ſaluator mundi. Idem quoque deus pater ſociat nos ipſi Iſrael, in conſortio & communione fidei: quoniam per apoſtolorum prædicationem nos etiam vocauit ad eandẽ fidem ad quã populus Iſrael vocatus eſt, eiuſdémque myſterij fidei, nos ſicut & illos reddidit participes. Enimuerò noſipſos fecit etiam Iſraelitas non carne ſed ſpiritu, quoniam fideles, & fide videntes deum nos effecit ex ſuæ bonitatis indultu.

In purificatione beatæ Mariæ proſa.

Lux aduenit uenerãda
Lux in choris iubilanda
Luminoſis cordibus
2 *Huius læta lux diei,*
Feſtum refert matris dei
Dedicandum laudibus.
3 *Vox exultet modulata.*
Mens reſultet medullata:
Ne ſit laus inutilis.
4 *Sic laus deo decantetur:*
Vt in eo collaudetur.
Mater eius nobilis.
5 *Glorioſa dignitate,*
Viſceroſa pietate:
Compunctiua nomine.

6 Cum honore matronali,
Cum pudore uirginali,
Nitet cæli cardine.
7 Rubus quondam exardebat
Et hunc ardor non urebat
Nec uirorem nocuit.
8 Sic ardore ſpiritali,
Non attactu coniugali,
Virgo deum genuit.
9 Hæc eſt ille fons ſignatus,
Hortus clauſus, fœcundatus
Virtutum ſeminibus.
10 Hæc eſt illa porta clauſa,
Quam latente deus cauſa
Clauſerat hominibus.
11 Hæc eſt uellus trahens rorem,
Plenus ager dans odorem
Cunctis terræ finibus.
12 Hæc eſt uirga ferens florem
Terra ſuum ſaluatorem
Germinans fidelibus.
13 Hæc eſt dicta per exemplum
Mons, caſtellum, aula, templum,
Thalamus, & ciuitas.
14 Sic eidem, aliorum
Aſsignatur electorum
Nominum ſublimitas.
15 Cuius preces, uitia,
Cuius nomen, triſtia,
Cuius odor: lilia,
Cuius uincunt labia,
Fauum in dulcedine.
16 Super uinum ſapida,
Super ciuem candida,
Super roſam roſida,
Super lunam lucida
Veri ſolis lumine.
17 Imperatrix supernorũ
Superatrix infernorum,
Eligenda uia cæli,
Retinenda ſpe fideli,
Separatos à te longe,
Reuocatos à te, iunge
Tuorum collegio.
18 Mater bona quam rogamus
Nobis dona quod optamus.
Nec ſi ſpernas peccatores.
Vt non cernas precatores
Reos ſibi diffidentes,
Tuos tibi confidentes
Tuo ſiſte filio.
Amen.

¶ Hæc proſa compoſitionem habet rythmicam ſatis conformem. Nam ferè in ſingulis verſibus clauſulæ rythmicæ omnes,

omnes, octo ſunt ſyllabarum & penultimam habent longã præterquam in decimoquinto & decimoſexto verſu, vbi ſingulæ clauſulæ ſeptem coercentur ſyllabis & penultima breui. Author eius: Adam de ſancto Victore. Commendatur in ea multifariã ſacratiſſima virgo Maria ob dotes præcipuas & dona gratiarum: quib⁹ à domino locupletata eſt, multis item antiquæ legis figuris fuiſſe præmonſtrata oſtẽditur: variiſque inſignita nominibus, quibus in veteris paginæ ſcriptura, honorata & prædicata dinoſcitur.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Lux in choris iubilanda. Chorus cum aſpiratione, interdum conuentum & multitudinem hominum ſignificat: & veluti coronã eorum qui ad ludos conueniunt, ſiue ſaltantium atque canentium, nam multorum vocibus & concentu conſtat. Hieronymus. Vbicunque chorus eſt: ibi diuerſæ voces in vnũ canticum congeruntur. Quomodo enim diuerſæ chordæ vnam vocem efficiunt cantici: ſic & diuerſæ voces cum ſimul fuerint congregatæ chorum domini efficiunt. Habétq; primam ſyllabam breuem. Virgilius. Veſcentes, lætúmque choro Pæana canentes. Idem. Omnis quam chorus, & ſocij comitantur ouantes. Interdum verò (vt ſcribit Hieronymus ad Dardanum) chorus eſt muſicum inſtrumentum ex ſimplici pelle cum duabus cicutis æreis: quod per primam inſpiratur, & per ſecundam vox emittitur. Quo modo accipitur in eo pſalmi loco. Laudate dominum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo. Hic autẽ pro alterutro datorum ſignificatorum ſumi poteſt: nam in vtroque apta eſt ſententiã.

3 ¶In tertio verſu. Mens reſultet medullata. Nomine medullæ, adipem & pinguedinem ſpiritus affectuoſúmque motum cordis in deum: hic author inſinuat. Inutilis enim eſt laus, vbi ſola eſt vocis modulatio: & mens ipſa torpet ignaua, languet arida, nullóque affectu in deum mouetur.

5 ¶In quinto verſu. Compunctiua nomine. Quoniam nomen eius frequenter inuocatum, inducit compunctionẽ deuotionis cordibus humanis: ſicut & nomen Ieſu benedictum in ſecula. Qui enim ſæpius id nomen venerandũ habent in ore: ſentiunt quendam motum cordis ſingularem in deum, quem alias non perciperent.

7 ¶In ſeptimo verſu. Rubus quondam exardebat. Ru-

bus à Moyſe conſpectus vt ardens & tamen illæſus:illabe
Exod.3. factam ſignabat matris dei virginitatem:vt ante etiam dictum eſt in ſecundo libro,in explanatione antiphonæ.
Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, Porrò verbū noceo ferè ſemper datiuum ſecum expoſcit, Interdum ta-
Iudith.16. men accuſatiuo iunctum inuenitur in ſacris literis: vt in cantico Iudith. Dominus autem omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus fœminæ, & confudit eum. Et in euangelio Lucæ. Et cum proiecisſet illud dæmonium in medium:exiit ab illo, nihilque illum nocuit. Ita & hoc in loco ponitur:quod tamen non eſt in imitationem trahendum.

9 ¶ In nono verſu. Hæc eſt ille fons ſignatus. Inſinuatur
Luc.4. & ſacra virgo Maria per fontem illum & hortum: de quo dicit Salomon in Canticis. Hortus concluſus, ſoror mea
Cant.4. ſponſa: hortus concluſus, fons ſignatus. Hortus inquam cōcluſus diuino præſidio & virtutum munitionibus,ne in illum,ingreſſum habeant hoſtiles inſidiæ. Fons item ſignatus totius trinitatis ſignaculo: & peculiari ipſius filij dei ſigillo.

10 ¶ In decimo verſu. Hæc eſt illa porta clauſa. Sicut in præcedente proſa iam dictum eſt: per portam Ezechielis
Ezech.44 clauſam intelligitur intacta ſanctæ dei matris integritas. Et illam deus cunctis hominibus occluſit vt ſibi ſoli foret peruia,& tamen ſemper clauſa. Huius autem occluſionis cauſa:tunc quidem latuit homines. Nunc autem ipſo reuelante,& myſterium ex rei effectu aperiente, patefacta eſt.

11 ¶ In vndecimo verſu. Hæc eſt vellus trahens rorem. Significata eſt etiam beata dei genitrix: per vellus Ge-
Iudicum 6. deonis cæleſti rore irrigatum, quòd ſola omnium mulierum ſpiritu ſancto fœcundata:cæleſtem ædidit prolem. Significata eſt & per agrum plenum fructibus,& miro fragrantem odore:de quo Iſaac benedicturus filio ſuo Iacob ait. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni:cui benedixit dominus.

Gene.27. 12 ¶ In duodecimo verſu. Hæc eſt virga ferens florem.
Num.27. Signata fuit itidem ſacrata virgo per virgam Aaron: ſine
Eſa.45. terræ adminiculo floridam & fructu oneratam. Sic enim & ipſa fructum protulit ſine viri adiutorio toti mundo ſalutife-

lutiferum. Signata fuit denique ſacroſancta dei mater per terram illam: de qua dicit Eſaias. Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet ſaluatorem. Quinimmò ipſamet eſt illa terra myſtica & benedicta à domino, quæ germinauit ſaluatorem.

13 ℭ In decimotertio verſu. Hæc eſt dicta per exemplũ. Sex nomina præclara hoc loco exprimuntur: quibus in ſacris literis beata virgo Maria deſignata & nuncupata eſt. Primo ſiquidem mons dicitur apud Danielem: cum in expoſitione ſomnij regis Babylonici dicit, quòd lapis exciſus de monte ſine manibus percuſſit ſtatuam & comminuit eã. Vbi per lapidem illum intelligitur Chriſtus: & per montem beata virgo Maria, virtutum excellentia ſublimis ac cæteros homines ſupereminens, de qua ſine humano conſortio Chriſtus eſſe natus ibidem innuitur. Secundo ipſa nominatur caſtellum, potiſsimum in eo loco euangelij Lucæ. Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum: & mulier quædã Martha nomine excepit illum in domum ſuam. Illic enim ſecundum myſticum ſenſum nomine caſtelli intelligitur ſancta virgo Maria: vt teſtatur Anſelmus in homilia eiuſdem euangelij. Tertio dicitur aula dei: quòd eam inhabitare dignatus ſit dei filius vt ſuum tabernaculum, vt in illo verbo pſalmi allegoricè ſumpto. Adorate dominum in aula ſancta eius, ſiue vt alia habet tranſlatio: in atrio ſancto eius. Quarto nuncupatur ipſa templum domini. Quemadmodum in illo verſu pſalmi myſticè intellecto. Suſcepimus deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Quinto appellatur thalamus dei. Sicut cum dicit propheta de domino noſtro: quòd ipſe eſt tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Sexto nominatur ipſa etiam ciuitas dei, vt in illo dicto pſalmi metaphoricè accepto. Glorioſa dicta ſunt de te: ciuitas dei. Et conſimili modo (dicit verſus ſequens) aliorum nominum præclarorum & inſignium excellens denominatio: eidem ſacræ virgini aſſignatur in ſcriptura, quandoquidem per hæc nomina iam dicta: etiam alia quæ paſſim in ſacris literis occurrunt ſunt intelligenda.

Dan.2. *Luc.10.* *Pſal.28.* *Pſal.47* *Pſal.18.* *Pſal.86.*

De ſancto Adalberto.

Corona ſanctitatis & immortalitatis. Ornauit hodie dominus martyrem ſuum Adalbertum.

1 Terſa oculorum lachryma, juſtus floret uelut palma. Oculorum terſa lachryma, aboletur hoc ænigma.

2 Specularis ſquama cadit, claret uiſus ſpecialis. Vbi deus eſt omnia, uirtus ſanctorum & gloria.

3 Vbi deus eſt omnia nec diſtinctus ut omnia, manens quod eſt in gloria, omnibus eſt omnia.

4 Vnum eſt omnium præmium, ſacrum ſocians collegiũ, unum eſt ſed diſpar præmium, pro merito fidelium. Huius nos fieri conſortes gloriæ, ora pater Adalberte, quos in Adam perpetuæ ſcis addictos miſeriæ. Amen.

¶ Hæc proſa liberam habet orationis ſolutæ cõpoſitionẽ nec rythmicæ formæ conſtringitur habenis. Declarat autem magnitudinem & excellentiam præmiorum quę cum ſanctis omnibus ad cæleſtem gloriam aſſumptis, tum ſancto Adalberto martyri apud Pannonios nominatiſsimo ac celebratiſſimo, à deo dantur in cælis. Cæterum mutato nomine proprio ipſius ſancti: hæc proſa de quouis ſancto martyre & etiam confeſſore poteſt decantari, quia quæcunque in ea dicuntur: cuilibet ſanctorum communia ſunt & conuenientia. Porrò aliquid vel exiguum hic depromendum eſt de vita & actis glorioſi martyris Adalberti: cui hæc proſa inſcribitur, vt habeant lectores ſaltem aliquã de ſanctitate vitæ eius non paſſim apud omnes vulgatæ, relationem. Fuit is nobili genere apud Bohemos natus: & poſt Ditimarum, primum Pragæ epiſcopum, ob præcipuam ſanctimoniam atque doctrinam inſtitutus eſt Pragenſis præſul: ac maximo in precio apud bonos omnes habitus. Verùm cum cerneret ſibi non adeſſe facultatem rectè dirigendi commiſſam plebem, vt quæ rapinis & libidinibus aſſueta, ſui antiſtitis recta monita aſpernaretur: Romam acceſſit, & cum fratre ſuo Gaudentio ſingularis

excellentiæ viro in monaſterio ſancti Alexij tandiu deli-
tuit: donec à ſummo pontifice ſuum ouile repetere iuſſus
fuit. At cum ſe ſubditis ſuis minime gratum eſſe perſpi-
ceret: illis relictis in Hungariam profectus eſt, & Stepha
num Hungarorum regem cũ vniuerſo eius populo ad ca-
tholicæ fidei lumen perduxit. ac ſacris baptiſmi abluit vn
dis. Deinde Poloniam ingreſſus, Gaudentium germanũ
ſuum epiſcopum in eccleſia Gueſuenſi cõſtituit: ad annun
ciandum illi populo euangelium Chriſti. Poſtremũ ſan-
ctus Adalbertus Prutenos adiit, apud quos cum fidem or
thodoxam aſſiduè euãgelizaret, impiorum gladio cæſus,
martyrio pręſentis vitæ curſum finiuit. Poſt cuius tranſitũ
ſanctus Stephanus rex Pannoniæ, in honore eiuſdem ſan-
cti martyris Adalberti Strigonienſem metropolitanã ec-
cleſiam fundauit. Floruit autem beatus Adalbertus circa
annum dominicæ incarnationis milleſimum & viceſimũ.
Celebratur verò eius feſtum quotannis: viceſima ſecun- *Apoc.21*
da Aprilis.

1 ❡ ANNOTATIONES. Terſa oculorum lachryma.
Sumptum eſt illud ex Apocalypſi: ita deſcribente gloriã
beatorum. Et abſterget deus omnem lachrymam ab ocu- *Pſal. 91*
lis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque cla
mor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Quod
verò continuò ſubiungitur, iuſtus floret velut palma, ex
pſalmo depromptum eſt vbi ait propheta. Iuſtus vt pal-
ma florebit ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati
in domo domini in atriis domus dei noſtri florebunt.

2 ❡ Specularis ſquama cadit. Hoc ex beato Paulo dedu
ctũ eſt, ita ad Corinthios cognitionem huius vitæ de deo *1. Cor. 13*
ad eam quæ in altera habetur vita comparante. Videmus
nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad fa-
ciem. Enimuero ænigma & ſpecularis ſquama hic voca-
tur obſcura de deo cognitio, quæ quandiu peregrinamur
à domino, habetur in fide: quaſi per ſpeculum & in vela-
mine, ſicut ſquama piſcium ſquamigerorum draconúmq;
eſt tegmen. Illud autem ænigma aboletur in patria cæle-
ſti, & illa ſpecularis ſquama cadit: quoniam amplius in cæ
lo non habet locum, vbi videtur deus ſicuti eſt. Vnus ve-
rò ſpecialis eſt, qui habetur facie ad faciẽ: & per propriã
(vt ita dixerim) ſpeciem, illa autem claret in cælo, quoniã
aperte

aperte & nude ſublatóque omni velamine deus ibidē eſt omnibus cæli ciuibus & conſpicuus & ſpectabilis.

1.Corin.15 3 ¶ Nec diſtinctus vt omnia. Beatus Paulus ad Corinthios ſcribens atque de futuro poſt extremam reſurrectionem ſanctorum differens ſtatu:dicit quòd deus tūc erit omnia in omnibus. Non quidem ſecundum ſubſtātiam,ſed profuſiſſimam ſui in omnia communicationem, qua reddet cuncta deiformia & ſui ſimilia. Tunc enim ipſe: ſanctorum erit lux clariſsima,gaudium perpetuum,vera gloria,virtus inclyta,& ita de cæteris. Propter hanc tamē ſui in omnia diffuſionem: non ſubibit aliquā partitionē deus aut diſtinctionem,neque diſſecabitur in multitudinem:ſicut multa ſunt & diſtincta quib⁹ ſe diſpartit,ſed vnus manens &indiuiduus:in omni ſe propagabit,manēs itidē impartibilis,in plura ſe diffundet. Perinde atque vnicus ſolis orbis à ſua vnitate & ſingularitate non recedens,multos oculos reddit luciformes.

4 ¶ Vnū eſt omnium præmium. Vnitas cæleſtis præmij
Matth. 20 quod deus eſt ſignatur in euāgelio per denariū diuinū,qui omnibus in vinea laborantibus æqualiter datus eſt : licet alij diutius,alij verò breuiore temporis ſpacio in ea laboraſſent. Diuerſitas verò mercedis in cælo pro diuerſa operum qualitate, exprimitur etiam in euangelio ex iſtis verbis domini. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Et ex hoc itidem quòd ſeruus ille cuius mna decem mnas acquiſierat:conſtitutus eſt à domino ſuo ſuper decem ciuitates. Et cuius mna ſuperlucrata fuerat quinque mnas:accepit poteſtatē ſuper quinque ciuitates. Et planè ſicut vnus ſol pro diuerſa oculorum diſpoſitione aliis plus, aliis verò minus luminis infundit: ita & deus pro diuerſitate operum varia diſpartit præmia.

Ioan.14
Luc.19

In inuentione ſanctæ crucis.

Laudes crucis attollamus:
Nos qui crucis exultamus
Speciali gloria.

2 *Nam in cruce triumphamus:*
Hoſtem ferum ſuperamus
Vitali uictoria.

3 *Dulce melos tangat celos,*

cælos.
Dulce lignum dulci dignũ
Credimus melodia.
4 Voci uita non diſcordet.
Cum uox uitam nõ remordet,
Dulcis eſt ſymphonia.
5 Serui crucis crucẽ laudent,
Qui per crucẽ ſibi gaudẽt
Vitæ dari munera.
6 Dicant omnes & dicãt ſinguli
Aue ſalus totius ſeculi
Arbor ſalutifera.
7 O quàm fœlix quàm præclara,
Fuit hæc ſalutis ara,
Rubens agni ſanguine.
8 Agni ſine macula:
Qui mundauit ſecula
Ab antiquo crimine.
9 Hæc eſt ſcala peccatorum,
Per quam Chriſtus rex cælorum
Ad ſe traxit omnia.
10 Forma cuius hoc oſtendit,
Quæ terrarũ cõprehendit
Quatuor confinia.
11 Non ſunt noua ſacramenta,
Nec recenter eſt inuenta
Crucis hæc religio.
12 Iſta dulces aquas fecit.
Per hanc ſilex aquas iecit,
Moyſi officio.
13 Nulla ſalus eſt in domo,
Niſi cruce munit homo
Superliminaria.
14 Neque ſenſit gladium,
Nec amiſit filium,
Quiſquis egit talia.
15 Ligna legẽs in Sarepta,
Spem ſalutis eſt adepta
Pauper muliercula.
16 Sine lignis fidei,
Nec lecythus olei
Valet, nec farinula,
17 Roma naues uniuerſas
In profundũ uidit merſas,
Vna cum Maxentio.
18 Fuſi Thraces, cæſi Perſæ.
Sed & patris dux aduerſæ
Victus ab Heraclio
19 In ſcripturis ſub figuris
Iſta latent, ſed iam patent
Crucis beneficia.
20 Reges credunt, hoſtes cedunt.

Sola

Sola cruce Christo duce,
Vnus fugat milia.
21 *Iſta ſuos fortiores*
Semper facit, & uictores.
Morbos ſanat & languores:
Reprimit dæmonia.
22 *Dat captiuis libertatem,*
Vitæ confert nouitatem.
Ad antiquam dignitatem
Crux reduxit omnia.
23 *O crux lignum triumphale*
Mundi uera ſalus, uale.
Inter ligna nullum tale,
Fronde, flore, germine.
24 *Medicina Chriſtiana,*
Salua ſanos, ægros ſana.
Quod non ualet uis humana,
Fit in tuo nomine.
25 *Aßiſtentes crucis laudi,*
Conſecrator crucis audi.
Atque ſeruos tuæ crucis,
Poſt hanc uitam, ueræ lucis
Transfer ad palacia.
26 *Quos tormento uis ſeruire,*
Fac tormenta non ſentire,
Sed cum dies erit iræ,
Nobis confer & largire
Sempiterna gaudia.

Amen.

¹ Hæc proſa rythmicæ modulationis ſeruat formã, quemadmodum illa de ſancto ſacramento euchariſtiæ. Lauda Sion ſaluatorem. Author eius, Adam de ſancto Victore. Concelebrat autem præclaris laudibus, ſanctæ crucis præconia, referens antiquæ legis figuras quibus eſt præſignata, & virtutem eius in noua lege per victoriam Conſtantini & Heraclij imperatorum oſtenſam. Deinde admirandam illius poteſtatem prędicans, fidelis populi vota & ſupplicationem ad illam explicat.

2 ❡ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Nam in cruce triumphamus. Hic verſus in plæriſque libris nõ habetur ſed prætermiſſus eſt, qui tamẽ nõ eſt ſuperfluus, quinimmo ad rythmi integritatem neceſſarius, vt habeat primus verſus cui in torminali ſyllabarum deſinentia reſpondeat, alioqui aut nullus ipſi primo verſui in exitu ſimilique cadentia accommodabitur verſus aut tres dabuntur ſe continuò conſequentes, adinuicem in fine conſonãtes,

tes, quorũ vtrunque, rythmicæ legi repugnat, in qua ſemper duo verſus neque plures neque pauciores: mutuum habent, quantum ad vltimam clauſulam, reſponſum adinuicem.

4 ❡ In quarto verſu. Dum vox vita non remordet. Cũ & labia noſtra laudant deum pariter & opera, ſecundum regulam mandatorum eius facta, tunc vox non remordet vitam neque vita diſcordat voci. Verùm ſi vox noſtra diuinas perſonat laudes, opera verò præceptis dei contraria facimus, huiuſmodi modulatio laudis eſt ingrata deo, quoniam vt ait Eccleſiaſticus non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, & ſcimus (inquit in euangelio cæcus iam illuminatus) quia peccatores deus non audit. *Eccl.15* *Ioan.9* *Gene.18*

9 ❡ In nono verſu. Hæc eſt ſcala peccatorum. Crux ſancta dicitur myſticè ſcala peccatorum: quoniam peccatores per eam & immolationem veri agni in ea factã cælos conſcendunt. Et non ineptè figuratur per ſcalam illã ab imo terræ ad cæli culmen extentam: quam Iacob vidit in ſomnis, cui & dominum conſpexit innixum: & angelos domini aſcendentes & deſcendentes per eam. Quod autẽ per illã Chriſtus ad ſe traxerit omnia, teſtatur illud verbum eius ad Iudæos. Ego ſi exaltatus fuero à terra: omnia traham ad meipſum. Hoc autem dicit (vt ſubiungit euangeliſta) ſignificans qua morte eſſet moriturus. Atqui à terra exaltatus eſt Chriſtus: quando in crucem ſublatus eſt, & de ſola huiuſmodi exaltatione ibi loquitur. *Ioan.12*

10 ❡ In decimo verſu. Quatuor confinia. Scilicet orientem, occidentem, meridiem, & ſeptentrionem, quatuor ipſius terræ partes. Nempe ſi pars anterior crucis cui affixus erat dominus, occidentẽ reſpiciebat (vt ſecundũ Chriſtianam pietatem in ipſo templorum meditullio Chriſtũ crucifixum mos eſt figurare) poſterior eius pars vergebat ad orientem, manus ſiniſtra ad meridionalem plagam: & dextra ad ſeptentrionalem. Et ita quatuor extrema ipſius terræ, in ipſa crucis figura comprehenduntur. Quòd ſi orientem verſus Chriſtum crucifixum quis dixerit, aut aliam quanuis cæli partem: ſemper in figura crucis aſſignabuntur quatuor partes, totidem terræ plagis reſpondentes. Ceterùm quid hoc aliud ſignabat, niſi per crucis myſterium à quatuor terræ plagis vocandos homines ad ſalutem

tem & veri dei agnitionem? Multi (inquit dominus in e-
Matth.8 uangelio) ab oriente & occidente venient, & recūbent cū
Eſa.49 Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum. Et Eſaias
vocationem gentium ad fidem prænuncians ait. Ecce iſti
de longe venient, & ecce illi ab aquilone & mari, & iſti de
terra auſtrali. Alia verò quatuor confinium terræ ſecun-
dum figuram crucis ratio, in decimiquinti verſus expla-
Exo.15 natione paulò pòſt aſsignabitur.

12 ❡ In duodecimo verſu. Iſta dulces aquas fecit. Per li-
gnum à deo Moyſi oſtenſum & aquis Marath amariſsimis
immiſſum, vnde ipſæ aquæ in dulcedinem verſæ ſunt: in-
telligitur ſācta crux, cuius ignominia & acerbitas à Chri-
ſto tolerata: conuerſa eſt in dulcedinem, ſuauitatē, & gra-
tiam redemptionis totius mundi. Similiter per virgā quæ
Moyſi miniſterio ſilicem percuſsit & inde aquas eduxit,
inſinuatur etiam ſancta crux: quæ ex Chriſto petra ſpiri-
tuali, lancea militari transfixo aquam toti mundo ſaluta-
rem effudit.

13 ❡ In decimotertio verſu. Nulla ſalus eſt in domo. V-
Exo.17 terque poſtis & ſunt perliminaria domorum Iſraelitica-
rum aſperſa ſanguine agni immolati typus fuerunt & fi-
gura viuificæ crucis, conſperſæ precioſo ſāguine agni im-
maculati. Sicut enim per huiuſmodi tinctionem & irrora
Exo.12 tionem ſanguinis agni typici, Hebræi fuerunt liberati ab
angelo percutiente primogenita Aegypti, ita virtute cru-
cis ſalutiferæ liberamur ab inſultu & incurſione dæmo-
num, qui cum crucem domini conſpexerint, non valentes
eius ſuſtinere pręſentiam: tripidi diffugiunt nocendique
vires amittunt.

15 ❡ In decimoquinto verſu. Ligna legens in Serepta.
3.Reg.17 Vidua Sereptana (ad quam miſſus eſt Helias à domino vt
ab ea ſuſtētaretur) duo ligna collegiſſe ſcribitur: vt ſibi &
filio ſuo cibum decoqueret. Voci autem propheticæ obe-
diens coxit illi primo ſubcineritium panem, & non eſt di-
minutum eius oleum in lecytho ampulláque olearia, nec
farina in hydria per cōtinuā alimoniæ pro tota domo ſua
ex illis apparitionem: quo ad daret dominus pluuiam ſu-
per terram, ſecundum verbum Heliæ. Porrò duo ligna il-
la collecta à vidua: ſanctam crucem repręſentant, ex dua-
bus potiſsimum partibus cōſtantem, quarum vna à ſum-
mo

mo in imum ſecundum longitudinem fuit porrecta : altera verò ex tranſuerſo, à dextro in ſiniſtrum extenta. Et ſecundũ illas in cruce domini congruenter ſumuntur quatuor differẽtię poſitionum ipſius mundi: quæ per quatuor confinia in decimo verſu expreſſa poſſent etiam intelligi, ſcilicet ſurſum & deorſum, dextrum ſiniſtrum, ſecundum quatuor crucis extremitates aſsignata, ad denotandum quòd Chriſtus per mortem crucis quam pertulit: cæleſtia nobis regna quæ ſurſum ſunt aperuit, inferna verò quæ deorſum ſunt cõfregit, tereſtria autem omnia quæ in medio ſita ſunt: ſuorum brachiorum extentione & complexu quaſi dextrum & ſiniſtrum conſtituentia, ad ſe reuocauerit, & ita cæleſtium, terreſtrium & infernorum dominatũ principatúmque acceperit: & reconciliauerit omnia, ſumma ima & media deo patri per ſanguinem crucis. Per illa itidem duo ligna ſanctam crucem integrantia ſumuntur quatuor ipſius ſitus & poſitiones: ſcilicet longitudo, latitudo, altitudo, & profundũ, ex quib⁹ ipſius crucis figura cõſtituitur. Quenadmodum declarat beatus Auguſtinus exponens illud dictum apoſtoli ad Epheſios. Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo ſublimitas & profundum. In his (inquit) verbis figura & myſterium crucis oſtenditur. Nam latitudo in cruce: eſt tranſuerſum lignum vbi figuntur manus, longitudo verò eſt ab ea parte quæ ab ipſo tranſuerſo ad terrã tendit, & ab ipſo vſque ad terram conſpicua eſt. Altitudo autem crucis in illo ligno eſt: quod ab eodem tranuerſo ſurſum caput verſus eminet. Profundum verò eſt in ea parte ligni quæ non apparet: ſed infixa, terræ occultatur. Hæc Auguſtinus. Ephe. 3

17 ¶ In decimoſeptiuo verſu. Roma naues vniuerſas. Vt refert hiſtoria eccleſiaſtica libri noni cap. nono: Conſtantinus imperator cum Maxentio qui tum Romæ tyrannidem exercebat conflicturus, cum diuinum imploraſſet auxilium antequam cum hoſte manum confereret: vidit in aere crucem rutilo fulgore coruſcam, & angelum ſibi dicentẽ. In hoc ſigno Conſtantine vinces & protinus in omnibus vexillis ſuis ſignũ crucis figurari efformarię; iuſſit. Cũq; Maxentius fraudẽ molitus ad pontẽ Miluiũ nauib⁹ põtes ſupſtrauiſſet: vt illis ſubſidẽtibus præ nimio põdere

cum illac tranſiret Cõſtantinus & crederet firmos eſſe põtes, cum toto exercitu demergetur audiens Cõſtantinum Romam verſus aduentare, concitur è portis Romanis proruens pergit in illius occurſum. Et ſuarum oblitus decipularum per illos pontes præcipiti curſu ſuum duxit agmen: & incidens in foueam quam fecit vna cum ſuis militibus in flumen demerſus eſt, immò & naues illæ nimio pondere preſſæ etiam aquis ſunt obrutæ. Et hoc pacto Cõſtantinus ſine effuſione ſanguinis humani (quòd ſummopere à deo popoſcerat) victoria potitus eſt.

18 ¶ In decimooctauo verſu. Thraces, cæſi Perſæ. Sub Heraclio imperatore Romano Coſdras rex Perſarũ collecto magno exercitu irrupit in fines Romani imperij Syriámq; & Paleſtinam graui incurſione vexauit, omnia populationibus & incendiis deuaſtans. Cuius impetum repreſſurus Heraclius: coactis etiam copiis ſubſiſtit ad flumen Danubium vbi & filius Coſtræ illi occurrit cum apparatiſsimo militum agmine Quem ſingulari certamini ſuper pontem Danubij adortus deiicit Heraclius adiutore deo: cui ſe ante congreſſum inuocata deuotius ſancta cruce obnixè commendauerat. Deinde interfecto Coſdra partem ſanctæ crucis, quam ab vrbe Hieroſolimitana ille impius aſtulerat: cum debito honore & reuerentia illuc reportauit, vnde feſtum exaltationis ſanctæ crucis celebrari in eccleſia cœptũ eſt, vt latius ſupradictæ ſolennitatis declarat hiſtoria.

20 ¶ In viceſimo verſu. Vnus fugat milia. Sumpta eſt illa ſententia: ex eo quod in Leuitico dominus ꝓmittit populo Iſrael. Perſequentur quinque de vobis centum alienos & centum de vobis: decem milia. Et ex eo cantici ipſius Moyſi verbo. Quomodo perſequebatur vnus mille: & duo fugarent decem milia. Quæ quidem promiſſa, ſicut ſub veteris teſtamenti patribus interdum completa leguntur, potiſsimum ſub piis regibus Iuda & inclytis Machabæis: ita & in nouo teſtamento ſub glorioſis illis regibus & principibus Chriſtianis, qui potentifica Chriſti cruce armati expeditionem in hoſtes fidei ſuſceperunt & ſuis eos ſedibus propulſarunt.

Leui. 26
Deut. 32

23 ¶ In viceſimotertio verſu. Inter ligna nullum tale. Reſpondet id crucis præconium illi cantico: quod in hymno

no de paſsione domini in eius laudem canitur. Crux fidelis inter omnes: arbor vna nobilis, nulla ſylua talem profert: fronde, flore, germine. Vbi quoniam arborem nominauit ſanctam crucem author: vt decorum metaphorici ſermonis obſeruet, in eo perſiſtens, frondem eius florem & germen nominat, quæ tamen myſticè ſunt accipienda, & ad Chriſtum referenda: qui ſolus eſt illius arboris folium, flos, & fructus. Folium quidem: ob immarceſſibilem virtutum eius virorē atque vigorem. Flos, ob ſuauiſsimum bonitatis eius odorem præcipuúmque decorem. Germen verò: ob fructum & vtilitatem ſuæ paſſionis ex ea arbore decerptam.. Cæterùm quæcunque hic de cruce dicuntur, intelligenda ſunt non abſolutè materiam crucis attendendo: ſed referendo eam ad Chriſtum in illa confixum (qui ſua glorioſa paſſione) ipſam conſecrauit & ſanctificauit.

26 ¶ In vicеſimoſexto verſu. Quos tormento vis ſeruire. Neminem deus ipſe præcipua voluntate & per ſe vult perire, ſed ſecundum beati Pauli ſententiam, vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Timot. 2 Conſequenter tamen & ratione habita ad hominum opera: eos dicitur velle ſeruire tormento, qui per ſua peccata meriti ſunt æterna gehennæ ſupplicia. Rectitudo enim iuſtitiæ eius exigit vt tales ad finem vſque vitæ in malo perſiſtentes addicantur tormentis infernis. Itaque hæc oratio petit vt quos ſecundum pręſentem ſtatum ac diſpoſitionem operum tales cognoſcit, qui digni ſint perpetua damnatione: illis gratiam emendandi vitam dum tempus adeſt concedat, & euadendi per pœnitentiam ea tormenta quibus ſunt digni. Demùm diem iræ vocat hic author diem extremi iudicij: quoniam ita appellatur apud Sophoniam prophetam cum ait. Vox diei homini amara: tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſerię, *Sopho.* 1 dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris: ſuper ciuitates munitas & ſuper angelos excelſos.

& cæleſtis ſapientiæ torrens affluentiſsimus. Primitiui verò riui illius veri fontis, ſunt ſancti apoſtoli: qui doctrinã euangelicam ex ſacro eius ore hauſerunt, & tanquam riui ex illo fonte deducti ſunt, impletique ab eo aqua ſapientiæ ſalutaris. Inter illos autem riuos, Ioannes inſigniter emicuit, ad ſuauitatem verbi dei quos de cælo ad nos deſcendit, toti mundo propinandam & declarandam.

5 ¶ In quinto verſu. Cælum tranſit, veri ſolis. Ioannes (inquit) cęlos omnes & corporales & ſpirituales, ordines inquam angelicorum ſpirituum tranſcendit, & diuinitatẽ verbi dei principio fineque carẽtem (vt rota in orbiculari ſua figula & circulus) intentiſsima mentis acie conſpexit, defigens in eam totum interni ſui luminis obtutum. Hanc autem veri ſolis rotam, coæternitatem ſcilicet filij dei (qui eſt ſol iuſtitiæ) cum patre: reſerauit Ioãnes hominibus, cum ſacro ſuo pectore illud eructauit euangelij exordium. In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum: hoc erat in principio apud deum. Hinc & ſpeculator ſpiritualis in ſequente verſu dicitur, & quaſi admiſſus ad contuitum diuini vultus ſub alis ſanctorum ſeraphim, qui cæleſtes ſunt ſpiritus deo proximi, & ſine aliquo aliorum interſtitio deo aſtantes. Alas autem ſeraphim hic nominat author, alludens ad illud Eſaiæ dictum. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni & alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabãt pedes eius, & duabus volabant.

Ioan. 1

Eſa. 6

7 ¶ In ſeptimo verſu. Audiit in gyro ſedis. Id ex diuina Apocalypſi beati Ioannis ſumptũ eſt, vbi ait. Poſt hæc ſtatim fuit in ſpiritu. Et ecce ſedes poſita erat in cælo: & ſupra ſedem ſedens. Et in circuitu ſedes, ſedilia viginti quatuor, & ſupra thronos, viginti quatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronas aureas. Et audiui vocem de cælo: tanquam vocẽ aquarum multarum, & tãquam vocem tonitrui magni, & vocem quam audiui: ſicut cytharœdorum cytharizãtium in cytharis ſuis. Porrò ciuitas noſtra anima eſt humana: dei & diuinorum myſteriorum capax, cuius nummus, eſt mens noſtra atque intelligentia, cum viribus cæteris atq; potentiis ſpiritualibus, voluntate atq; mememoria, quòd ad imaginem & ſimilitudinem dei: homo ratione harum

Apoc. 4

Apoc. 14

rum virium natiuarum eſt factus. Itaque Ioanne de ſigillo trinitatis impreſſit characteres ipſi nummo noſtrę ciuitatis: vt dicit ſequens verſus, quoniam ſuper diuinæ trinitatis notionem quomodo vnitrinus eſt deus, ipſe noſtrę menti reſerauit: & quantum capere poteſt infirmitas, id altiſsimum nobis myſterium cæteris ſublimius & apertius recluſit ac patefecit:

9 ¶ In nono verſu. Arcanum originis. Dicitur hic arcanum originis: occultiſsimum illud myſterium diuinæ generationis qua filius dei ex patre natus eſt ante omnia ſecula, non factus nec creatus, vt rectè dicit primus huius proſę verſus, quoniam neque ex nihilo neque ex materia extrinſeca conditus eſt, vt oblatrarunt Arriani, ſed ex patris ſubſtantia ab æterno genitus, patri coæternus & conſubſtantialis, atque deus benedictus in ſecula. Illud autem originis beatus Ioannes in euãgelio ſuo cæteris apertius & planius declarauit: cum hæc & ſimilia de eo ſcripſit. Vidimus gloriam eius: gloriã quaſi vnigeniti à patre. Et iterum eodem loco, vnigenitus qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit. Cum etiam hęc Chriſti verba refert. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt. Ego & pater vnũ ſumus. Ego à patre proceſſi & veni, & cætera conſimilia. *Ioan. 1* *Ioan. 10* *Ioan. 8*

10 ¶ In decimo verſu, Cæli cui ſacrarium. Sacroſanctam dei matrem vocat hic author & dignè & verè, ſacrarium cæli: quia fuit tabernaculum altiſsimi, & reclinatorium filij dei: in quo & noſtræ carnis ſubſtantiam ſumpſit, & nouem menſes requieuit. Eandem quoque ſacratiſsimã virginem vocat author, Chriſti lilium: propter ſynceritatem puritatis eius virgineúmque pudorem qua ipſa ſuper angelorum puritatem præclara eniteſcit. Filium verò tonitrui appellat hic author beatum Ioannem euangeliſtam: quoniam vt ſcribit Marcus, Chriſtus duobus filiis Zebedæi Iacobo & Ioanni impoſuit nomẽ Boanerges: id eſt filios tonitrui eoſdem denominauit.

16 ¶ In decimoſexto verſu. Obſtruit quod Ebion, Cherinthus & Marcion. Tempore beati Ioannis euangeliſtæ, cœperunt in eccleſia nonnullæ hæreſes pullulare: quarũ hic nominantur authores. Siquidem Ebion (id eſt pauper, & à paupertate ſenſus & ſcientiæ, verè ſic dictus) oblatrauit Chriſtum eſſe ſolum hominem, & per profectum *Marci 3* *Ebion,*

bus à Moyſe conſpectus vt ardens & tamen illæſus:illabe
Exod.3. factam ſignabat matris dei virginitatem: vt ante etiam dictum eſt in ſecundo libro, in explanatione antiphonæ. Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum. Porrò verbũ noceo ferè ſemper datiuum ſecum expoſcit, Interdum tamen
Iudith.16. accuſatiuo iunctum inuenitur in ſacris literis: vt in cantico Iudith. Dominus autem omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus fœminæ, & confudit eum. Et in euangelio Lucæ. Et cum proiecisset illud dæmonium in medium: exiit ab illo, nihilque illum nocuit. Ita & hoc in loco ponitur: quod tamen non eſt in imitationem trahendum.

9 ¶ In nono verſu. Hæc eſt ille fons ſignatus. Inſinuatur
Luc.4. & ſacra virgo Maria per fontem illum & hortum: de quo dicit Salomon in Canticis. Hortus concluſus, ſoror mea
Cant.4. ſponſa: hortus concluſus, fons ſignatus. Hortus inquam cõcluſus diuino præſidio & virtutum munitionibus, ne in illum, ingreſſum habeant hoſtiles inſidiæ. Fons item ſignatus totius trinitatis ſignaculo: & peculiari ipſius filij dei ſigillo.

10 ¶ In decimo verſu. Hæc eſt illa porta clauſa. Sicut in præcedente proſa iam dictum eſt: per portam Ezechielis
Ezech.44 clauſam intelligitur intacta ſanctæ dei matris integritas. Et illam deus cunctis hominibus occluſit vt ſibi ſoli foret peruia, & tamen ſemper clauſa. Huius autem occluſionis cauſa: tunc quidem latuit homines. Nunc autem ipſo reuelante, & myſterium ex rei effectu aperiente, patefacta eſt.

11 ¶ In vndecimo verſu. Hæc eſt vellus trahens rorem. Significata eſt etiam beata dei genitrix: per vellus Ge-
Iudicum 6. deonis cæleſti rore irrigatum, quòd ſola omnium mulierum ſpiritu ſancto fœcundata: cæleſtem ædidit prolem. Significata eſt & per agrum plenum fructibus, & miro fragrantem odore: de quo Iſaac benedicturus filio ſuo Iacob ait. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni: cui benedixit dominus.

Gene.27. 12 ¶ In duodecimo verſu. Hæc eſt virga ferens florem.
Num.27. Signata fuit itidem ſacrata virgo per virgam Aaron: ſine
Eſa.45. terræ adminiculo floridam & fructu oneratam. Sic enim & ipſa fructum protulit ſine viri adiutorio toti mundo ſalutife-

lutiferum. Signata fuit denique ſacroſancta dei mater per terram illam: de qua dicit Eſaias. Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet ſaluatorem. Quinimmò ipſamet eſt illa terra myſtica & benedicta à domino, quæ germinauit ſaluatorem.

13 ¶ In decimotertio verſu. Hæc eſt dicta per exemplũ. Sex nomina præclara hoc loco exprimuntur: quibus in ſacris literis beata virgo Maria deſignata & nuncupata eſt. Primo ſiquidem mons dicitur apud Danielem: cum in expoſitione ſomnij regis Babylonici dicit, quòd lapis exciſus de monte ſine manibus percuſſit ſtatuam & comminuit eã. *Dan.2.* Vbi per lapidem illum intelligitur Christus: & per montem beata virgo Maria, virtutum excellentia ſublimis ac cæteros homines ſupereminens, de qua ſine humano conſortio Christus eſſe natus ibidem innuitur. *Luc.10.* Secundo ipſa nominatur caſtellum, potiſsimum in eo loco euangelij Lucæ. Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum: & mulier quædã Martha nomine excepit illum in domum ſuam. Illic enim ſecundum myſticum ſenſum nomine caſtelli intelligitur ſancta virgo Maria: vt teſtatur Anſelmus in homilia eiuſdem euangelij. Tertio dicitur aula dei: quòd eam inhabitare dignatus ſit dei filius vt ſuum tabernaculum, vt in illo verbo pſalmi allegoricè ſumpto. Adorate dominum in aula ſancta eius, ſiue vt alia habet tranſlatio: in atrio ſancto eius. Quarto nuncupatur ipſa templum domini. Quemadmodum in illo verſu pſalmi myſticè intellecto. Suſcepimus deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Quinto appellatur thalamus dei. Sicut cum dicit propheta de domino noſtro: quòd ipſe eſt tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. *Pſal.28.* Sexto nominatur ipſa etiam ciuitas dei, vt in illo dicto pſalmi metaphoricè accepto. *Pſal.47* Glorioſa dicta ſunt de te: ciuitas dei. *Pſal.18.* *Pſal. 86.* Et conſimili modo (dicit verſus ſequens) aliorum nominum præclarorum & inſignium excellens denominatio: eidem ſacræ virgini aſſignatur in ſcriptura, quandoquidem per hæc nomina iam dicta: etiam alia quæ paſſim in ſacris literis occurrunt ſunt intelligenda.

De ſancto Adalberto.

Corona ſanctitatis & immortalitatis. Ornauit hodie dominus martyrem ſuum Adalbertum.

1 Terſa oculorum lachryma, iuſtus floret uelut palma. Oculorum terſa lachryma, aboletur hoc ænigma.

2 Specularis ſquama cadit, claret uiſus ſpecialis. Vbi deus eſt omnia, uirtus ſanctorum & gloria.

3 Vbi deus eſt omnia nec diſtinctus ut omnia, manens quod eſt in gloria, omnibus eſt omnia.

4 Vnum eſt omnium præmium, ſacrum ſocians collegiũ, unum eſt ſed diſpar præmium, pro merito fidelium. Huius nos fieri conſortes gloriæ, ora pater Adalberte, quos in Adam perpetuæ ſcis addictos miſeriæ. Amen.

¶ Hæc proſa liberam habet orationis ſolutæ cõpoſitionẽ nec rythmicæ formæ conſtringitur habenis. Declarat autem magnitudinem & excellentiam præmiorum quę cum ſanctis omnibus ad cæleſtem gloriam aſſumptis, tum ſancto Adalberto martyri apud Pannonios nominatiſsimo ac celebratiſſimo, à deo dantur in cælis. Cæterum mutato nomine proprio ipſius ſancti: hæc proſa de quouis ſancto martyre & etiam confeſſore poteſt decantari, quia quæcunque in ea dicuntur: cuilibet ſanctorum communia ſunt & conuenientia. Porrò aliquid vel exiguum hic depromendum eſt de vita & actis glorioſi martyris Adalberti: cui hæc proſa inſcribitur, vt habeant lectores ſaltem aliquã de ſanctitate vitæ eius non paſſim apud omnes vulgatæ, relationem. Fuit is nobili genere apud Bohemos natus: & poſt Ditimarum, primum Pragæ epiſcopum, ob præcipuam ſanctimoniam atque doctrinam inſtitutus eſt Pragenſis præſul: ac maximo in precio apud bonos omnes habitus. Verùm cum cerneret ſibi non adeſſe facultatem rectè dirigendi commiſſam plebem, vt quæ rapinis & libidinibus aſſueta, ſui antiſtitis recta monita aſpernaretur: Romam acceſſit, & cum fratre ſuo Gaudentio ſingularis excel-

excellentiæ viro in monaſterio ſancti Alexij tandiu delituit: donec à ſummo pontifice ſuum ouile repetere iuſſus fuit. At cum ſe ſubditis ſuis minime gratum eſſe perſpiceret: illis relictis in Hungariam profectus eſt, & Stephanum Hungarorum regem cũ vniuerſo eius populo ad catholicæ fidei lumen perduxit. ac ſacris baptiſmi abluit vndis. Deinde Poloniam ingreſſus, Gaudentium germanũ ſuum epiſcopum in eccleſia Gueſuenſi cõſtituit: ad annunciandum illi populo euangelium Chriſti. Poſtremũ ſanctus Adalbertus Prutenos adiit, apud quos cum fidem orthodoxam aſſiduè euãgelizaret, impiorum gladio cæſus, martyrio præſentis vitæ curſum finiuit. Poſt cuius tranſitũ ſanctus Stephanus rex Pannoniæ, in honore eiuſdem ſancti martyris Adalberti Strigonienſem metropolitanã eccleſiam fundauit. Floruit autem beatus Adalbertus circa annum dominicæ incarnationis milleſimum & viceſimũ. Celebratur verò eius feſtum quotannis: viceſima ſecunda Aprilis.

1 ❡ ANNOTATIONES. Terſa oculorum lachryma. Sumptum eſt illud ex Apocalypſi: ita deſcribente gloriã beatorum. Et abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Quod verò continuò ſubiungitur, iuſtus floret velut palma, ex pſalmo deprompum eſt vbi ait propheta. Iuſtus vt palma florebit ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo domini in atriis domus dei noſtri florebunt. *Apoc. 21* *Pſal. 91*

2 ❡ Specularis ſquama cadit. Hoc ex beato Paulo deductũ eſt, ita ad Corinthios cognitionem huius vitæ de deo ad eam quæ in altera habetur vita comparante. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Enimuero ænigma & ſpecularis ſquama hic vocatur obſcura de deo cognitio, quæ quandiu peregrinamur à domino, habetur in fide: quaſi per ſpeculum & in velamine, ſicut ſquama piſcium ſquamigerorum draconũmq; eſt tegmen. Illud autem ænigma aboletur in patria cæleſti, & illa ſpecularis ſquama cadit: quoniam amplius in cælo non habet locum, vbi videtur deus ſicuti eſt. Vnus verò ſpecialis eſt, qui habetur facie ad faciẽ: & per propriã (vt ita dixerim) ſpeciem, illa autem claret in cælo, quoniã *1. Cor. 13*

aperte

aperte & nude ſublatóque omni velamine deus ibidē eſt omnibus cæli ciuibus & conſpicuus & ſpectabilis.

1.Corin.15 3 ¶ Nec diſtinctus vt omnia. Beatus Paulus ad Corinthios ſcribens atque de futuro poſt extremam reſurrectionem ſanctorum differens ſtatu: dicit quòd deus tūc erit omnia in omnibus. Non quidem ſecundum ſubſtātiam, ſed profuſiſſimam ſui in omnia communicationem, qua reddet cuncta deiformia & ſui ſimilia. Tunc enim ipſe: ſanctorum erit lux clariſsima, gaudium perpetuum, vera gloria, virtus inclyta, & ita de cæteris. Propter hanc tamē ſui in omnia diffuſionem: non ſubibit aliquā partitionē deus aut diſtinctionem, neque diſſecabitur in multitudinem: ſicut multa ſunt & diſtincta quib' ſe diſpartit, ſed vnus manens & indiuiduus: in omni ſe propagabit, manēs itidē impartibilis, in plura ſe diffundet. Perinde atque vnicus ſolis orbis à ſua vnitate & ſingularitate non recedens, multos oculos reddit luciformes.

4 ¶ Vnū eſt omnium præmium. Vnitas cæleſtis præmij
Matth. 20 quod deus eſt ſignatur in euāgelio per denariū diuinū, qui omnibus in vinea laborantibus æqualiter datus eſt: licet alij diutius, alij verò breuiore temporis ſpacio in ea laboraſſent. Diuerſitas verò mercedis in cælo pro diuerſa operum qualitate, exprimitur etiam in euangelio ex iſtis verbis domini. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Et ex hoc itidem quòd ſeruus ille cuius mna decem mnas ac-
Ioan.14 quiſierat: conſtitutus eſt à domino ſuo ſuper decem ciuita-
Luc.19 tes. Et cuius mna ſuperlucrata fuerat quinque mnas: accepit poteſtatē ſuper quinque ciuitates. Et planè ſicut vnus ſol pro diuerſa oculorum diſpoſitione aliis plus, aliis verò minus luminis infundit: ita & deus pro diuerſitate operum varia diſpartit præmia.

In inuentione ſanctæ crucis.

Laudes crucis attollamus:
Nos qui crucis exultamus
Speciali gloria.

2 *Nam in cruce triumphamus:*
Hoſtem ferum ſuperamus
Vitali victoria.

3 *Dulce melos tangat celos,*

cælos.
Dulce lignum dulci dignũ
Credimus melodia.
4 Voci uita non diſcordet.
Cum uox uitam nõ remordet,
Dulcis eſt ſymphonia.
5 Serui crucis crucẽ laudent,
Qui per crucẽ ſibi gaudẽt
Vitæ dari munera.
6 Dicant omnes & dicãt ſinguli
Aue ſalus totius ſeculi
Arbor ſalutifera.
7 O quàm fœlix quàm præclara,
Fuit hæc ſalutis ara,
Rubens agni ſanguine.
8 Agni ſine macula:
Qui mundauit ſecula
Ab antiquo crimine.
9 Hæc eſt ſcala peccatorum,
Per quam Chriſtus rex cælorum
Ad ſe traxit omnia.
10 Forma cuius hoc oſtendit,
Quæ terrarũ cõprehendit
Quatuor confinia.
11 Non ſunt noua ſacramenta,
Nec recenter eſt inuenta
Crucis hæc religio.
12 Iſta dulces aquas fecit.
Per hanc ſilex aquas iecit,
Moyſi officio.
13 Nulla ſalus eſt in domo,
Niſi cruce munit homo
Superliminaria.
14 Neque ſenſit gladium,
Nec amiſit filium,
Quiſquis egit talia.
15 Ligna legẽs in Sarepta,
Spem ſalutis eſt adepta
Pauper muliercula.
16 Sine lignis fidei,
Nec lecythus olei
Valet, nec farinula,
17 Roma naues uniuerſas
In profundũ uidit merſas,
Vna cum Maxentio.
18 Fuſi Thraces, cæſi Perſæ.
Sed & patris dux aduerſæ
Victus ab Heraclio
19 In ſcripturis ſub figuris
Iſta latent, ſed iam patent
Crucis beneficia.
20 Reges credunt, hoſtes cedunt.

Sola

Sola cruce Chriſto duce,
Vnus fugat milia.
21 *Iſta ſuos fortiores*
Semper facit, & uictores.
Morbos ſanat & languores:
Reprimit dæmonia.
22 *Dat captiuis libertatem,*
Vitæ confert nouitatem.
Ad antiquam dignitatem
Crux reduxit omnia.
23 *O crux lignum triumphale*
Mundi uera ſalus, uale.
Inter ligna nullum tale,
Fronde, flore, germine.
24 *Medicina Chriſtiana,*
Salua ſanos, ægros ſana.
Quod non ualet uis humana,
Fit in tuo nomine.
25 *Aßiſtentes crucis laudi,*
Conſecrator crucis audi.
Atque ſeruos tuæ crucis,
Poſt hanc uitam, ueræ lucis
Transfer ad palacia.
26 *Quos tormento uis ſeruire,*
Fac tormenta non ſentire,
Sed cum dies erit iræ,
Nobis confer & largire
Sempiterna gaudia.

Amen.

1 Hæc proſa rythmicæ modulationis ſeruat formã, quemadmodum illa de ſancto ſacramento euchariſtiæ. Lauda Sion ſaluatorem. Author eius, Adam de ſancto Victore. Concelebrat autem præclaris laudibus, ſanctæ crucis præconia, referens antiquæ legis figuras quibus eſt præſignata, & virtutem eius in noua lege per victoriam Conſtantini & Heraclij imperatorum oſtenſam. Deinde admirandam illius poteſtatem prędicans, fidelis populi vota & ſupplicationem ad illam explicat.

2 ℂ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Nam in cruce triumphamus. Hic verſus in plærîſque libris nõ habetur ſed prætermiſſus eſt, qui tamẽ nõ eſt ſuperfluus, quinimmo ad rythmi integritatem neceſſarius, vt habeat primus verſus cui in torminali ſyllabarum deſinentia reſpondeat, alioqui aut nullus ipſi primo verſui in exitu ſimilique cadentia accommodabitur verſus aut tres dabuntur ſe continuò conſequentes, adinuicem in fine conſonãtes,

tes, quorũ vtrunque, rythmicæ legi repugnat, in qua ſemper duo verſus neque plures neque pauciores: mutuum habent, quantum ad vltimam clauſulam, reſponſum adinuicem.

4 ❡ In quarto verſu. Dum vox vita non remordet. Cũ & labia noſtra laudant deum pariter & opera, ſecundum regulam mandatorum eius facta, tunc vox non remordet vitam neque vita diſcordat voci. Verùm ſi vox noſtra diuinas perſonat laudes, opera verò præceptis dei contraria facimus, huiuſmodi modulatio laudis eſt ingrata deo, quoniam vt ait Eccleſiaſticus non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, & ſcimus (inquit in euangelio cæcus iam illuminatus) quia peccatores deus non audit. *Eccl.15* *Ioan.9*

9 ❡ In nono verſu. Hæc eſt ſcala peccatorum. Crux ſancta dicitur myſticè ſcala peccatorum: quoniam peccatores per eam & immolationem veri agni in ea factã cælos conſcendunt. Et non ineptè figuratur per ſcalam illã ab imo terræ ad cæli culmen extentam: quam Iacob vidit in ſomnis, cui & dominum conſpexit innixum: & angelos domini aſcendentes & deſcendentes per eam. Quod autẽ per illã Chriſtus ad ſe traxerit omnia, teſtatur illud verbum eius ad Iudæos. Ego ſi exaltatus fuero à terra: omnia traham ad meipſum. Hoc autem dicit (vt ſubiungit euangeliſta) ſignificans qua morte eſſet moriturus. Atqui à terra exaltatus eſt Chriſtus: quando in crucem ſublatus eſt, & de ſola huiuſmodi exaltatione ibi loquitur. *Gene.18* *Ioan.18*

10 ❡ In decimo verſu. Quatuor confinia. Scilicet orientem, occidentem, meridiem, & ſeptentrionem, quatuor ipſius terræ partes. Nempe ſi pars anterior crucis cui affixus erat dominus, occidentẽ reſpiciebat (vt ſecundũ Chriſtianam pietatem in ipſo templorum meditullio Chriſtũ crucifixum mos eſt figurare) poſterior eius pars vergebat ad orientem, manus ſiniſtra ad meridionalem plagam: & dextra ad ſeptentrionalem. Et ita quatuor extrema ipſius terræ, in ipſa crucis figura comprehenduntur. Quòd ſi orientem verſus Chriſtum crucifixum quis dixerit, aut aliam quanuis cæli partem: ſemper in figura crucis aſſignabuntur quatuor partes, totidem terræ plagis reſpondentes. Ceterùm quid hoc aliud ſignabat, niſi per crucis myſterium à quatuor terræ plagis vocandos homines ad ſalutem

tem & veri dei agnitionem? Multi (inquit dominus in e-
Matth.8 uangelio) ab oriente & occidente venient, & recũbent cũ
Eſa.49 Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum. Et Eſaias vocationem gentium ad fidem prænuncians ait. Ecce iſti de longe venient, & ecce illi ab aquilone & mari, & iſti de terra auſtrali. Alia verò quatuor confinium terræ ſecundum figuram crucis ratio, in decimiquinti verſus explanatione paulo pòſt aſsignabitur.

Exo.15

12 ¶ In duodecimo verſu. Iſta dulces aquas fecit. Per lignum à deo Moyſi oſtenſum & aquis Marath amariſsimis immiſſum, vnde ipſæ aquæ in dulcedinem verſæ ſunt: intelligitur ſãcta crux, cuius ignominia & acerbitas à Chriſto tolerata: conuerſa eſt in dulcedinem, ſuauitatẽ, & gratiam redemptionis totius mundi. Similiter per virgã quæ Moyſi miniſterio ſilicem percuſsit & inde aquas eduxit, inſinuatur etiam ſancta crux: quæ ex Chriſto petra ſpirituali, lancea militari transfixo aquam toti mundo ſalutarem effudit.

Exo.17

13 ¶ In decimotertio verſu. Nulla ſalus eſt in domo. Vterque poſtis & ſunt perliminaria domorum Iſraeliticarum aſperſa ſanguine agni immolati typus fuerunt & figura viuificæ crucis, conſperſæ precioſo ſãguine agni immaculati. Sicut enim per huiuſmodi tinctionem & irrorationem ſanguinis agni typici, Hebræi fuerunt liberati ab
Exo.12 angelo percutiente primogenita Aegypti, ita virtute crucis ſalutiferæ liberamur ab inſultu & incurſione dæmonum, qui cum crucem domini conſpexerint, non valentes eius ſuſtinere pręſentiam: tripidi diffugiunt nocendique vires amittunt.

15 ¶ In decimoquinto verſu. Ligna legens in Serepta.
3.Reg.17 Vidua Sereptana (ad quam miſſus eſt Helias à domino vt ab ea ſuſtẽtaretur) duo ligna collegiſſe ſcribitur: vt ſibi & filio ſuo cibum decoqueret. Voci autem propheticæ obediens coxit illi primo ſubcineritium panem, & non eſt diminutum eius oleum in lecytho ampulláque olearia, nec farina in hydria per cõtinuã alimoniæ pro tota domo ſua ex illis apparitionem: quo ad daret dominus pluuiam ſuper terram, ſecundum verbum Heliæ. Porrò duo ligna illa collecta à vidua: ſanctam crucem reprę ſentant, ex duabus potiſsimum partibus cõſtantem, quarum vna à ſummo

mo in imum ſecundum longitudinem fuit porrecta : altera verò ex tranſuerſo, à dextro in ſiniſtrum extenta. Et ſecundū illas in cruce domini congruenter ſumuntur quatuor differētię poſitionum ipſius mundi: quæ per quatuor confinia in decimo verſu expreſſa poſſent etiam intelligi, ſcilicet ſurſum & deorſum, dextrum ſiniſtrum, ſecundum quatuor crucis extremitates aſsignata, ad denotandum quòd Chriſtus per mortem crucis quam pertulit: cæleſtia nobis regna quæ ſurſum ſunt aperuit, inferna verò quæ deorſum ſunt cōfregit, tereſtria autem omnia quæ in medio ſita ſunt: ſuorum brachiorum extentione & complexu quaſi dextrum & ſiniſtrum conſtituentia, ad ſe reuocauerit, & ita cæleſtuum, terreſtrium & infernorum dominatū principatúmque acceperit: & reconciliauerit omnia, ſumma ima & media deo patri per ſanguinem crucis. Per illa itidem duo ligna ſanctam crucem integrantia ſumuntur quatuor ipſius ſitus & poſitiones: ſcilicet longitudo, latitudo, altitudo, & profundū, ex quib⁹ ipſius crucis figura cōſtituitur. Quenadmodum declarat beatus Auguſtinus exponens illud dictum apoſtoli ad Epheſios. Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo ſublimitas & profundum. In his (inquit) verbis figura & myſterium crucis oſtenditur. Nam latitudo in cruce: eſt tranſuerſum lignum vbi figuntur manus, longitudo verò eſt ab ea parte quæ ab ipſo tranſuerſo ad terrā tendit, & ab ipſo vſque ad terram conſpicua eſt. Altitudo autem crucis in illo ligno eſt : quod ab eodem tranuerſo ſurſum caput verſus eminet. Profundum verò eſt in ea parte ligni quæ non apparet: ſed infixa, terræ occultatur. Hæc Auguſtinus. Ephe.3

17 ¶ In decimoſeptiuo verſu. Roma naues vniuerſas. Vt refert hiſtoria eccleſiaſtica libri noni cap. nono: Conſtantinus imperator cum Maxentio qui tum Romæ tyrannidem exercebat conflicturus, cum diuinum imploraſſet auxilium antequam cum hoſte manum conſereret : vidit in aere crucem rutilo fulgore coruſcam, & angelum ſibi dicentē. In hoc ſigno Conſtantine vinces & protinus in omnibus vexillis ſuis ſignū crucis figurari efformariq; iuſſit. Cūq; Maxentius fraudē molitus ad pontē Miluiū nauib⁹ pōtes ſugſtrauiſſet: vt illis ſubſidētibus præ nimio pōdere

cum

cum illac tranſiret Cōſtantinus & crederet firmos eſſe pō
tes, cum toto exercitu demergetur audiens Cōſtantinum
Romam verſus aduentare, concitur é portis Romanis
proruens pergit in illius occurſum. Et ſuarum oblitus de
cipularum per illos pontes præcipiti curſu ſuum duxit ag
men: & incidens in foueam quam fecit vna cum ſuis mili
tibus in flumen demerſus eſt, immò & naues illæ nimio
pondere preſſæ etiam aquis ſunt obrutæ. Et hoc pacto Cō
ſtantinus ſine effuſione ſanguinis humani (quòd ſummo-
pere à deo popoſcerat) victoria potitus eſt.

18 ¶ In decimooctauo verſu. Thraces, cæſi Perſæ.
Sub Heraclio imperatore Romano Coſdras rex Perſa-
rū collecto magno exercitu irrupit in fines Romani im-
perij Syriámq; & Paleſtinam graui incurſione vexauit,
omnia populationibus & incendiis deuaſtans. Cuius im-
petum repreſſurus Heraclius: coactis etiam copiis ſubſi-
ſtit ad flumen Danubium vbi & filius Coſtræ illi occurrit
cum apparatiſsimo militum agmine Quem ſingulari cer-
tamini ſuper pontem Danubij adortus deuicit Heraclius
adiutore deo: cui ſe ante congreſſum inuocata deuotius
ſancta cruce obnixè commendauerat. Deinde interfe-
cto Coſdra partem ſanctæ crucis, quam ab vrbe Hiero-
ſolimitana ille impius aſtulerat: cum debito honore & re-
uerentia illuc reportauit, vnde feſtum exaltationis ſan-
ctæ crucis celebrari in eccleſia cœptū eſt, vt latius ſupra-
dictæ ſolennitatis declarat hiſtoria-

20 ¶ In viceſimo verſu. Vnus fugat milia. Sumpta
Leui.26 eſt illa ſententia: ex eo quod in Leuitico dominus ꝑmit-
Deut.32 tit populo Iſrael. Perſequentur quinque de vobis cen-
tum alienos & centum de vobis: decem milia. Et ex eo
cantici ipſius Moyſi verbo. Quomodo perſequebatur
vnus mille: & duo fugarent decem milia. Quæ quidem
promiſſa, ſicut ſub veteris teſtamenti patribus interdum
completa leguntur, potiſsimum ſub piis regibus Iuda &
Inclytis Machabæis: ita & in nouo teſtamento ſub glorio
ſis illis regibus & principibus Chriſtianis, qui potentifica
Chriſti cruce armati expeditionem in hoſtes fidei ſuſce-
perunt & ſuis eos ſedibus propulſarunt.

23 ¶ In viceſimotertio verſu. Inter ligna nullum tale.
Reſpondet id crucis præconium illi cantico: quod in hym
no

no de paſsione domini in eius laudem canitur. Crux fidelis inter omnes: arbor vna nobilis, nulla ſylua talem profert: fronde, flore, germine. Vbi quoniam arborem nominauit ſanctam crucem author: vt decorum metaphorici ſermonis obſeruet, in eo perſiſtens, frondem eius florem & germen nominat, quæ tamen myſticè ſunt accipienda, & ad Chriſtum referenda: qui ſolus eſt illius arboris folium, flos, & fructus. Folium quidem: ob immarceſſibilem virtutum eius virorẽ atque vigorem. Flos, ob ſuauiſsimum bonitatis eius odorem præcipuúmque decorem. Germen verò: ob fructum & vtilitatem ſuæ paſſionis ex ea arbore decerptam.. Cæterùm quæcunque hic de cruce dicuntur, intelligenda ſunt non abſolutè materiam crucis attendendo: ſed referendo eam ad Chriſtum in illa confixum (qui ſua glorioſa paſſione) ipſam conſecrauit & ſanctificauit.

26 ¶ In viceſimoſexto verſu. Quos tormento vis ſeruire. Neminem deus ipſe præcipua voluntate & per ſe vult perire, ſed ſecundum beati Pauli ſententiam, vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *1. Timot. 2* Conſequenter tamen & ratione habita ad hominum opera: eos dicitur velle ſeruire tormento, qui per ſua peccata meriti ſunt æterna gehennæ ſupplicia. Rectitudo enim iuſtitiæ eius exigit vt tales ad finem vſque vitæ in malo perſiſtentes addicantur tormentis infernis. Itaque hæc oratio petit vt quos ſecundum prȩſentem ſtatum ac diſpoſitionem operum tales cognoſcit, qui digni ſint perpetua damnatione: illis gratiam emendandi vitam dum tempus adeſt concedat, & euadendi per pœnitentiam ea tormenta quibus ſunt digni. Demùm diem iræ vocat hic author diem extremi iudicij: quoniam ita appellatur apud Sophoniam prophetam cum ait. Vox diei homini amara: tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriȩ, *Sopho. 1* dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris: ſuper ciuitates munitas & ſuper angelos excelſos.

De ſancto Ioanne ante portam Latinam: proſa.

Verbum dei: deo natum,
Quod nec factum nec creatum,
Venit de cæleſtibus.
2 *Hoc uidit, hoc attrectauit,*
Hoc de cælo reſerauit,
Ioannes hominibus.
3 *Inter illos primitiuos*
Veros, ueri fontis riuos,
Ioannes exiliit.
4 *Toti mundo propinare*
Nectar iſtud ſalutare,
Quod de throno prodiit.
5 *Cælum tranſit, ueri ſolis*
Rotam uidit, ibi totam
Mentis figens aciem.
6 *Speculator ſpiritalis,*
Quaſi ſeraphim ſub alis
Dei uidens faciem.
7 *Audiit in gyro ſedis,*
Qui pſallant cum cytharœdis,
Quater ſenos proceres.
8 *De ſigillo trinitatis,*
Noſtræ nummo ciuitatis
Impreßit charecteres.
9 *Ille cuſtos uirginis,*
Arcanum originis,
Diuinum myſterium,
Scribens euangelium,
Mundo demonſtrauit.
10 *Cæli cui ſacrarium,*
Suum Chriſtus lilum,
Filio tonitrui
Sub amoris mutuì
Pace commendauit.
11 *Haurit uirus hæc letale,*
Vbi corpus uirginale
Virtus ſeruat fidei.
12 *Pœna ſtupet, quòd in pœna*
Sit Ioannes ſine pœna,
Builientis olei,
13 *Hinc naturis imperat,*
Vt & ſaxa transferat
In decus gemmarum.
14 *Quo iubente riguit,*
Aurum fuluum induit
Virgula ſyluarum.
15 *Hic infernum reſerat,*
Morti iubet, referat
Quos uenenum ſtrauit.
16 *Obſtruit, quod Ebion,*

Cherintus & Marchion,
Perfide latrauit.
17 *Volat auis ſine meta:*
Quo nec uates nec ꝓpheta
Euolauit altius.
18 *Tam implenda quàm impleta,*
Nunquam uidit tot ſecreta
Purus homo purius.
19 *Aquilam Ezechielis*
Sponſus miſit, quæ de cælis
Referret myſterium.
20 *Sponſus rubra ueſte tectus,*
Viſus ſed non intellectus,
Redit ad palacium.
21 *Dic dilecte de dilecto*
Qualis aſsit, & de lecto
Spõſi, ſponſæ nuncia.
22 *Dic quis cibus angelorum,*
Quæ ſunt feſta ſupernorũ,
De ſponſi præſentia.
23 *Veri panis intellectus,*
Cœna Chriſti ſupra pectus
Quæ ſit, nobis reſera.
24 *Vt cantemus de patrono,*
Coram agno, coram throno
Laudes ſuper æthera.
Amen.

Conſimilem rythmi modulationem ferè ſeruat hæc pſa. qualem ea de beato Ioanne euangeliſta prius expoſita Gratulemur ad feſtiuum, iocundemur ad votiuum Ioannis præconium, cum qua etiam conſpirat admodũ in ſententia & miraculorum narratione, quæ hic non eſt repetenda, ſed ex illo requirenda loco.

Continet præterea hæc proſa, nonnulla præclara & ſingularia ipſius Chriſto dilecti diſcipuli præconia, quæ ſequentibus annotationibus euadent manifeſtiora.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Hoc vidit, hoc attrectauit. In principio primæ ſuæ epiſtolæ ita ſcribit beatus Ioannes. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt: & vidimus & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem & apparuit nobis, quod vidimus & audiuimus annunciamus vobis. Ex quo loco epiſtolæ, ipſe ſenſus præſentis verſus videtur eſſe deſumptus. 1. Ioan. I.

3 ¶ In tertio verſu. Inter illos primitiuos. Verus fons eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus, fons aquæ viuæ,

& cæleſtis ſapientiæ torrens affluentiſsimus. Primitiui verò riui illius veri fontis, ſunt ſancti apoſtoli. qui doctrinā euangelicam ex ſacro eius ore hauſerunt, & tanquam riui ex illo fonte deducti ſunt, impletique ab eo aqua ſapientiæ ſalutaris. Inter illos autem riuos, Ioannes inſigniter emicuit, ad ſuauitatem verbi dei quos de cælo ad nos deſcendit, toti mundo propinandam & declarandam.

5 ¶ In quinto verſu. Cælum tranſit, veri ſolis. Ioannes (inquit) cęlos omnes & corporales & ſpirituales, ordines inquam angelicorum ſpirituum tranſcendit, & diuinitatē verbi dei principio fineque carētem (vt rota in orbiculari ſua figula & circulus) intentiſsima mentis acie conſpexit, defigens in eam totum interni ſui luminis obtutum. Hanc autem veri ſolis rotam, coæternitatem ſcilicet filij dei (qui eſt ſol iuſtitiæ) cum patre: reſerauit Ioānes hominibus, cum ſacro ſuo pectore illud eructauit euangelij exordium. In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum: hoc erat in principio apud deum. Hinc & ſpeculator ſpiritualis in ſequente verſu dicitur, & quaſi admiſſus ad contuitum diuini vultus ſub alis ſanctorum ſeraphim, qui cæleſtes ſunt ſpiritus deo pximi, & ſine aliquo aliorum interſtitio deo aſtantes. Alas autem ſeraphim hic nominat author, alludens ad illud Eſaiæ dictum. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni & alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabāt pedes eius, & duabus volabant.

Ioan.1 · *Eſa.6*

7 ¶ In ſeptimo verſu. Audiit in gyro ſedis. Id ex diuina Apocalypſi beati Ioannis ſumptū eſt, vbi ait. Poſt hæc ſtatim fuit in ſpiritu. Et ecce ſedes poſita erat in cælo: & ſupra ſedem ſedens. Et in circuitu ſedes, ſedilia viginti quatuor, & ſupra thronos, viginti quatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronas aureas. Et audiui vocem de cælo: tanquam vocē aquarum multarum, & tāquam vocem tonitrui magni, & vocem quam audiui: ſicut cytharœdorum cytharizātium in cytharis ſuis. Porrò ciuitas noſtra anima eſt humana: dei & diuinorum myſteriorum capax, cuius nummus, eſt mens noſtra atque intelligentia, cum viribus cæteris atq; potentiis ſpiritualibus, voluntate atq; mememoria, quòd ad imaginem & ſimilitudinem dei: homo ratione harum

Apoc. 4 · *Apoc.14*

rum virium natiuarum eſt factus. Itaque Ioanne de ſigillo trinitatis impreſſit characteres ipſi nummo noſtrę ciuitatis: vt dicit ſequens verſus, quoniam ſuperdiuinæ trinitatis notionem quomodo vnitrinus eſt deus, ipſe noſtrę menti reſerauit: & quantum capere poteſt infirmitas, id altiſsimum nobis myſterium cæteris ſublimius & apertius reclusit ac patefecit:

9 ¶ In nono verſu. Arcanum originis. Dicitur hic arcanum originis: occultiſsimum illud myſterium diuinæ generationis qua filius dei ex patre natus eſt ante omnia ſecula, non factus nec creatus, vt rectè dicit primus huius proſę verſus, quoniam neque ex nihilo neque ex materia extrinſeca conditus eſt, vt oblatrarunt Arriani, ſed ex patris ſubſtantia ab æterno genitus, patri coæternus & conſubſtantialis, atque deus benedictus in ſecula. Illud autem originis beatus Ioannes in euãgelio ſuo cæteris apertius & planius declarauit: cum hæc & ſimilia de eo ſcripſit. Vidimus gloriam eius: gloriã quaſi vnigeniti à patre. Et iterum eodem loco, vnigenitus qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit. Cum etiam hęc Chriſti verba refert. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt. Ego & pater vnũ ſumus. Ego à patre proceſſi & veni, & cætera conſimilia. *Ioan. 1*

10 ¶ In decimo verſu, Cæli cui ſacrarium. Sacroſanctam dei matrem vocat hic author & dignè & verè, ſacrarium cæli: quia fuit tabernaculum altiſsimi, & reclinatorium filij dei: in quo & noſtræ carnis ſubſtantiam ſumpſit, & nouem menſes requieuit. Eandem quoque ſacratiſsimã virginem vocat author, Chriſti lilium: propter ſynceritatem puritatis eius virgineúmque pudorem qua ipſa ſuper angelorum puritatem præclara eniteſcit. Filium verò tonitrui appellat hic author beatum Ioannem euangeliſtam: quoniam vt ſcribit Marcus, Chriſtus duobus filiis Zebedæi Iacobo & Ioanni impoſuit nomẽ Boanerges: id eſt filios tonitrui eoſdem denominauit. *Ioan. 10* *Ioan. 8*

16 ¶ In decimoſexto verſu. Obſtruit quod Ebion, Cherinthus & Marcion. Tempore beati Ioannis euangeliſtæ, cœperunt in eccleſia nonnullæ hæreſes pullulare: quarũ hic nominantur authores. Siquidem Ebion (id eſt pauper, & à paupertate ſenſus & ſcientiæ, verè ſic dictus) oblatrauit Chriſtum eſſe ſolum hominem, & per profectum *Marci 3* *Ebion,*

vitæ ac virtutis virum iuſtum effectum: communi etiã natiuitate ex viro & fœmina procreatum. Cuſtodiendã itidem cenſuit legis Moſaicę obſeruantiam, nec ſufficere ad ſalutem, ſolam Chriſti fidẽ exiſtimauit, vt perhibet hiſtoria eccleſiaſtica libro tertio, capitulo viceſimoſeptimo.

Cherintus. Cherintus verò affirmabat terrenum poſt reſurrectionem futurum eſſe Chriſti regnum, & corporales ventris ac libidinis delitias in paradiſo iuſtis pro mercede tradendas: quoniam ad eas voluptates erat propenſus. Dictitabat itidem cærimonias antiquę legis ac ſolẽnitates & hoſtias, rurſum obſeruandas ac celebrandas, vt teſtatur hiſtoria eccleſiaſtica, in libro tertio capite viceſimooctauo. De quo etiam refert libro quarto capite decimoquarto, quòd cum ſanctus Ioannes apoſtolus ad Epheſum aliquando balneas lauandi gratia fuiſſet ingreſſus, & audiuiſſet ibi Cherintum adeſſe: continuo exiuit non lotus, dicens. Fugiamus hinc, ne & balneæ ipſæ corruant: in quibus Cherintus lauatus lauatur veritatis inimicus. Demùm Mar-

Marcion. Cerdonis hæretici diſcipulis prædicabat, quòd is qui à lege & prophetis prædicatus eſt deus: nõ eſſet ipſe pater domini noſtri Ieſu Chriſti, quia ille quidem notus eſſet: hic autem ignotus, & ille iuſtus, hic autem bonus, & ita alium aſſerebat eſſe deum iuſtum, & alium bonum, & alium veteris, aliúmque noui teſtamẽti eſſe deum, quæ omnia ſunt plena blaſphemiæ. Hæc ex vndecimo capite quarti libri hiſtoriæ eccleſiaſticæ habentur perſpecta. In decimoquarto verò capite eiuſdem libri illud etiam narratur: ꝙ cum Marcioni aliquando occurriſſet ſanctus Policarpus Smyrneorũ epiſcopus, & quæſiuiſſet ab eo Marcion: Agnocis ne me? reſpondit Policarpus eidem. Agnoſco

Eze. 1 certe, agnoſco primogenitum Sathanæ. Has autem & conſimiles hæreſes: Ioannes in ſuo euangelio & epiſtolis validiſsimè confutauit.

19 ❡ In decimonono verſu. Aquilam Ezechielis. In primo ſui libri capite deſcribit. Ezechiel myſticam viſionem quatuor animalium: per quæ ſignati ſunt quatuor ſacri euangeliſtæ à deo præordinati ad conſcriptionem euangeliorum. Vbi per aquilam quartum animal, ſignatus eſt beatus Ioannes euangeliſta: cæteris ſublimius volitans, & irreuerberata acie ſolis iubar intuens. Eadem quoque

quoque viſio, ipſi beato Ioanni in Apocalypſi eſt monſtrata. 20 ¶ In viceſimo verſu. Sponſus rubra veſte tectus. Apud Eſaiam angelici ſpiritus admirantes Chriſtum cum gloria & decore cælos aſcendentem in corpore glorioſo, ſignat tamen quinque plagarum præcipuarum ſuæ paſſionis retinente: in hanc eruperunt interrogationem. Quis eſt iſte qui venit de Edom: tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua: gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Et cum reſpondiſſet eis Ieſus. Ego qui loquor iuſtitiam: & propugnator ſum ad ſaluandum, ſubintulerunt. Quare ergo rubrum eſt indumentũ tuum: & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Ex quo loco prophetæ, huius verſus ſententia protinus eſt peruia & aperta. *Apoc.4* *Eſa. 62*

21 ¶ In viceſimoprimo verſu. Dic dilecte de dilecto. In hoc verſu & duobus ſequentibus, populus Chriſtianus beatum Ioannem dilectum Chriſti diſcipulum cum veneratione, pióque affectu cum interrogat de Chriſto dilecto ſponſo: qualis ſit in gloria cæleſti qua nunc Ioannes perfruitur, & ergo delitias eius & ſuauitatem referre verius poteſt. Petit item ab ipſo beato Ioanne: vt eccleſiæ ſponſæ Chriſti nũciet dilecto ſpiritualique requie ſponſi in regno cæleſti, quæ itidem ſit angelorum refectio, quæ beatorum gaudia, de ipſius Chriſti ſponſi præſentia quem facie ad faciem contuentur. Denique ab eodem petit edoceri quæ ſit ſpiritualis veri panis intelligẽtia: cuius mãducatione ſatiantur cæleſtes incolæ, quæ præterea ſit cœna, poſtremáq; ſed ſemper duratura refectio ſanctorum: ſupra pectus Chriſti recumbentium ſpiritualiter, quemadmodum beato Ioãni datum eſt, in cœna nouiſsima antè Chriſti paſsionem ſupra pectus eius recumbere: & inde euangelicæ doctrinæ fluenta haurire. Vt demùm de ipſo beato Ioanne patrono noſtro laudes debitas concinere valeamus, cum quatuor animalibus & vigintiquatuor ſenioribus coram agno dei & còram throno diuinæ maieſtatis, quemadmodum in ſancta Apocalypſi ſcribit Ioannes omné creaturam perſonare laudem & honorem deo benedicto in ſecula. Amen. *Ioan.13* *Apoc.5*

De ſancto Iuone.

1 *Aus & honor Trecoriæ,*
Decus & decor Galliæ,
Lux & ſplendor Britanniæ,
Beatus Iuo colitur.
2 *Ergo laudes eximiæ*
Dentur ſuæ memoriæ,
Ac per immenſæ gloriæ
Qua in cælo perfruitur.
3 *Vbi ab ipſo cernitur*
Rex: in ſerena facie.
Et excelſus thronus Mariæ,
Qui regis throno iũgitur.
4 *Illic ſibi conceditur*
Subuenire propitie,
Humanæ indigentiæ,
Vt per orbem dinoſcitur.
5 *Claudis greſſus reuertitur,*
Lux cæcis reſtituitur.
6 *Aegris ſalus infũditur,*
Mortuis uita redditur.
7 *Mutorum lingua ſoluitur,*
Vinctorũ funis rumpitur.
8 *Aqua currẽs diuiditur,*
Poſtis longus efficitur.
9 *Incendium extinguitur.*
Maris tumor reprimitur.
Hydropiſis conſumitur,
Et paralyſis tollitur.
10 *Dũ hoſtia ſuſtollitur.*
Fulgor circũ proſpicitur.
Fœtus in matre moritur,
Sed incolumis oritur.
11 *Pauper ſordens ſuſpicitur,*
Secum ſimul conueſcitur,
Et dum inde egreditur,
Valde ſplendens cõſpicitur.
12 *Vir à rota ſubſternitur,*
Et aqua fluens ſiſtitur.
Vir à ſubtus ſubtrahitur,
Et nihil mali patitur.
13 *Archipræſul affligitur*
Febre, moriq; creditur.
Pro quo Iuo depoſcitur,
Et uita ſanus potitur.
14 *Dæmonium eiicitur,*
Aeris peſtis pellitur.
Hoſtis furor refellitur,
Stragis clades compeſcitur.
15 *Planè quod piè petitur,*

Ab

Ab Iuone tribuitur.
Et completur plenarie,
Ex ubertate gratiæ.
16 *Quæ ad aulam introitur*
Regis ſummæ potentiæ,
Cuius regnum non finitur.
17 *Ille qui cuncta largitur.*
Aſcribat ſeruos curiæ
Quæ curis non committitur. Amen.

¶Hæc proſa vniformem, ac eiuſdem fere modi & ſpeciei continet rythmicam modulationem. In ſingulis enim omnium verſuum clauſulis (ſiue verſus ipſi duas, ſiue tres, ſiue quatuor (vt ſæpius) complectantur clauſulas) octo continentur ſyllabæ: quarum penultima fermè ſemper breuis conſpicitur exceptis nonnullis locis: in quibus penultima ſyllaba occurrit longa. Conſonantia verò eius clauſulæ, vt plurimum ad proximam refertur: & ſi nonnunquã ad eam quæ aliquo diſtat interſtitio reſponſus ac conſpiratio vocalitatis conſpiciatur. Commemoratur in ea gloria perennis, ad quam ſublimatus beatus Iuo nunc gaudet in cælis. Referuntur & per multa miracula: quæ per ipſum operatus eſt dominus. Verùm diffuſa illorum enarratio: ex vita eius eſt expetenda, & hic ea tantum annotanda ſunt. quæ ad clariorem literæ intelligentiam neceſſaria cenſentur.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Lux & ſplendor Britanniæ. Maior Britannia, inſula quæ nunc Anglia dicitur: à Britone rege prius Britannia denominata. Quoniam enim Albion dicta: ab albis montibus ob harenarum copiam, quæ primum nauigantibus apparent. Eius incolę: Britanni nuncupati ſunt, nunc Angli dicuntur. Virgilius. Et penitus toto diuiſos orbe Britannos. Inde britanneus denominatiuum: deducitur, vt apud Iuuenalem. Quantum delphinis balena britannica maior. Dicuntur eiuſdem regionis indigenæ: etiam Britones interdum, apud probatos authores, vt apud Satyricum. Qua nec terribiles Cymbri nec Britones vnquam. Minor verò Britannia, Galliæ eſt portio, & continenti terra illi coniuncta. Antiquo nomine Armorica dicitur: & eius incolæ, Armorici ſiue Britones appellantur. In hac: ciuitas eſt epiſcopalis Trecoria, ortu

& educatione ſanctiſſimi Iuonis mirum in modum nobilitata: ſed ſancta eius conuerſatione, & ſanctimonia vitę multo illuſtrior. Sedes ēius epiſcopalis: Trecorienſis vulgo dicitur.

3 ¶ In tertio verſu. Et celſus thronus Mariæ: qui regis
3. Reg. 2. throno iungitur. Tertius liber Regum commemorat quòd cum Berſabee mater Salomonis venit ad ipſum vt loqueretur pro Adonia fratre regis: ſurrexit rex in occurſum eius, adorauitque eam & ſedit ſuper thronum ſuum: poſitúſque eſt thronus matri regis, quæ ſedit ad dextram eius. Quæ ſanè figura eſt exaltationis ſanctæ dei genitricis: & collocationis throni eius ad thronum æterni regis, & veri Salomonis filij ſui. Ipſa enim vera eſt Berſabee, id eſt puteus ſatians vel puteus ſaturitatis: fons ſcilicet hortorū & puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu Libano: imò torrens gratiæ & diuinorum chariſmatum: quæ ſuis impetrat famulis, ſeruiſque fidelibus. Ipſa etiam mater eſt veri Salomonis, Chriſti inquam verè pacifici, qui pacem naſcendo attulit mundo & tranquillitatem animi largitur
Cant. 4. ſuis, ſicut & diſcipulis hinc diſcedens reliquit. Rectè igitur Thronus glorioſæ dei matris, throno regis cæleſtis & filij eius coniungitur. Decet ſiquidem ęditiore gradu & ſede ipſam collocari quæ mater dei eſt: quàm quoſcunque angelicos ſpiritus & ſanctos, quæ ſuper omnes choros an-
Luc. 2. gelorum eſt exaltata. Et cum ſupremus angelicarum ſubſtantiarum ordo ac chorus proximè ſub deo conſtitutus dicatur: vbi ſacratiſſimæ dei matris collocabitur thronus qui
Ioan. 14 debet eſſe ſuperior, niſi iuxta thronū dilecti filij ſui? vt matri plus exhibeatur honoris: quàm quibuſuis dei ſeruis.

9 ¶ In nono verſu. Hidropiſis conſumitur. Hidropiſis, ſiue hydrops in maſculino genere: morbus eſt ex nimio humore aquatico in corpore abundante aggenitus. Latinè dicitur aqua intercus, ſubcutaneus morbus: quoniam ſub cute aqua ſit qua venter turgeſcit. Horatius. Creſcit indulgēs ſibi dirus hydrops, nec ſitim pellit: niſi cauſa morbi fugerit venis, & aquoſus albo corpore languor. Hydrops verò communis generis hominem ſignificat, ſiue virum ſiue mulierem; eo morbi genere laborantem, qui etiam hydropicus dicitur. Paralyſis verò, diſſolutio eſt neruorum deſtituentium membra ſua virtute ac compage: & eam ob rē

tremorem

tremorem inducit membris tremulúmque interdum motum. Alio nomine à Græcis hemiplexia dicitur, hoc eſt ſemi apoplexia: cum in alteram tantum corporis partem malum illud incumbit, cum verò totum corpus eo afficitur morbo: apoplexia dicitur, cui paralyſis magna vicinitate reſpondet. Inde paralyticus, qui eo premitur incommodo: & Latinè diſſolutus dici poteſt.

11 ¶ In vndecimo verſu. Pauper ſordens ſuſcipitur. In veteri teſtamento leguntur ſancti patres vt Abraham & Loth angelos ſuſcepiſſe hoſpitio: illiſque hoſpitalitatē exhibuiſſe, quos tamen exiſtimabant eſſe homines. In nouo vero plærumque Chriſtus in pauperis habitu, ſpecie & forma ſuſceptus eſt à ſanctis viris, qui demùm aliquo dignatus eſt indicio demonſtrare: qualis & quantus eſſet hoſpes quem tectis ſuis accepiſſent, vt in hoc præſente miraculo: & aliis plæriſque. Quemadmodum ſancto Martino poſt datam pauperi partem chlamydis, oſtendit ſe nocte ſequente ea veſte Chriſtus indutum: qua ille pauperem veſtiuerat. Nimirum vt conteſtetur nobis, quicquid pauperibus miſericordiæ impendimus: nos illud eidem impendere ac exhibere, quemadmodum apud Matthæum nobis omnibus proponit dicens. Amen dico vobis, quādiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis: mihi feciſtis. Et rurſum ex oppoſito etiam aſſerit. Amen dico vobis, quādiu non feciſtis vni de minimis his: nec mihi feciſtis.

Gene.18. *Gen.19.* *Mat.25.*

13 ¶ In decimotertio verſu. Et vita ſanus potitur. Potius penultima ſyllaba breui, proferendum eſt hoc loco verbū potitur, vt conformetur vltima illa clauſula tribus cæteris eiuſdem verſus clauſulis, in cōſimili exitu & tenore poſtremarum ſyllabarum: in quarum ſingulis penultima ſyllaba corripitur. Neque formidandum eſt: eo ipſo grammaticæ legem violari aut deſtrui. Nam id verbum nonnunquam tertiæ coniugationis eſſe: apud probatos authores comperitur, vt apud Virgilium in tertio Aeneidos. Polydorum obtruncat: & auro vi potitur quid nō mortalia pectora cogis: Auri ſacra fames! Interdum verò & quidem frequentius, idem verbum in quarta inuenitur coniugatione: & tūc in tertia perſona ſingulari præſentis temporis, penultima ſyllaba producenda eſt.

¶ In

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. Quæ curis non committitur. Aptior videretur accommodatiórque ſententia: ſi hoc modo legeretur hæc clauſula, quæ curis non concutitur. Nam curæ mentem concutiunt, vexant, torquent, excruciant. Et vt inquit Virgilius: nec placidam membris dat cura quietem. Et Ouidius. Attenuant vigiles corpus miſerabile curæ. In illa verò cæleſti curia: non diſcruciantur ciues nec concutiuntur curarum moleſtiis. At cum hæc poſtrema clauſula ita legitur, quæ curis non committitur: minus ſignificantiæ & virium habet oratio, quòd non vſque adeo accommodata eſt illius verbi ratio præſenti loco: cum non aptè admodum dicatur cura committi aut non committi curis.

De ſancto Germano epiſcopo Pariſienſi: proſa.

1 Lux illuxit triumphalis,
In qua curſus agonalis
Euoluto ſpacio.
2 Stola prima decoratur
Et ſecundam præſtolatur
Germanus cum gaudio.
3 Mole carnis liberatur,
Et à Chriſto decoratur
Regni diademate.
4 Iam adeptus quod quærebat,
Clare uidet, quod uidebat
Prius in ænigmate.
5 Celebremus diem iſtam,
In qua ſuum agoniſtam
Coronauit dominus.
6 Finis fuit in agone,
Sed honoris, ſed coronæ
Nullus erit terminus.
7 Luctus, labor & certamen
Tranſierunt ſed ſolamen
Sed quies, ſed præmia.
8 Quæ nunc à te Ieſu Chriſte
Tuo dantur agoniſtæ,
Finis erunt neſcia.
9 Iam illuxit ò Germane
Tibi clarum illud mane,
Quod non habet ueſperum.
10 Ceſſat lucta, ceſſat luctus,

Et

Et ad ūrbem es perductus
In qua nil eſt miſerum.
11 *In hac ualle lachrymarum,*
In hoc loco tenebrarum
In hac ſolicitudine,
12 *Suſpirabas & plorabas,*
Et ad lucem aſpirabas,
Qua caret caligine.
13 *Inueniſti fidem ducem,*
Qui te duxit ad hanc lucem
Dei patris unicum.
14 *Qui de pugna redituro,*
Et ad regnum profecturo,
Tibi dat uiaticum:
15 *Gaude pater & exulta,*
Quia merces tua multa,
Quia multa gloria.
16 *Cælum tibi reſeratur,*
Te recepto gloriatur
Tota cæli curia.
17 *Inter cæli ſenatores*
Collocaris: ut exores
Chriſtum uerum iudicem.
18 *Proni tibi ſupplicamus:*
Ne noſtrarum ſentiamus:
Hunc culparum uindicem.
Amen,

¶Præſens vniformem modulationem proſa in omnibus ſuis verſibus obſeruat. In vnoquoque enim eorum, tres cõtinet clauſulas rythmicas: quarum duæ primæ inter ſe cõſimilem habent in exitu conſonantiam, complectuntúrque ſingulæ earum octo ſyllabas, & penultimam ipſarum longam. Tertia verò cuiuſque verſus clauſula ſeptem tantum ſyllabas complectitur, & penultimam earum longam reſpondétque in vocalitate ac ſonoritate terminali poſtremę clauſulæ proximi verſus. Deſcribuntur in eo agones ſpirituales & pugnæ: quas ſanctitate conſpicuus Germanus, Pariſiorum antiſtes clariſſimus, in hoc vitæ ſtadio exercuit, necnon ardens illud animi deſyderium: quo cupiuit cum Paulo diſſolui & eſſe cum Chriſto. Cui quidem deſiderio, tandem à domino ſatisfactum eſt: & expleto vitæ pręſentis curſu, ipſe ſanctus victoria de hoſtibus potitus cælum triumphans eſt ingreſſus, coronámque adeptus perpetuam.

2 ¶ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Stola prima decoratur. Dilectus Chriſto diſcipulus in ſacra Apocalypſi,

lypſi, hanc inter cæteras diuinam ſcribit viſionem: Et cum aperuiſſet ſigillum quintum: vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum dei, & propter teſtimonium quod habebant, Et clamabant voce magna dicentes. Vſquequo domine ſanctus & verus: non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitãt in terra? Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum & fratres eorum: qui interficiendi ſunt ſicut & illi. Vbi per ſingulas ſtolas albas, intelligitur gloria cæleſtis animarum ſanctarum: quam corporis gleba exutæ percipiunt. Et hæc eſt prima ſtola: qua decorantur ſancti in regno cæleſti quantum ad animam. Secunda verò ſtola quam adhuc præſtolantur ſancti, ſine tamen tędio & anxietate, immò cùm ſecuritate & certitudine: eſt gloria corporum, quæ poſt conſummationem ſeculi rurſum vnita animæ glorificata erunt: dotéque immortalitatis & incorruptibilitatis decorata, cum fulgebunt iuſti ſicut ſol: in regno patris eorum. Tunc (vt ait Sapiens) fulgebunt iuſti: & tan-
Mat.13 quam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.

Sap.3 4 ¶ In quarto verſu. Clare videt: quod videbat prius in ænigmate. Beatus Paulus in prima ad Corinthios epiſtola conferens cognitionem ac viſionem præſentis vitæ ad eã quæ futura eſt in patria, ait. Ex parte enim cognoſcimus:
1Cor.13 & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum eſt: euacuabitur quod ex parte eſt. Videmus nũc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, nunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Ex quo quidem loco ſumpta eſt præſentis verſus ſententia. Quoniam enim obſcura eſt dei cognitio in hoc vitæ incolatu, & per quaſdam rerum ſimilitudines nos manuducens ex creaturis ad earum authorem: per ſpeculum & in ænigmate dicimur hic deum videre. At quoniã in gloria cæleſti clara eſt viſio, & poſito omni velamine: facie ad faciem deum vident ſancti, & regni illius incolę. Eſt autem
Iudicum 14 ænigma: obſcura allegoria, vel quæſtio obſcura quæ difficile intelligitur niſi aperiatur, vt illud Sanſonis ad ſuos coęquales. De comedente exiuit cibus: & de forti egreſſa eſt dulcedo. Inde traducitur illud nomen atque tranſſumitur ad quancunque cognitionis obſcuritatem.

¶ In

6 ¶ In ſexto vèrſu. Finis fuit in agone. Beatus Antonius eremita (vt ſcribit ſacer Athanaſius in eius vita) ad fratres ſuos exhortatorium faciens ſermonem: inter cætera ait. In præſenti hac vita: æqualia ſunt pro rerum commutatione commercia: nec maiora recipit ab emente qui vẽdidit. Promiſſio autem ſempiternæ vitæ: vili præcio cõparatur. Scriptum eſt enim. Dies vitæ noſtræ ſeptuaginta anni. Si autẽ multum octoginta: quicquid reliquum eſt, labor & dolor eſt. Quando ergo octoginta aut centum vt multum annis nos in dei opere laborantes vixerimus, non pari tempore regnaturi ſumus in futuro, ſed pro annis ſupradictis: cælorum nobis regna in æternum tribuentur, non terram hæreditabimus: ſed cælum. Corpus quoque corruptum relinquentes: idipſum cum incorruptione recipiemus. Ergo filioli non vos aut tædium defatiget: aut vanæ gloriæ delectet ambitio. Non ſunt enim condignæ paſſiones huius temporis: ad futuram gloriam quæ reuelabitur in vobis. Nemo cum aſpexerit mundum: reliquiſſe ſe arbitretur ingentia, quia omnis terra ad infirmitatem comparata cælorum, breuis eſt ac parua. Si ergo nec vniuerſo orbi renunciantes: dignum aliquid poſſumus comparare cæleſtibus, ſi vnuſquiſque conſideret: ſtatim intelligit paruis à ſe aruis vel parentibus, vel modica auri portione contempta: nec gloriari ſe debere quaſi magna dimiſerit, nec tædere quaſi parua ſit recepturus. Vt enim contemnit aliquis vnam æream dragmam ad dragmas centum aureas cõquirendas: ita etiam qui totius orbis domino ſua dereliquit, centuplũ de melioribus præmiis in cæleſti ſede percipiet. Hæc Antonius ad ſuos. Inſuper beatus Auguſtinus in ſermone de feſto omnium ſanctorum ait. Dei ineffabilis & immenſa bonitas etiam hoc prouidit: vt laborum quidem tempus & agonis non extenderet, nec longum faceret aut ęternũ, ſed breue, & vt ita dicam momentaneum, vt & in hac breui & exigua vita, agones eſſent & labores, in illa verò quæ æterna eſt: coronæ & præmia meritorum fine fine durarent, vt labores quidem cito finirentur: meritorum verò præmia ſine fine manerent, vt poſt mundi huius tenebras viſuri eſſent candidiſſimam lucem: & accepturi maiorem pro paſſionum cunctarum acerbitatibus beatitudinem teſtãte hoc idem apoſtolo qui ait. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis

Pſal. 89. Auguſtin*. *Róm. 8.*

temporis:ad ſuperuenturam gloriam quæ reuelabitur in nobis,hæc Auguſtinus.

9 ¶ In nono verſu. Tibi clarum illud mane, quod nō habet veſperum. De ſex primis diebus mundanæ conſtitutionis,quibus diuinum opificium pulcherrimè conſtructam eſt & ordinatum in totius mundi fabrica:dictum eſt in ſcriptura,quod habuerint mane & veſpere. De ſeptimo verò

Gen.1. die in quo dominus deus requieuit ab omni opere quod patrauerat,id ſatis compertum eſt :quòd habuerit mane, cum ipſum ſit prima diei pars & exortus eius non tamen meminit diuina pagina quod habuerit veſpere,extremámque & vltimam partem:cui continuo ſucceſſerit nos. Sanè ſex illi dies primi , deſignant laborem à nobis in hac vita ſubeundum & tempus operationis exercendæ : quādiu in hoc mundo conſiſtimus,cuiꝰ quidem laboris extremus eſt terminus & finis:vna cum exitu ab hac vita. Amodo enim iam dicit ſpiritus:vt requieſcant à laboribus ſuis. Septimꝰ verò dies quem ſanctificaſſe dominus legitur: ſignificat requiem ſanctorum in regno cæleſti, poſt exanclatos huius vitæ labores. Et illa quies nunquam finem eſt habitura nec terminum:ſicut nec ſeptimus dies habuit veſperum.

10 ¶ In decimo verſu. Et ad vrbem es perductus:in qua

Auguſtinꝰ eſt miſerum. Beatus Auguſtinus in prædicto ſermone de omnibus ſanctis:paulo pòſt ea quæ ſuperius adducta ſunt, ait. Conſideremus ergo inclytam vrbis illius fœlicitatem: inquantùm conſiderare poſſibile eſt. Vt enim vere eſt:comprehendere nullus ſermo ſufficiet. Dicitur de ea in quodā loco ſic:quòd aufugiet ibi dolo triſtitia & gemitus. Quid hac vita beatius? vbi non eſt paupertatis metus,non ægritudinis imbecillitas:nemo læditur,iraſcitur nemo,inuidet nemo,cupiditas nulla exardeſcit:nullum cibi deſyderiū,nullius honoris aut poteſtatis pulſat ambitio,nullus ibi diabo

Apoc.21. li metus,inſidiæ dæmonum nullæ,terror gehennæ procul. Ibi mors neque corporis neque animæ erit:ſed immortalitatis munere vita iocunda,nulla erit tunc diſcordia, ſed cuncta conſona,cuncta conuenientia : quia erit omnium ſanctorum vna concordia. Pax cuncta & lætitia continet, tranquilla ſunt omnia & quieta,atque iugis ſplendor: non

Apoc.21. iſte qui nunc eſt,ſed tanto clarior quanto fœlicior, quia ci-

Dan.12. uitas(vt legitur)illa non egebit lumine ſolis & lunæ : ſed

deus

deus omnipotens illuminabit eam & lucerna eius eſt agn⁹ vbi ſancti fulgebunt vt ſtellæ in perpetuas æternitates, & ſicut ſplendor firmamenti qui erudiunt multos. Et reliqua, quæ in hanc ſententiam præclare idem proſequitur.
14. ¶ In decimoquarto verſu. Tibi dat viaticum. Authores viaticum dicunt, quicquid iter agendi cauſa neceſſariũ eſt, ſiue cibus ſit, ſiue pecunia ad victum expendenda. Ad conficiendum autem iter ad regnum cælorum, neceſſaria eſt dei gratia, neceſſariæ virtutes, & eccleſiaſtica ſaccramẽta, ex ritu Chriſtiano ante exitum vitæ ſumenda. Quæ omnia cum abunde ſubminiſtrauerit Chriſtus ſancto Germano hinc exituro, recte ei viaticum dediſſe hic dicitur, quo de militia huius vitæ exire debuerit, & ad regnum æternæ fœlicitatis proficiſci: immò & eidem dux itineris fuit fidiſſimus.

In natiuitate ſancti Ioannis baptiſtæ.

Sancti baptiſtæ Chriſti præconis Solennia celebrantes: moribus ipſum ſequamur.
1 Vt ad uitam (quam prædixit) aſſeclas ſuos perducat. 2 Deuoti te ſanctiſsime hominum, amice Ieſu Chriſti flagitamus: ut gaudia percipiamus. Apparẽs quæ zachariæ Gabriel repromiſit, qui tuam celebrarent obſequiis natiuitatem. Vt per hæc feſta æterna gaudia adipiſcamur. 3 Qua ſancti dei ſacris delitiis læti congaudent Tu qui præparas fidelium corda.
4 Ne quid deuiũ uel lubricum deus in eis inueniat. Te depoſcimus: ut crimina noſtra & facinora, continua prece ſtudeas abſoluere.
5 Placatus ut ipſe ſuos ſemper inuiſere fideles: Et manſionem in eis facere dignetur. Et agni uellere (quem tuo digito mundi monſtraueras tollere crimina) nos uelit induere. 6 Vt ipſum mereamur angelis aſſocij. In alba ueſtẽ ſequi per portam clariſſimam. Amice Chriſti Ioannes. Amen.

¶Hæc proſa ſolutam habet orationem: neque vlla rythmi lege tenetur. Continet autem exhortationem fidelis populi ad imitationem vitæ beati Ioannis, & poſtulationē eiuſdem ad ſanctum Ioannem: vt dignetur nos vitiis purgatos gaudio ſpirituali perfundere: & demùm ad ęterna cęli gaudia perducere.

1 ¶ANNOTATIONES. Aſſeclas perducat ſuos. Aſſecla ab aſſequendo deductum nomen: ſignificat eum qui dominum ſequitur, & omnibus præceptis dominorum adeſt. Hieronymus. Seruus paternus & alumnus & formoſus aſſecla, & procurator calamiſtratus honorandus eſt. Quare hoc loco id nomen pro ſeruo & famulo rectè ſumitur. Vita autem quam prædixit Ioannes baptiſta, ſicut dicit litera: vita eſt æterna, de qua prædicans populo in deſerto clamauit. Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnū cælorum.

2 ¶Sanctiſſime hominum, amice Ieſu Chriſti. Ioannes
Mat. 3. hic ſanctiſſimus hominum prædicatur: quoniam de eo ſum
Mat. 11. ma veritas hoc perhibuit teſtimonium. Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne baptiſta. Dicitur & amicus
Ioan. 3. Ieſu Chriſti: quoniam eo nomine ſeipſum inſinuauit Ioannes, cum ait. Qui habet ſponſam: ſponſus eſt. Amicus autē ſponſi qui ſtat & audit eum: gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt. In quibus verbis Chriſtum vocat ſponſum: ſeipſum verò amicū ſponſi. At verò gaudia repromiſit Gabriel in natiuitate Ioannis futura: cum ait ad Zachariam. Et erit tibi gaudium & exultatio: & multi in natiuitate eius gaudebunt.

Luc. 1. 3 ¶Qua ſancti dei ſacris. Relatiuum qua, neque ad feſta neque ad gaudia, nomina ante expreſſa refertur: quoniam vtrique illorum numero & genere diſcordat, cum ſit ablatiuus ſingularis fœmini generis, ſed ad antecedens ſubauditum patria, aut regione, aut domo referri debet: adiuncta præpoſitione, vt hic habeatur ſenſus. Adipiſcamur æterna gaudia in illa patria & regione viuorum: in qua ſancti dei congaudent.

4 Tu qui præparas fidelium corda. Id Zacharias prophe-
Luc. 1 ta ſpiritu ſancto repletus: de Ioanne prædixerat dicens. Et
Mal. 3 tu puer, propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante fa
Mat. 11 ciem domini parare vias eius. Et multo ante Malachias ꝓpheta

pheta de eodem. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam ante te. Quod quidem oraculum teſte domino noſtro, de Ioanne dictum eſt: & in ipſo completum.

5 ¶ Placatus vt ipſe ſuos. Hæc ſententia ex euangelio Ioannis eſt deducta, vbi dominus poſt vltimam cœnam ait diſcipulis ſuis. Si quis diligit me: ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. Porrò agnus quem digito monſtrauit Ioannes: Ieſus Chriſtus eſt, quem cum vidiſſet ad ſe venientem: ait. Ecce agnus dei: ecce qui tollit peccata mundi. Illius autem vellere ſpirituali, ornamento ſcilicet virtutum & gratiarum: nos indui hic expoſcimus.

6 ¶ Vt ipſum mereamur angelis aſſocij. Sicut à verbo ſociare venit nomen adiectiuum ſocius, a, um. Virgilius. Socia agmina credens, ita ab aſſociare formatur aſſocius adiectiuum, eiuſdem cum ſuo primitiuo ſignificationis, eſt enim idem quod adiunctus, ſiue aſſociatus, datiuúmque requirit. Cæterùm alba veſtis (cuius meminit litera) ſplendorem ſanctorum fulgorémque cæleſtem ſignat. Porta vero clariſſima: introitum in regnum cœlorum, vt his verbis petamus nos ad eam aſſumi ſanctorum ſortem: vt ſequamur agnum dei in cælo quocunque ierit.

Ioán. 14.

Ioan. 1.

De ſancto Ioanne baptiſta: alia proſa.

PRæcurſoris & baptiſtæ
Diem iſtũ: chorus iſte
Veneretur laudibus.
2 *Vero die iam dieſcat*
Vt in noſtris eluceſcat
Verus dies mentibus.
3 *Pater uetus nouum natũ*
Obſtupeſcit: dum legatum
Audit miſſum cælitus
4 *Nam ætatem & naturã*
Conſulendo genituram
Miratur decrepitus,
5 *Dum non paret uerbo parens.*
Mox in uerbo fit apparens
Pro uerbis punitio.
6 *Pater hærens hoc infirmat:*
Affirmando quod confirmat
Loquelæ priuatio.

7 *Præcurſore nondũ nato,*
Nondum partu reſerato
Reſerantur myſtica.
8 *Noſtro ſole tunc ex-cluſus:*
Verioris eſt perfuſus
Solis luce typica.
9 *Prius nouit diem uerum*
Quàm noſtrorum ſit dierum
Vſus beneficio.
10 *Hic renaſcens nondum natus*
Nondum naſcens eſt renatus
Cæleſti myſterio.
11 *Clauſa pandit, uentre clauſus,*
Geſtu plaudens, fit applauſus
Meßiæ præſentiæ.
12 *Linguæ geſtus obſequũtur.*
Dum pro lingua ſic loquuntur
Seruiunt infantiæ.
13 *Mater parit, pater credit.*
Redeunte fide, redit
Linguæ beneficium.
14 *Reſerato partu matres*
Reſeratur lingua patris,
Reſerans myſterium.
15 *Thori fructus matri dãtur*
Et iam matris excuſantur
Sterilis opprobria.
16 *Ortus tanti præcurſoris*
Multos terret ſed terroris
Comes eſt lætitia,
17 *Se à mũdo ſeruãs mũdũ*
Munde uiuit intra mundũ.
In ætate tenera.
18 *Ne formẽtur à cõuictu*
Mores: loco, ueſte, uictu
Mundi fugit proſpera
19 *Quem dum replet lux ſuperna,*
Veræ lucis fit lucerna.
Veri ſolis lucifer
20 *Nouus præco nouæ legis:*
Immo nouus noui regis
Pugnaturi ſignifer.
21 *Singulari prophetia:*
Prophetarum monarchia
Sublimatur omnium.
22 *Hi futurũ, hic præſentẽ*
Hi uenturum, uenientem
Monſtrat iſte filium.
23 *Dũ baptizat Chriſtum fori*
Hic à Chriſto melioris
Aquæ tactu tingitur.
24 *Duos duplex lauat flumen.*

Iſti

Iſti nomen, illi numen
Baptiſtæ conceditur.
25 *Dum baptizat, baptizauit.*
Dumque lauat, hic lauatur
Vi lauantis omnia,
26 *Aquæ lauant & lauantur.*
His lauandi uires dantur,
Baptizati gratia.
27 *O lucerna uerbi dei,*
Ad cæleſtis nos diei
Perduc luminaria.
28 *Nos ad portum ex hoc fluctu,*
Nos ad riſum ex hoc luctu
Tua trahat gratia.
Amen.

¶ Hæc proſa in omnibus ſuis verſibus vniformem habet rythmi & eandem compoſitionem. Nam in ſingulis eorũ tres complectitur clauſulas rythmicas: quarum duæ primę conſimilem inter ſe habent deſinentiam, & vtraque earum octo cóplectitur ſyllabas, penultimámque longam. Tertia verò conſonantiam ſyllabarũ ſemper habet cũ tertia clauſula proximi verſus, & ſeptem comprehendit ſyllabas penultimãque breuem. Author eius fuiſſe traditur eximi⁹ pater Henricus Piſtor, doctor theologus Pariſienſis, & in religioſa domo ſancti Victoris iuxta Pariſios monaſticam vitam profeſſus, qui etiam concilio Conſtantinenſi interfuit ea quæ tempeſtate doctrina & virtute mirifice floruit. Explicantur in ea præconia beati Ioannis Baptiſtæ, ex mirabili eius conceptu per angelum nunciato, ſanctificatione in vtero, & ortu, per quem linguæ officium patri reſtitutum: ſumpta. Neque omittuntur quæ ad teſtimoniũ ſanctitatis eius pertinent, habitatio deſerti, aſperitas amictus, auſteritas victus. Commendantur etiam in eo ſublimitas prophetica ſuper cæteros prophetas, & dignitas baptizandi qua Chriſtum in Iordane abluit, ab eodem largiore ſpiritus ſancti gratia baptizatus. Quæ omnia ex ſacra euangeliorum hiſtoria, dilucida ſatis & perſpicua euadunt, neque eadem hic repetere neceſſum fuit.

¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Vero die iã dieſcat. Dieſcit verbum imperſonale, idem ſignificat quod dies fit, ſicut aduesperaſcit, veſpera fit, & noctescit, fit nox. Ante ſe non habet nominatiuum: ſed ſolum ablatiuum ſibi adiunctum hic obtinet, ſcilicet vero die. Verus aũt dies, Ie-

ſus Chriſtus eſt:ipſius diei ſenſibilis veritas & exemplar, longéque illo perfectior. Diei enim ſuccedit nox:& eũ tenebræ finiunt. Dies autem verus neque terminum habet: neque ſuccedentem noctis opacitatem. Ipſe ſanè eſt ſol iuſtitiæ, qui nulla vnquam obductus caligine aut nubibus atris: ſalutare lumen internis omniũ oculis infundit, vt qui in eo die ambulauerit: ſecundum euangelicam ſententiam non offendat.

Ioan.11.

3 ❡In tertio verſu. Pater vetus nouum natum. Pater vet⁹ Zacharias, propter ſenilem eius ætatem in qua nunciatus illi eſt filius. Nouum autem natum vocat beatum Ioannẽ, quia nouo modo conceptus eſt, denunciatione ſcilicet angelica & parentibus ſenio cõfectis, naturáque effœtis. Idẽ quoque ſpiritu ſancto repletus eſt ex vtero matris, & octauo poſt natiuitatem die, paternæ linguæ factus eſt reſerator: quæ omnia miram in puero nouitatem & præcipuam excellentiam prætendunt.

5 ❡In quinto verſu. Dum non paret verbo parens. In hac proſa eleganter ſanè & præclare compoſita author id peculiare ſeruauit: quòd eandem dictionem ſæpius in eodem verſu repetere ſtuduit, non quidem per ineptiam aut barbariem: ſed ſingularem quandam venuſtatem & gratiam, quæ ex huiuſmodi apta & concinna repetitione illi accreſcit ac adiicitur. Non enim ſine cauſa fit illa repetitio, ſed ad denotandam ſemper nouam aliquam rationem aut ſignificantiam, aut etiam ad orationis ornatum. Id liquido prodit verſus præſens: in quo dictio verbum, ter ponitur, ſed alia ſemper ratione. Deſignat enim ipſius ſententia q̃ cum Zacharias non obedit verbo angeli denunciantis illi filium concipiendum: mox pro verbis ſuæ incredulitatis (quibus reſpondit angelo quaſi diffidens aut ſignum quęreus. Vnde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex & vxòr mea proceſſit in diebus ſuis) fit punitio in verbo illi denegato atque adempto. Quia enim verbo peccauerat Zacharias: in verbo quoque punitur, quoniam loquendi officium verbáque proferendi ad tempus illi ſubſtollitur. Eandem etiã ſententiã proſequitur verſus ſequens: vtpote quòd Zacharias ſubdubitans, illud de filio naſcituro nuncium quodam modo improbat ac refutat, quod tamen taciturnitas obmuteſcentiaq́; illi inflicta comprobat eſſe verum affirmando

pe

per huiuſmodi loquelæ priuationem & ſubtractionem, illā denunciationem à deo prodiſſe.

8 ¶ In octauo verſu. Verioris eſt perfuſus ſolis. Veriorē ſolem vocat author deum: qui ſol eſt ſpiritualis, & huius ſolis ſenſibilis veritas atque primitiuum exemplar, longè ſuam exuperans imaginem. Hic enim ſol noſter interdum atra obtectus caligine humanis ſubducitur oculis: ſuique luminis paritur deliquum, & tendit ad occaſum. Verus autem ſol occaſum neſcit: tenebris non offunditur neque eclypſim ſuſtinet. Cuius lux typica eſt ſpiritualis claritas, quæ etiam Ioannem vtero materno clauſum illuſtrauit, atque Chriſti præſentiam in uirginali thalamo latentis docuit.

10 ¶ In decimo verſu. Eſt renatus cæleſti myſterio. Nēpe ad vocem ſalutationis ſacroſanctæ dei matris: ſpiritu ſancto repletus eſt beatus Ioannes: & ab originalis culpæ labe purgatus. Vnde tunc rectè dicitur renatus ex ſpiritu ſancto: quoniam tum factus eſt filius gratiæ & adoptionis largius dei dona conſecutus quàm qui nunc baptiſmū ſuſcipiunt & ex aqua ac ſpiritu ſancto renaſcuntur. Tunc itidem ipſe dicitur clauſa patefeciſſe, quamuis materno latitans vtero: quoniam per illam exultationem in gaudio teſtatus eſt ipſius Chriſti præſentiam quæ ferè omnes latuit. Tunc etiam in ſanctam Elizabet matrem ſuam, propheticam transfudit gratiam per quā ipſa, occulta cognouit myſteria, repletáque ſpiritu ſancto, ea reſerauit quæ hactenus fuerant, aliis abdita ſacramenta.

12 ¶ In duodecimo verſu. Dum pro lingua ſic loquūtur. Geſtus Ioannis in vtero matris pro lingua loquūtur: quoniam illud gaudium animi quod lingua expromere ob ętatem non potuit, geſtu proteſtatus, cum præter infantium morem vteri materni latebris clauſus mirificè exultauit. Illi autem geſtus ſeruiunt infantiæ: quoniam id ſupplent & exequuntur quod infantia verborum officio præſtare non potuit.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Reſerans myſterium. Nam cum ſolutum eſt vinculum linguæ eius: repletus eſt ſpiritu ſancto Zacharias, & prophetauit dicens. Benedictus dominus deus Iſrael: quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. In quo quidem cantico continetur myſterium in-

carnationis domini, & noui teſtamenti gratia atque exort⁹
Luc.11 prædicatur: vt in eius expoſitione ſuperius dictum eſt.
18 ❡ In decimooctauo verſu. Ne formentur ex conuictu mores. Tales enim plærumque efficiuntur homines, quales ſunt ij cum quibus diuerſantur & habent quotidianum conuictum. Quod ita perhibet Eccleſiaſticus, Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit ſu-
Eccl.13. perbo: induet ſuperbiam Et Salomon in prouerbiis. Qui
Prou.13. cum ſapientibus graditur. Sapiens erit, amicus ſtultorum ſimilis efficietur. Ne igitur beatus Ioannes ex viuendi cóſuetudine & familiaritate cum aliis, vitæ labem contraheret: fugit mundi delitias trifariam, primùm loco: quia ab infantia in deſerto commoratus eſt, ſecundo veſte: quoniã pilis camelorum veſtitus erat & zona pellicea ſuccinctus. Denique victu: nam locuſtas & mel ſylueſtre comedebat.
Marc.1. 21 ❡ In viceſimoprimo verſu. Prophetarum monarchia Ioannes hic omnium prophetarum dicitur monarchia, vnicuſque principatus. Nam inter omnes prophetas primatum obtinuit & præeminentiam: quandoquidem teſte domino noſtro non ſolum propheta fuerit, ſed etiam pluſquam propheta.
24 ❡ In viceſimoquarto verſu. Duos duplex lauat flumẽ.
Mat.3. Siquidem Chriſtum lauit flumen ſenſibile: cum in Iordane baptizatus eſt à Ioanne, Ioannem verò tunc etiam lauit flumen diuinæ gratiæ: vberius illi quàm prius habuerat tum communicatæ. Et illa eſt aqua melior longeq; ſacratior: cuius attactu & aſperſione Ioannes à Chriſto (vt pręcedẽs habet verſus) baptizatur. Sæpius enim in ſcriptura, aquæ nomine: ſpiritus ſancti gratia intelligitur, vt in illo loco euangelij. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et rurſum in alio loco. Qui biberit ex aqua quam ego dedero ei, non ſitiet in æternũ: ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Porrò Ioanni (vt poſtea dicit hic verſus) nomen baptiſtæ cócedi-tur, quod ad baptizandi in aqua officio ſortitus eſt. Ipſi ve-
Ioan 7. rò Chriſto numen baptiſtæ conceditur: quia penes eum eſt
Ioan.4. primaria baptizandi vis, poteſtas, & authoritas: apud homi
Ioan.1. nes verò, ſolum baptizandi miniſteriũ. Vnde Ioanni à deo dictum eſt. Super quem videris ſpiritum deſcendentem & manẽtem ſuper eum: hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto.

❡ In

26 ¶ In viceſimoſexto verſu. Aquæ lauant & lauantur. Quòd lauerint aquæ Chriſtum in Iordane: planum eſt omnibus. Lauari etiam tum dicuntur: quoniam noua virtute ſunt imbutæ & perfuſæ quam ante non habuerãt, vtpote quòd ſunt materia ſalutaris baptiſmi. Contactu ſiquidem ſui ſanctiſsimi corporis: Chriſtus conſecrauit aquas in baptiſmatis materiam, indiditq; vim illis, vt dum debito ritu ſeruato abluunt corpora: intus etiam animæ inuiſibili aqua diuinæ gratiæ detergantur à ſordibus. Cęterùm in hoc verſu non lauãdis eſt legendum, ſicut fere omnes libri habent, ſed lauandi quemadmodum ipſe ſenſus ſtatim prodit. Nam ſi laudis quiſpiam legerit: neſcio quam poterit rectam illius clauſulæ ſententiam aſſignare, quę tamen protinus ſe offert, peruiam, cum ibi genitiuus gerundij legitur.

De ſancto Ioanne baptiſta: alia proſa.

AD honorem tuum Chriſte
Recolat eccleſia,
2 *Præcurſoris & baptiſtæ*
Tui natalitia.
3 *Laus eſt regis, in præconis*
Ipſius præconio.
4 *Quem uirtutum ditat donis,*
Sublimat officio.
5 *Promittente Gabriele*
Seniori filium:
6 *Hæſitauit, & loquelæ*
Perdidit officium.
7 *Puer naſcitur,*
Nouæ legis noui regis
Præco, tuba, ſignifer.
8 *Vox præit uerbum,*
Paranymphus ſponſi ſponſum,
Solis ortum lucifer.
9 *Verbo mater ſcripto pater,*
Nomen ædit paruulo,
Et ſoluta lingua muta
Patris eſt à uinculo.
10 *Eſt cæleſti præſignatus*
Ioannes oraculo,
Et ab ipſo præmonſtratus
Vteri latibulo.
11 *Quòd ætate prætematura*
Datur hæres, id figura

Quòd

Quòd infœcunda
Diu, parens res profunda.
12 *Contra carnis quidem iura,*
Ioannis hæc genitura.
Talem gratia
Partũ format, nõ natura.
13 *A ſuo deum uirgo clau dit.*
Clauſo clauſus hic applaudit,
De uentris anguſtia.
14 *Agnum monſtrat in aperto*
Vox clamantis in deſerto,
Vox uerbi prænuncia.
15 *Ardẽs fide, uerbo luctis*
Et ad ueram lucem ducẽs:
Multa docet milia.
16 *Non lux iſte, ſed lucerna.*
Chriſtus uerò lux æterna,
Lux illuſtrans omnia.
17 *Cilicina tectus ueſte,*
Pellis cinctus ſtrophium.
18 *Cum locuſtis mel ſylueſtre*
Sumpſit in edulium.
19 *Atteſtante ſibi Chriſto,*
Non ſurrexit maior iſto
Natus de muliere.
20 *Seſe Chriſtus ſic excepit,*
Qui de carne carnem cepit
Sine carnis opere.
21 *Martyr dei, licet rei*
Simus, nec idonei
Tuæ laudi.
22 *Te laudantes, & ſperantes*
De tua clementia,
Nos exaudi.
23 *Tuo nobis in natale*
Da promiſſum gaudium.
24 *Nec nos minus triumphale*
Delectet Martyrium.
25 *Veneramur & miramur*
In te tot myſteria.
26 *Per te frui Chriſtus ſui*
Det nobis præſentia.
Amen.

Hæc proſa in rythmicæ compoſitionis forma perſimilis eſt illi proſæ de ſancto Nicalao prius explicatæ. Congaudentes exultemus: vocali concordia. Habet enim (vt & illa) multiformitatẽ rythmorũ in diuerſis verſib⁹. Nõnulli nãmque verſuum duas ſolum habent clauſulas rythmicas: quarum prior reſpõdet priori clauſulæ proximi verſus in terminali ſyllabarum cõſonantia & ſecũda ſecũdę.

Aliqui

Aliqui verò verſus tres cóplectũtur clauſulas rythmicas, duas primas ad ſeinuicem mutuo conſonantes, & tertiam tertiæ proximi verſus clauſulæ reſpondentem. Occurrunt etiam verſus quatuor clauſulis integrati: quarũ prima ad tertiam,& ſecunda ad quartam ſeruat reſponſum, Denique offerent ſe legentibus hic & aliæ rythmi formę, quæ vel ex ſola lectione facilè deprehendi poterunt. Author eius, Adam de ſancto Victore. Celebrantur autẽ in hac proſa, præclara beati Ioannis Baptiſtæ præconia: conceptus,natiuitas,miracula in illis cœlitus oſtenſa, priuilegia gratiarum eius & multiplex dignitas : vt in proſa præcedente.

3 ¶ ANNOTATIONES.In tertio verſu.Laus eſt regis in præconis. Sicut laudatur dominus in ſanctis ſuis, quia ipſe qui fons eſt totius ſanctitatis &ſolus ſanctus,eos ad ſanctitatem prouexit, ita cum laudatur beatus Ioãnes altiloquus Chriſti præco:illa laus in deum redundat,qui tantis gratiarum muneribus ipſum cumulauit. Qui enim laudat opus à fabre factum,laudat & induſtrium illius operis artificem. 8 ¶ In octauo verſu. Vox præit verbũ, Sicut ſex menſium curriculo orus beati Ioannis præceſſit ortũ ſaluatoris noſtri,ita officio baptizandi,prædicandi,& pro iuſtitia atque veritate moriẽdi Ioannes anteceſſit Chriſtum. Et id quidem rationabiliter. Nam Ioannes: vox erat clamantis in deſerto. Chriſtus autem verbũ dei patris.Ioannes item,paranymphus erat & amicus ſponſi. Chriſtus verò ſponſus eccleſię.Denique Ioannes erat lucifer exoriens,& diei nouæ legis prænuncius. Chriſtus verò ſol iuſtitiæ. *Gene.21* 11 ¶ In vndecimo verſu. Quòd ætate præmatura.Abraham iam centenarius ex Sara vxore ſua nonagenaria filium repromiſsióis habuit Iſaac: qui à deo conſtitutus eſt hæres paternorum bonorum.Id autẽ figura fuit ortus beati Ioannis ex infœcundis etiam parentibus & cæleſti ammonitu. Multa enim in vtriuſque(Iſaac inquã & Ioãnis)ortu adinuicẽ conſpirant:diuinã virtutẽ atteſtantia.Quare Ioannes cæleſti præſignatus eſt oraculo(vt dicit præcedens verſus) non ſolũ angeli denunciantis eius ortũ:verũ etiã figurarũ veteris teſtamenti,& prophetiarum Eſaiæ,Malachiæ,& pſalmorum de ipſo.Eſaias enim ipſum prænunciauit per vocem clamantis, in deſerto. *Eſa.40* *Mala.3* *Pſal.131*

ſerto. Malachias per angelum miſſum ante faciem domini & pſalmus per lucernam paratam Chriſto domino. Ab ipſo itidẽ vteri latibulo præmonſtratus eſt Ioannes, quantus & qualis eſſet futurus. Nam exultatio illa in vtero matris ad præſentiam Chriſti: manifeſtum præſtabat indiciũ, quòd magnus demùm foret coram domino.

16 ❡ In decimoſexto verſu. Non lux iſte, ſed lucerna. Ioannes non erat lux illa primitiua & vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hùc muudum. Quod ita teſtatur euangeliſta. Non erat ille lux: ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat autem Ioannes lucerna & lampas præfulgida: lucem illam primariam hominũ oculis inferens ac obiiciens, ſicut dominus noſter de illo teſtimonium perhibet: dicens. Ille erat lucerna ardẽs & lucens. Chriſtus verò quoniam deus, lux eſt æterna & indeficiens: in omnes ſuæ claritatis beneficos vibrãs radios. Ego inquit ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen vitæ.

Ioan. 1

Ioan. 5

Ioan. 15

20 ❡ In viceſimo verſu. Seſe Chriſtus ſic excepit. In eo verbo domini, inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta: de ſolis maſculis fit ſermo, & conſueto naturæ more progenitis. Quocirca & ſacratiſsima dei mater ab illa vniuerſalitate excipitur: Ioanne haud dubiè maior. Excipitur & dominus noſter, de muliere quidem natus: ſed ſupra naturę legem & ſine viri commercio. Porrò in tertia clauſula præcedentis verſus, author penultimam ſyllabam poſuit longuam: quandoquidem nomen mulier in obliquis penultimam producit, cum tamen debuiſſet ſecundum regulam menſuræ rythmicæ ibi poſuiſſe penultimam ſyllabam cuiuſpiam dictionis breuem, vt in quantitate ſicut & deſinentia reſponderet illa clauſula poſtremæ clauſulæ verſus præſentis ad quam debet conferri. Verùm penuria vocabuli & necſsitate ſentẽtiæ exprimendæ adactus: id præter rythmi legem fecit.

23 ❡ In viceſimotertio verſu. Tuo nobis in natale. Natalis maſculi generis, natale neutri, & hoc natalitium, tij: accipitur pro die quo quis natus eſt. Virgilius. Phillida mitte mihi: meus eſt natalis Iolla. Dicitur etiã hic & hæc natalis & hoc natale, & natalitius, a, um, pro eodem ſignificato, ſed ipſis additur ſubſtantiuum dies. Leo papa. Natalem

talem igitur diem domini celebremus. Habet autem nomen ſubſtantiuum natalis, in ablatiuo ſingulari potius natali. Ouidius, Hei mihi, natali dilacerate tuo. Hic tamen author ad ſeruandam ſimilem in fine deſinentiā cum clauſula prima verſus ſequentis, cui debet reſpondere, formauit ablatiuum natale, qui ſanè rarior eſt & minus vſitatus.

De ſancto Ladiſlao: rege.

NOuæ laudis attollamus.
Regem, cuius exultamus
Speciali gloria.
2 *Dulci mellis noui fauo,*
Dulci, regi Ladislao
Canimus melodia.
3 *Regis laudi nil diſcordet,*
Cuius laudē non remordet
Cæleſtis ſymphonia.
4 *Confeſſorum regē laudent,*
Per quē reges ſibi gaudent
Vitæ dari munera,
5 *O quàm ſœlix quàm præclara*
Varadini fulget ara:
Tuo claro nomine.
6 *Quem precamur laudantes ſinguli*
Gemma regem totius ſeculi,
Et ſpes ſalutifera.
7 *Cuius rector, ſecula*
Manens ſine macula
Lauit omni crimine.
8 *Scala gentis Hungarorum,*
Per quam ſcandit ad cælorum
Cathedram Pannoniæ.
9 *Fama cuius cælos tendit,*
Et terrarum comprehendit.
Quatuor confinia.
10 *Per hunc uigent ſacramenta,*
Et firmatur iam inuenta
Fidei religio.
11 *ÆGros curans ſanos fecit,*
Et ſalutis opem iecit
Virtutis officio.
12 *Exauditur in hac domo,*
Quicquid orans petit homo

Per

Per regis ſuffragia.
13 Per quem, neque gla-
dium
Nec incurſus hoſtium
Trepidat Hungaria.
14 Hoſtis arce plebs ar-
repta,
Prece regis eſt adepta
Salutis piacula.
15 Per quem author fidei
Cornu ſtillat olei,
Poſteris per ſecula.
16 Per hunc gentes uni-
uerſas
Hungarorū iam conuerſas
Nouimus imperio,
17 Procul enſe parent
per ſe
Feræ gentes & aduerſæ,
Nutu uoluntario.
18 Sub obſcuris ſui iuris
Iubar latens, ſed iam patēs
Reſerat prodigia.
19 Hoſtes cedunt, uictor
redit
Barbarorum. Hungaro-
rum
Vnus, fugat milia.
20 Ipſe ſuos laudatores,
Pœnæ facit contemptores
Morbos curans, & lan-
guores
Aufert, & dæmonia.

21 Sed qui ſuam ſancti-
tatem
Colunt, iis fert ſanitatem.
Et ad uitæ ſoſpitatem,
Rex reducit omnia.
22 Regum genus trium-
phale
Hungarorum ſalus uale.
Non refulſit iubar tale,
Regum floris germine.
23 Regum radix Chriſtia
na,
Sume laudes, fide ſana
Quas exultans uox huma-
na
Fert in tuo nomine.
24 Aſſiſtentes regis lau-
di,
Coronator regis audi,
Atque ſeruos ſancti regis,
Poſt hanc uitam, tui gre-
gis,
Transfer ad palatia.
25 Cuius laudi nis ſer-
uire
Nos, fac lætos conuenire,
Fac ad Chriſtum perue-
nire,
Vbi confer & largire
Sempiterna gaudia.

Amen.

Hæc

Hæc proſa rythmicæ modulationis ſeruat menſuram: perinde atque illa de ſancta cruce prius explanata, laudes crucis attolamus Ad cuius ſpeciem, formam & exemplum, iſta ſic eſt compoſita: vt quantum ſinit materia, ſententia ſententiæ, verſus verſibus, & propemodum verba iſtius verbis alterius reſpondeant. Quare ex illius contextu & intelligentia, perquirenda eſt (vt quid occurrerit anceps) iſtius elucidatio. Continet autem hæc proſa laudes clariſsimi & ſanctitate inſignis regis Hungarorum Ladiſlai, cuius vita in libro primo vbi hymnus eius explicatur, latius eſt declarata. Et ex eo loco, quæ hic minus explanãtur ſunt requirenda: ne ſuperflua videatur hic illorum repetitio.

2 ❡ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Dulci mellis noui fauo. Metaphorica hæc locutio eſt qua regem Ladiſlaum vocat author dulcem fauum noui mellis, propter ſuauitatem & dulcorem virtutum eius. Sic & de Ioſia rege Iuda dicit Eccleſiaſticus. In omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria: & vt muſica in conuiuio vini. Eccl. 49 At verò in tertio verſu cæleſtis ſymphonia dicitur nõ remordere laudem regis Ladiſlai: quoniam & ipſe in cælis cantibus angelicis celebratur, neque ſupernorum ſpirituum harmonia reiicit aut repudiat laudem ipſius, neque recuſat aut abnuit ipſum aſſiduis laudibus prædicare.

5 ❡ In quinto verſu. Varadini fulget ara. Vt in primo libro cum ſancti Ladiſlai exponeretur hymnus dictum eſt. Varidinum ciuitas eſt epiſcopalis in Hungaria, vbi ſanctus Ladiſlaus ſplẽdidum extruxit templum in honorem ſanctiſsimæ virginis Mariæ, & illic ſacrum eius quieſcit corpus, frequentique concurſu à fidelibus inuiſitur. In ſeptimo verò verſu, prima clauſula (quantum ſentio) ita legenda eſt cuius rector ſecula, quamuis aliter habeant vulgati codices: ex quibus nullus poſſet ſenſus elici. Et ita illius loci ſentẽtia eſt, quòd Chriſtus rector & director ſancti Ladiſlai, manens ſine macula criminis: lauit ſecula totúmque genus humanum omni crimine.

14 ❡ In decimoquarto verſu. Hoſtis arce plebs arrepta. Occupabant hoſtes fidei arcem munitiſsimã ex qua incurſionẽ in Hungaros facere ſoliti, grauiter ipſos infeſtarũt.

Atqui

Atqui ad arma conuerſus populus Hungariæ: præcibus & ducti ſancti Ladislai arcem illam expugnauit,& inimicos crucis Chriſti finibus illis exterminauit. Illius autem victoriæ occaſione quàm plurimi ad ſuſcipiendum baptiſmũ ſunt inducti,cuius ſacra myſteria vocat hic author, piacula, id eſt purgamina ſalutis: quoniã ea ablutio in ſalutem animarum ſumitur & purgationem peccatorum. In ſequente verò verſu, author fidei deus nominatur: qui vt omnium bonorum ita & fidei eſt largitor iis qui ad ipſum conuertuntur. Cornu autem olei dicitur ſancti ſpiritus gratia,quam deus per regem Ladiſlaum inſtillauit toti Hungarorum genti: quoniam ipſius opera & ſtudio tota Pannonia gratiam fidei(quæ à ſpiritu ſancto eſt) accepit. Videtur autem author eo loco alludere ad id verbum Eſaiæ prophetæ quinto cap. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei, quoniam hic(ſicut & propheta) nominat cornu olei.

Eſa.5

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. Procul enſe parant per ſe. Duę illæ dictiones per ſe debẽt ſeiunctim legi, vt præpoſitio & ſuus caſus. Itaque huius loci ſententia eſt, quòd ſine enſe & gladio, immò ſine bello, gentes Hungarorum prius indomitæ & efferæ parent ſponte ſua & ſine vlla coactione regi Ladiſlao: illis Chriſtum prædicanti. Sequentis verò verſus intelligentia eſt, quòd claritas virtutũ ſancti Ladiſlai prius occultata latebat, quaſi abſcondita ſub modio. Nam cum hic vitam ageret, ſtuduit bona opera ſua facere in abſcondito: ne inde laudem aucuparetur humanam. Verùm poſtea emicuit ille virtutum ſuarum ſplẽdor per frequentia & inſignia miracula: quibus ſanctitatẽ illius & ſublimitatem deus mundo declarare voluit.

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Regum floris germine. Senſus huius loci eſt, quòd nunquam ex ſtemmate regum & regio germine prodiit tale iubar virtutum & ſanctitatis, quale fuit ſanctus Ladiſlaus. Nulli enim alij reges (inquit) tantum ſanctimoniæ culmen, vt ipſe, attigerunt. In ſequente verò verſu ſecunda clauſula ita legi debet: quantum ex ipſo ſenſu coniectare queam, ſume laudes: fide ſana, quamuis aliter eã habeant vulgati codices, quos mendoſos eſſe coniecto: quòd nullum pręſtent integrum ſenſum. Itaque illius verſus ita ſumenda eſt intelligẽtia.

O La-

O Ladiſlae radix Chriſtiana regum, & ex quo res Chriſtiani ſunt exorti: ſuſcipe benignus laudes quas firma fide & nihil hæſitante, vox humana gaudens offert tuo nomini. Adiecta autem eſt ab authore & inſerta illa particula, fide ſana, hanc (reor) ob cauſam. Nam huiuſmodi laudes ab hominibus vix fiunt ſine petitione alicuius ſpiritualis boni. Petitio verò omnis ad deum & ſanctos: fieri debet ſolida fide & ſine animi fluctuatione ancipiti, quemadmodum admonet beatus Iacobus dicens: Poſtulet autem: in fide nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circunfertur. Non ergo æſtimet homo ille, quòd accipiat aliquid à domino. Porrò qui emendatiores nacti fuerint codices quàm ipſe potuerim habere: hanc proſam ad illorum formam emendent. Nam in ea ob libri caſtigati penuriam, coactus ſum interdum mutare literam authoris fortaſſe id aliam formam quàm ipſe primum compoſuerit, ad aliquem ſenſum aſſignandum: quem nonnunquam oportuit hic potius coniectare: quàm ex ipſo literæ contextu colligi potuerit. Verùm neceſſitati danda eſt venia.

Iacob. 1

De ſanctis apoſtolis: Petro & Paulo.

PEtre, ſumme Chriſti paſtor, & Paule gentium doctor. Eccleſiam ueſtris doctrinis illuminatam.

1 *Per circulũ terræ præcatus adiuuet ueſter. Nã dominus Petre cælorum tibi claues dono dedit.*

2 *Armigerum Beniamin Chriſtus te ſcit ſuum, uasq́; electum.*

3 *Mare planta te petre Chriſtus conculcare: tuæ dedit charitati. Vmbram tui corporis: infirmis debilibusq́; fecit medicinam.*

4 *Doctilogos philoſophos te Chriſtus dat uincere ſua uoce.*

5 *Multiplices uictoris tu paule Chriſto per populos acquiſiſti, poſtremo uictis omnibus barbaris: ad arcem ſummi*

mi pergitis culminis germanos diſcordes ſub iugo Chriſti pacatos iã coacturi. Ibi Neronis feritas principes apoſtolorũ, prœliis plurimis uictores, diuerſæ te petre & paule & addixerat pœnæ mortis.

6 Te crux aſſociat, te uerò gladi⁹ cruētus mittit Chriſto.

Hæc proſa ſolutæ orationis habet contextum: & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli præconia commemorat, vt vtriuſque dignitatem & excellentiam tum in eccleſia adminiſtratione, tum in miraculis & prædicandi euãgelij fructu ſigillatim deſcribens, demùm fœlicem amborũ per martyrium conſummationem Romæ factam recẽſet. Authoré eius coniecto fuiſſe Gelaſium papam. Nam traditur ipſe plæraſq; proſas eccleſiaſticas compoſuiſſe: vtque in officio miſſæ decantarentur, primum inſtituiſſe. Verùm non inueni nominatim expreſſas eas proſas quas cõpoſuit: vt aliis diſcerni poſsint. Sed facilè crediderim ipſum vetuſtiores illas proſas quæ ſolutum habent orationis characterem contexuiſſe: qualis eſt hæc proſa & plæræque hic inſertæ, receptęque in vſu: antequam rythmica modulatio (quę à recẽtioribus eſt elaborata) in proſis haberet locum.

1 ¶ ANNOTATIONES. Per circulum terræ. Per totius terræ ambitum atque circuitum: quæ ſecundum Ariſtotelis ſententiam ſphærica eſt, globoſæque rotundæ figuræ. Ea ſiquidem figura: in plano per circulum deſcribitur ac delineatur. Adde quòd apud authores interdum circulus pro ſphæra ſumitur & figura ſphærica, propter vtriuſque adinuicem affinitatem & conformitatem Neq; illud
Pſal. 18 hic ocioſe dictum. Nam in omnem terram, iſtorũ apoſtolorum exiuit ſonus, & in fines orbis terræ, verba eorum.

2 ¶ Armigerum Beniamin Chriſtus te ſcit ſuum. Dictio Beniamin: hoc loco vocatiuus eſt, & pro beato Paulo ſu-
Philip. 3 mitur: quòd de tribu Beniamin ipſo atteſtante ſit exortus. Armiger autem Chriſti Paulus dicitur: quoniam vt ſtrenuus miles ac pugil portauit nomen eius coram regib⁹ &
Matth. 14 filiis Iſrael, bonúmque certamen certauit intrepidus.

3 ¶ Mare planta te Petre. Matthęus illud in ſuo narrat euangelio capit decimoquarto: quomodo ſanctus Petrus
Act. 5 annuente domino ſuper aquas maris ſine immerſione ambulauit

bulauit, ob ingruentem tamen tempeſtatem trepidans. Ex Actis itidem apoſtolorũ conſtat quòd certatim in plateis ponebantur infirmi: vt veniente Petro ſaltem vmbra corporis eius ſuper eos extenderetur, & ita ſanabantur á languoribus ſuis.

4 ¶ Doctilogos philoſophos te Paule. Peragrauit enim Paulus fere totam Græciam, & Athenas etiam ſe cõtulit: vbi potiſsimum floruerunt philoſophorum ſtudia, cũ quibus etiam in Areopago diſceptationem habuit, & aliquos eorum ad veritatis lumen conuertit: vt ſanctum Dionyſiũ Areopagitam. Petro illos mundi philoſophos deuicit Paulus. non ſua ipſius voce, ſed Chriſti. Nã in eo Chriſtus loquebatur: vt ipſemet atteſtatur, & ſicut de apoſtolis dictũ eſt: nõ ipſe erat Paulus qui loquebatur verba vitæ, ſed ſpiritus ſanctus in eo. Dicitur & Paulus multiplices Chriſto acquiſiſſe victorias: quoniam multos populos conuertit à gentilitate & Iudaiſmo ad Chriſtum, in quibus idolorum & dæmonum victor: vt bellator egregius, Chriſti nomen dilatauit. Cęterùm hoc loco, doctiloquos potius quàm doctilogos legendum putarim. Nam rara eſt & fere inepta compoſitio dictionis Græcæ cum latina, & aptius Latina Latinæ, & Græca Græcæ dictioni compingitur ac annectitur. 5 ¶ Ad vrcem ſummi pergitis culminis. Arcem ſummi culminis vocat author orbem Romã: quæ olim totius mundi tenuit monarchiam. Germanos verò diſcordes appellat Romulum & Remum fratres: primos vrbis conditores. Qui (vt perhibent hiſtoriæ) inter ſe non ſatis cõueniebant de nomine vrbi imponendo. cum vterque id ſibi vendicare contenderet, & in ea cõtentione Remus à Romulo fertur occiſus: atque vt ait Lucanus, fraterno primi maduerunt ſanguine muri. Illos autem fratres iam pacatos coegerunt apoſtoſtoli ſub iugum Chriſti: quantum ad eorum poſteros. Nã Romanos ab ipſis originem ſortitos, ad veri dei cultum adduxerunt.

Act. 17

1. Cor. 13

Matth. 10

6 ¶ Te crux aſſociat. Priore loco poſitum pronomé, Petrum demonſtrat: qui & in genere mortis ſcilicet crucifixione & in gloria cæleſti Chriſto aſſociatus eſt. Poſteriore verò loco poſitũ pnonomen, beatũ indicat Paulũ: qui gladio obtruncatus eſt, vt in deſcriptiõe paſsionis amborũ Chriſti apoſtolorũ, ſanctus Linus conteſtatur.

De ſancto Petro apoſtolo.

G Aude Roma caput mundi.
Primus paſtor in ſecunda
Laudetur uictoria.
2 Totus mundus hilareſcat:
Et uirtutis ardor creſcat
Ex petri memoria.
3 Petrus ſacri fax amoris,
Lux doctrinæ, ſal dulcoris.
Petrus mons iuſtitiæ.
4 Petrus fons eſt ſaluatoris,
Lignũ fructus & odoris,
Lignum carens carie.
5 Et quid petro dices dignum?
Nullum Chriſti uidens ſignum,
Primo ſub ammonitu
6 Fugit rete fugit ratem,
Necdum plenè ueritatem
Contemplatus ſpiritu.
7 Auro carens & argento
Coruſcat miraculis.
A neruorum ſub momento
Claudum ſoluit uinculis,
8 Paralyſi diſſolutus
AEneas erigitur.
Petrum præſens dei uirtus
Ad uotum proſequitur.
9 Petrus uitam dat Thabita.
Iuuenemq́; reddit uitæ
Poteſtate libera.
10 Pede præmit fluctus maris
Et nutantem ſalutaris
Illum regit dextera.
11 Facta Chriſti quæſtione,
Breui claudit ſub ſermone
Fidem neceſſariam.
12 Hunc perſonam dicit unam,
Sed nec tacet opportunam
Naturæ diſtantiam.
13 Quod negando ter peccauit,
Simplex amor expiauit,
Et trina confeßio.
14 Angelus à carcere
Petrum ſoluit libere,
Deſtinatum gladio.
15 Vmbra ſanat hic languentes,
Sanat membra, ſanat mentes.

tes,
Morbos reddit impotentes,
Medici potentia.
16 *Petrum Simon magus odit,*
Magũ Simõ Petrus prodit.
Plebem monet ac cuſtodit
A magi uerſutia.
17 *Hic à petra Petrus dictus,*
In conflictu ſtat inuictus.
Licet iugis ſit conflictus,
Et grauis congreſsio.
18 *Dum uolare magus quærit,*
Totus ruens totus perit.
Quem diuina digne ferit,
Et condemnat ultio,
19 *Nero fremit furibundus,*
Nero plangit impium.
Nero, cuius ægrè mundus
Ferebat imperium.
20 *Ergo Petro crux paratur.*
A miniſtris ſcelerum.
Crucifigi ſe teſtatur
In hoc Chriſtus iterum.
21 *Petro ſunt oues creditæ,*
Clauesq́; cæli traditæ.
Petri præit ſententia.
Ligans ac ſoluens omnia.
22 *Paſtoris noſtri meritis*
Ac prece ſalutifera,
Nos à peccati debitis
Aeterne paſtor libera.

Amen.

Hæc proſa rythmicæ ſeruat menſuræ formam, ſicut illa paulo antè declarata de ſancto Ioanne. Præcurſoris & baptiſtæ. Author eius: Adam de ſancto Victore. Continet auté egregias beati Petri laudes promptam ad Chriſtum couerſionem, miraculormu celebritaté & miram efficaciam ſyncæram fidei cõfeſsionem, conflictum cum Simone mago & partam de illo victoriam: denique & mortem crucis à Nerone illi illatam. Quorum multa ex ſacra euangelij & Actuum apoſtolicorum hiſtoria ſunt perſpicua: neque ampliorem hic exigunt elucidationem.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Gaude Roma caput mundi. Roma hic dicitur caput mundi: ob dominatum illum & monarchiam quã olim in toto mundo obtinuit, quemadmodum paulo ſuperius eſt dictum.

Vnde virgilius de illa dicit. Scilicet & rerũ facta eſt pulcherrima Roma, & Romanos rerum dominos gentẽmq; togatam nominat. Incitat autem Romam ad gaudium hic verſus: quòd in ea beatus Petrus ſedem apoſtolicam primus omnium pontificum ſit moderatus, eandem ſuo cõſecrauit ſanguine, & ſacro ſuo corpore decorat. At verò primus paſtor, Chriſtus eſt: qui de ſe dicit. Ego ſum paſtor bonus. Secũdus verò paſtor: beatus Petrus, cui à domino dictum eſt etiam tertio. Paſce oues meas.

Ioan.10 Ioan.11 Act.3

7 ¶ In ſeptimo verſu. Auro carens & argento. Cum primum enim Petrus dixit pauperi claudo ex vtero matris ſuæ. Aurum & argentum nõ eſt mihi, quod autem habeo: tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula, protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ: & exiliens ſtetit & ambulauit glorificans deum. Cõſimiliter (vt ſequẽs dicit verſus) Aeneas octo annis paralyſi vexatus, in grabato recubans: cum audiſſet à Petro. Aenea: ſanet te dominus Ieſus Chriſtus, ſurge & ſterne tibi, continuo ſurrexit ſanus. Ob quod ſignum: multi ex habitatoribus Liddę ciuitatis conuerſi ſunt ad dominum.

Act.9

Act.9

9 ¶ In nono verſu. Pętrus vitam dat Thabitę. Ex Actis apoſtolorum id depromptum: vbi diſcipula quædã Chriſti, nomen Thabita ſiue dorcas in Ioppe, plena operibus bonis: narratur graui infirmitate fuiſſe extincta. Ad quam cum à diſcipulis accerſitus eſſet Petrus: fuſa ad deum oratione ipſam reſuſcitauit. Ob cuius ſigni nouitatem diuulgati per vniuerſam Ioppen: multi crediderũt in dominũ.

9 ¶ Porrò quòd iuuenem etiam vitæ reddiderit Petrus, vt dicit hic verſus: ex ſacra ſcriptura depromptum nõ habetur, ſed ex alia hiſtoria, diuinarũ literarum ambitu nequaquam comprehenſa, cui tamen non eſt idcirco detrahenda fides. Non enim omnia apoſtolorum miracula, ſacræ paginæ complexu continentur. Eſt autem hiſtoria illa, iuuenem à Petro vitæ reſtitutum enarrans, ea quæ ſancti Petri vitam actáque deſcribit, atque certamen pro veritate fidei contra Simonem magum: vulgo in templis ſanctorúmque agonibus legi ſolita. Quæ quidem inter cætera refert, quòd eo tempore quo Romæ inter beatum Petrum & Simonem magum fuit grauis contentio atque diſceptatio: vt decimus ſextus & decimus ſeptimus huius proſæ

ſæ verſus exprimunt, arrogarétque ſibi magus diuinã virtutẽ qua & mortuos ad vitam reuocare poſſet: allatũ eſt coram funus adoleſcẽtis paulo antè mortui, qui & nobili erat genere & Cæſaris propinquus habebatur. Cuius corpore exanimi delato,atq; poſito in medio populi, inter ſanctum Petrum & Simonem magum conuenit hæc cõditio atque propoſita eſt mutuo vtriuſq; conſenſu, quòd ipſorum duorum qui mortuum illum reſuſcitaret: haberetur prædicator veritatis,& cuius verbis adhibenda eſſet fides à Romanis. Tentauit prior id magus,de murmurationibus ſuis diris & magicis incantamentis: ſed nequicquam & fruſtra. Petrus verò oratione ad deum fuſa iuuenem ipſum verè ſuſcitauit à morte:rediuiuúmque & incolumẽ matri ſuæ reddidit. Vnde & magi ludificamenta detecta ac confutata ſunt:& fides in complurium cordibꝰ corroborata. Nomẽnque Ieſu Chriſti(ad cuius inuocationem reuixit adoleſcens)celebrius redditum,atque à quàm plurimis Romanorum,abiecto idolorũ cultu,honoratum & laudatum.

11. ❡ In vndecimo verſu. Facta Chriſti quæſtione. Interrogatio Chriſti ad diſcipulos fuit. Vos autem quem me eſſe dicitis? Petri autem reſponſio: ita ſubiungitur. Tu es Chriſtus:filius dei viui. In qua & perſonæ Chriſti vnitatem exprimit,ſicut dicit ſequens verſus,nam eũdem profitetur eſſe Chriſtum & filium dei, eodẽmque pronomine eum demonſtrat. Naturarum etiam diuinæ ſcilicet & humanæ in Chriſto diuerſitatem: illis verbis Petrus innuit. Nam cum Chriſtum ipſum nominat: naturam eius inſinuat humanam,ſecundum quam vnctus eſt à deo oleo lętitiæ præ conſortibus ſuis. Cum verò eundem confitetur filium dei:diuinam eiuſdem indicat naturam. *Matth.* 16 *Pſal.*44

13 ❡ In decimotertio verſu. Simplex amor expiauit. Poſt ſui manifeſtationem tertio diſcipulis factam cũ ſurrexiſſet à mortuis Chriſtus,& copioſam piſcium capturã, interrogauit Petrum ſemel, iterum, & tertio, an ſe amaret, reſpondit ſemper Petrus id Chriſto notum & perſpectum eſſe quòd ipſum amaret. In qua reſpõſione, ſimplex & vnicus exprimitur ſempérq; conformis amor Petri in Chriſtum, is tamen triplici confeſſione & tertio facta aſſeritur: vt huiuſmodi trina amoris confeſsio, tri- *Ioan.*21 *Matth.*26

næ negationis eius in paſſione Chriſti factæ culpam abraderet.

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. Hic à petra Petrus dictus Multi codices hanc primam præſentis verſus clauſulam ita habent diſpoſitam. Hic à Petro petra dictus, ſed perperam & mendoſe. Non enim beatus Petrus vnquam legitur à domino dictus eſſe petra: cum illud nomē ſolius Chriſti ſit proprium, teſte apoſtolo ad Corinthios. Petra autem erat Chriſtus. Et cum apud Matthæum legitur dominus dixiſſe Petro. Tu es Petrus: & ſuper hanc petrā ædificabo eccleſiam meam, per hanc petram, non Petrum, ſed ſeipſum demonſtrat, quandoquidem non ſuper Petrum, ſed ſuper Chriſtum vt lapidem in fundamentis poſitum: fundata eſt eccleſia. Inſuper non petra à Petro dicitur, ſed à petra Petrus, ſicut non Chriſtus à Chriſtiano, ſed à Chriſto Chriſtianus deducitur. Quocirca prima illa clauſula rythmica: ita eſt potius legenda. *Hic* à petra Petrus dictus, & accommodatus erit in toto verſu ſenſus. Nā propter ſoliditatem fidei & inuictam in certamine cōtra improbos fortitudinem: cum petra conuenit Petrus, & inde id nomen accepit.

1.*Corin*.10 *Marci* 16

20 ¶ In viceſimo verſu. Crucifigi ſe teſtatur. Cū Petrus à Nerone in vincula coniectus, ſuadentibus Chriſtianis fratribus clanculū diſceſiſſet liber è carcere: iam portam vrbis egreſſurus Chriſtum vidit ſibi occurrentem, & adorans eum ait. Domine quo vadis? Cui reſpondit dominus. Venio Romam iterum crucifigi. Tum Petrus ad illum. Domine iterum crucifigeris? Et ait illi dominus. Etiam iterum crucifigar. Petrus autem dixit ei. Domine reuertar & ſequar te. Et his dictis Chriſtus aſcendit in cælum. Quem Petrus ſublatis in æthera luminibus, dulciſsimis lachrymis ꝓſecutus eſt: ac in ſeipſum reuerſus intellexit hoc domini verbum de ſua dictum eſſe paſſione. Et continuo regreſſus cum gaudio in vrbem & carcerem: narrauit hæc fratribus, agonémque ſuum glorioſe compleuit, & Romæ (vt inſinuarat dominus) crucifixus eſt.

De ſan-

De ſanctis apoſtolis: Petro & Paulo.

ROma Petro glorietur:
Roma Paulum ueneretur
Pari reuerentia.
2 Immo tota iocundetur:
Et iocundis occupetur
Laudibus eccleſia.
3 Hi ſunt eius fundamenta
Fundatores, fulcimenta,
Baſes, epiſtylia.
4 Iidem ſaga, qui cortinæ:
Pelles templi hiacinthinæ,
Cyphi, ſphæræ, lilia.
5 Hi ſunt nubes coruſcantes
Terram cordis irrigantes
Nunc rore, nunc pluuia,
6 Hi præcones nouæ legis
Et ductores noui gregis
Ad Chriſti præſæpia.
7 Laborum ſocij
Triturant aream:
In ſpe denarij
Colentes uineam.
8 His uentilantibus
Secedit palea:
Nouiſq; frugibus
Implentur horrea.
9 Ipſi montes appellantur
Ipſi prius illuſtrantur
Veri ſolis lumine,
10 Mira uirtus eſt eorum
Firmamenti uel cœlorum
Deſignantur nómine.
11 Fugam morbis imperant:
Leges mortis ſuperant,
Effugant dæmonia.
12 Delent idolatriam:
Reis donant ueniam,
Miſeris ſolatia.
13 Laus communis eſt amborum
Cum ſint tamen ſingulorum
Dignitates propriæ.
14 Petrus præit principatu:
Paulus pollet magiſtratu
Totius eccleſiæ.
15 Principatus uni datur,
Vnitaſq; commendatur
Fidei catholicæ.
16 Vnus cortex eſt granorum,
Sed & una uis multorum
Sub eodem cortice.
17 Romam conuenerant
Salutis nuncij:
Vbi plus nouerant

Ineſſe

Ineſſe uitij,
Nihil diſciplinæ.
18 *Inſiſtunt uitiis.*
Fideles medici.
Vitæ remediis
Obſtant phrenetici.
Fatui, doctrinæ.
19 *Facta Chriſti mentione:*
Simon magus cum Nerone
Conturbantur hoc ſermone
Nec cedunt apoſtolis
20 *Languor cedit, mors obedit,*
Magus crepat, Roma credit
Et ad uitam mundus redit,
Reprobatis idolis.
21 *Nero fremit ſceleratus,*
Magi morte deſolatus.
Cuius error ei gratus,
Graue præcipitium.
22 *Bellatores prælecti*
Non à fide poſſunt flecti,
Sed in pugna ſtant erecti,
Nec formidant gladium.
23 *Petrus hæres ueræ lucis,*
Fert inuerſus pœnam crucis,
Paulus ictum pugionis.
Nec diuerſæ paßionis
Sunt diuerſa præmia.
24 *Patres ſummæ dignitatis.*
Summo regi conregnatis.
Vincla noſtræ prauitatis
Soluat ueſtræ poteſtatis
Efficax ſententia.
Amen.

¶ Hæc proſa rythmicam habet compoſitionē ferè in omnibus verſibus præcedenti perſimilem. Quòd ſi interdum aliqua interuenit euariatio: illa haud magno impendio ab omnibus inter legendum poterit dinoſci. ¶ Author eius: Adam de ſancto Victore. In ea prædicantur egregiæ laudes beatorum apoſtolorum Petri & Pauli: & ſingularia gratiarum dona ipſis à deo indulta in denunciatione euangelicæ veritatis ad hominum conuerſionem, & ſedula moderatione totius eccleſiæ. Demùm ſacrum eorum martyrium, & precioſa in conſpectu domini mors deſcribitur.

1. Corin. 3. 3 ¶ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Hi ſunt eius fundamenta. Chriſtus primum eſt & præcipuum eccleſiæ fundamentum de quo apoſtolus. Fundamentum aliud nemo pôt ponere, præter id quod poſitū eſt: quod eſt chriſt⁹

Ieſus

Ieſus. Apoſtoli autem & præcipue Petrus & Pau lus: ſecundaria ſunt fundamenta eccleſiæ, & poſt Chriſtum. Vnde apoſtolus ſcribit Epheſiis: quòd ſunt fundamětum apoſtolorum & prophetarum Ita Chriſtus primus fundator: hi ſecundi & ſub Chriſto, primario architecto. Similiter baſes ſunt & fulcimenta ſiue ſuſtentacula eccleſiæ: itidem & epiſtylia. Eſt autem epiſtylium: capitellum quod ſuper columnam ponitur, ſiue ſuperior columnæ pars. ſicut baſis: pars eius eſt inferior. Nam epi Græca præpoſitio, ſupra ſignificat: & ſtylos, columnam. Inde epiſtylium: quod ſupra columnam eſt. *Ephe.2.*

4 ¶ In quarto verſu. Iidem ſaga: qui cortinæ. In cōſtructione tabernaculi antiquæ legis erant ſaga cilicina, cortinæ, pelles hyacintinæ: ad operimentum ipſius tabernaculi. Erant & in ſtipite candelabri eiuſdem tabernaculi ac calamis eius: cyphi, ſphærulæ & lilia, ad ornatum ipſius candelabri, Et hæc quidem ex diuerſa compoſita erant materia, & inter ſe diuerſa ſecundum ſubſtantiam: & ad diuerſum applicabantur vſum. At vero Petrus & Paulus in tabernaculo nouæ legis & eccleſia Chriſti ſunt ſecundum myſticum & ſpiritualem ſenſum: ſaga, cortinæ, pelles hyacintinæ, cyphi, ſphærulæ & lilia, ſecundum aliam & aliam rationem. eò quòd magnum conferunt eccleſiæ ornamentum & ſplēdorem: multiformique gratiarum varietate ac vſu mirum in modum eam illuſtrant: *Exod.26.*

5 ¶ In quinto verſu. Hi ſunt nubes coruſcantes. Dicũtur & ambo apoſtoli nubes ſpirituales: quia euangelicæ veritatis imbrem impluerunt aridis hominum cordibus, eaque fœcundarunt ad proferendum bonorum operum fructum. Rurſum, nubes edunt tonitrua & emittunt fulgura. Ita myſtice iſtæ nubes ſuæ prædicationis vocem toti mundo intonuerunt: & fulgorem doctrinæ ac miraculorum lōge lateque in totum orbem diſperſerunt.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Laborum ſocij triturant aream. In eo veteris legis præcepto. non alligabis os boui trituranti apoſtolus ad Corinthios ſcribens dicit per bouem triturātem in area intelligi prædicatorem verbi diuini: qui frugem doctrinę parat in pabulum animarum fidelium. In parabola verò operantium in vinea pro denario diurno apud Matthæũ conſcripta: per cultores vineæ intelligũtur laboran- *Deut.25.* *1.Cor.9.* *Mat.20.*

laborantes in eccleſia dei pro ſalute proximorum. Quoniam igitur hi duo apoſtoli, & prædicatores ſunt & rectores eccleſiæ: aream triturare & vineam colere hic dicuntur.

8 ¶ In octauo verſu. His ventilantibus. Sanctus Ioannes baptiſta ad phariſæos de Chriſto loquens ait. Ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igni. Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Ex quibus verbis ſumptũ eſt hæc ſententia præſentis verſus: in qua ventilantes dicuntur apoſtoli: quoniã per ſuam doctrinam & ſcripta fecerunt diſſeparántque bonos à malis. Per ſecedentem autem paleam intelliguntur mali non recipientes apoſtolorum monita: & ideò ſeparati à conſortio iuſtorum. Demùm per nouas fruges accipiuntur boni, copioſóque iuſtitiæ fructu referti: qui in cæleſtis regni horrea recipiuntur.

Marc.16.

9 ¶ In nono verſu. Ipſi montes appellantur. Montes ſenſibiles, vallibus & planicie terræ ſunt editiores: orientiſque ſolis primum in ſe recipiunt radios, quos deinde in ſubſidentia ac demiſſiora loca tranſmittunt. Ita hi apoſtoli: cæteris hominibus ſunt ſapientia ac virtute præcelſiores à Chriſto itidem vero ſole primum illuſtrati ſunt diuinæ lucis radio: quem deinceps in cæteros ſubiectumque populum communicando transfuderunt. Eadem quoque ratione in ſcripturis ſanctis hi apoſtoli deſignantur interdum nomine firmamenti vel cœlorum: propter indeflexibilem ipſorum in bono conſtantiam, etiam ob ſublimitatẽ ſuæ dignitatis, & virtutem illuminatricem animorum. vt in eo verſu pſalmi. Cœli enarrant gloriam dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Pſal.18.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Petrus præit principatu Conſtitutus enim eſt à domino Petrus, princeps apoſtolorum: vt ſacer ille numerus in vnum reuocaretur apicem, & ad vnitatem quandam reduceretur. Et id quidem: cum dixit Petro. tibi dabo claues regni cœlorum. quod nulli aliorum apoſtolorum particulatim eſt dictum, Conſtitutus eſt & paſtor dominici gregis: cũ dixit illi dominus. paſce oues meas. de cui⁹ quidẽ gregis numero & integritate erãt cæteri apoſtoli. Paul⁹ vero ordinat⁹ eſt à deo magiſter & doctor

Mat.16.

gentium:ex quibus potiſſimum coalita eſt eccleſia: quare illi à deo commiſſum eſt totius eccleſiæ magiſterium & inſtructio. Quod etiam ad Corinthios ſcribens innuit: cum ait. Inſtantia mea, quotidiana & ſolicitudo omnium eccleſiarum. 2.Cor.xi.

16 ¶ In decimoſexto verſu. Vn⁹ cortex eſt granorū. In leguminib⁹, malis granatis, papauere & cęteris id genus frugibus: vnus cortex multa continet grana, ſuóq; complexu ea ne diſſipentur cuſtodit, omnium tamen illorum granorum vna eſt & eadem virtus: quoniam congeneę ſunt & cō ſimilis naturæ. Ita & Chriſtus vt cortex ſuo præſidio & ambitu diuinæ virtutis omnes comprehendit apoſtolos: tanquam grana eodem contenta cortice, ipſorúmque fidus eſt cuſtos. Pater (inquit) quos dediſti mihi: non perdidi ex eis quenquam. Omnium tamen illorum par eſt & eadem virtus: apoſtolica ſcilicet dignitas à Chriſto ſuſcepta: tametſi particulares ſingulorum virtutes ſint diuerſæ. 18 ¶ In decimooctauo verſu. Vitę remediis obſtant phrenetici. Phreneſis, morbus eſt lædens mentem: & ad inſaniam furorémque deducens. Inde phreneticus: qui eo vitio laborat, mentis ſcilicet deturbatione. Proprium autem phreneticorum eſt: cum grauiſſimo detinentur morbo, ſe ſanos eſſe exiſtimare, & in illos inſilire qui opem ipſis medicatricē volunt impendere. Cæterùm tales fuerunt Romani, qui cū plurimarum ſuperſtitionum vanitate eſſent eluſi: ſe quàm maxime religioſos exiſtimant, & apoſtolos damnantes idolorum cultum atrociſſime perſequebantur, ideo ſpiritualiter extitere phrenetici,

23 ¶ In viceſimotertio verſu. Fert inuerſus pœnam crucis. Innertere eſt in contrarium vertere, vt veſtem aut pellem, cum interior pars ponitur exterius & quæ exterior eſt introrſus: dicimur inuertere. Virgilius. Glebas inuertit aratro. Quoniam igitur beatus Petrus capite deorſum verſo & pedibus ſurſum erectis (vt petiuerat) crucifixus eſt: hic recte dicitur inuerſus ſupplicium crucis pertuliſſe.

In

In viſitatione beatæ Mariæ.

AVe uerbi dei parens
Virginis humilitas.
2 Aue omni nodo carens
Humilis uirginitas.
Gaude quæ ſic grauidaris:
Nec grauaris filio.
4 Gaude quæ ſic oneraris:
Onere gratiſsimo.
5 Salue Ieſſe ſtirpe orta:
Virgula fructifera.
6 Salue clauſa templi porta,
Soli deo peruia.
7 Plaude uellus Gedeonis
Rore madens pneumatis.
8 Plaude pellis Salomonis.
Pulchrior præ cæteris.
9 Vale Iacob micans ſtella:
Circunluſtrans maria.
10 Vale conſignata cella:
Rubus in ui flammea.
11 Euge ſole quod amicta,
Solem gignis ſtellula.
12 Euge quod ſis præelecta,
Scala cæli fulgida.
13 Pange aurora conſurgens
Luce noui ſyderis.
14 Pange arca, trina ferēs
Chariſmata miſeris.
15 Eia magnificat tua
Ieſum Chriſtum anima,
16 Eia tecum ut laudemus
Ora dulcis Maria. Amen.

¶ Hæc proſa rythmicam ſeruat menſuram vbique vniformem. In ſingulis enim verſibus duas ſolum complectitur clauſulas rythmicas: ea quidem lege vt duo proximi verſ⁹ ab eadem incipientes dictione, mutuum adinuicem ſemper habeant reſponſum: & prima clauſula vnius primæ alteri⁹ & ſecunda ſecundæ in exitu ſyllabarum conſonet, eſtque in omnibus verſibus prima clauſula octo ſyllabarum: ſecunda verò, ſeptem. Cōmendantur in ea pręclarę virtutes deiparæ virginis Mariæ, inſignis humilitas, ſingularis virginitas, ſine moleſtia, prolis fœcunditas, antiquæ ſtirpis nobilitas. & cæteræ per veteris teſtamēti figuras myſticè deſignatæ, quæ quidē figuræ in præſenti proſa recenſentur: & multæ earum ſæpenumero ſuperius ſunt explicatæ.

2 ¶ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Aue omni nodo carens. Frequens nodus in arbore aut virga: aſperitatem & deformitatem quandam illi infert: & enode lignum leuius eſt, & gratius aſpectu eo quod nodis ſubſultat & aſperatur. Idcirco per tranſlationem quãdam hic nodus pro ſorde & macula peccati ſumitur, quæ ipſam animam quodam modo reddit informem, & ab omnimoda ſynceritate diſcedentem. Qua etiam metaphora vſus eſt Ambroſius: cum dicit de beata virgine. Hæc eſt virga: in qua nec nodus, originalis: nec cortex venialis culpæ fuit.
8 ¶In octauo verſu. Plaude pellis Salomonis. Sumpta eſt hæc ſacræ virginis denominatio ex eo loco Canticorum: vbi ſponſa fideles animas alloquens, ait. Nigra ſum ſed formoſa, filiæ Hieruſalem: ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Vbi gloſſa poſtremum exponẽs verbum: ait. De pellibus rubricatis fecit ſibi tabernaculũ Salomon: in quo delectatur. Verùm quiſnam eſt hic Salomõ niſi Chriſtus verè pacificus? de quo dicit pſalmus. Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis: donec auferatur luna. Hic ſanè & puriſſimis ſanctiſſimæ virginis ſanguinibus (ſicut ait Damaſcenus) tanquam pellibus rubricatis concedens ſuæ maieſtati adaptauit tabernaculum, corpúſque formauit. ipſam quoque virginem delegit in ſuæ diuinitatis habitaculum: cum in ea ædificabit ſibi æterna ſapiẽtia domũ. Itaq; ipſa ſacra virgo pellis eſt Salomonis quia Chriſti veri Salomõis domiciliũ fuit & receptaculũ. Cant. 1. Pſal. 71.
10 ¶In decimo verſu. Vale conſignata cella. Eadẽ beatæ virginis nuncupatio aliis verbis exprimitur in Canticis vbi ait ſponſus. Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa: hortus concluſus fons ſignatus. Quæ plane verba ſecundum vſum eccleſiaſticum (ſicut & cætera in Canticis dicta) cõgruenter applicatur ad ſanctæ dei matris præconium. Et quod in illis dicitur, hortus concluſus: hic aliis verbis dicitur cella conſignata. Eodem quoque modo permultæ hic ponuntur denominationes ſacræ virginis, ex ſacris literis ſumptæ, & quæ ſuis eſſent locis reſtituendæ: niſi ſæpius ante fuiſſent vnaquæque in ſuam originem reuocatæ, vt quòd ipſa beata virgo ſit virga Ieſſe, porta clauſa, vellus Gedeonis, ſtella Iacob, rubus ardens, ſcalla cœli viſa in ſomnis à Iacob. Cant. 4.

¶In

11 ¶ In vndecimo verſu. Euge ſole quòd amicta. Illud beatæ virginis præconium: depromptum eſt ex eo loco Apocalypſis. Signum magnum apparuit in cœlo. mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius: & in capite eius corona ſtellarum duodecim. Quod quidem dictum beatus Bernardus in quodam ſermone de aſſumptione glorioſæ virginis: conuenienter eidem accommodat: dicens. Hæc ſane mulier eſt per ſingularem quandam præcellentiam: ſacratiſſima virgo Maria, quæ iure perhibetur amicta ſole: nam profundiſſimam diuinæ ſapientiæ vltrà quàm credi valeat, penetrauit abyſſum. vt quantum ſine perſonali vnione, creaturæ conditio patitur: luci illi inacceſſibili videatur immerſa. Neque id mirum: quòd mulier hæc amicta ſit lumine ſicut veſtimento. Veſtiuit enim ipſa prius ſolẽ: & nunc contra veſtitur ab eo. Veſtiuit quidem ſolem ſubſtantia carnis: & veſtit eam nunc ſol, gloria ſuæ maieſtatis. Veſtiuit antè ſolem nube: & nunc à ſole veſtitur immẽſa cœli claritate. Hæc Bernardus.

Apoc. 12.

13 ¶ In decimotertio verſu. Pange aurora conſurgens. Alludit hoc ſacræ virginis elogium illi dicto Canticorũ. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens: pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Ita in ſequente verſu ipſa denominatur arca: ad ſimilitudinem arcæ fœderis, compoſitæ à Moyſe ex lingnis ſethim & circuntectæ auro. Erat enim arca illa Moſaica quædam figura & ſymbolum ſacratæ deo virginis: magnámque cum illata tanquam ſua veritate & exemplari habẽs affinitatem. Porro ſicut arca illa figuralis tria potiſſimum continebat ſacra myſteria, vtpote tabulas legis, virgam Aaron floridam, & vrnam cœleſti manna plenam ita & ſanctiſſima virgo Chriſtum dominum caſtis complexa viſceribus (qui legifer noſter eſt, ſacerdos verus, & panis ſuper cœleſtis) tria nobis attulit chariſmata: nouæ legis lationẽ, nouũ ſacerdotiũ, & cœleſtis cibi dulcedinẽ.

Cant. 6.

Exodi. 25.
Hebræo. 9.

De viſitatione beatæ Mariæ: alia proſa.

SAncti ſpiritus aſſit nobis gratia. Quo fœcundata: deum peperit virgo Maria. Per quem ſacrata floret virginitas in Maria.

Spiritus

Spiritus alme, quo repletur Maria.

1 *Tu rorẽ ſacrum ſtillaſti in Maria. Amator ſancte, quo intacta impregnatur Maria.*

2 *Sub cuius umbra non torretur dum fouetur Maria.*

3 *Tu præſeruaſti, ne prima culpa, transfuſa ſit in Maria. Tu cellã ſacraſti ſic benedicti uẽtris in Maria. Vt tumeret & mater fieret uirgo maria. Sic pareret, nec florem perderet maria. Prophetas tu inſpiraſti, ut præcinerent quod deum conciperet Maria. Apoſtolos confortaſti: ut aſtruerent hunc deum, quem edidit Maria. Quando machinam deus mundanam fecit, eſt præfigurata Maria.*

4 *Tellus hominem, uirgo uirginem fudit primum, ſic ſecundum Maria. Tu animarum ſpes afflictarum: dulcis Maria. Tu ſeruulorum nexus tuorum ſolue Maria. Tu colliſum peccati mundum ad uitam reparaſti maria.*

5 *Idolatras & leges atras eneruaſtis maria. Ergo nos petimus ſupplices ut ope benigna ſubleues, ò maria. Et nato pro nobis ſupplices, qui tibi pſallimus, aue maria. Tu fœlicibus fœlicior maria. Tu ſublimibus angelorum cœtibus es prælata maria. Ipſum hominem induiſti maria. Qui ſine ſemine, rigante nemine te fœcundauit maria. Hunc deum nobis placa maria. Amen.*

¶ Hæc proſa ſolutæ præfert orationis contextum: apprime conſimilis illi proſæ de ſancto ſpiritu, ab eodem exordio inchoatæ & ſuperius explanatæ. Conuenit enim hæc cum illa non ſolum in ipſa fronte & primo verſu: ſed & in multis aliis ſequentibus, vt ex induſtria ſtuduerit author, quæ illic de ſancto ſpiritu dicuntur ad ſacrãm virginem applicare, quantum ſinit materia, concinnitas & ratio ſententiæ. Id tamen peculiare eſt huic proſæ & dedita opera in ea obſeruatum: quòd omnes eius verſus poſt primum deſinunt, in Mariæ nomen, ipſumq́ue ſemper habẽt in calce repoſitum. ¶ Continet autem inſignia digniſſimę virginis præconia: multiplicem gratiarum illi à deo colla

tarum copiam diffuſè depromens. Verùm quoniã hæc proſa (ſicut & præcedens) nihil continet proprium & ſpeciatim addictum benignæ eius viſitationi ad Elizabeth: quanuis illi feſto peculiariter aſcribatur, ſed ea tantum quæ omnibus eius feſtis ſunt cõmunia: idcirco in quouis ſemper ſanctæ virginis feſto: vtraque iſtarum poteſt rectè decantari. Quòd ſi quis peculiarem ac propriam ſolennitati ſacræ viſitationis proſam deſiderat: hanc quæ ſubtexitur legat, cõplectentem piam fidelis populi ad ipſam glorioſam virginem inuocationem, vt ſicut ipſa benigniter viſitauit ſuam cognatam Elizabeth: ita dei eccleſiam grauiter afflictam diuturno ſchiſmate dignetur viſitare, pacémque & vnionis tranquillitatem illi ſua gratia reſtituere. Neque ab re illud hic expetitur: quoniam ad ſedandum pernicioſum eccleſiæ ſchiſma: primum traditur ſolennitas viſitationis ſacroſanctæ virginis ab Vrbano ſexto fuiſſe inſtituta.

1 Veni mater gratiæ,
Fons miſericordiæ,
Miſeris remedium.
2 Veni lux eccleſiæ,
Triſtibus lætitiæ
Nunc infunde radium.
3 Te reginam colimus.
Tibi laudes canimus
Ex affectu cordium.
4 Quæ es in anguſtiis,
Et in rebus dubiis,
Salus & ſolatium.
5 O ſtella præfulgida,
Tu dira certamina
Maris huius reprime,
6 Simonis nauicula,
Filij tunicula
Ne ſcindantur, prohibe,
7 Portus nauigantium,
Preces ſupplicantium
Filiorum, ſuſcipe.
8 Conſolare flebiles,
Iuua puſillanimes,
Et errantes corrige.
9 Quæ deum hominibus,
Et ima cæleſtibus
Iungis, o puerpera.
10 Hæreſes interime,
Schiſmataq; reprime,
Firma pacis fœdera. Amẽ

¶ Seruat autem hæc proſa candẽ prorſus rythmicã modulationem ſicut illa de ſancto ſpiritu ſuperi⁹ expoſita. Veni ſancte ſpiritus: & emitte cælitus, lucis tuæ radium. quinimmò ad illius imitationem, formã, & ſpeciem: hæc cenſetur pro-

propemodum compoſita. Neque quicquam habet explationis lucem efflagitans: præterquã id quod in ſexto verſu metaphorica locutiõe innuitur. Illic enim per Petri nauiculam agitatam quidem fluctibus maris ſed non ſubmerſam: intelligitur ſancta eccleſia Chriſti. quæ hic plerũque tribulationibus quatitur: ſed nunquam opprimitur. Eodẽ quoque loco. per tunicam Chriſti inconſutilem quæ non eſt ſciſſa à militib⁹, inſinuatur eccleſia catholica: in vnitate fidei ĩdiuidua cõſiſtens, & oẽs hæreſes ac ſchiſmata dãnãs. Mat. 8

1 ¶ ANNOTATIONES. Tu rorem ſacrum ſtillaſti. Eſa. 45
Per rorem ſacrum intelligitur hic ſingularis gratia ſpiritus ſancti, qua fœcundam reddidit ſuperſanctam virginẽ ſine viri attactu, perinde atque ros irrigans terram ſolet eam fœcundare: & ad germinandum aptiorem reddere. Hinc Eſaias incarnationis dominicæ referans myſterium, ait. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra & germinet ſaluatorem. Et ipſa beata virgo per vellus Gedeonis rore cœleſti irriguum ſignata fuiſſe ſæpius eſt dicta.

2 ¶ Sub cuius vmbra non torretur. Dictum eſt ab angelo ipſi beatæ virgini. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te: & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Atqui vmbra refrigeriũ preſtat requieſcenti ſub ea, ipſúmque defendit ab æſtu. Quoniam igitur huiuſmodi vmbraculis ſancti ſpiritus fouebatur & continebatur virgo Maria: nullo vitiorum ardore torreri aut inflammari potuit. quia ab ipſo ſui conceptus exordio ſpiritus ſanctus in ea omnem noxiam concupiſcentiam ſic extinxit ſuo ſupercœleſti rore: vt nunquam in ea peccati fomes locum habuerit. Luc. 1.

3 ¶ Tu præſeruaſti ne prima culpa. Hic prima culpa dicitur labes originalis: quæ per carnis propagationem contrahitur, & ab ipſis protoplaſtis per primam ſuam præuaricationem in poſteros omnes eſt transfuſa. niſi diuina benedictio præuenerit gignendam prolem ſua gratia: & impediuerit illam labefactionem. Et quoniam ſpeciali prærogatiua, ſingularique priuilegio ipſa ſuperſancta virgo tanquam terra benedicta à domino, & Adæ maledicto nũquam ſubiecta, præſeruata fuit ne contaminaretur huiuſmodi funeſta lue: quemadmodum in libro de puritate conceptionis eius latius diſcuſſimus, recte hic dicitur

ſpiritus ſanctus eam præſeruaſſe: ne primæua illa noxa in illam tranſmitteretur.

4 ¶ Tellus hominem, virgo virginem. Quod in præcedente verſu dictum fuerat, Mariam ſcilicet præfiguratam fuiſſe quando deus mundum produxit: nunc apertius explicatur. Nempe in ſexto die deus de terra virgine, & nullo adhuc hominum ſcelere contaminata, aut imbuta ſanguine: produxit Adam primum hominē etiam virginem. Ita de ſacroſancta virgine, terra quidem viua & animata, & quæ nunquam ſenſit maledictionem: deus produxit: ſecundum Adam, Chriſtum ſcilicet dominum noſtrum. Quare vt primus Adam, ſecundi: ita terra ex qua formatus eſt Adam, ſanctiſſimæ virginis typus fuit ac figura.

¶ Idolatras & leges atras eneruaſti. Leges atras vocat author funeſtos ritus, quibus crudeliſsimi dęmones ex idolis dantes reſponſa ſibi litari, ſacráque fieri iuſſerūt: vt humano ſanguine imbuendas eſſe aras eorum, immolandos hoſpites, & filios à parentibus necandos. Quemadmodū innuit propheta in pſalmo, cum ait de filiis Iſrael. Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis. Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaā. Hęc autem nefanda ſacrificia & dęmonum ludificamenta, per aduentum domini noſtri in carnem & apoſtolorū prædicationem in gentibus factam prorſus ſublata ſunt. Et cæteræ id genus leges ſacrilegæ, cum idolorum cultu penitus exterminatæ, vt extiſpicia, auguria, aruſpicinæ, auſpicia, ſuperſtitionéſque innumeræ, oriente cælitus luce veritatis omnino propulſatæ.

In diuiſione apoſtolorum.

COeli enarrant gloriam dei filij, uerbi incarnati, facti de terra cæli. Hæc enim gloria, ſoli domino eſt congrua. Nomen eſt cuius, magni conſilij angelus.

2 *Iſtud conſilium, lapſo homini auxilium eſt, antiquum & profundum, & uerum factum, ſolis tantum ſanctis cognitum.*

Cum

3 Cum angelus iſte homo natus ex muliere,immortale ex mortali,de terra,cælum fecit,ex homine angelum. Hic eſt dominus exercituum deus,cuius ſunt angeli: miſſi in terram apoſtoli. Quibus ſeipſum uiuum præbuit reſurgens in multis argumentis, pacem uictor mortis nunciãs. Pax uobis,ego ſum inquit,nolite iam timere, prædicate uerbum dei creaturæ omni,coram regibus & principibus. Sicut miſit me pater,& ego mitto uos in mundum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, eſtote ut columbæ ſimplices. Hinc Petrus Romam apoſtolorum princeps adiit. Paulus Græciam,ubique docens gratiam.

4 Ter quatuor hi proceres in plagis terræ quatuor,euãgelizantes trinum & unum. Andreas, Iacobus uterque, Philippus,Bartholomeus,Simon,Thadeus,Ioannes, Thomas,& Matthæus. Duodecim iudices,non ab uno ſed in unum diuiſi,per orbem diuiſos in unum colligunt. In omnem terrã exiuit ſonus eorum,& in fines orbis terræ uerba eorum. Quam ſpecioſi pedes euangelizantium bona, prædicantium pacem. Sanguine Chriſti redemptis ita dicentium: Sion regnabit deus tuus. Qui uerbo ſecula fecit: quod pro nobis uerbum caro factum eſt,in fine ſeculorũ. Hoc uerbum quod prædicamus Chriſtum crucifixum, qui uiuit & regnat deus in cælis.

5 Hi ſunt cæli in quibus Chriſte habitas, in quorum uerbis tonas,fulguras ſignis,roras gratiam. His dixiſti,rorate cæli deſuper & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra germinans.

6 Germen iuſtum,ſuſcita terram noſtram,quam apoſtolicis uerbis ſerens germinare facias. Quorum uerbis uerbum patris tenentes,in patientia fructum ferre fac nos tibi domine. Hi ſunt cæli,quos magni conſilij angelus inhabitas,quos non ſeruos ſed amicos appellas, quibus omnia quæ audiſti à patre notificas. In quorum diuiſione colle-

ctum gregem cuſtodias indiuiſum, & in uinculo pacis unum, ut in te unum ſimus, ſicut in patre tu es unus. Miſerere nobis, tu qui habitas rex in cælis. Amen.

¶ Hæc proſa ſolutæ orationis habet compoſitionem : nec lege rythmica tenetur. Continet autem multiplicem apoſtolorum commendationem, tum ob electionem eorum à Chriſto: ad annunciandum cunctis gentibus euangelium, tum ob diuiſionem eorum in totum mundum, vt in omnẽ terram diſſeminarent verbum veritatis. Ponuntur & hic diuerſæ eorum nuncupationes: ex ſacris literis apta metaphora illis attributæ. At non opus erit in annotationibus cuiuſque loci vnde ſumuntur hæc nomina lectores admonere: quoniam propter rei ipſius facilitatem ex notis marginalibus idquiſque facile dinoſcere poterit.

1 ¶ ANNOTATIONES. Facti de terra cæli. Nomine cælorum in hac proſa intelliguntur apoſtoli: propter lucẽ doctrinæ, continuum boni operis exercitium, & ſublimitatem perfectionis, ſicut & frequenter in ſacris literis hoc vocabulo iidem ſignantur, dicuntur autem facti de terra cæli quoniã prius imperfecti erant & terrena ſapientes, poſtea vero à Chriſto (qui elegit eos de mundo) facti ſunt cæleſtes conuerſatione & ſpiritualia ſectantes. *Ioan. 15.*

2 ¶ Iſtud conſilium: lapſo homini auxilium eſt. Conſiliũ illud de quo loquitur litera: fuit diuini beneplaciti definitio atque decretum de redemptione generis humani per filium dei incarnatum. Quodquidem conſilium haud dubiè lapſo homini auxilium eſt: nam per illius completionẽ & executionem redemptus eſt homo. Fuit & illud conſiliũ dei antiquum nam ab æterno apud diuinam ſapientiã prædeterminatum atque prædefinitum. Profundum quoque fuit idem conſilium: nam altitudinem eius & abyſſum nec ipſi quidem cœleſtes ſpiritus comprehendere poſſunt, quanto minus homines. Denique illud factum eſt verum, quoniam ſicut à diuina bonitate prædiſpoſitum fuerat, ita iam eſt completum & omnino cõſummatum. Poſtremùm id ſolis ſanctis eſt cognitum conſilium, quoniam ſoli ſpiritus angelici & homines vitæ ſanctimoniam amplexi, vt ſancti patriarchę & prophetæ habuerunt de hoc arduo & admirabili conſilio reuelationem quòd eſſet complendum. Poſt

aduen-

aduentum autem Chriſti in carnem: illud toti mundo innotuit & patefactum eſt.
3 ¶ Cum angelus iſte, homo natus ex muliere. Chriſtus hoc loco dicitur angelus non natura, ſed officio, quoniam paternæ voluntatis & benignitatis apud homines fact⁹ eſt nuncius. Neque id abſurdum aut mirum videatur. Nam in ſequente verſu etiam apoſtoli dicuntur angeli, miniſterio ſcilicet & munere: quoniam verbum dei toti mundo annũciarunt. Hic autem ſuperſpiritualis angelus, Chriſtus inquam dominus noſter humanam indutus carnem: conditionem hominum in meliorem ac digniorem commutauit ſortem. Nam ex mortali homine per naturam & culpam: fecit immortalem, per reſurrectionis & immutationis gratiam, quoniam in ſe immortalitatem deuicta morte aſſumens: quid reliqui homines ipſius imitatores demùm ipſo authore ſint aſſecuturi, ſuo exemplo oſtendit. Fecit & Chriſtus de terra cælum, nam terrenis prius deſideriis addictos homines conuertit ad cæleſtium amorem. Denique ex homine fecit angelum: nam homines natura, reddidit angelos, annunciandæ veritatis officio. Siquidem ipſi ſancti apoſtoli ex hominibus angeli facti ſunt: non per naturæ demutationem, ſed nouæ functionis & officij aſſignationem.
4 ¶ Ter quatuor hi proceres. Duodecim apoſtoli: apud Matthæum & Lucam in euangelio exprimuntur & ſurrogato in locum Iudæ traditionis diuina electione ſancto Matthia: in ſacri illius numeri perfectione permanſerunt. Hi autem in quatuor plagis terræ, oriente, occidente, meridie, & ſeptentrione: verbum euangelicæ veritatis hominibus annunciauerunt. Dicuntur & ipſi, duodecim iudices: quoniam iudiciaria poteſtas & aſſeſſoria dignitas cũ deus mundum iudicabit, ipſis à Chriſto repromiſſa eſt.
Non ſunt autem ab vno diuiſi: quia licet abinuicem corpore: non tamen animo ſunt diſſeparati, neque à charitatis vinculo quod in vnitate conſiſtit ſunt diuulſi. Quinimmò ſemper in vnum coniuncti atque in Chriſto tanquam centro coincidentes, locorum tamen ſpaciis ſeiuncti: filios dei qui erant diſperſi congregauerunt in vnum, & diſſipatas oues ad vnum veri paſtoris ouile coegerunt. 5 ¶ Hi ſunt cæli in quibus Chriſte habitas. Illud verbũ prophetæ

Mat. 10. Luc. 6. Act. 1. Mat. 19.

in pſalmo quo deus dicitur habitare in cœlis:applicat hic author ad cœlos ſpirituales ſcilicet apoſtolos, & naturales cœlorum ſenſibilium operationes ipſis myſticè attribuit. Nempe a cœlis tonitrua procedunt & fulgura & placido lapſu ros deſcendit in herbas. ita & ipſi apoſtoli immo Chriſtus in eis tonat euangelica prædicatione, coruſcat miraculorum claritate, & rorat diuinæ gratiæ in aridas hominum mentes effuſione. Vnde & illud verbum Eſaiæ quo cœli inuitantur ad rorem emittendum, & nubes ad iuſtum ſalutari pluuia in terram fundendum:decenter accõmodat hic author ad apoſtolos, qui vt cœli & nubes imbriferæ, nunc rore nunc pluuia ſuorum verborum iuſtos reddiderunt homines.

6 ¶Germen iuſtum ſuſcita terram noſtrã. Hoc loco germen iuſtum vocatiuus eſt & Chriſtũ ſignat, qui apud Hie-
Hiere. 23. remiam hoc appellatur nomine, cum ait. Ecce dies veniunt dicit dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex & ſapiens erit. Petimus autem ab eo terram
Luc. 8. cordis noſtri ſuſcitari:ad fœcunditatem & largam bonorum operum frugem. Cui quidem terræ iniectum ſemen apoſtolicorum verborum:afferat vberes fructus. more illius ſeminis quod cecidit in terram bonam:& exortum fecit fructum multum. per quod Chriſtus ſuam exponẽs parabolam, dicit eos ſignificari: qui in corde bono & optimo retinent verbum dei & afferunt fructum in patientia.

De ſancta Margarita:proſa.

Margaritam glorioſam
Sponſam Chriſti ſpecioſam
Veneremur hodie.
2 *A gentili patre nata,*
Fide Chriſti deſponſata
Ipſi regi gloriæ.
3 *Rectam fidem inſectatur,*
Domo patris propulſatur
Nutrici ſe contulit.
4 *Generoſa oues pauit,*
Quam præfectus adamauit
Sed hæc Chriſtum prætulit
5 *Ad tribunal præſentatur,*
Et exuta flagellatur,

Fluunt

Fluunt riui ſanguinis.
6 *Ridens gaudet paſſiõe,*
Confortatá in agone
Nutu ſancti flaminis.
7 *Ex contemptu prouocatur*
Iudex: aqua præparatur,
In uas uirgo mergitur.
8 *Tyrannus uidens illæſam,*
Clauſit ātro uirgis cæſam.
Dæmon terrens ſternitur.
9 *Ad mucronē ceruix tēſa:*
Orat uoce cum immenſa
Pro ſe uenerantibus.
10 *Mox ſpopōndit regnū cæli*
Promiſſo Chriſtus fideli,
Cunctis te laudantibus.
Amen.

Hæc proſa rythmicam ſeruat formã in proſis eccleſiaſticis frequeniſsimam: ſecũdum quam ſinguli verſus tres continent clauſulas rythmicas, duas primas octo ſyllabarum inter ſe in fine conſonantes, & tertiam ſeptem ſyllabarum cum tertia clauſula proximi verſus in ſyllabarum poſtremarum vocalitate conuenientem.

Complectitur autem ipſa paucis ſanctitatem vitæ & durũ martirij agonem: quem beata Margarita pro Chriſto ſuſtinuit. Verùm quoniã hæc in hymno ipſius, ſuperius explicato, & in hiſtoria vitæ eiuſdem latius explicantur, nõ eſt illis enarrandis hic diutius immorandum.

3 ¶ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Rectam fidem inſectatur. Legendum hic potius crediderim conſectatur, quod ſequi imitariq; ſignat: q̃ inſectatur, quod potius inceſſere, laceſſere, & prouocare ſignificat, vt multis conuitiis me es inſectatus. Quod etiã ſignificatum: & ſuo primitiuo inſequor interdum conuenit. Quintilianus. Cũ eum maledictis inſequeretur, id eſt proſequeretur & inceſſeret. Significat etiam inſequi, deinde aut poſt aliud ſequi. Virgilius. Inſequitur clamórque virum, ſtridórq; rudentum. Sed inſector ſuum frequentatiuum, vix ſignificatum habet illi reſpondens. In eodem quòque verſu, clauſula illa, nutrici ſe contulit, non eſt ſecundum conſuetum rectè loquendi modum contexta, ſecundum quem confero quãdo ſignificat ad aliquem locum aut perſonam ire, poſtulat nomen illius loci aut perſonæ in accuſatiuo cum præpoſitione in vel ad. Quare ſi numerus ſyllabarum nõ fuiſſet

fuiſſet maior æquo, ita potius erat dicendum. Ad nutricẽ ſe contulit.

6 ¶ In ſexto verſu. Cõfortata in agone. Agon, locus eſt certaminis Romæ, qui circus Flaminis olim dicebatur, & plærũque pro ipſo certamine ponitur, ſiue corpore illud exerceatur, ſicut pugilum & athletarum in arena, ſiue animo & robore mentis: ſicut ſanctorum martyriũ pro Chriſti fide dimicantium in tolerandis tormentis. Inde agoniſma, quod etiam certamen ſignificat: ſiue præmium & palmam quæ in agone victoribus datur. Rectè igitur ſanctæ Margaritæ martyrium: eius agon hic nominatur.

10 ¶ In decimo verſu. Promiſſo Chriſtus fideli. Nõnulli libri hic habent: promiſſo pacto fideli, ſed perperam & mendoſe, tum quòd illic duo nomina ſubſtantiua ſine coniunctione interſtite eidem coniunguntur adiectiuo: quod recta loquendi ratio nõ admittit, tũ quòd ibi verbũ ſpõpõdit: nullum habet nominatiuum ſuppoſitum, cui adiungatur. At ſi ea clauſula ita legatur, promiſſo Chriſtus fideli, vtrique vitio obuiatum eſt, & completa patet ſententia.

De ſancta Maria Magdalena.

LAus tibi Chriſte: qui es creator & redemptor, idẽ & ſaluator. Cæli, terræ, maris, angelorum & hominum. Quem ſolum deum confitemur & dominum. Qui peccatores ueniſti ut ſaluos faceres. Sine peccato: peccati aſſumens formulam.

2 *Quorum de grege, ut Chananæam: Mariam uiſitaſti Magdalenam. Eadem menſa uerbi diuini, illam micis, hãc refouens poculis.*

3 *In domo Simonis leproſi conuiuiis accubans typicis. Murmurat phariſæus: ubi plorat fœmina criminis conſcia. Peccator contemnit compeccantem, peccati neſcius pœnitentem exaudis, emundas fœdam, adamas ut pulchrã facias, pedes amplectitur dominicos, lachrymis lauat, tergit crinibus, lauando, tergẽdo, unguẽto ungit, oſculis circuit. Hæc ſunt conuiuia quæ tibi placent: O patris ſapiẽtia.*

tis. Nat' de uirgine, qui nō dedignaris tãgi à peccatrice. A phariſæo es inuitatus, Mariæ ferculis ſaturatus. Multum dimittis multum amanti, nec crimen poſtea repetẽti.

4 Dæmoniis eam ſeptem mundans ſeptiformi ſpiritu. Ex mortuis reſurgentem te das cunctis uidere priorem.

5 Hanc Chriſti proſelitam ſignas eccleſiam, quam ad filiorum menſam uocas alienigenam.

6 Quam inter conuiuia legis & gratiæ ſpernit phariſæus, faſtus lepra uexat hæretica. Qualis ſit, tu ſcis, tangit te quia peccatrix, quia ueniæ optatrix.

7 Quidnam haberet ægra, ſi non accepiſſet, ſi non medicus adeßet? Rex regum diues in omnes, nos ſalua, peccatorum tergens cuncta crimina, ſanctorum ſpes & gloria. Amen.

Hæc proſa, oratione ſoluta eſt contexta: cõtinétque egregia beatæ Mariæ Magdalenæ præconia, ſalutarem ipſius ad Chriſtum cõuerſionem poſt carnis illecebras, pœnitentiámque fructuoſam: apud Lucam in euangelio deſcriptam. Conmemorat itidem primam Chriſti apparitionem illi factam poſt quàm ſurrexit à mortuis à Ioãne enarratam.

1 ¶ ANNOTATIONES. Cæli, terræ, maris, angelorum, & hominum. Iſti genitiui, ad nominatiuos in primo verſu poſitos, diuerſo modo (vt ſenſus efflagitat) referuntur. Eſt enim Chriſtus: creator omnium, cæli, terræ maris angelorum & hominum, redemptor autem: hominum tantum, non etiam angelorum, ſaluator verò, angelorum & hominum. 2 ¶ Vt Chananæã, Mariã viſitaſti Magdalenã. Vtraq; enim dominũ deprecata eſt, illa pro ſanatione filiæ ſuæ à dæmonio vexatæ: hæc verò pro peccatorũ remiſsione. Vtraque ſimiliter quod petiuit obtinuit. Nam illi poſt crebrã repulſam dictum eſt à domino. O mulier: *Matth.* 15
magna eſt fides tua fiat tibi ſicut petiſti: & ſanata eſt filia eius ex illa hora. Hæc verò poſt expreſſam peccatorum remiſsionem audiuit à domino. Fides tua ſaluam te fecit: va *Luc.* 7
de in pace. Vtraq; itidẽ refecta eſt à domino ſpiritualiter. *Pſal.* 101
Illa quidem micis, nam reſpondit. Etiam domine, nam & *Pſal.* 79
catelli

catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Hæc verò poculis ſiue lachrymis pœnitentiæ, nã potum ſuum cum fletu miſcuit: & dominus illi potum dedit in lachrymis in menſura.

3 ℂ In domo Simonis leproſi. Non exprimit id ſcriptura, quòd conuiuium illud in quo mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, ad pedes domini lachrymis abluit peccata ſua, fuerit factum in domo Simonis leproſi, ſed tantum ꝙ id contigerit in domo cuiuſdam Phariſæi habitantis in Hieruſalem: cuius nomen erat Simon. At verò Matthæus deſcribit cœnam factam domino noſtro in Bethania in
Matth. 26 domo Simonis leproſi paulo antè paſsionẽ ſuam: in qua Maria Magdalena fudit vnguentum precioſum ſuper caput Chriſti diſcumbentis, propter quam effuſionem indignatus eſt Iudas Scarioth. Verùm ſicut hæc inunctio, alia eſt ab ea quam fecit in ſua cõuerſione: ita & hoc aliud ab illo conuiuium, & alia domus, itidem & alius hoſpes, aliúſque locus, & aliud tempus. Quare deſideratur alicuius probati authoris teſtimonium, qui aſſerat Mariæ Magdalenæ conuerſionem in domo Simonis leproſi eſſe factam. Et forte allucinatus eſt hic author, vnum hoſpitẽ pro altero accipiens, aut credẽs in vtroque conuiuio eundem eſſe hoſpitem, quod loci & temporis circunſtantiis plane repugnat. Vocat autem hoc loco author typica conuiuia, ſpirituales illas epulas quibus Chriſtus tum reficiebatur, fructũ ſcilicet conuerſionis ipſius peccatricis, quẽadmodum alio loco dicit. Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me: vt perficiam opus eius.

4 ℂ Dæmoniis eam ſeptem mundans. Hic potius ſeptiformi ſpiritu in ablatiuo legendum eſt quam ſeptiformis
Ioan. 4 ſpiritus in nominatiuo: vt inemẽdati habent codices. Nã in præcedẽte verſu & ſequente, ad Chriſtũ dirigitur ſermo per verbũ ſecũdæ perſonæ: immò & in tota ꝓſa, quare & in præſente verſu ad eũdem ſic etiã verba dirigi eſt cõueniens. Si enim ad aliũ tranſeat ſermo, ſignificans quòd ſpiritus ſeptiformis erat eam mundans ſeptem dæmoniis: abrupta eſt quodam modo ſententia, & inconcinnè præcedentibus ac ſequentibus cohærens. Quòd autem Chriſtus Mariam Magdalenam ſeptem dæmoniis (id eſt totidem vitiis mortiferis & capitalibus, quibus dæmones præſunt) munda-

mundauerit, atteſtantur Marcus, & Lucas, dicentes quòd Chriſtus eiecit de ea ſeptem dæmonia. Luc. 8 Matth. 16

5 ¶ Hanc Chriſte proſelitam ſignans eccleſiam. Proſelitus penultima producta, dicitur aduena, peregrinus ſiue aduentitius. Et apud Iudæos, qui ex gẽtilitate ad ritum & legem ipſorum conuertebantur: dicti ſunt proſeliti, vt oſtendit illud dictum euangelicum quo repræhenduntur ſcribæ & phariſæi circueuntes mare & aridam, vt facerent vnum proſelitum. Secundum eandem quoque ſignificationem hoc loco proſelita eccleſia dicitur eccleſia ex gentibus collecta, quæ tãquam alienigena ad filiorum, id eſt Iudæorum menſam, ſpiritualémque per fidem & ſacramẽta refectionem diuina dignatione eſt vocata. Eſt igitur huius loci ſenſus, quod per Mariã Magdalenam Chriſti bonitate admiſſam ad contactum pedum eius in cõuiuio, intelligitur eccleſia ex gentibus accerſita à Chriſto per apoſtolorum præconium ad gratiam fidei & ſalutis. Per phariſæum verò tumidum & inſolente animi faſtu aſpernantam mulierem peccatricem, intelligitur populus Iudaicus indigne ferens gentilem populum ad agnitionem dei, & viã ſalutis eſſe vocatum, vt multis in locis apoſtolorum Acta atteſtantur. Matth. 23

6 ¶ Faſtus lepra vexat hæretica. Sententia eſt quod faſtus & ſuperbia phariſæi vexat eccleſiã ex gentib⁹ lepra hæretica, lepra inquã animi ſcilicet inuidia & nimia pertinacia, qua voluit populus Iudaicus per phariſæũ ſignificatus circuncinonem & cærimonias legis Moſaicæ præferre euangelicæ gratiæ. Huiuſmodi ſanè peruicacia obſtinate adhærens ſuæ ſententiæ contra veritatem, rectè hic hęreſeos nomine exprimitur, & hæretica lepra nominatur.

7 ¶ Quidnam haberet ægra, ſi non accepiſſet. Huius loci ſenſus eſt. Non debes O phariſæe indignari, quod peccatrix tangat Chriſtum. Quia enim ægrota eſt & multis laborans vitiorum morbis, non poſſet ipſa habere ſalutem, niſi eam à medico conſequatur, non valet itidem illa obtinere quicquam boni, niſi illud à totius bonitatis fonte acceperit. Atqui hic adeſt optimus medicus, qui dixit. Non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus. Ipſa autẽ ſe male affici & valere, multis indiciis & amaris lachrymis teſtificatur. Sine igitur eam medicum accedere, vt ab Marc. 19

eo curetur, permitte illam ad miſericordiæ fontem properare, vt in eo lauetur ab omnibus ſuis inquinamentis.

De ſancto Iacobo fratre Ioannis apoſtolo: proſa.

Audeat Hiſpania,
Totaq; Germania
Iubilet in domino.
2 *De triumpho nobili*
Iacobi apoſtoli:
Compoſtellæ condito.
3 *Zebedæi filium.*
Chriſti conſanguineum:
Narrat hunc hiſtoria.
4 *Hic ut ſolis radius,*
Fulget in primatibus:
Viſa Chriſti gloria.
5 *A Ioſia capitur,*
Ad Herodem trahitur,
Funem collo baiulans.
6 *Videt paralyticum:*
Cui fert auxilium
Ad tormentum ambulans.
7 *Ioſias compungitur,*
Pedibus adiungitur
Iacobi pro lauacro.
8 *Qui poſt pacis oſculum*
Tranſmigrat ad dominum,
Secum cadens gladio.
9 *O fœlix apoſtole,*
Magne martyr Iacobe,
Te colentes adiuua.
10 *Peregrinos undique*
Tuos clemens protege.
Ducens ad cæleſtia.
Amen.

Hæc proſa vniformem habet & ſemper eandem rythmi modulationem: in ſingulis verſibus tres complectens clauſulas, & in vnaquaque earum ſeptem ſyllabas, quarũ penultima eſt breuis. Duæ primæ eiuſdem verſus clauſulæ: mutuum adinuicem habent reſponſum in exitu ſyllabarum. Tertia verò vnius: cum tertia & alterius proximę clauſulæ, ſimilem habet deſinentiam. Referuntur in ea, præconia ac laudes ſancti Iacobi fratris ſancti Ioannis euangeliſtæ & filij Zebedæi: qui vnà cum fratre ſuo ad apoſtolatũ à domino vocatus eſt, & inter apoſtolos primus laurea martyrij coronatus pro confeſsione fidei. Demùm ſupplex ad ipſum dirigitur oratio, vt quoſcũque ſuſcipientes

tes peregrinationẽ ad viſitandũ ſacrum eius corpus protegat, & ad cæleſtia regna perducat.

1 ❡ ANNOTATIONES. In primo verſu. Gaudeat Hiſpania. Regio Hiſpanię hic ad gaudium incitatur: quoniam nobilitata eſt ſacris exuuiis & corpore glorioſi Iacobi apoſtoli, quod apud ſe dei nutu depoſitum aſſeruat cũ ſumma religione & veneratione: in Galitia, vna eius prouincia, apud compoſtellam Galitiæ ciuitatem: ſanctis apoſtoli cineribus per celebrem & mirificè decoratam. Germania verò etiam ad iubilum & lætitiam inuitatur: quoniam ipſi apoſtolo præter cæteras nationes eſt admodum deuota, vt ex ea plures cateruatim cõfluant peregrini ad inuiſendum beati Iacobi ſepulchrũ ſanctáſque reliquias: quàm ex quauis alia Chriſtiani orbis regione.

3 ❡ In tertio verſu. Zebedæi filium. Quòd ſanctus Iacobus frater Ioannis, filius fuerit Zebedæi: ex multis euangelij locis eſt apertiſsimum præſertim ex eo Matthæi loco: qui narrat ipſorum à Chriſto vocationem cum eſſent in naui cum Zebedæo patre eorum, quo relicto ſimul & retibus: continuo vocantem dominum ſunt ſecuti. Ex eo itidem eiuſdem euangeliſtæ loco: quo refertur mater filiorum Zebedæi acceſsiſſe dominum & petiiſſe, quòd ſederent iubente ac annuente domino duo filij eius: vnus ad dextram, & alter ad ſiniſtram in regno eius. Quòd verò idem apoſtolus fuerit Chriſti conſanguineus: nequaquam ex euangelio collgitur, ſed ex hiſtoria vitæ ipſorũ: perhibente matrem ipſorũ fuiſſe ſororem ſacroſanctæ virginis Mariæ matris domini, ſecundum quam cognationis lineam ac rationem: conſequens eſt beatum Iacobũ & Ioannem fratrẽ eius, fuiſſe conſobrinos domini noſtri, quod duarum ſororum eſſent filij. Matth. 4 Matth. 20

4 ❡ In quarto verſu. Fulget in primatibus: viſa Chriſti gloria. Id factum eſt transfiguratione domini: ad quam cõtemplandam ſanctus Iacobus cum Ioanne fratre ſuo & beato Petro admiſſus eſt, & nube lucida obumbratus, cuius luce irradiatus ac illuſtratus, inſtar ſolaris radii refulſit. Et ergo in primatibus ſiue inter primates apoſtolos ipſe reſplenduit, accitus ad ſecretiora myſteria cõtuenda, cum præcipuis apoſtolis Petro & Ioanne. Neq; id in trãſfiguratione ſolũ: ſed & in ſuſcitatis ne filiæ archiſynagogi Matth. 17 Matth. 9

&

& in oratione ante paſsionẽ facta in horto obtinuit gratuitæ dilectionis maioriſque familiaritatis argumentum: quod cũ reliquis duobus apoſtolis præter cæteros eſt admiſſus ad domini præſentiã, & arctiorẽ ſocietatẽ.

5 ¶ In quinto verſu. A Ioſia capitur. Hic Ioſias vn⁹ erat ex
Mat. 9 ſcribis: qui iuſſu Abiathar põtificis ãni illius, exercitata in populo ſeditiõe, funẽ collo beati Iacobi iniecit: ꝙ prædicaret Ieſum Chriſtũ eſſe filiũ dei, & ad Herodẽ regẽ pertraxit. Cum autem inter eundum vidiſſet Ioſias paralyticum ab Iacobo in nomine domini Ieſu Chriſti ſubito eſſe ſanatum, compunctus eſt corde, Chriſtum confeſſus eſt, & à Iacobo baptizatus, miſſaque de eo ad Herodem relatione cum ſancto apoſtolo particeps martyrij eſt effectus. Gladio enim ab Herode obtruncatus eadem hora, & cõſimili mortis genere cum Iacobo conſummatus eſt.

De ſancto Marcello, epiſcopo Pariſienſi: proſa.

1 *Gaude ſuperna ciuitas,*
Noua frequentans cantica.
2 *Accreſcit tibi dignitas*
Murorum ſurgit fabrica.
3 *Faber & fabri filius,*
Te reſtaurant in melius,
4 *Fabri mẽs & induſtria,*
Relucet in materia.
5 *In tua tranſit mœnia,*
Marcellus gemma præſulum.
6 *Tibi præſens eccleſia,*
Præſentat hunc carbunculũ.
7 *Chorus cõcordi ſpiritu,*
Pſallat in eius tranſitu.
8 *Grex paſtoris miracula*
Retractet, mente ſedula.
9 *Dum ferrum candens ponderat*
Adhuc ætate tenera.
10 *Calorem tactu temperat,*
Ferri prædicit pondera.
11 *Dum ſeruus Chriſti præſuli,*
Aquas miniſtrat calicem.

12 *Chriſtus ad laudem ſeruuli,*
Mutat in uinum laticem.
13 *Nec minus eſt miraculum:*
Quod ſuccedit in ordine.
14 *Dum ferens aquæ uaſculum,*
Haurit Chriſma de flumine.
15 *Vinum & chariſma, præſulis*
Præferebant indicia.
Per quē baptiſma populis,
Per quem ſacratur hoſtia.
16 *Gradu minor quàm meritis,*
Vocem laxat antiſtitis.
Promotus in pontificem,
Fert opem reo duplicem.
17 *Sacris aſtans altarib⁹,*
Vinctum uidet in populo.
Soluit à pœnæ nexibus,
Et à peccati uinculo.
18 *In ſerpente uiſibili,*
Triumphat inuiſibilem.
Sic Chriſtus inuiſibili
Virtute, ditat humilem.
19 *Marcelle pater reſpice*
Nos pietatis oculo.
20 *Sub hu9 adhuc lubrica*
Carnis gementes uinculo.
21 *Te diligentes unice,*
Te recolentes ſedulo.
22 *Cōſors lucis angelicæ*
Celi ſub ſcribe titulo.
Amen.

Hæc proſa conſimilem obſeruat modulationē rythmicam, ſicut de illa ſancta virgine Genouefa, prius expoſita. Genouefæ ſolennitas, ſolenne parit gaudium. Habet enim in ſingulis clauſulis ſuis octo ſyllabas: & penultimā earum breuem, vnaquæque verò clauſula: vel ad proximam vel ad eam quæ tertio conſtituitur loco, cōſonat in vocalitate & ſimili exitu. Deſcribitur in ea, dignitas & excellentia beati Marcelli Pariſiorum antiſtitis: qui tanquam noua gemma lapiſq; precioſis adaptus eſt ſpirituali ædificio ſupernæ ciuitatis. Hieruſalem. Commemorantur & pręclara miracula: quib⁹ inſigniter emicuit ſanctiſſimus Pariſiorum antiſtes Marcellus, cum adhuc ſpiraret hanc vitam mortalem, quæ etiam magnum dederunt argumentum ſanctitatis eius eximiæ: mira claritudine apud deum & homines effulgentis.

3 ¶ ANNOTATIONES. In [illegible]tio verſu. Faber & fa-

bri filius. Fabrum hic vocat author: deũ patrem omnipotentem, cæli & terræ factorem, qui vt propheta ait in pſal
Pſal. 73 mo. Fabricatus eſt auroram & ſolem. Fabri verò filiũ vocat dei filium: per quem condita ſunt vniuerſa, & quæ in cælis ſunt & quæ in terra. Tam pater autem quàm filius reſtaurat ſupernam ciuitatem Hieruſalem in melius: quoniam ſpirituali fabrica ipſam componit ex electis tãquam viuis lapidibus illi ſtructuræ ſanctæ adaptatis, quẽadmodum in hymno dedicationis eccleſiæ concinit turba fidelium, hoc modo. Vrbs beata Hieruſalem: dicta pacis viſio, quæ conſtruitur in cælis: viuis ex lapidibus. Et rurſum.
Apoc. 21 Tunſionibus, preſſuris, expoliti lapides: ſuis coaptantur locis, per manus artificis, diſponuntur permanſuri ſacris ædificiis. Sanè in Apocalypſi: ciuitas illa cæleſtis deſcribitur ex gemmis fuiſſe conſtructa, vbi gemmarum nomine intelligendi ſunt ſancti refulgentes virtute & egregia ſanctitate: quorum ſplendore tota illuſtratur eccleſia. Itaque beatus Marcellus, vt gemma precioſa & carbunculus: inſertus eſt illi opificio cæleſtis ciuitatis. Porrò carbunculus præter cæteras ſignificationes huic loco non conuenientes: interdum gemmam ſignificat, ita dictam propter colorem: quòd ſit ignitus vt carbo cuius fulgor nec nocte vincitur: adeò vt flammas ad oculos vibret. Naſcitur in Lybia apud Trogloditas. De hoc Plinius. Principatũ habent carbunculi: à ſimilitudine ignium appellati: cum ipſi non ſentiant ignes, ob id à quibuſdam apyruſte vocati.

9 ¶ In nono verſu. Dum ferrum candens ponderat. Cũ ſemel beatus Marcellus adhuc tenellam agens ætaté acceſſiſſet officinam fabrilé: coactus eſt à fabro maſſam ferri candentis manu educere, & quanti eſſet ponderis palã depromere. Quod ipſe in ſimplicitate & innocentia ſua facere non refugiens, ita attactu ſacræ manus ſuæ feruorem ac æſtum ferri temperauit, vt eius calore haudquaquam lęderetur, ſimul & nouem liberarum pondus ferro ineſſe dictitauit. Quòd libratum & appenſum in ſtatera, inuentum eſt tantum habere ponderis: quantum ſanctus ipſe antè dixerat. Itaque & caloris illius feruentiſsimi tẽperies, & librati manu ferri certum podus, vere expreſſum antequam eſſet examinatum: duplici miraculo inſignem reddiderunt tunc Marcellum.

In

11 ¶ In vndecimo verſu. Dum ſeruus Chriſti præſuli. Beatus Marcellus ſubdiaconi fungens miniſterio, cum in die epyphaniæ domini hauſta de fluuio Secanæ aqua; beato Prudentio Pariſienſi epiſcopo illam miniſtraret, ac abluendis eius manibus vndam infunderet: ipſa in vinũ cõuerſa cernitur. Quo viſo obſtupeſcens pontifex: iuſſit ex ipſo vrceolo totum quod inerat in calicem ſacrum effundi. Vnde vniuerſus populus celebrato altaris ſacrificio cõmunionem accepit, & ipſum vaſculum cum ad plebis multitudinem ſuffeciſſet, ita plenum permanſit completa omnium communione, acſi intactum & illibatum fuiſſet. Cuius etiam vini hauſtu & beneficio, poſtea multi à variis lãguoribus curati ſunt.

13 ¶ In decimotertio verſu. Nec minus eſt miraculum. Cum alio tempore beatus Marcellus ſuo fungens officio, aquam lauandis manibus eiuſdẽ venerandi antiſtitis porrexiſſet, hauſtam de flumine: mox balſamorum odor fragrantiſsimus inde cœpit ſpirare, & mutata deprehenditur aqua in ſacrum chriſma, vt crederetur ipſe pontifex magis vngere manus quàm lauare, & alias cogeretur aquas quærere, quib⁹ manus ſuas vnguento delibutas ablueret. Quo viſo venerabilis præſul nõ modica ductus admiratiõne: deo gratias de tanto miraculo egit, & quãti eſſet apud deum meriti ac precij beatus Marcellus hoc cognouit argumento, eúmq; dignum non qui ſeruiret ſed cui ab aliis ſeruitium exhiberetur, eo ſigno deprehendit.

15 ¶ In decimoquinto verſu. Vinum & chriſma præſulis. Duo (inquit) modo dicta miracula: de aqua in vinum conuerſa, & de aqua mutata in balſamum, præſagiebant ipſum ſanctum Marcellum (per quem deus illa ſigna operatus eſt) eſſe tandem prouehendum ad cathedram pontificalem, quod & demùm eſt completum: cum ad inſignis eccleſiæ Pariſienſis moderandam ſedem eſt ſubuectus. Vinum enim & chriſma potiſsimum ad epiſcopum attinent quantum ad conferendam poteſtatem illius vtendi in ſacramentorum eccleſiaſticorum adminiſtratione. Enimuero per ſolum epiſcopum conſecratur chriſma: quo inunguntur ſuſcipientes regenerationis ſacramentum baptiſmaléque lauacrum, per ſolum itidem epiſcopum ordinantur & conſecrantur ſacerdotes: qui po-

teſtatem habent ſacrandi hoſtiam & calicem continẽtem vinum aquæ commixtum.

16 ℭ In decimoſexto verſu. Gradu minor quàm meritis. Quantum ad gradum eccleſiaſticum, erat beatus Marcellus adhuc infra pontificatũ conſtitutus: cum epiſcopi elinguis & obmuteſcentis linguam laxaret, & liberum illi loquendi vſum reſtitueret. Quantum verò ad merita & bonorum operum dignitatem: ſupra antiſtites illius temporis & præſules apud deum erat conſtitutus, & ergo gradu quàm meritis inferior fuiſſe dicitur. Quomodo autem idem ad epiſcopatum ſubuectus duplicem reo tulerit opem: ſequens oſtendit verſus, ſignificãs beatum Marcellum cum ſacrificio altaris offerendo intentus vidiſſet in confertiſsima turba circunſtante & vinctum vnum aſtare: illum ſolo intuitu & à vinculis corporis quibus erat obuinctus ſoluiſſe & à vinculis etiam animæ, vtpote peccatis quibus erat alligatus.

18 ℭ In decimooctauo verſu. In ſerpente viſibili. Mulier quædam genere nobilis, ſed vitæ conditione prorſus ignobilis & obſcura, cum voluptatibus carnis, & libidinibus habenas diutius laxaſſet: fato ſublata eſt, funebrique pompa celebriter ſepulta. Paulo pòſt viſus eſt immanis ſerpens è ſylua eius tumbam aggredi: & membra ipſius infœlicia depaſcere ac deuorare. Quo ſpectaculo attoniti vicini & ſerpentis horrentes aſpectum: relictis ſedibus ſuis alio diffugerunt. Id audiens beatus Marcellus, cum populo extra ciuitatem progreſſus, & ad mulieris illius buſtum profectus: ſerpentem illum offendit ſepulchro miſeræ mulieris incumbentem. Quem oratione ad deum fuſa propulit finibus illis: interminatus eidem & comminatus dira ſupplicia, ſi vlterius tentaret illa frequentare loca. Cuius dicto audiens ipſe ſerpens protinus abiit, & nuſquam poſtea comparuit. Itaque in hac ſerpentis effugatione beatus Marcellus triumphauit de antiquo ſerpente inuiſibili, ſignificato per immanem illum & horrendum viſu ſerpentem viſibilem.

De ſancto

De ſancto Germano Antiſſiodorenſi epiſcopo: proſa.

REpræſētet eccleſia
De Germani uicto ria,
2 Per noſtra miniſteria
Chriſto regi ſolennia.
3 Relictis mundi gaudiis,
Vxore iam & prædiis.
4 Chriſtum ſolum deſiderat,
Quē cunctis præpoſuerat.
5 Armatus armis fidei,
Templum repente fit dei.
6 Votis cunctorum petitur,
Tractus præſul efficitur.
7 Ex tūc uiuebat arctius:
Nam panis hordeaceus.
8 Semel in die ſumitur,
Et aqua ſitis pellitur.
9 Prædura ueſtis contegit
Mollem carnem, & operit.
10 Cinis præbet & lectulum.
Tenet cum ſopor oculum.
11 Charitatis alis binis
Volens ſurſum, cum diuinis
12 Mente manet ſpretis ſpinis
Vitæ ſtantis in ruinis.
13 Fultus his propugnaculis,
Multis fulget miraculis.
14 AEgros ſanat oraculis.
Reddit & lumen oculis.
15 Claudos, lepram lymphaticos
Curat: & paralyticos.
16 Huic reſpondent propere
Læti potiti funere.
17 Huius uirga iam arida,
Fixa terræ ſit florida.
Creuit ramis ſublimibus,
Eius teſtis uirtutibus.
18 Hic dat defunctos uiuere.
Muro ruenti ſiſtere,
19 Mare quietem ducere,
Et flamina non furere.
20 Angliam bis perfidia
Purgauit à Pelagia.
21 Multis reddit eloquia,
Verbo frangens incendia.
22 Italiam dum peteret

Et mori ſe conſpiceret,
Petit ut corpus redeat
Vbi præſul extiterat.
23 *Tempus præſens diſparuit,*
Vita perennis claruit.
24 *Nam in cæleſti ſolio,*
Lætus potitur gaudio.
25 *Viuens mira multa fecit,*
Sed poſt mortem plus peregit.
26 *Facit, fecit tunc & modo,*
Qui mirando uixit modo.
27 *Cuius placatus precibus*
Chriſtus, peccatis omnibus.
28 *Purgatos, nos clementia*
Dignos reddat, & gratia.

Amen.

Hæc proſa eandem præ ſe fert rythmi modulationem, quam ea de ſancto Marcello, modo expoſita. Gaude ſuperna ciuitas: noua frequentans cantica. Interdum tamen in clauſulis etiam octo ſyllabarum, penultima ſyllaba præter morem cæterarum inuenitur longa, vt in vndecimo & duodecimo verſu, etiam & in viceſimoquinto. Commemoratur in eo mira conuerſatio ſancti Germani Antiſſiodorenſis epiſcopi: quam potiſsimum poſt promotionẽ in pontificatum mundo exhibuit admirabilem in contemptu terrenarum rerum, & auſteritate vitæ in victu, veſtitu & cubitu. Recenſentur & complura miracula, quæ dominus per eum adhuc ſuperſtitem operatus eſt. Quæ ſane omnia ex hiſtoria eius ſatis omnibus inuulgata, manifeſtius conſtant.

3 ¶ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Relictis mundi gaudiis. Sanctus Germanus cum totius Burgundiæ à Romanis adminiſtrationem ſuſcepiſſet & Antiſſiodorũ incoleret, ipſum prudenter & rectè moderans: à ſancto Amatore illius ciuitatis epiſcopo tonſurã accepit, & diuinum oraculum quòd illi in epiſcopatu ſuccederet. Quod & factum eſt, nam cum paulo pòſt Amator fœliter obdormiſſet in domino: à toto populo & clero Germanus in epiſcopatum poſtulatus eſt, & licet inuitus, præſul ordinatus. Qui repentè deì nutu in alterum virum conuerſus:

ſubſtantiam

ſubſtantiam ſuam pauperibus erogauit, & vxorem ſuam in ſororem commutauit, deinceps cœlibem vitam agens.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Ex tunc viuebat arctius. Traditur ſanctus Germanus per triginta annos vbi primum fuit ad ſedem pontificalem euectus ita corpus ſuum afflixiſſe: vt nunquam panem frumenti, non vinum, non oleum, etiam in cibi condimentum ſumeret. Bis tamen quotannis vinũ ſumpſiſſe ſcribitur ob feſti ſolennitatem: ſcilicet in die ſancto paſchæ & in die natiuitatis dominicæ. Panem tãtum hordeaceum in cibum ſumebat. Quotidie autem ieiunãs: nunquam niſi veſperi comedebat. Aeſtate itidem & hyeme nullam habuit veſtem: niſi cucullam & cilicium, quæ quidem veſtis niſi forte alicui dono daretur, tandiu ferebatur: donec attritione nimia ſolueretur. Lectus eius: cinere, cilicio & ſaculo ſternebatur. Nullum puluinar capiti ſuppoſuit, nunquam veſtimentum, raro calceamenta & cingulum: cubiturus detrahebat. Supra hominem certè fuit: omne quod geſsit. Talis enim extitit eius vita: vt ſi miraculis caruiſſet, incredibilis videretur, & tanta fuerũt miracula, vt niſi mira eius opera & merita præceſſiſſent: phantaſtica putarentur.

15 ¶ In decimoquinto verſu. Claudos, lepram lymphaticos. Lymphati ſiue lymphatici dicuntur furioſi, veſani, bacchabundi: qui vitium ex aqua contraxerunt: quod eſt huc illúcque diſcurrere. Plinius. Medetur inſanientibus lymphaticis. Nam creditum eſt ab antiquis: qui in fonte imaginem nymphæ vidiſſet: eum furore corripi ac agitari. Inde à lympha id eſt aqua: id ſibi nomẽ deſumpſerũt. Et lymphare, ſignificat furore vexare. Statius. It lymphante deo. Et à Virgilio lymphata dicitur regina Dido: id eſt mẽte cómota, & furioſa. Huiuſmodi igitur ægrotos & mente captos, ſuis precibus ſanauit ſanctus Germanus. Quòd ſiquis per lymphaticos hoc loco intelligi putet hydropicos: quòd etiam ex aqua morbum contraxerint, non repugno quidem ſed hæc lymphatici ſignificatio qua diceretur hydropicum deſignare: apud probatos authores nó eſt vſitata.

16 ¶ In decimoſexto verſu. Huic reſpódent propere. Cũ ad Angliã ſecũda profectione tenderet beatus Germanus, vt hęreticos ibi graſſãtes cófutaret: quidã ex diſcipulis e-

concito gradu ſequens ipſum: vt tandem conſequeretur & comitaretur eum, in via morbo correptus obiit mortẽ. Rediens autem ex Anglia Germanus adiit ſepulchrum eius: & iuſsit illud aperiri, & proprio diſcipulum ſuum nomine compellans, quidnam ageret perquiſiuit: & vtrum adhuc cum eo in vitæ huius ſtadio militare vellet. Moxq; ille reſidens cuncta ſibi dulcia, ſuauiáque eſſe reſpondit ac tranquilla, neque ſe amplius ad vitam hanc mortalem reuocari uelle. Tunc ſancto Germano annuente vt placide requieſceret, ille depoſito capite rurſũ in domino obdormiuit. Præterea cum per Auguſtuduum tranſiens, ad tumulum ſancti Caſsiani epiſcopi deueniſſet: quomodo ille ſe haberet inquiſiuit. Ille verò confeſtim ex tumulo cunctis audiẽtibus: ita reſpondit. Dulci quiete perfruor: & aduentum ſaluatoris expecto. Cui ſubiunxit Germanus. Quieſce per longum tempus in Chriſto, & pro nobis attentius intercede: vt obtinere ſacræ reſurrectionis tecũ gaudia mereamur.

19 ¶ In decimonono verſu. Mare quietem ducere. Cum in prima profectione ſanctus Germanus in Angliam cum beato Lupo Trecenſi epiſcopo nauigaret: oborta eſt grauiſsima in mari tempeſtas, quæ tamen ad preces Germani illico ſedatur, & magna tranquillitas redditur fluctibus procelliſque maris. Cum præterea in quodam vico ruſtico infirmus decumberet Germanus: contigit totum illum pagum repentino incendio conflagrare. Rogarunt illum ſui obnixe, vt inde aſportari ſeipſum ſineret: & ita ignis periculum euaderet. Ipſe verò incendio ſe medium opponit, & circunquaque omnia conſumente flamma, hoſpitium ſuum intactum ac illæſum conſeruauit, quemadmodum innuit verſus huius proſæ viceſimus primus.

20 ¶ In viceſimo verſu. Perfidia purgauit à Pelagia. Pelagius hæreſiarcha inter multa veſaniæ ſuæ delitamenta: diuinæ gratiæ adiutoriũ aſtruxit nobis nequaquã eſſe neceſſarium ad bene operandum, & aſſequendam vitã æternam, ſed liberũ noſtrum arbitrium cum vſu rationis ſufficere ad perficienda dei mandata, & ſalutem animæ comparandam: neque opus eſſe homini, dei auxilio aut ope, vt ſaluus fiat. Cuius inſaniam & impietatem ſatis elidit

illud

illud domini noſtri verbũ in euangelio ad diſcipulos ſuos quinimmò & ad nos omnes. Sine me nihil poteſtis facere. Et illud beati Pauli ad Corinthios dictum Non ſumus ſufficientes cogitare à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficiẽtia noſtra à deo. Et cum ſe plus omnibus apoſtolis laboraſſe in prædicatione euangelij dixiſſet Paulus: illico ſubiunxit. Non autem ego ſed gratia dei mecũ. Sed cur eccleſia quotidie diuinum imploraret auxilium in principio cuiuſque horarum canonicarum præmittens. Deus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuandum me feſtina, ſi dei auxilio non indigeremus? Atque hac hæreſi Pelagiana corruptam & infectam Angliam ſanctus Germanus bis annauigauit, eámque ſua prædicatione & doctrina ad ſanitatem fidei & rectitudinem perduxit: eradicato zizania quod inimicus homo ſuperſeminauerat.

Ioan.15. 1.Corin.3. 1.Cor.15. Pſal.69.

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Italiam dum peteret. Cũ beatus Germanus in Italia aliquantiſper demoraretur, & in Rauenna celebri illius ciuitate conſiſteret: prædixit ſe nequaquam in hoc ſeculo diutius permanſurum, ſed inde per mortem cito tranſiturum. Paulo pòſt febre infeſtatur, & die ſeptima poſt morbi initium in domino moritur. Eius autem corpus, ſicut à Placida regina Valentiniani imperatoris matre (quæ illũ mira veneratione colebat: & magno proſequebatur amore) petierat ad Gallias delatum eſt: & in eccleſia Antiſſiodorenſi tumulatum.

De ſancto Laurentio.

Laurenti, Dauid magni martyr, milesq; fortis. Tu imperatoris tribunal. Tu manus tortorum cruentas Spreuiſti, ſecutus deſiderabilem atque manu fortem. Qui ſolus potuit regnã ſuperare tyranni crudelis.

2 *Cuiuſque ſanctus ſanguinis prodigos fecit amor milites eius.*

3 *Dummodo illum liceat cernere diſpendio uitæ præſentis. Cæſaris tu faces contemnis, & iudicis minas derides. Carnifex ungulas & uſtor craticulam uane conſumunt.*

4 *Dolet impius urbis præfectus, uictus à piſce aſſato Chriſti cibo.* Gaudet

5 *Gaudet domini conuiua, fauo cum reſurgente Chriſto ſaturatus. O Laurenti militum Dauid inuictiſsime regis æterni. Apud illum ſeruulis ipſius deprecare ueniam ſemper. Martyr, milesq; fortis. Amen.*

¶ Hæc proſa etiam ſolutæ orationis habet compoſitionē: & beati Laurentij inuictum animum (quo impij Decij ſuperauit ignes & craticulam) præclaris extollit præconiis, demùm preces adipſum dirigens: vt famulis ſuis deū reddat aſſiduo patrocinio propitium.

1 ¶ ANNOTATIONES. Dauid magni martyr, milēſq; fortis. Dauid magnus, hoc loco Chriſtus dicitur: qui planè verus eſt Dauid, per Dauida regem Hebræorum vt figurā
Eſaie 55. & typum ſignificatus. Qui etiam in ſacris literis ſępenumero ipſius Dauid nomine inſinuatur & exprimitur, vt apud Eſaiam prophetam. Feriam vobiſcum pactum ſempiternū: miſericordias Dauid fideles, & permultis aliis in locis. Neque ab ea denominatione abhorret ipſius nominis interpretatio. Dicitur enim Dauid: quaſi manu fortis & vultu deſiderabilis. Chriſtus autem: dominus fortis eſt & po-
Pſal. 23. tens, dominus potens in prælio. Ipſe itidem ſpecioſus for-
Pſal. 44. ma eſt præ filiis hominum: & in quem deſiderant angeli
1. Pet. 1. proſpicere.

2 ¶ Cuiuſque ſanctus, ſanguinis prodigos. Sanctus amor Chriſti fecit milites eius & martyres & prodigos ſui ſanguinis. Nam pro eius amore & nomine ſanguinem ſuum fuderunt: & glorioſa morte occubuerunt. Sanè prodigus nomen adiectiuum, cum ſignificat qui ſua profuſè & largiter erogat, & à prodigo, is, ere, verbo tertiæ coniugationis deducitur: quod ſignificat conſumere & vltra modum erogare. Ambroſius. Merito ergo prodegit patrimonium: qui ab eccleſia receſſit. Ponitur autem illud nomen eleganter cum genitiuo, vt hoc in loco: quo etiam modo poſitū cre-
Mat. 16. bro legitur apud probatos authores. Horatius in odis. Animæque magnæ prodigum Paulum ſuperante Pœno: gratus inſigni referam camœna.

3 ¶ Dummodo illum liceat cernere diſpendio. Milites (inquit) Chriſti tanto tenebantur eius amore: vt non dubitauerint ſubire mortem pro confeſſione nominis eius, quo per

per præſentis vitæ iacturam & interitum peruenire poſſint ad ipſius viſionem in cælis habendam. Voluerũt enim breuis huius & momentaneæ vitæ incõmodum detrimentúmque libenter ſuſtinere, vt per illius ſucciſionẽ & extinctionem adipiſci valerent perpetuam in cæleſti regno vitam, deique contuitum. Animáſque ſuas ſecundum domini monitum perdiderunt in hoc mundo: vt in vitam æternã cuſtodirent eas.

4 ¶ Victus à piſce aſſato Chriſti cibo. Per metaphoram vocatur hic beatus Laurentius piſcis aſſatus: quòd ſuper craticulam ſubiectis prunis fuerit poſitus, more piſcis qui aſſatur. Vocatur & Chriſti cibus: alludendo illud quod ſcribitur in euangelio, dominum noſtrum poſt reſurrectionẽ ſuam comediſſe præſentibus diſcipulis partem piſcis aſſi. Et rurſum in alia aparitione diſcipuli ſubducta naui viderunt prunas in litore & piſcem ſuperpoſitum: quem cũ ipſis deinde manducauit Chriſtus. In hunc itaque modũ ſanctus Laurentius ſuo martyrio probatus: Chriſto incorporatus eſt & in ipſum tranſiit, vt ſolet cibus materialis in noſtrum corpus tranſire.

5 ¶ Fauo cum reſurgente Chriſto ſaturatus. Obtuliſſe leguntur diſcipuli domino ipſis poſt ſuam reſurrectionẽ apparenti, fauum mellis: quem coram eis in teſtimonium veræ vitæ manducauit. Nomine autem faui, non ineptè intelligitur myſticè dulcedo illa & ſuauitas gloriæ cæleſtis: qua ſatiantur ſancti in cælis. Idcirco hic ſanctus Laurenti⁹ domini conuiua dicitur: quòd in ſuperno conuiuio refectionis æternæ cum illo recumbit. Saturatur itidem fauo cum Chriſto reſurgente: quia ipſi Chriſto iam immortali vita (qualis reſurrexit) pollenti, conregnat in cælis. Laurẽtius, torrente diuinæ voluptatis potatus, & ab vbertate domus domini inebriatus.

De ſancto Laurentio, alia proſa.

PRunis datum admiremur:
Laureatum veneremur
Laudibus Laurentium.
2 *Veneremur cum tremore:*
Deprecemur cum amore
Martyrem

Martyrem egregium:
3 *Accuſatus non negauit:*
Sed pulſatus reſultauit
In tubis ductilibus.
4 Cum in pœnis uoto plenis
Exultaret: & ſonaret
In diuinis laudibus.
5 *Sicut chorda muſicorũ*
Tandem ſonum dat ſonorum
Plectri miniſterio.
6 *Sic in cheli tormentorum*
Melos Chriſti cõfeſſorum
Dedit huius tentio.
7 *Deci uide: quia fide*
Stat inuictus inter ictus:
Minas & incendia.
8 *Spes interna, uox ſuperna*
Conſolantur: & hortantur
Virum de conſtantia.
9 *Nam theſauros quos exquiris:*
Per tormenta non acquiris
Tibi: ſed Laurentio.
10 *Hos in Chriſto coacervat*
Huius pugnã Chriſtus ſeruat
Triumphantis præmio
11 *Neſcit ſancti nos obſcurum:*
Vt in pœnis quid impurum
Fide tractet dubia.
12 *Neq; cæcis lumen daret*
Si non eum radiaret
Luminis præſentia.
13 *Fidei confeßio*
Lucet in Laurentio.
Non ponit ſub modio:
Statuit in medio
Lumen coram omnibus.
14 *Iuuat dei famulum*
Crucis ſuæ baiulum,
Aſſum quaſi ferculum,
Fieri ſpectaculum
Angelis & gentibus
15 *Non abhorret prunis uolui,*
Qui de carne cupit ſolui
Et cum Chriſto uiuere.
16 *Neque timet occidentes*
Corpus: ſed non præualentes
Animam occidere.
17 *Sicut uaſa figulorum*
Probat fornax & eorum
Solidat ſubſtantiam.
18 *Sic & ignis hunc oſſatum,*

Velut

Velut teſtem ſolidatum
Reddit per conſtantiam.
19 *Nam cum uetus corrumpatur.*
Alter homo ſolidatur
Veteris incendio.
20 *Vnde nimis confortatus*
Eſt athletæ principatus,
In dei ſeruitio.
21 *Hunc ardorem factum foris*
Putat rorem uis amoris,
Et zelus iuſtitiæ.
22 *Ignis urens non comburens*
Vincit prunas, quas adunas
O miniſter impie.
23 *Parum ſapis uim ſinapis:*
Si non tangis, ſi non frangis
Et plus fragrat, quando flagrat
Thus iniectum ignibus
24 *Sic arctatus & aſſatus*
Sub ardore, ſub labore,
Dat odorem pleniorem
Martyr de uirtutibus.
25 *O Laurenti laute nimis*
Rege uicto rex ſublimis,
Regis regum fortis miles,
Qui duxiſti pœnas uiles
Certans pro iuſtitia.
26 *Qui tot mala deuiciſti*
Contemplando bona Chriſti
Fac nos malis inſultare
Fac de bonis exultare
Meritorum gratia.
Amen.

¶ Hæc proſa, rythmicæ ſonoritatis exactam ſeruat menſuram: perinde atque illa de ſancto Petro prius expoſita. Gaude Roma caput mundi. Author eius: Adam de ſancto Victore. Commendat autem beati Laurentij inuictam conſtantiam in perferendis pro Chriſti nomine tormentis: & precioſam qua conſummatus eſt mortem digne concelebrat. Cæterùm quicquid hiſtoricum hic innuitur aut efflagitatur ad præſentis literæ intelligentiam: ex vita eius ſatis inuulgata requirendum eſt, itidem & ex illo hymno elegantiſsimo Prudentij de paſsione eius cõpoſito. Antiqua phanorum parens, iam Roma Chriſto dedita: Laurentio victrix duce, ritum triumphas barbarum. Is autem hymnus, Iambicus eſt dimeter: & apud eundem authorem admodũ

diffuſus,quem inter cæteros ipſius hymnos lector ſtudioſus in operibus eius inueniet.

3 ¶ANNOTATIONES. In tertio verſu. In tubis ductilibus. Id dictum putauerim,quoniam inter inſtrumenta harmonica quibus deum eſſe laudandum propheta monet in pſalmo:nominantur tubæ ductiles,cum ait. Pſallite domino in cithara,in cithara & voce pſalmi:in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ. Et congruenter illæ nominatim hic exprimuntur,quoniam ſicut ipſæ cum vltro citróque ducuntur,trahuntur,& retrahuntur,edunt ſonum ita beatus Laurentius crebra tormentorum illatione cruciatus & exagitatus,diuinas reſonabat laudes.

5 ¶In quinto verſu. Plectri miniſterio. Plectrum,inſtrumentum eſt citharœdi:quo fides & chordę citharæ plectuntur atque percutiuntur. Martialis. Feruida ne trito tibi pollice puſtula ſurgat: Exornent docilem garrula plectra lyram. A Latinis autem dicitur interdum pecten. Virgilius. Iam pectine pulſat eburno. Chelys autem græcum nomen tertiæ declinationis lyram citharáq; ſignificat, facit accuſatiuum chelym & ablatiuum chely. Itaque huius verſus & proxime ſequentis eſt ſententia,ꝙ ſicut chordæ in cythara extentæ & plectro percuſſæ:ſonoræ ſunt, ſuauémque reddunt harmoniam:ita beatus Laurentius in tormẽtorũ acerbitate conſtitutus:diuinæ laudis concinuit melodiam.

11 ¶In vndecimo verſu. Neſcit ſancti nox obſcurum. Hæc verba conſonant reſponſo beati Laurentij ad crudelem Decium,comminantem quod tota nox futura expenderetur in ſuppliciis illi infligendis. Mea (inquit) nox obſcurum non habet:ſed omnia in luce clareſcunt. Similiter quod in ſequente dicitur verſu,neque cæcis lumen daret: ſumptũ eſt ex illo præconio quod de ipſo decantatur. Laurentius bonũ op⁹ operat⁹ eſt : qui per ſignum crucis cæcos illuminauit. Denique in decimotertio verſu alludit author ad ea verba domini in euangelio. Nemo accendit lucernã & ponit eam ſub modio,ſed ſuper candelabrũ: vt luceat omnibus qui in domo ſunt. 14 ¶In decimoquarto verſu. Iuuat dei famulũ. Verbũ,iuuat,hic imperſonale eſt : idẽ ſignans quod delectat,quomodo & apud Virgilium ponitur vbi ait. Sic,ſic iuuat ire ſub vmbras. Et habet hoc loco accuſatiuũ poſt ſe,cõſequente infinitiuo fieri. Baiulum autẽ

ſuæ

ſtæ crucis vocat beatum Laurentiũ :quod tribulationes & perſecutiones huius mundi noĩe crucis ſignatas perferret. Sic enim & dominus in euangelio ait. Si quis vult poſt me venire:abneget ſemetipſum,& tollat crucẽ ſuã quotidie & ſequatur me. Spectaculũ verò eũ factũ angelis & hominibus hic dicit:innitens illis verbis b. Pauli ad Corinth, Spectaculũ facti ſum⁹ angelis,deo,& hominib⁹. Nõ ſolũ enim homines.ſed & angeli de cęlo ſpectabãt egregiũ beati Laurentij certamẽ cõtra tyrãnos. Ita in ſequente verſu alludit author ad illa verba beati Pauli in epiſt. ad Philip. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. In decimoſexto verò verſu:ad hæc verba domini in euangelio. Nolite timere eos qui occidunt corpus:animã autẽ non poſſunt occidere, ſed potius timete eum:qui poteſt & animã & corp⁹ perdere in gehennam.

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. Sicut vaſa figulorũ Sumpta eſt hæc ſententia ex eccleſiaſtico dicente: Vaſa figuli probat fornax:& homines iuſtos tentatio tribulationis. Et de ſanctis martyribus dicit in libro Sapientiæ Salomon, quòd in paucis vexati, in multis bene diſponentur: quoniam deus tentauit eos & inuenit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probauit illos:& quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos.

19 ¶ In decimonono verſu. Nam cum vetus corrumpatur. Vetus homo hic intelligitur homo exterior:ex corpore membriſque materialibus conſtans, qui in beato Laurẽtio corruptus eſt:per afflictionem & temporariam mortẽ. Alter autem homo, eſt homo interior:animam & internas eius virtutes tum natiuas tum acquiſititias concernens. Et hic in beato Laurentio ſolidatus eſt:per conſtantiã in paſſione & firmam ſpem immarceſſibilis gloriæ. Reſpondet autem hic verſus illis verbis beati Pauli ad Corinthios. Sed licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur : tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem.

23 ¶ In viceſimotertio verſu. Parũ ſapis vim ſinapis. Hãc ſententiam præclarè exprimit beatus Gregorius in prologo ſuorum moralium in librum Iob. Sicut (inquit) vnguenta niſi commota, redolere latius neſciunt, & ſicut aromata fragrantiam ſuam non niſi cum incenduntur expandunt, ita ſancti viri omne quod in virtutibus redolent: in tribulationibus innoteſcunt. Vnde & rectè in euangelio dicitur.

13 *Huius coronatio,*
Coronæ ſuſceptio.
Cuius feſtum agimus.
14 *Debito cum gaudio,*
Et anniuerſario
Honore recolimus.
15 *Theſauro tam nobili,*
Tam deſiderabili,
Dies es effecta
16 *Terra carens ſimili,*
Carens comparabili,
Deo prædilecta.
17 *Tria priuilegia*
Regna tibi alia
Subdunt in honore
18 *Fides & militia,*
Vnctioq; regia:
Quarum flores flore,
19 *Tibi ô urbs incly-*
ta
Omni laude prædita
Mater ſtudiorum,
10 *Eſt corona credita,*
Et in te repoſita,
Vrbs Pariſiorum,
21 *In dei præconium*
Totum confer ſtudium,
Totum cor appone,
22 *Quæ Chriſti palla-*
dium:
Et ſacræ ſacrarium
Facta es coronæ.
23 *Ieſu pie, Ieſu bone,*
Noſtro nobis in agone
Largire uictoriam.
24 *Mores noſtros ſic cō-*
pone
Vt perpetuæ coronæ
Mereamur gloriam.
Amen.

¶ Hæc proſa rythmicam habet modulationem: in numero clauſularum eiuſdem verſus vniformem in numero verò ſyllabarum eiuſdem clauſulæ & quantitate ſyllabarum difformem. Siquidem quiſque verſuum totius proſæ: trea complectitur clauſulas, quarum duæ primæ in aliquib' verſibus octo continent ſyllabas & penultimam longam, tertia verò ſeptem ſyllabas & penultimam breuem. In aliis verò vnaquæque trium clauſularum ſeptem habet ſyllabas, & penultimā breuem. Demùm in aliis duæ primæ clauſulæ: ſeptem ſunt ſyllabarum, & penultima earum eſt breuis. Tertia verò ſex tantum continet ſyllabas & penultimā longam: vt ipſa lectio proſæ ſatis ſupérque oſtendit. Commemorantur in ea laudes & præconia ſacrę coronę ſpineę qua dominus noſter Ieſus Chriſtus in amariſſima ſua paſſione eſt coronatus, vt immortali nos corona cæleſtis glo-

riæ decoraret. Cõmendatur etiam claris titulis in hac proſa, ipſa Franciæ regio & præſertim florentiſſima vrbs Pariſiorum in qua reconditus eſt & repoſitus tantus coronæ ſpineæ domini theſaurus..

4 ¶ ANNOTATIONES. In quarto verſu. In hac galea pugnauit. Metaphoricè vocat hic author coronam ſpineam, galeam domini, quoniam vt galea & caſſide tegitur caput cum pugna in hoſtem geritur: haud aliter caput ſuũ habuit dominus noſter Ieſus Chriſtus corona ſpinea obtectum, ad debellandum hoſtem antiquum in agone & certamine ſuæ paſſionis: quem deuicit & proſtrauit cum penderet in ſtipite & ligno crucis. Tunc enim princeps mundi huius eiectus eſt foras: & ſuperueniens fortior, omnia arma fortis armati cuſtodientis atrium ſuũ abſtulit & ſpolia eius diſtribuit, ipſũmque alligauit fortem & diuinæ ſuę virtutis conſtrinxit catenis.

Ioan. 12 *Luc.* 11 *Mat.* 11.

5 ¶ In quinto verſu. Triumphantis laurea, Quòd corona ſpinea fuerit Chriſti pugnantis galea, vt dicit prima huius verſus clauſula: iam in præcedente verſu & eius annotatione patefactum eſt. Quòd vero triumphantis ſit laurea, vt dicit ſecundo loco hic verſus per metaphoricam locutionem: hinc liquet. Nam laurea etſi interdum pro lauro arbore ſumatur: vt apud Virgilium. Formoſæ myrthus Veneri: ſua laurea Phœbo. Et apud Horatium dicentem. Tum ſpiſſa ramis laurea feruidis, ſæpenumero tamen ſumitur etiam pro corona ex lauro facta: quæ in triumphis adhibebatur. Potiti enim victoria & triumphantes: caput laurea habebant ornatum. Ita & dominus noſter principis tenebrarum & mortis triumphator: ſerto ſpineo ſacrũ ſuũ caput habuit circundatum, tanquam inſignę eſſet victoriæ vt laurea. Demùm eadem corona ſpinea dicitur tiara pontificis. Nam tiara (vt tradunt authores) prius ornamentum erat capitis Perſicarum mulierum: quo poſtea vſi ſunt reges & ſacerdotes, vt apud Iuuenalem. Et phrygia veſtitur bucca tiara. Fuit itaque deinceps tiara ornamentum capitis ipſorum pontificum: quod nonnulli galerum, alij vulgo mitram appellant. Chriſtus autem pontifex eſt noſter
Pſal. 109. & ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſech, qui ſeipſum obtulit in ara crucis deo patri pro nobis in odorẽ ſuauitatis. Iure igitur per aptam quandam metaphoram: ipſa

ipſa corona ſpinea capiti eius ſuperpoſita(vt & tiara capiti pontificis ſolet imponi)tiara pontificis hic etiam nuncupatur. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Spinarũ aculeos. Virtus paſſionis Chriſti aculeos ſpinarum fecit aureos : non quidem per mutationem vnius ſubſtantiæ in alteram , vt ſpinarum in aurum, ſed per modum meriti & efficaciæ conſequendi auream coronam pro ſpinea. Sibi enim ipſe promeruit Chriſtus exaltationem ſui nominis, & aureæ coronæ honorem in cælis per humilitatem ſuæ paſſionis, & coronæ ſpineæ perpeſſionem. Quemadmodum ſcribit apoſtolus ad Hebræos. Eum(inquit)qui modico quàm angeli minorat' eſt: videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum, vt gratia dei pro omnibus guſtaret mortem. Nobis itidem acerbitate coronæ ſpineæ quam tolerauit: coronam auream in cælis promeruit, qua demùm glorificati coronemur. Spineam enim coronam ipſe pertulit : vt nos auream aſſequeremur in regno cælorum.

9 ¶ In nono verſu. De malis colligitur. Quoniam pro peccato primorum parentum terra illi fuit maledictioni obnoxia, quòd proferret tribulos & ſpinas: idcirco nonnunquam in ſcriptura ſpinæ pro peccatis ſumuntur, quoniam ipſa ſpinarum more pungunt & cruẽtant animam, ſuiſque aculeis ſauciam reddunt. In cuius rei argumentum, peccatores in ſacris literis plærunque ſpinis comparantur : ob ſterilitatem & intractabilitatem tradendis in combuſtionem: vt in ſecundo libro Regum ſcriptum eſt. Præuaricatores autem quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi: quæ non tolluntur manibus. Et ſiquis tangere voluerit eas , armabitur ferro & ligno lanceato : igneque ſuccenſæ comburentur vſque ad nihilum. Itaque prauorum coadunatio & conuẽticulum, in ſenſu tropologico & allegorico ſpinea eſt corona: ex ſingulis peccatoribus vt aculeatis ſpinis collecta, quibus ſacrum domini caput premitur & grauiter cruciatur. Cum autẽ huiuſmodi mali homines conuertuntur per pœnitentiam in meliorem vitæ conditionem , abdicata priore malitia: tunc ſpinæ myſticè conuertuntur in aurum & corona ſpinea in auream commutatur , praui ſcilicet in bonos, quibus in coronæ modum compoſitis ipſe Chriſtus tanquam aurea corona decoratur, & tanquam fuluo adornatur diademate. Et hæc tam ſpineæ quàm

aureæ coronæ ratio, in hoc verſu & ſequente aſſignata, ſolum myſtica eſt & ſpiritualis.

13 ¶ In decimotertio verſu. Huius coronatio, coronæ ſuſceptio. Quia in ſuperiore verſu dixit author, Franciam corona domini ſpinea etiam coronari, qualis ſit illa coronatio deinde explicat, perhibens illam coronationem eſſe ſuſceptionem coronæ ſpineæ cum debita veneratione & honore, quam ſanctus Ludouicus rex Francorum à Balduino imperatore Conſtantinopolitano magnis laboribus & impẽſis accepit, atque in Franciam aduehi curauit, cum aliis inſuper dominicę paſſionis inſignibus, ſacriſque monumentis. Siquidem illa ſuſceptione coronæ, tanquam precioſo quodam monili & theſauro adornatur Frãcia, & diademate quodam inſigni decoratur. Cuius anniuerſariũ annuúmque feſtũ, inſignis eccleſia Pariſienſis in craſtino ſancti Laurentij quotannis ſolenniter celebrat. Eſt enim anniuerſum adiectiuum nomen vt hoc in loco: quod ſingulis annis, ſtatutis temporibus reuertitur, quódque ſingulis vertentibus annis fieri ſolet, vt ſacra & feſta anniuerſaria, ſiue annua.

18 ¶ In decimooctauo verſu. Fides & militia: vnctióque regia. Hic tria enumerantur priuilegia: quibus nobile regnũ Franciæ aliis regnis præſtat ac præcellit vt præcedens verſus meminit. Primùm eſt fides catholica firma & ſoluta quam poſtquam Francia primum ſuſcepit generatim tam in rege quàm populo: ſub Clodoueo rege Francorum baptizato à ſancto Remigio antiſtite Remorum, hortatu Clotildis reginæ & vxoris ſuæ: nunquam ab illa defecit aut declinauit ad errores, ſed integerrimam ipſam & illabefactã ſeruauit. Secundum: militia, & ſtrenuitas in bello, cuiꝰ gloria Frãci plurimũ valuerũt. Vt enim omittamꝰ quãto terrori olĩ fuerint Romanis Galli: poſtquã Chriſtianæ fidei colla ſubmiſerũt ſæpiꝰ ſacrã ſubiere militiã cõtra hoſtes fidei ſub Carolo Marcello Carolo Magno, Godefrido Bolionio Ludouico Iuniore, Philippo Auguſto, ſancto Ludouico, & aliis regibus, qui ſacrum bellum cauſa tutandæ fidei in crucis Chriſti inimicos impigrè ſuſceperũt. Tertiũ priuilegiũ quo regnũ Frãcię cętera antecedit regna, eſt vnctio regia, qua rex nouus cum regni illius ſceptra ſuſcipit moderãda apud Remos antiquam Gallorum ciuitatẽ inungitur more

regum

regum veteris teſtamenti. Feruntque ampullã oleo plenã cælo fuiſſe delatam beato Remigio: cum Clodoueum primum Francorum regem Chriſtianus ſalutari lauacro baptiſmi ablueret, quæ deinceps in vſum inungendorum regum Francorum, cum regni auſpicãtur moderationem: eſt aſſeruata.

20 ¶ In viceſimo verſu. Vrbs Pariſiorum. Hęc: Lutetia Pariſiorum à Cęſare in commentariis nominatur nunc autem Lutetiæ nomen: in Pariſium eſt commutatum, & eadẽ vrbs nunc Pariſius, aut numero multitudinis Pariſij vocatur, inclyta ſanè & percelebris: cum ob amplitudinẽ eius ſpacioſam, populique frequentiam admodum copioſam: tum ob bonarum literarum ſtudia ibidem florentiſſima, ob quæ, & antiqua ſtudiorum parens, & omnium bonarum diſciplinarum dicitur emporium atque receptaculum. Præter quæ, & id habet inſigne priuilegium vrbs illa præclara: quòd ſacram domini coronam ſpineam apud ſe conſeruat, repoſitã in ſacro & regali palacio: quod beatus Ludouicus Francorum rex pientiſſimus ibidem extruxit.

22 ¶ In viceſimoſecundo verſu. Quæ Chriſti palladium. Apud antiquos palladium dicebatur Palladis ſiue Mineruæ ſimulachrum, à Troianis magna diligentia cuſtoditum, quòd oraculum acceperant quandiu apud Troianos illud eſſet, incolumem fore Troiã, & ab hoſtibus ipſam capi non poſſe. Aſtu tamen & fraude Vlyſſis, illud ſublatum fuiſſe traditur: & demùm Troia intercepta. Hic autem per metaphoram palladium dicitur repoſitorium rei ſacræ, & prõptuarium: quo res aliqua ſacrata reconditur. Quoniã igitur præclara vrbs Pariſienſis conditorium eſt ipſius ſacræ coronæ domini: ipſa & Chriſti palladium dicitur & ipſius ſanctæ coronæ ſacrarium hoc in loco denominatur.

In aſſumptione glorioſæ virginis Mariæ.

Congaudent angelorum chori glorioſæ uirgini.

1 *Quæ ſine uirili commixtione genuit, Filium, qui ſuo mundum cruore medicat. Nam ipſa læta-*

tur, quod cæli iam conſpicatur principem. In terris cui quondam ſugendas uirgo mamillas præbuit. Quàm celebris angelis: Maria Ieſu mater creditur. Qui filij illius debitos ſe cognoſcunt famulos. Qua gloria in cælis iſta uirgo colitur. quæ domino cœli præbuit hoſpitium ſui ſanctiſſimi corporis. Quàm ſplendida polo ſtella maris rutilat, quæ omnium lumen aſtrorum & hominum atque ſpirituum genuit. Te cæli regina hæc plebecula piis concelebrat mentibus.

2 *Te cantu melodo ſuper æthera unà cum angelis eleuat. Te libri uirgo concinunt prophetarum, chorus iubilat ſacerdotum: apoſtoli, Chriſtique martyres prædicant.*

3 *Te plebis ſexus ſequitur utriuſque uitam diligens uirginalem cœlicolas in caſtimonia æmulans. Eccleſia uero cuncta te cordibus, teq; carminibus celebrat. Tibi ſuam manifeſtat deuotionem: precatu ſupplici te implorans Maria. Vt ſibi auxilium circa Chriſtum dominum eſſe digneris per æuum. Amen.*

¶ Hæc proſa liberiorem habet orationis ſolutæ contextũ & præclaram ſacratiſſimæ virginis Mariæ in cælis gloriam multipliciter deſcribit, quam in glorioſa ſua aſſumptione eſt adepta. Demùm totius fidelis populi ad ipſam vota preceſque pias complectitur: petentis cótinuum ipſius apud filium ſuum patronatum.

1 ¶ ANNOTATIONES. Qui ſuo mundũ cruore medicat. Medico as, are, actiuum: & medicor, aris, deponens verbum, idem ſignificant quod mederi ſiue medicinam adhibere. Virgilius in Georgicis. Semina vidi equidem multos medicare ſerentes. Vbi medicare actiuum verbum cũ accuſatiuo ponitur, ſicut & hoc in loco, Veruntamen medicor deponens frequentius in vſu verſatur authorum. Et modo cum datiuo ponitur. Virgilius. Senibus medicantur anhelis. Modo cum accuſatiuo. Idem in Aeneide. Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum eualuit.

¶ Te

2 ¶ Te cantu melodo ſuper æthera. Melodus, a, um, hic adiectiuum eſt: à nomine melos ſiue melodia deductum, & ſignificat idem quod harmonicus ſiue ſuauis. Vt Auguſtinus in libro meditationum: melodam orationem vocat harmonicum concentū. Sed & iſtud in hymno ſancti Michaelis prius expoſito, declaratum eſt. Dicitur autem in hoc verſu plebs Chriſtiana eleuare ſuper æthera beatam virginem: quia eam aſſumptam in cælum cōcelebrat & laudibus proſequitur, illam eleuationem ſuper æthera debito honore venerans.

3 ¶ Te plebis ſexus ſequitur vtriuſque. Accommodatior videretur oratio: ſi ita legeretur. Te plebs ſexus ſequitur vtriuſque, vt ſexus, genitiui eſſet caſus & ſubſtantiuum nominis vtriuſque. Nunc autem vt iacet in litera ita conſtituitur oratio: vt ſexus nominatiui ſit caſus, & genitiuus plebis ſubſtantiuum ſupra dicti adiectiui hoc modo. Sexus, vtriuſque plebis, maſculinæ ſcilicet & fœmininæ: ſequitur te caſtiſſimam virginem. Nomine autem plebis, vniuerſus hic populus ſumitur: nobilis & ignobilis, patritius & vulgaris. cum tamen apud authores propriè plebs dicatur vulgus ſiue vilior pars populi. Inde plebecula diminutiuum. Porrò ſequitur ipſa plebs catholica beatam virginem non greſſu pedum: ſed imitatione morum & obſeruatione caſtitatis, quæ reddit homines cæleſtium ciuium propemodum æmulos. Nam vt ait dominus in euangelio ad Saduceos. In reſurrectione neque nubent neque nubentur: ſed erūt ſicut angeli dei in cælo. Et Hieronymus in ſermone de aſſumptione beatæ virginis. Et bene angelus ad virginē mittitur. quia ſemper eſt angelis cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem viuere: non terrena vita eſt ſed cæleſtis. Vnde in carne angelicam gratiam acquirere: maioris eſt meriti quàm habere. Eſſe enim angelum: fœlicitatis eſt, eſſe verò virginem: virtutis, dum hoc obtinere viribus nititur cum gratia: quod habet angelus ex natura. Vtrumque tamen, & eſſe virginem & angelum: diuini muneris eſt officium, non humanum. Hæc Hieronymus. Mat. 22.

In aſſumptione beatæ virginis, alia proſa.

Salue mater ſaluatoris
Vas electũ, uas honoris
Vas cæleſtis gratiæ.
2 *Ab æterno uas prouiſũ*
Vas inſigne, uas exciſum,
Manu ſapientiæ.
3 *Salue uerbi ſacra parẽs*
Flos de ſpinis, ſpina carens.
Flos ſpineti gloria.
4 *Nos ſpinetum nos peccati*
Spina ſumus cruentati.
Sed tu ſpinæ neſcia.
5 *Porta clauſa, fons hortorum*
Cella cuſtos unguentorum
Cella pigmentaria.
6 *Cinnamomi calamum*
Myrrham, thus & balſamum
Superas fragrantia.
7 *Salue decus uirginum,*
Mediatrix hominum,
Salutis puerpera.
8 *Myrtus temperantiæ,*
Roſa patientiæ,
Nardus odorifera,
9 *Tu conuallis humilis*
Terra non arabilis,
Quæ fructum parturiit,
10 *Flos campi conuallium*
Singulare lilium
Chriſtus, ex te prodiit.
11 *Tu cæleſtis paradiſus*
Libanuſque non inciſus,
Vaporans dulcedinem.
12 *Tu candoris & decoris,*
Tu dulcoris & odoris
Habes plenitudinem.
13 *Tu thronus es Salomonis,*
Cui nullus par in thronis
Arte uel materia.
14 *Ebur, candens caſtitatis*
Aurum fuluum charitatis
Præſignant myſteria.
15 *Palmam præfers ſingularem*
Nec in terris habes parem
Nec in cæli curia.
16 *Laus humani generis,*
Virtutum præ cæteris
Habens priuilegia.

17 Sol luna lucidior,
Et luna ſyderibus.
Sic Maria dignior,
Creaturis omnibus.
18 Lux eclypſim neſciens,
Virginis eſt caſtitas.
Ardor indeficiens,
Immortalis charitas.
19 Salue mater pietatis,
Et totius trinitatis
Nobile triclinium.
20 Verbi tamẽ incarnati
Speciale maieſtati
Præparans hoſpitium.
21 O Maria ſtella maris.
Dignitate ſingularis.
Super omnes ordinaris
Ordines cæleſtium.
22 In ſupremo ſita poli,
Nos aßigna tuæ proli.
Ne terrores ſiue doli
Nos ſupplantent hoſtium.
23 In procinctu cõſtituti
Te tuente ſimus tuti.
Peruicacis & uerſuti
Tuæ cedat uis uirtuti.
Dolus, prouidentiæ.
24 Ieſu uerbũ ſummi patris,
Serua ſeruos tuæ matris.
Solue reos, ſalua gratis.
Et nos tuæ claritatis
Configura gloriæ.
Amen.

Hæc proſa rythmicam ſeruat menſuram & formam: vt illa de ſancto Laurentio paulo antè poſita. Prunis datũ admiremur. Author eius: Adam de ſancto Victore. Cõmendat autem beatam virginem Mariam præclaris laudibus, inſignes illius virtutes exprimens diuerſis naturaliũ ſimilitudinibus: vt aromatum, florum, fruticum & arborũ odoriferarum, quæ ex diuerſis ſacrarum literarum locis ſunt deſumptæ. Eximiam itidem illius ſublimitatem qua filij dei thronus & habitaculum facta eſt: aptis rerum materialium formis eloquitur, & demùm arduã illius in gloria cæleſti celſitudinem ſuper omnes ſanctorum ordines prædicat. Et certè inter cæteras de beata virgine proſas: hæc maxime ſingularis eſt, & ſuauiſsime contexta.

3 ¶ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Flos de ſpinis, ſpina carens. Cum dominus malediceret terræ propter præuaricationem primorum parentum: legitur dixiſſe ad Adam. Maledicta terra in opere tuo. In laborib' comedes ex ea: cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos ger- Gene. 3

germinabit tibi: & comedes herbas terræ. Quocirca nomine ſpinarum: humana propago maledicto obnoxia & peccatis obſtricta: hic non abſurde accipitur. Sauciat enim & lacerat peccatum animã: ſicut ſpina pũgit & cruẽtat corpus. Quoniam igitur beata virgo ex progeniorib⁹ peccato & maledictioni primorum parentum ſubiectis eſt exorta, immunis tamen peccati & maledictiõis: rectè hic dicitur, flos de ſpinis, ſpina carens. Hinc eidem illud ex Canticis aptè aſcribitur. Sicut lilium inter ſpinas: ſic amica mea inter filias. Eadem quoque ſententia pulchre exprimitur in primo verſu alterius proſæ de ſolennitate aſſumptionis glorioſæ virginis, oratione ſoluta compoſitæ: cuius initium eſt. A rea virga primæ matris Euæ: florens roſa proceſsit Maria. Quæ quoniam ſatis facilis eſt intellectu nec intricatas habet ſententias: hic conſultò præmiſſa eſt.

Can.2 5 ¶ In quinto verſu. Cella pigmentaria. Pigmentum dicitur confectio ex diuerſis ſpeciebus aromaticis, ſuauis & odorifera. Hieronymus. Denique & ij quibus intellectus herbarum eſt pigmentorúmque peritia: ferunt quædam eſſe pigmenta, quorum ſi odorem ceperint nonnulla animalia: continuo intereunt, alia verò eodem odore recreãtur vitámque recipiunt. Vnde & quoduis vnguentorũ: nomine pigmenti ſignificatur, hic verò aromata, pigmenta, vnguenta & cætera id genus: ſpiritualiter accipiuntur pro virtutibus animi ſuum odorem late diſpergentibus, ſicut in Cãticis legimus. Meliora ſunt vbera tua vino: fragrantia vnguentis optimis. Et rurſum. Curremus in odore vnguentorum tuorum.

Can.1 8 ¶ In octo verſu. Myrtus temperantiæ. Myrrhus, arbor eſt baccas ſaporis præcipui producens: ex quibus vinum fit quòd myrtidanum dicitur. Nardus item frutex eſt gratiſsimi odoris: vt oſtendit illud dictum in Canticis. Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Verùm his arborum nominibus diuerſæ virginis glorioſæ virtutes inſinuantur. Sicut & in illo Eccleſiaſtici loco: qui eidem virgini adaptatur. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano: & quaſi cypreſſus in mõte Sion, quaſi palma exaltata ſum in Cades: & quaſi plantatio roſæ in Hierico, diuerſis arborum & fruticum appellationibus, multiformitas

Càn.1 Eccl.24

tiformitas virtutum illius exprimitur.

10 ❡ In decimo verſu. Flos campi conuallium. Flos ille campi: eſt Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui de ſeipſo dicit in Canticis. Ego flos campi & liliũ conuallium. Is autem ex virgine prodiit tanquam terra non arabili: quemadmodum præcedens habet verſus. quoniam ſicut id ſupra naturam eſt quòd terra non ſulcata aratro & nullo ſuſcepto ſemine proferat fructum, ita & id: quòd virgo incognita viro, pariat filium. At verò in ſequente verſu cũ beata virgo dicitur cæleſtis paradiſus: nomẽ paradiſi pro horto voluptatis ſumitur, omnigenis arboribus & floribus conſito. Ipſa autem ſacrata virgo: hortus concluſus in Cãticis nuncupatur. Cum verò eadem hic dicitur libanus nõ inciſus: libanus non pro monte (vt ſæpe alias) ſed pro arbore ſumitur thus producente, & pro illo ſignificato tam maſculini quàm fœmini generis eſt. Illa autem beatæ virginis nuncupatio: ſumpta eſt, ex Eccleſiaſtico dicente. Quaſi libanus non inciſus: vaporaui habitationem meã. Can. 2 Can. 4 Eccl. 24

13 ❡ In decimotertio verſu. Tu thronus es Salomonis. Tertius liber Regum perhibet inter cætera ædificia magnifice à Salomone extructa: quòd fecit etiam thronũ de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis: qui habebat ſex gradus. Non eſt (inquit) factum tale opus in vniuerſis regnis. Cæterũ beata virgo Maria, veri Salomonis ſcilicet Chriſti thronus eſt ſpiritualis, viuus & animatus: in quo ipſe rex regum ſedere & acquieſcere dignatus eſt. Hic autem thronus myſticus, ex ebore candido virginalis puritatis, & auro fuluo feruidæ charitatis eſt compoſitus, ſuntque in eo multi gradus virtutum: quibus in deũ tendit. At verò in hoc admirabili throno tantus eſt gratiarum & virtutũ ornatus, tantus ſanctitatis ſplendor & decor honeſtatis, vt in toto ſanctorum numero nunquã fuerit conſimilis efformatus thronus. 3. Reg. 10

19 ❡ In decimonono verſu. Et totius trinitatis nobile triclinium. Quod Græcè triclinium dicitur: Latinè diſcubitorium dici poteſt ſiue cœnaculũ. Eſt enim locus in quo diſcũbebant & cœnabãt olim cõuiuæ, ita nominatus à tripliti lectorũ ordine, quibus inſidentes antiqui menſis accũbere ſunt ſoliti. Quintilianus de Simonide poeta. Vix eo limen egreſſo: triclinium illud ſupra conuiuas corruit. At

verò

verò ſacratiſsima virgo Maria, ſpirituale eſt tricliniū, non hominis ſed dei, non vnius tantum perſonę diuinæ: ſed totius trinitatis reclinatorium. Siquidem ſibi inuicem immanent ipſæ diuinæ perſonæ inſeparabiliter: neque vnquam diuellitur filius à patre & ſpiritu ſancto. Quare & ante ſuſceptam in ſacra virgine noſtræ carnis ſubſtantiā: & poſt illam ſuſceptionem, cum filius dei in ea ſibi elegit habitaculum, affuit & pater & ſpiritus ſanctus ipſam pariter inhabitans. Siquidem in euangelio dicit dominus noſter. Si quis diligit me: ſermonem meum ſeruabit, &
Ioan.14 pater meus diliget eum: & ad eum veniemus & manſionē apud eum faciemus. Sed quis obſecro feruentius deum dilexit, aut magis anxie ſermones eius ſeruauit quàm hæc beata virgo? Manſionem igitur apud eum fecerunt pater & filius. Rurſum Corinthiis in Chriſtum credentibus ſcri
2. Corin. 3 bit Paulus. Neſcitis quia templum dei eſtis: & ſpiritus dei habitat in vobis? Cur igitur ante peractum dominicæ incarnationis myſterium etiam in ea non habitauit ſpiritus ſanctus: quæ plena gratia tum fuiſſe prædicatur? Quare conſequēs eſt & totam trinitate ſacrum ipſius ſanctiſsimæ virginis triclinium inhabitaſſe. Atqui ſolus dei filius in ea noſtrę ſubſtantiæ formam accepit: & in huiuſmodi diſpenſatione carnis neque pater neq; ſpiritus ſanctus illi quantum ad ſuſceptionem communicauit. Rectè igitur hic dicitur ipſa ſuperbeata virgo præparaſſe ſpeciale hoſpitiū maieſtati filij dei: in quo ſcilicet & ex quo noſtram carnē aſſumeret.

In aſſumptione beatæ Mariæ virginis: alia proſa.

1 *O Maria ſtella maris,*
Pietate ſingularis
Pietatis oculo
2 *Nos digneris intueri.*
Nec cuncteris miſereri
Naufraganti ſeculo.
3 *In hac ualle lachrymarum,*
Nihil dulce, nihil clarum,
Suſpecta ſunt omnia.
4 *Quid hic nobis erit tutum?*

tum?
Cum nec ipſa uel uirtutum
Tuta ſit uictoria.
5 *Caro nobis aduerſatur.*
Mundus carni ſuffragatur,
In noſtram perniciem.
6 *Hoſtis inſtat nos infe-*
ſtans,
Nunc ſe palam manifeſtās,
Nunc occultans rabiem.
7 *Et peccamus & puni-*
mur,
Et diuerſis irretimur
Laqueis uenantium.
8 *O Maria mater dei,*
Tu poſt deum ſumma ſpei,
Tu dulce refugium.
9 *Tot & tantis irretiti,*
Non ualeamus his reniti
Nec ui nec induſtria.
10 *Conſolatrix miſero-*
rum,
Suſcitatrix mortuorum,
Mortis rumpe retia.
11 *Intendentes tuæ laudi*
Nos attende nos exaudi,
Nos à morte libera.
12 *Quæ poſt Chriſtum*
prima ſedes,
Inter Chriſti cohæredes
Chriſto nos annumera.
13 *Ieſu mitis & benigne,*
Cuius nomen eſt inſigne,
Dulce,ſalutiferum.
14 *Munus nobis da ſalutis*
In defectu conſtitutis,
Plenitudo munerum.
15 *Pater,fili,conſolator.*
Vnus deus,unus dator
Multiformis gratiæ.
16 *Solo nutu pietatis*
Fac nos ſimplæ trinitatis
Poſt ſpem frui ſpecie.
Amen.

Hæc proſa modulatione rythmica decurrit prorſus vniformi. In ſingulis enim verſibus tres complectitur clauſulas: quarum duæ primæ continent ſingulæ octo ſyllabas & penultimam earum longam: adinuicémque reſponſum in ſimili conſonantia terminali. Tertia verò cuiuſque verſus clauſula ſeptem continet ſyllabas & penultimam earum breuem: refertúrque quantum ad conſimilem vocalitatem ad proximū verſum & vltimā eius clauſulam. Commemorantur in ea, varia præſentis vitæ pericula & diſcrimina: quæ nobis ſunt obſtaculo ad ſalutem conſequendam, & difficultatem ingerunt nobis, ne expediti perueniamus ad metam beatitudinis æternæ. Dirigi-

turque

tur, vt per Exechielem perhibet dominus deus. Huiuſmodi autem mortuos ſacra reſuſcitat virgo Maria, quia illis gratiam impetrat fructuoſæ conuerſionis & pœnitentiæ, qua reſuſcitentur ad vitã gratiæ. Et ita rũ pit retia mortis, hoc eſt vincula peccatorum quibus anima tanquã catenis conſtringitur & funibus colligatur, quæ tandem niſi dirumpantur: perpetuam deducũt mortem, interitúmque ſempiternum. Vt enim ait Salomon, funibus peccatorum ſuorum conſtringitur peccator. Et Dauid gemebundus cõqueritur apud dominum. Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Hæc autem dirumpuntur, cum peccatorum impetratur venia & reatus omnis diſſoluitur, & rurſum conſtituitur homo in libertate filiorum dei. *Prouer. 5* *Pſal. 118*

14 ¶ In decimoquarto verſu. In defectu conſtitutis: plenitudo munerum. Ipſe dominus noſter Ieſus Chriſtus, plenitudo munerum hic dicitur, quoniam in eo eſt ſuperfluẽtia diuinorum chariſmatũ & donorum, quæ nobis vt ſuis membris abunde communicet. Requieſcit enim in eo ſeptiformis ſpiritus: & ei dedit pater ſpiritum non ad menſuram: vt de eius plenitudine nos omnes accipiamus gratiã pro gratia. Enimuero ſicut in eo omnes theſauri ſapiẽtiæ & ſcientiæ ita & omniformis gratiæ ſunt abſconditi, & vnxit eum dominus deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis ſicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius. Petimus itaque in hoc verſu ipſum authorem ſacrorum munerum vt cum in eo ſit plenitudo donorum cæleſtium, immò ille ipſe ſit ſupernorum munerum plenitudo: nobis in defectu munerum ſpiritualium conſtitutis, illorúmque carẽtibus ornatu & lumine indigentibus elargiatur munus æternæ ſalutis. *Eſa. 11* *Ioan. 3* *Ioan. 1* *Coloſ. 2* *Pſal. 44* *Pſal. 132*

De eadem aſſumptione glorioſæ virginis: alia proſa.

Aue uirgo ſingularis,
Mater noſtri ſalutaris,
Quæ uocaris ſtella maris
Stella non erratica.
2 *Nos in huius uitæ mari*

Non

16 *Iudex mitis & beni-*
gnus
Iudex iugi laude dignus
Reis ſpei dedit pignus
Crucis factus hoſtia.
17 *Ieſu ſacri uentris fru-*
ctus,
Nobis inter mũdi fluctus,
Sis uia, dux, & conductus
Liber, ad cæleſtia.
18 *Tene clauum, rege na-*
uem,
Tu procellã ſedans grauẽ.
Portum nobis da ſuauem
Pro tua clementia.
Amen.

Hæc proſa vniformẽ in omnibus verſibus habet rythmi ſpeciem: in ſingulis eorum quatuor complectens clauſulas, quarum tres primæ inter ſe conſimilem ſeruantes ſyllabarum deſinentiam: continent ſingulæ octo ſyllabas, & penultimam earum longam. Quarta verò ſeptem comprehendens ſyllabas & penultimam ipſarum breuem: reſponſum habet in ſimili exitu ad poſtremam proximi verſus clauſulam. In ipſa autem commemorantur varia præſentis vitæ pericula: ex metaphora diuerſorum in mari diſcriminum ſumpta, quæ impedimentum præſtare nitũtur: ne noſtra nauis incolumis ad portum ſalutis ęternæ perueniat. Ideo ad dulciſsimam virginem Mariam ſupplex dirigitur oratio vt nos in tantis conſtitutos periculis apud filium ſuum adiuuet aſſiduis precibus, vt ipſa duce & adiutore deo: perueniamus ſaluis mercibus & integra naue ad tranquillam cæli ſtationem.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Mater noſtri ſalutaris. Non hic ſaluatoris eſt legendum: vt pleriq; faciunt, nam non eadem eſſet illius clauſulæ deſinentia in poſtremis duabus ſyllabis cum prima illius verſus clauſula & cum tertia: quod tamen in omnibus aliis huius proſæ verſibus ſtudioſè eſt obſeruatum. Eſt autem ſalutare, neutri generis ſubſtantiuum, & interdum in primo genere poſitum: idem quod ſaluator, vt propheta in pſalmo. *Pſal. 78*
Adiuua nos deus ſalutaris noſter: & propter gloriam nominis tui domine adiuua nos. Et rurſum in alio loco. Conuerte nos deus ſalutaris noſter: & auerte iram tuam à nobis. In qua etiam acceptione ſumitur in ſecundo huius proſę verſu: cum ſalutare ſacroſanctæ virginis vocat dominũ *Pſal. 84* *Luc. 1*

uigatione ſenſibili inueniri ſolita inſtrumenta, ac opera: concinna translatione traducantur ad huius vitæ mortalis actiones, propter aliquam proprietatem aut conditionem vtriſque communem ac conuenientem. Porrò phaſellus, maſculini generis vel fœminini. genus eſt nauigij Cāpani, quale ſtagnante Nilo in AEgypto vſurpant. Horatius Fragilémque mecum ſoluat phaſelum. Virgilius. Et circūpictis vehitur ſua rura phaſelis. Demū Saluſtius. Et forte in nauigando cohors vna grandi phaſelo vecta: à cæteris deerrauit.

6 ¶ In ſexto verſu. Homo noſter animalis. Dicitur hic animalis homo, homo exterior, corpus & naturales eius operationes vt nutritionem, ſenſationem appetitionem & monitionem cæteraſq; corporales functiones nobis cum brutis communes concernens. Homo verò ſpiritualis ſiue rationalis: dicitur homo interior, animā rationalem & actiones ſpirituales, intellectionem voluntatis motionem, memoriæque propriam actionem, nihil commune habentes cum corpore & animantibus rationis expertibus: reſpiciens. Quas duas hominis nuncupationes beatus Paulus ita diſtinguit ad Corinthios ſcribens. Sed licet is qui foris eſt noſter homo, corrūpatur: tamen is qui intus eſt, reuocatur de die in diem. Beata autem virgo Maria, ſpiritualis eſt mater noſtra: quoniam vitam ſecundum ſpiritum nobis impetrat, & Chriſtum nobis genuit per quē ſecundum ſpiritū regeneramur, ſicut Eua prima parens, omnium viuentium mater eſt ſecundum carnem. 1. Corin. 3

13 ¶ In decimo verſu. Quem nulla vis inſitiua iuuit vt fructificet. Indiget ſecundum naturæ legem flos adminiculo humano: vt fructum proferat. Debent enim plantaria florum inſeri terræ, rigari moderatè ac humectari, diligentique ſtudio excoli ad proferendum quē natura conſtituit fructum. Intellige igitur florem nullo tali indigentem adiumento, ſed ſpōtina productione abſque humano cultu aut virtute inſitiua, ſuum proferentem fructum. hic ſupra naturæ morem ac legem eſt fructuoſus. Huic planè flori conferenda eſt ſacratiſsima virgo Maria, quæ benedictum ventris ſui fructum edidit mundo, nullo adiuta viri conſortio vt fœcunda fieret: ſed diuina tantum ſpiritus ſancti virtute. Hunc itaque myſticum florem

nulla vis inſitiua aut virtus naturæ adminicularia adiuuit: vt fructum illum toti humano generi ſalutarem fœlici partu in lucem proferret.

In eodem feſto aſſumptionis beatæ virginis: alia proſa.

AVe ſpes mundi Maria,
Aue mitis, aue pia
Aue plena gratia.
2 *Aue uirgo ſingularis:*
Quæ per rubum deſignaris
Non paßum incendia.
3 *Aue roſa ſpecioſa,*
Aue Ieſſe uirgula.
4 *Cuius fructus, noſtri luctus*
Relaxauit uincula.
5 *Aue cuius uiſcera*
Contra carnis fœdera,
Ediderunt filium.
6 *Aue carens ſimili,*
Mundo diu flebili
Reparaſti gaudium.
7 *Aue uirginũ lucerna,*
Per quã fulſit lux ſuperna
Iis quos umbra tenuit.
8 *Aue uirgo de qua naſci,*
Et de cuius lacte paſci
Rex cælorum uoluit.
9 *Aue gemma cæli luminarium,*
Aue ſancti ſpiritus ſacrarium,
10 *O quàm mirabilis,*
Et quàm laudabilis,
Eſt hæc uirginitas.
11 *In qua per ſpiritum*
Facta paraclitum,
Fulſit fœcunditas.
12 *O quàm ſancta, quàm ſerena,*
Quàm benigna, quàm amœna,
Eſſe uirgo creditur.
13 *Per quam ſeruitus finitur,*
Porta cæli aperitur,
Et libertas redditur.
14 *O caſtitatis lilium,*
Tuum precare filium,
Qui ſalus eſt humilium.
15 *Ne nos ꝑ noſtro uitio,*
In flebili iudicio,
Subiiciat ſupplicio.
16 *Sed nos tua ſãcta prece*
Mundans à peccati fece,
17 *Collocet in lucis domo.*
Amen dicat omnis homo.
Amen.

Hæc

Hæc proſa multiformem gerit rythmicæ modulationis modum & ſpeciem. Nunc enim in vno verſu tres continet clauſulas. quarum duæ primæ octo ſunt ſyllabarum ſingulæ, & penultimam habent longam, tertia verò heptaſyllaba eſt: & penultimam habet breuem. Nunc verò triũ eiuſdem verſus clauſularum ſingulæ ſeptem complectuntur ſyllabas· & penultimam obtinent breuem. Interdũ itẽ vnus verſus duabus completur clauſulis: prima octo ſyllabarum penultimáque longa, ſecunda verò ſeptem ſyllabarum & penultima breui. Nonnunquam illarum duarũ clauſularum vtraque comperitur octo ſyllabarum: & penultima longa ſaltem ſecundum tenoris prolationem. Aliquando autem duarum illarum clauſularum eundem verſum conſtituentium: ſingulæ vndecim habent ſyllabas & penultimam earum breuem, vt ipſa lectio plane docebit.

Dirigitur in ea ſupplex inuocatio ad ſacroſanctam virginem Mariam, cum enarratione prærogatiuarum & priuilegiorum ſingulariũ à diuina bonitate illi largiter indultorum: & cum deuota oratione, vt nos filio ſuo commendet & cæleſtis regni faciat participes.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecũdo verſu. Quæ per rubum deſignaris. Id ex ipſo libro Exodi ſumptum eſt: vbi Moyſes ſcribitur vidiſſe circa montem dei Oreb rubũ ardentem ac flamma circundatum, qui tamen non comburebatur. Cúmque appropinquare vellet ad contuendum diligentius id ſpectaculum: prohibitus eſt à domino propius accedere, iuſſuſque eſt ſoluere calciamenta de pedibus ſuis, quòd locus in quo ſtaret ſanctus eſſet. Rubus autem ille incombuſtus intemeratam deſignauit ſanctæ dei genitricis poſt partum virginitatem, vt in ſecundo huius operis libro diffuſius eſt dictũ: circa expoſitionem huius antiphonæ. Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum. *Exo.3*

3 ¶ In tertio verſu. Aue Ieſſe virgula. Hæc ſacroſanctæ virginis Mariæ denominatio: ſumpta eſt ex eo Eſaiæ oraculo. Egredietur virga de radice Ieſſe & flos de radice ei⁹ aſcẽdet, & requieſcet ſuper eũ ſpiritus domini. Vbi ad literã per virgã de radice Ieſſe, intelligitur beata virgo Maria: de ſtirpe Ieſſe patris Dauid, & ex regali ꝓgenie ipſius Dauid exorta. Hæc aũt myſtica virga tenuis fuit & gracilis per humilitatẽ, recta ſine deflexione: per iuſtitiæ & æ- *Eſa.11*

quitatis rectitudinem, enodis: per omnimodã peccati immunitatẽ, fructifera, per floris & fructus ex ea prodeuntis dignitatem, excellentiam & perfectionem.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Aue virginum lucerna Quod lucẽ arte præbet, vt lampas, lychnus, tæda: lucerna dicitur. Iuuenalis. Diſpoſitæ pinguẽ nebulã vomuere lucernæ. Sacroſancta verò dei mater, virginum lucerna dicitur: quoniam omnes virgines luculẽter ſupereminet, & inter eas emicat velut inter ignes luna minores. Per ipſam autem lux ſuperna diuinitatis effulſit ſedentibus in tenebris & vmbra mortis, quoniam illuſtrata: diuino lumine verbi dei, quod in ipſa caro factum eſt: huic mundo æternum lumen effudit, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cuius exortus ſedentibus in regione vmbræ mortis clariſsima redemptionis lux apparuit. De qua: in pſalmo dicit propheta. Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde: miſericors & miſerator & iuſtus dominus. *Pſal. 111*

9 ¶ In nono verſu. Aue gemma cæli luminarium. In vſu conſueto & trito apud authores dicitur luminare, is, ſecundum tertiam inflexionem: quod lumen habet & alteri communicat, vt in Geneſi legimus. Fecit deus duo luminaria magna. Luminare maius vt preęſſet diei & minus præeſſet nocti. Quo quidem modo & hic ſumitur: genitiuúſque pluralis eſt cum nomine gemma ordinatur: vt hic habeatur ſenſus: quòd beata virgo Maria eſt ſolis & lunæ ſplendor, aſtrorúmq; decus. Eſt enim pulchra vt luna, & electa vt ſol, ſicut de ea canit eccleſia. *Gene. 1* *Can. 6*

In octaua aſſumptionis beatæ Mariæ virginis: proſa.

AVe præclara maris ſtella, in lúcem gentium diuinitus orta.

2 Euge dei porta, quæ nõ aperta, ueritatis lumen ipſum ſolem iuſtitiæ indutum carnæ ducis in orbem.

3 Virgo decus mundi regina cæli, præelecta ut ſol: pulchra, lunaris ut fulgor, agnoſce omnes te diligentes. Te

plenam

plenam fide uirgam almæ ſtirpis Ieſſe naſcituram: priores deſiderauerunt patres & prophetæ.

4 *Te lignum uitæ ſancto rotante pneumate parituram diuini floris amygdalum: ſignauit Gabriel.*

5 *Tu agnum regem, terræ dominatorem: Moabitici de petra deſerti ad montem filiæ Sion traduxiſti.*

6 *Tuq́; furẽtem leuiathan ſerpentem tortuoſumq́; & uectem collidens: damnoſo crimine mundum exemiſti.*

7 *Hinc gentium nos reliquiæ, tuæ ſub cultu memoriæ, mirum in modum quem es enixa agnum regnãtem cælo æternaliter: reuocamus ad aram mactandum myſterialiter.* 8 *Hinc manna uerum Iſraelitis ueris, ueri Abrahæ filiis admirantibus quondam Moyſi quod typus figurabat, iam nunc abducto uelo datur perſpici, ora uirgo nos illo pane cæli dignos effici.*

9 *Fac fontem dulcem quem in deſerto petra præmonſtrauit deguſtare cum ſyncera fide: renesq́; conſtringi lotos in mari, anguem æneum in cruce ſpeculari.*

10 *Fac igni ſancto, patrisq́; uerbo quod rubus ut flammam tu portaſti uirgo mater facta, pecuali pelle diſtinctos pede: mundis labiis cordeq́; propinquare. Audi nos: nam te filius nihil negans honorat. Salua nos Ieſu: pro quibus uirgo mater te orat.*

11 *Da fontem boni uiſere, da puros mentis oculos in te defigere. Quo hauſtu ſapientiæ, ſaporem uitæ ualeat mens intelligere.*

12 *Chriſtianiſsimi fidem operibus redimere, beatoq́; fine ex huius incolatu ſeculi author ad te tranſire. Amen.*

Hæc proſa, ſolutæ orationis habet contextum: nec vllis rythmi legibus aſtringitur. Commendatur in ea multifariam ſacratiſsima virgo Maria: quòd per eam vt adminiculatricem totius mundi ſalus & redemptio eſt facta: quoniã filij dei mater eſt effecta, qui venit in hũc mundũ peccatores ſaluos facere. Eiuſdem ꝑterea eximiæ virginis

dignitas & excellentia declaratur hic per varias antiquæ legis figuras: quibus eſt præſignata, & demum ſupplex ad ipſam dirigitur oratio fidelium: vt ipſis impetret æternæ lucis conſortium.

Eſa.49 1 ¶ ANNOTATIONES. In lucem gentium Maria diuinitus orta. Planum eſt omnibus, Ieſum Chriſtum ſuſcepiſſe carnis noſtræ ſubſtãtiam: vt illuminaret iis qui in tenebris & in vmbra mortis ſedebant, cum per prophetã ſit illi dictum à domino deo. Dedi te in lucem gentium: vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Ipſe autem ſaluator noſter, per ſacram virginem Mariam hunc ſubiit mundũ: quod ex ea vere noſtri corporis formam ſumpſerit. Igitur & ipſa ſanctiſsima virgo rectè aſſeritur in lucẽ gentium exorta, & quidem diuinitus, nã prælectione & præordinatione ad hoc deſtinata eſt & delecta, vt tabernaculum fieret altiſsimi æternique regis hoſpitium.

Matth.2 2 ¶ Euge dei porta. Euge interiectio aſſentientis & quaſi ſponte ſua congratulantis, vt in euangelio. Euge ſerue bone & fidelis: quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Hieronymus autem interpretatur ſecundũ illam acceptionem, euge euge bone bene, vt eſt illud dictum prophetæ in pſalmo. Euge, euge viderunt oculi noſtri. Interdum verò eadem eſt interiectio irridentis cum amaritudine & ſubſannantis, vt in eo pſalmi loco. Ferant confeſtim confuſionem ſuam: qui dicũt mihi euge, euge,

Pſal.39 quod tantundem valet atque ſi dicatur vah, vah. Hoc autem in loco ſumitur in prima ſignificatione. Dicitur itidẽ ipſa ſacra virgo dei porta non aperta, alludendo ad myſti

Pſal.39 cam illã Ezechielis portã, quã propheta in ſpiritu ſemper clauſam vidit & tamen principẽ Iſrael ingreſſum per illã

Eze.44 & egreſſum fuiſſe, quoniam & in conceptu filij dei & partu: ipſa permanſit intemerata virgo.

3 ¶ Prælecta vt ſol, pulchra, lunaris vt fulgor. Reſpondet illa ſententia, illi dicto Salomonis in Cantico canticorum. Quæ eſt iſte quæ progreditur vt aurora conſurgens,

Can.6 pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorũ acies ordinata? Quod quidem verbum: eccleſia in officio diuino accommodat ad beatam virginem Mariam. In ſequente autem verſu, ipſam ſacram virginem vocat author virgam ſtirpis Ieſſe: ex illo Eſaiæ vaticinio. Egredietur

virgar

virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini. Et hac demùm naſcituram haud dubiè multum deſiderarunt antiqui patres & prophetæ: qui tantopere ſuſpirarunt pro aduentu Chriſti in carnem.

4 ¶ Te lignum vitæ, ſancto rorante pneumate. Beatã virginem vocat author myſticè lignum vitæ: quoniam per ipſam vita perdita nobis eſt reſtituta. Et ergo ſignata eſt per lignum vitæ quod fuit in medio paradiſi, tanta præditũ virtute: vt manducantes ex eo redderet immortales. Ita qui huius ligni fructum benedictum ſumpſerit: mortem nõ guſtabit in æternum. Illam autem ſacram virginem (quæ & lignum vitæ) angelus Gabriel nunciauit ſuperueniente in eam ſpiritu ſancto parituram Ieſum filium dei: vt ſacrum refert euangelium. Quem ſanè mundi ſaluatorem, hic appellat author diuini floris amygdalum vt referat veritatẽ rei geſtæ ad figuram, vtpote ad virgam Aaron quæ ſine terræ humore ac radice fronduerat, protulerátque flores deformatos in amygdala. Illa ſiquidem virga ſignabat ſacroſanctam virginem, & fructus eius: dominum noſtrum. *Luc.1.* *Eſaiæ 16.*

5 ¶ Tu agnũ regẽ terræ. Hæc ſententia ex illo Eſaiæ verbo deſumpta eſt. Emitte agnũ domine dominatorem terræ: de petra deſerti ad montem filiæ Sion. Vbi per agnum intelligitur Chriſtus innocens: & pro omnium ſalute immolandus. Hic dominator eſt terræ, nam de illo prænũciauit propheta: quòd erit omnis terra poſſeſſio eius, Demùm de petra deſerti Moabitici: traductus eſt ad montem filiæ Sion. Nam ex Ruth Moabitide, nupta ipſi Boos & matre Obeth (qui fuit pater Ieſſe) Chriſtus originem carnis duxit. Demùm ad montem filiæ Sion templum ſcilicet Hieruſalem, in quo prædicauit & miracula fecit: eſt tranſlatus, & demùm ad ſanctam eccleſiam à ſe fundatam prædicatione euangelica, quæ ob ſynceram fidei ſpeculationem: filia Siõ dicitur. *Pſal.2.*

6 ¶ Túque furentem leuiathan, ſerpentem. Hebræi teſte Hieronymo dicunt leuiathan eſſe ſerpentem magnum quẽ fecit deus in mari, Latini cetum vocant, de quo intelligi putant illud verbum pſalmi. Draco ille quem formaſti: ad illudendum ei. Cæterùm eo nomine intelligitur plærumque

in ſcripturis idſe dæmon: qui in hoc mari magno & ſpacioſo huius mundi verſatur ad fallendos homines: & cui à ſanctis ſuperantibus ſuggeſtiones ipſius & tentationes illuditur. De eodem Eſaias ſub nomine ſerpentis loquitur: cũ ait. In die illa viſitabit dominus in gladio ſuo duro & grandi & forti: ſuper leuiathan ſerpentem, vectem, & ſuper leuiathan ſerpentem tortuoſum: & occidet cetum qui in mari eſt. Ex quo prophetæ loco: videtur huius verſus ſententia ferè ad verbum eſſe deprompta. Sanè diabolus in eo prophetæ loco leuiathan dicitur, quod interpretatur additamentum eorum: quoniã poſtquã primã culpã mala ſuggeſtione intulit: hanc quotidie augere grauibus perſuaſionibus non deſiſtit. Dicitur & ſerpens: quoniã inſidias molliter infundit. Vectis verò: quoniam carcere ſuo multos claudat, eſt enim vectis, inſtrumentũ ferreũ quo clauditur oſtiũ: quòd manibus percutiendo vehatur. Virgilius. Centum ærei claudunt vectes, æternáque ferri Robora: nec cuſtos abſiſtit limine Ianus. Alij dæmonẽ, à propheta vectem dictum putant: propter eius duritiem atq; in malo obdurationẽ, aut propter eiuſdẽ fortitudinẽ, quòd de eo dictũ eſt in lib. Iob. non eſt poteſtas ſuper terrã quæ ei cõparetur. Siquidem vectis quo clauditur oſtiũ: & durus eſt ac ſolidꝰ & infracti roboris. Deinceps dicitur ipſe hoſtis antiquus, ſerpens tortuoſus ab ipſo propheta: quoniã in rectitudine veritatis non ſtetit, ſed ab ea declinauit ad obliquitatẽ malitię. Tortuoſꝰ itẽ dicitur: propter multiplices ſuarũ tentationũ flexus, ſinuoſoſq; lapſus, quibus inſidias molitur hominibus quos infeſtat. Demùm cetus dicitur qui eſt in mari: propter immanitatẽ ſuã, & inſatiabilem deuorandi animas auiditatẽ in hoc mundo, ſicut cetus immanis piſcis: deuorat in pelago minores piſces ac deglutit. At quoniã ſacra virgo Maria ſecundũ diuinũ oraculũ in Geneſi expreſſum cotriuit caput ſerpentis antiqui: hic dicitur ipſa colliſiſſe ipſum leuiathan. 7 ¶ Reuocamus ad arã mactandũ myſterialiter. Mactare, interficere ſignat, vt apud Lactantiũ. Mactantur greges hoſtiarũ. Et Plautũ. At ego certè cruce excruciatum mactabo. Interdũ ſacrificare: vt apud Virgiliũ. Et nigrã mactabas ouem: lucũq; reuiſes, quoniã in ſacrificiis pecora cædi: hoſtiæque interfici ſolebant. Et in hac ſecunda acceptione ſumitur hoc in loco, quoniam agnum ipſum

ipſum dei regnantem in cælo: immolamus in altaris ſacrificio & offerimus deo patri, non quidem illi rurſum inferentes mortem: vt qui iam ſit immortalis, ſed mortem eius quam in cruce ſemel pertulit: quotidie in ſacrificio illo digniſſimo repræſentantes. Eſt enim iugis illa oblatio: mortis Chriſti (vt ait Paulus) annunciatio, atque commemoratio. 1.Corin. 11

8 ¶ Hinc manna verum Iſraelitis veris. Filij Iſrael in deſerto conſpicientes primum manna quod dederat eis deus de cælo: dixerunt Manhu, quod ſignificat, quid eſt hoc. In quam ſanè vocem eruperunt præ admiratione: & quoniã nouitate rei erant attoniti. Nos autem Chriſtiani veri ſumus & ſpirituales Iſraelitæ: videntes deum hic per fidé & in ænigmate, & verum de cælo manna accepimus: panem ſcilicet illum viuum qui de cælo deſcendit, & qui de ſeipſo dicit. Ego ſum panis vitæ. Et ergo nunc ipſam complectimur veritatem abducto figuralis vmbrę velo, cuius imago & repræſentatio præceſſerat in manna corporali. Exod.16. Ioan.6

9 ¶ Fac fontem dulcem: quem in deſerto petra præmonſtrauit. Bis legitur Moyſes in deſerto percuſſione virgæ aquam de petra elicuiſſe, atque eduxiſſe pręcepto domini: vt populus ſiti excruciatus ſatiaretur & reficeretur potu. Petra autem illa Chriſtum ſignabat (vt ait Paulus) in quo mira recondita eſt dulcedo: quam abſcondit timentibus ſe. Illius itaque ſuauitatis internam deguſtationem petim⁹ hoc loco nobis concedi. Rurſum filij Iſrael renes habuerunt præcinctos cum manducarunt agnum paſchalem deinde tranſierunt mare rubrum: effugientes duram Pharaonis ſeruitutem. Nos verò hic expoſcimus poſtquã abluti ſumus fonte baptiſmi, ſignato per tranſitum maris rubri: noſtros itidem renes præcingi per refrenationem libidinis, & concupiſcentiarum carnis rępreſſionem. Demùm petimus & Chriſtum in ligno crucis pro nobis ſuſpẽſum interno mentis oculo, per compaſſionem attente ſpeculari: vt hoc ſpectaculo liberemur à noxio morſu ſerpentis antiqui, quemadmodum filij Iſrael ſerpentem æneum erectum in ſtipite per Moyſem in deſerto: liberati ſunt à morſibus ſerpentium ignitorum à quibus grauiter erant infeſtati. Exodi.17 Num.20. 1.Cor.10. Pſal.30. Exod.12. Num.21. Exod.3.

19 ¶ Quod rubus flãmam tu portaſti. Vt in Exodo ſcriptũ

eſt

eſt,rubus flammam ſe circumplectentem & innoxie lambentem portabat:non tamen ab ea comburebatur. Ita ſacroſancta virgo,dei verbum ſanctiſſimo geſtabat in vtero illique miniſtrauit veram carnis ſubſtantiam:non tamen in conceptu & partu,eius violata eſt aut labefacta virginitas. Cæterùm Moyſes cum illam viſionem vellet propius ſpeculari,iuſſus eſt calciamenta de pedibus ſuis ſoluere:quòd locus in quo ſtaret,terra eſſet ſancta. Haud ſecus hoc in loco petimus,à pedibus affectuum noſtrorum tolli omnẽ appetitum irrationalem & brutum, rerúmque mortalium & corruptibilium deſiderium: & tunc ſpiritualiter calciamenta de pedibus noſtris tollimus, quandoquidem illa componi ſolent ex pellibus brutorum animalium & mortuorum.

11 ¶ Da fontem boni viſere. Locus iſte ſumptus videtur ex eo carmine præclari & inſignis viri Boetij in libro de conſolatione philoſophica. Da fontem ſpectare boni. da lũmine puro in te conſpicuos animi defigere vultus. In quo orationem petitoriam ad deum dirigit, ſicut & totum ipſum carmen quod eſt luculentum & elegantiſſimum ad deum verba & vota conuertit, vt oſtendit eius initium: quod eſt huiuſmodi. O qui perpetua mundum ratione gubernas Terrarum cælique ſator: qui tempus ab æuo ire iubes. Et reliqua:grauiter & ſplendide ab eo decantata.

Boetius.

Porrò fontem boni hic vocat deum ipſum: à quo bonum omne copioſè profluit. Nam de ſeipſo per prophetam dicit. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ: & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas,quæ continere non valent aquas.

Hiere.2

Tunc verò puros mentis oculos in deo defigimus quando omni nubilo erroris & ignorantiæ depulſo,ſyncerè per fidem& creaturarum manuductionem hic eum agnoſcimus. Niſi quis intelligere malit: clarum in cælo dei viſionem hic expeti.

12 ¶ Chriſtianiſſimi fidem operibus redimire. Verbum redimire quartæ coniugationis:ſignificat exornare,decorare,coronare. Et participium eius redimitus ſignat ornatꝰ & coronatus. Inde & nomen redimiculum, ornamentum capitis mulierum, vt apud Ouidium. Collo redimicula pendent. Chriſtianiſmi itaque fidem operibus redimire ſtudẽt qui fidem Chriſti quam in baptiſmo ſunt profeſſi :elaborãt

bonis

bonis operibus exornare & comprobare, vt non ſolo nomine, ſed & reipſa Christiani ſint, quique fidem habere cõ nituntur per dilectionem operantem. Fides ſiquidem ſine operibus, mortua eſt, vt ſcribit beatus Iacob⁹. Et de iis qui nudam habent fidem minime operibus comprobatam ſcribit beatus Paulus, quòd fatentur ſe noſſe deum: factis autẽ negant. Itaque hic petimus gratiam à deo nobis concedi: qua perfectam fidem habeamus. *Iacob. 2* *Titum. 1*

De ſacroſancta uirgine Maria, ad crucem comparata, proſa.

Lignum uitæ quærimus:
Qui uitam amiſimus
Fructu ligni uetiti.
2 *Nec inuentum nouerit:*
Qui fructum non uiderit
Adhærentem ſtipiti.
3 *Fructus per quem uiuitur*
Pendet (ſicut creditur)
Virginis ad ubera.
4 *Et ad crucem iterum*
Inter uiros ſcelerum:
Paſſus quinque uulnera,
5 *Hic uirgo puerpera:*
Hic crux ſalutifera,
Ambo ligna myſtica.
6 *Hæc hyſſopus humilis:*
Illa cedrus nobilis,
Vtraque uiuifica,
7 *Poſitus in medio:*
Quo me uertam neſcio.
8 *In hoc dulci dubio:*
Dulcis eſt collatio.
9 *Hic complexus brachiis:*
Modis uagit uariis.
10 *Hic extendit brachia,*
Complexurus omnia.
11 *Charum mater tenere*
Nouit hic tenere.
12 *Charitas ſub latere,*
Neſcit hic latere.
13 *Hic adhærens pectori,*
Paſcitur ab ubere.
14 *Hic affixus arbori,*
Paſcit nos ex uulnere.
15 *Crux miniſtrat pabula*
Fructu nos reficiens.
16 *Mater eſt præambula,*

Fructũ

Fructum nobis nutriens.
17 *Crux in loco paſcuæ:*
Paſcit nos præcipue.
18 *Sed uirgo præcipua:*
Paſcit ipſa paſcua.
19 *Tandem ad hoc trahitur*
Finalis ſententia:
20 *Quod nemo conſequitur*
Vnam ſine alia,
21 *Qui crucem elegerit,*
Nec ſic matrem deſerit.
Cum ad crucem uenerit:
Matrem ibi poterit
Stantem inuenire.
22 *Nec qui matrem eligit.*
Crucem prorſus abigit
Si modum intelligit,
Quo per matrem contigit
Gladium tranſire.
23 *Ergo qui utramlibet*
Optat, illam adeat.
24 *Ex quo nihil prohibet*
Quin utraque gaudeat.
25 *Fili matris unicæ:*
Matris crucifixæ.
Nos de cruce reſpice:
Fili crucifixe.
26 *Fructus ô uiuifice,*
Fructus ligni uitæ:
Nos te ipſo refice,
Nobis da frui te.
Amen.

¶ Hæc proſa in diuerſis verſibus varium habet numerũ clauſularum, nunc enim duæ tantum, nunc tres, nunc verò quatuor, interdum autem & quinque clauſulæ: in eodem continentur verſu. Et plærumque heptaſyllabæ ſunt ferè omnes clauſulæ: penultimam habentes breuem, occurrent tamen nonnunquam & heptaſyllabæ: continentes penultimam longam. Seruant autem reſponſum in ſimili deſinentia & vocalitate aut ad proximas clauſulas: aut ad eas quæ tertio ab eis loco conſtituuntur, vt ipſa lectio planè monſtrabit. Comparatur autem in hac proſa, ſacroſancta virgo Maria ad crucem domini viuificam, in hoc vno præſertim officio: quòd vtraque fructum vitæ toti mundo ſalutarem portauit. Maria quidem in ſuo virginali vtero, & deinde dulcibus vlnis ſuis: cum infantilem ſuus filius agebat ætatem: Crux verò eundem affixum ligno: & inter latrones conſtitutũ pro humana redẽptione.

Quare mira quædam concinnitas, proportio, & affinitas inter ſacram dei matrem & ſanctam domini crucem eſſe a multis modis oſtenditur. Deinde oratio ad deum dirigitur: vt per vtramque earum, ſalutem æternam conſequi valeamus.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Lignum vitæ quærimus. Lignum primis parentibus vetitum fuit per ſequentem tranſgreſſionem lignum mortis: quoniam exitiũ intulit omnibus ſtirpe Adæ progenitis, & hauſtum noxiæ mortis fructus arboris illius toti mundo propinauit. Itaque ad ſanandum hanc plagam, neceſſe eſt quærere lignũ vitæ: ſignatum per id vitæ lignum quod in medio paradiſi plantatum à domino refertur, cuius fructus etiam viuific° & vitalis perditam nobis vitam inſtauret. Et demùm quærentibus illud lignum: dabitur ipſum inuenire cum ſuo fructu adhærente ſtipiti illius ligni. Signatum itidem eſt lignum vitæ: per illud lignum vitæ quod in Apocalypſi ſcribitur ex vtraque parte fluminis plantatum fuiſſe, & attuliſſe fructus duodecim per menſes ſingulos: quod & ſuum reddebat fructum tempore opportuno, & folia ligni ad ſanitatem gentium. Gene. 3. Gen. 2. Apoc. 22.

5 ¶ In quinto verſu. Ambo ligna myſtica. Virgo dei mater, lignum eſt vitæ myſticum: quod vitalem protulit fructum filium ſcilicet ſuum benedictum, pendentem in tenella ætate ad eius vbera. Crux itidem ſancta lignum eſt vitæ quod viuificum portauit eundem fructum ſuſpenſum in eius ſtipite inter duos latrones quando vt ait ſcriptura cũ ſceleratis reputatus eſt. Itaque duo ſunt ligna vitæ, dei mater & crux dominica: & ambo eundem portauerunt & vnicum fructum vitæ, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Eſa. 53.
Beata quidem virgo Maria, hyſſopus eſt humilis, propter eximiam & ſingularem ſuam humilitatem qua in matrem dei electa, ſe humilem eius ancillam eſt profeſſa. Crux verò ſancta, cedrus eſt nobilis: propter ſuam ſublimitatem & celſitudinem. In cælos enim ſuum extulit cacumen, & inferos penetrauit; atque in totam terram extendit ramos ſuos atque brachiis ſuis vniuerſum complexa eſt orbem, in omnes diffundens ſalutis & vitæ virtutem.

9 ¶ In nono verſu. Hic complexus brachiis. Diuerſo admodum modo, hic vnicus fructus vitæ: ab vtroque ligno

vitæ

vitæ portatus eſt. Nam à ſacra virgine inter brachiorum complexum dulciter eſt ſuſtentatus: cum adhuc infantiles ederet vagitus. In cruce verò idem extendit brachia ſua: quibus omnia complecteretur ſua morte viuificanda. Ego (inquit) ſi exaltatus fuero à terra: omnia traham ad meipſum. Rurſum beata eius mater: tenera eius membra molli-

Ioan.12. ter & ſuauiter dulci ſuſtẽtauit ſinu. In cruce verò feruẽs ip

Ioan.19. ſius charitas ad ſalutem noſtram: ſub latere eius nõ potuit delitеſcere. Nam lancea militari apertum eius latus: ſcaturiuit aquam & ſanguinem in redemptionem noſtram & viuificationem. Inſuper idem fructus vitæ, pendens ad vbera matris: virgineo eius lacte paſcitur. Arbori autem crucis affixus: paſcit nos refectione vitali, & dulcedine ſuæ charitatis, prodeunte largiter ex vulneribus ſuis: quibus apertè declarat quantum nos amauerit. Vnde crux ipſa miniſtrat nobis pabula vitæ: reficiens nos ſuo fructu in ſacramento euchariſtiæ. Ipſa verò dei mater prior eſt quantum ad nutriendi officium, nam ipſum fructũ vitę nobis aluit ſuis vberibus: multo antè tempore quàm cruci affigeretur.

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. Crux in loco paſcuæ. Loc⁹ paſcuæ eſt diuinorum ſacramentorum ad remedium, refectionem & ſalutem nobis relictorum: vbertas, copia & fœcunditas. De quibus ſpeciatim loquens propheta in pſalmo ait. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pa-

Pſal.22. ſcuæ vbi me collocauit. Quoniam igitur eccleſiaſtica ſacramenta, à cruce & paſſione domini potiſſimum ſuam ſortiũtur virtutem & efficaciam: rectè dicitur ipſa crux nos paſcere in loco paſcuæ, quia in ſacramentorum adminiſtratione & vſu à Chriſto inſtitutorum. Virgo verò & dei mater paſcit ipſa paſcua: quoniam filium ſuum & fructum vitæ aluit in infantili & puerili ætate, qui pabulum eſt vitæ & prebet ſuis ouibus paſcua viriditatis æternæ, quinimmò ipſe eſt refectio & in hac vita & in futura: omnibus iis qui filij ſunt regni.

21 ¶ In viceſimo primo verſu. Qui crucem elegerit. Quẽadmodum ſacra dei mater & ſacra crux domini, conueniũt in vno & eodem tertio: fructu ſcilicet vitæ, vtrique communi, ita inter ſe cõſpirant, vt vna ſine altera vix inueniatur. Qui enim crucem delegerit, vt ſalutare lignum vitæ: nõ idcirco matrẽ dei ſecludit, nam iuxta crucẽ Ieſu ſtantẽ

eius

eius matrem (vt ſcribit Ioannes) protinus inueniet. Ita qui ſacroſanctam dei matrem acceperit vt lignum vitę ſalutiferum: haudquaquam domini crucem excludit. Nam cum intellexerit gladium doloris pertranſiſſe animam virginis matris in hora paſſionis filij ſui quemadmodum prędixerat illi ſanctus Simeon: illico intelliget illam ſuo filio (quantum ad compaſſionis rationem: & participationem internorum dolorum) fuiſſe concrucifixam. Et ita crucis intelligentiam & conſortium non ſeiungit à dei matre. Luc. 2

23 ¶ In viceſimotertio verſu. Ergo qui vtranlibet optat. Qui ſacram (inquit) dei matrem affectu ſingulari proſequitur: ipſam intrepidꝰ adeat, nam conſequio quodam ſtatim crux aderit comes: quam eadem pertulit in corde ſuo, & viſceribus compaſſionis. Qui verò ſanctam affectat crucē: ipſam amplectatur vt viuificam & ſalutarem, nam continuò aderit ei ſocia, ſacroſancta dei mater: quod conſtanter ei aſtiterit in hora paſſionis. Itaque ſiue hanc ſiue illam elegeris: nihil refert, nam alterutra habita: habebitur vtraque, propter mutuum nexum & habitudinem qua ſimul colligantur.

25 ¶ In viceſimoquinto verſu. Fili matris vnice. Hic verſus, & matrem primum dicit crucifixam: & filium crucifixū & vtrunque quidem verè dicit: ſed diuerſa ratione. Matrē enim aſſerit crucifixam: quoniam aſtans filio patienti, eadem patiebatur in corde ſuo illi ex intimis viſceribus compatiendo, quæ filius eius pertulit in corpore, vt illi cōcrucifixa dici haud immerito potuerit. Quemadmodum beatus Paulus de ſeipſo dicit Chriſto confixus ſum cruci. Filius verò eius, crucifixus eſt per ſenſibilem & corporalē affixionem ad crucem: quod in eius ſtipite fuerit ſuffixus.

¶ At quoniam in tota hac proſa facta eſt pulchra collatio beatæ virginis ad ſanctam crucem, propter fructum vitæ vtrique communem operæprecium eſt & hic ſubnectere piam querimoniam virginis ad crucem, quòd filium ſuū innocentem ſuſceperit: crucisque purgationem atque excuſationem modeſtam ad virginem, quòd pro omnium ſalute ipſum oblatum ſuſtinuerit.

QVERIMONIA VIRGInis ad crucem.

CRux de te uolo conqueri.
Quid eſt, quod in te repperi
Fructum tibi non debitum?
Fructum, quem uirgo peperi
Cognitum Adæ ueteri,
Et deguſtanti uetitum,
Atq; in fructus uteri
Tuus non debet fieri,
Culpæ non habens meritum.
Cur pendet qui nõ meruit?
Quid? quod te non abhorruit,
Cum ſis reis patibulum.
Cur ſoluit quæ non rapuit?
Cur ei qui non nocuit
Es pœnale piaculum[
Ei qui uitam tribuit,
Mortiq; nihil debuit,
Mortis propinas poculum
Te reorum flagitiis,
Te culparum ſuppliciis
Ordinauit iuſtitia.
Cur ergo iuſtum impiis,
Cur uirtutem cum uitiis
Sociauit nequitia?
Redditur pœna præmiis,
Offenſa beneficiis,
Honori contumelia?
Reis in te pendentibus
micidis latronibus,
Inflicta maledictio,
Iuſto pleno uirtutibus
Ornato chariſmatibus
Debetur benedictio.
Ergo quid ad te pertinet?
Cur uita mortem ſuſtinet
Lux fit obtenebratio?

Purgatio

Purgatio crucis ad virginem.

Virgo tibi reſpõdeo
Tibi, cui totum debeo
Meorum decus palmitum
De tuo flore fulgeo,
De tuo fructu gaudeo,
Redditura depoſitum.
Dulce pondus ſuſtineo,
Dulcem fructum poßideo,
Mundo, non tibi, genitum.
Chriſtus mortem non meruit.
Etſi mori diſpoſuit,
Vt morte mortem tolleret
Ligno lignum oppoſuit,
Et ſoluit quæ non rapuit,
Vt debitores liberet.
In Adam, uita corruit:
Quam ſecundus reſtituit,
Vt uita mortem ſuperet:
Vlmus uuam non peperit,
Quid tamen uiti deperit:
Quod ulmus uuam ſuſtinet?
Fructum tuum non genui,
Et oblatum non reſpui.
Vt pœna culpam terminet.
A te mortalem habui,
Immortalem reſtitui:
Vt mors in uitã germinet.
Tu uitis, uua filius,
Quid eſt me competentius:
Quàm torcular quo premitur?
Cur preſſura fit purius?
Niſi quia iucundius,
Vinum ſyncerum bibitur.
Quid uua paſſa dulcius?
Quid Chriſto paſſo gratius:
In cuius morte uiuitur?
Multi ſe iuſtos ſimulant,
Filium à te poſtulant,
Et ad me non reſpiciunt.
Sed poſtquam mihi creditus,
Et apud me depoſitus,
Extra me non inueniunt.
Quærant in meo ſtipite
Sugant de meo palmite.

Ll iij Fructũ

Fructum tuum quem ſitiunt
Reſpondeas hypocritis
Quid à me natum quæritis,
Quem dudum cruci credidi?
Iam non pendet ad ubera,
Pendens in cruce, uulnera
Corporis monſtrat liuidi.
His plagis, his uulneribus,
His abſtulit liuoribus,
Tartari pœnas horridi.
Huc mortales accedite,
Dulcem ex eo ſumite
Cibum & uitæ pocula.
Eum in cruce quærite,
Et lachrymas effundite,
Ligno figentes oſcula
Suſpirate, gemiſcite,
Et ueniam hic petite,
Et uiuetis in ſecula.
Amen.

De ſancto Stephano: rege Pannoniæ.

Corde, uoce, mente pura,
Soluens deo laudū iura,
Idolorum ſpreta cura
Lætare Pannonia.
2 *De ſupernis illuſtrata,*
Verbo uitæ ſatiata,
Crucis Chriſti ferens grata
Libens teſtimonia.
3 *Ergo per quem tibi datur.*
Salus cælum reſeratur
Via uitæ demonſtratur,
Et iter iuſtitiæ,
4 *Hunc extollas digna laude.*
Huius feſtum colens gaude,
Et gaudenti iam applaude
Cantico letitiæ.
5 *Hic eſt Geyſæ dulcis natus,*
Viſione præſignatus,
Ante ortum eſt uocatus
Stephanus, à Stephano.

Credit

6 Credit pater & miratur:
Parit mater & lætatur,
Infans creſcens exaltatur,
Vt cedrus in libano.
7 Nam ut puer adoleuit,
Mox uirtutum donis creuit,
Cælos amans ima ſpreuit
Hærens dei filio.
8 Huius carnis tecta uelo.
Mens intenta ſemper cælo,
Ardet tota dei zelo,
Inſtat euangelio.
9 Per hunc Chriſtus prædicatur.
Turba credens baptizatur.
Fides Chriſti dilatatur
In tota Pannonia.
10 Hic ad inſtar Salomonis
Struit templũ: dītat donis.
Ornat gemmis & coronis
Cruces & altaria.
11 Ad docendum: hic prælatos
Viros ponit literatos,
Iuſtos, fidos & probatos:
Ad robur fidelium.
12 Hic talentum ſibi datũ:
Deo reddit duplicatum.
Ab æterno præparatum
Sibi: ſcandit ſolium.
13 Vbi Chriſto ſociatus,
Et ab ipſo ſublimatus
Regnat ſemper coronatus
In ſuperna patria,
14 Hunc deuoti ueneremur,
Hunc ex corde deprecemur.
Vt per ipſum ſubleuemur
Ad cælorum atria.
Amen.

¶ Hæc proſa, rythmicæ conſonantiæ ſeruat legem vbique vniformem. In ſingulis enim verſibus quatuor complectitur clauſulas rythmicas: quarum tres primæ adinuicem ſeruant in exitu ſyllabarum ſymphoniam. Vnaquæque autem illarum octo comprehendit ſyllabas: & penultimã ſemper longam. Quarta verò cuiuſque verſus clauſula ſeptẽ completur ſyllabis, quarum penultima breuis eſt: & reſpõſum habet more aliarum proſarum ad poſtremam clauſulã proximi verſus in conſimili deſinentia. Deſcribit autem

generoſam beati Stephani regis Pannoniæ originem, præclarum de virtute in virtutem ipſius in vita progreſſum: & fœlicem exitum, commendans in eo ſolicitum rerũ diuinarum ſtudium in totius populi ad deum directione: in exornandis templis, & conſtituendis in clero viris eruditis, probatæque vitæ. Cæterùm ſanctitas morum eius virtutũque præconia, in expoſitione hymni ipſius in primo libro ſunt diffuſius explicata: neque hic replicanda.

5 ¶ ANNOTATIONES. In quinto verſu. Hic eſt Geyſæ dulcis natus. Quemadmodũ in hymno huius ſancti Stephani (cuius initium eſt: gaudent cæli noua luce) dictũ eſt: Geyſa pater fuit ſecundum carnem huius ſancti regis, & à ſancto Stephano protomartyre reuelationẽ accepit quòd filius illi naſciturus, vocari Stephanus deberet. Porrò ea dictio Geyſa, hic vt diſyllaba proferri debet: quaſi in prima eius ſyllaba eſſet diphthongus, æ, ne illa clauſula rythmica ſuum excedat octonarium.

6 ¶ In ſexto verſu. Vt cedrus in Libano. Apta eſt hæc expreſſio ſublimitatis & altitudinis virtutum beati Stephani per res corporales, cedrum ſcilicet: arborem præcelſam, odoriferam, & imputribilem, & per Libanum montem Paleſtinæ: arduum & ſublimem. Quæ etiam expreſſio excellentiæ per hunc modum: in ſcriptura ſæpius obſeruata legitur, vt in pſal. Iuſtus vt palma florebit: ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Et æterna ſapientia apud Eccleſ. de ſeipſa dicit. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano: & quaſi cypreſſus in monte Sion. Vnde hæc ſententia, ſumpta cõiicitur.

Pſal. 91. Eccl. 24.

8 ¶ In octauo verſu. Inſtat euangelio. Inſtare inter multa quæ habet ſignificata: hic capitur pro incumbere, operã dare & diligentiam adhibere, datiuúmque requirit. Virgilius. Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat per medios: inſtans operi regniſque futuris. Inſtabat autem beatus Stephanus euangelio annunciando ſuis ſubditis: quoniã ipſemet publica prædicatione viam veritatis & regulam fidei illis aperire ſtuduit.

10 ¶ In decimo verſu. Hic ad inſtar Salomonis. Inſtar indeclinabile nomen: ſignificat ad æquiparationem ſiue ad ſimilitudinem. Et modo ſine præpoſitione ad ponitur, vt apud Virgilium. Inſtar montis equum diuina Palladis arte ædificant. Idem. Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis in-

ſtar

ſtat. Modo verò cum præpoſitione: vt apud Solinum cum ait. Meſopotamiam opimat annuæ inundationis exceſſibus: ad inſtar amnis Aegyptij terris ſuperfuſus, inuecta ſoli fœcunditate. Auguſtinus. Et ideò hodie ad vitale laua crum reſurgens dei populus: ad inſtar reſurrectionis eccleſiam noſtram ſplendore niueo illuminat. Porrò quomodo Salomon extruxerit deo templum & multis donariis adornauerit: tertius liber Regum latiſſime refert.

12 ¶ In duodecimo verſu. Hic talentum ſibi datum. Hæc ſententia ſumpta eſt ex illa parabola euangelica: qua bonus ſeruus & fidelis dicitur talenta à domino ſuo accepta duplicaſſe, & totidem quot acceperat ſuperlucratus fuiſſe, propter quod à domino ſuo mirifice commendatur: & ad intrandum in gaudium domini ſui inuitatur. Ita beatus Stephanus (inquit) accepta à deo gratiarum dona ampliore fructu multiplicauit: illáque cum largo fœnore bonorum operum deo reddidit, propter quod ad ęterni regni ſolium eſt ſubuectus. Mat. 25.

De ſancto Bartholomeo.

Diem feſtum Bortholomei Chriſti amici, fratres excolite dignis pręconiis. Eius obtentu cæli quo mereamur ſedibus perfrui.

1 *Hic Indiæ populis prædicat euangelium. Qui dediti uitiis uacabat idolatriæ. Quos inſtruens ſanctus apoſtolus iuſsit frangere idola, atque Chriſto facere templa.*

2 *Et dæmones quos adorauere fecit longius abire, ubi eſſent inuia terræ. Mundat leproſos, ſaluti priſtinæ reddit & ægros. Veſtiuit cæcos præſenti lumine, fecitque ſanos.*

3 *Oratio eius paraliticos erigit: atque curat energuminos. Nam inclyti natam regis diu lunaticam, ſola prece ſalnam fecerat. Conuertit regem populumq; eius ſacris fontibus expiauerat. Promittens illis quod nõ uidit homo: nec aſcẽderat in cor hoĩs. Per multa ſic prædicãs tẽpora ueſtimẽta illius nõ fuerũt ſordida. Nocturno uigilabat tẽpore*

ſimiliter diurno in dei laudamine. Poſt talia miracula occi ſus migrauit ad Chriſtum,perenni in regno ſemper manſurus. Sed ueniet iudicij in die cum deo, hominum ſecreta per ignem iudicaturus. Quæſumus te Bartholomeæ exorantes,ut detergas noſtra hic facinora.

4 Quatenus fruamur præmio,quod credentium repromiſit Chriſtus gregi puſillo. Amen.

¶ Hæc proſa,ſolutæ orationis habet contextum:nec rythmicis aſtringitur numeris. Explicat autem miram beati Bartholomei virtutem in conuertendo ad fidem Indiæ populo,in deſtruendis idolis & poteſtate miraculorum. Copioſum itidem prædicationis eius fructum commemorat, & aſſiduum orationis ſtudium : fœlicémque per martyrij palmam ad cælos tranſitum. Quæ omnia diffuſius in hiſtoria vitæ eius continentur,& deſcriptione paſſionis eiuſdẽ : apud omnes ſatis diuulgatæ,neque illa hic repetere viſum eſt operæprecium.

1 ¶ ANNOTATIONES. Hic Indiæ populis prædicat euangelium. India,regio eſt orientalis : Aſiæ terminis, ab Indo flumine ſic appellata : in quem ab occidentali plaga deſinit. De qua Virgilius· India mittit ebur:molles ſua thura Sabæi. Inde adiectiua Indus & Indicus deducuntur. Ouidius. Dentes æquantur dentibus Indis. Hæc regio mira fertilitate & cæli temperie fœlix ab authoribus deſcribitur:ſed beati Bartholomei apoſtolatu longe facta eſt fœlicior,per quem expulſis tenebris veræ lucis ſplendorem accepit.

2 Vbi eſſent inuia terræ. Inuius,a,um dicitur,quod eſt ſine via & per quod iri non poteſt. Ouidi⁹. Inuia virtuti nulla eſt via. Inuia igitur terræ,ea ſunt terræ loca , quæ inhabitata ſunt & ab hominum ambulatione ſemota : per quæ ſcilicet ob ſolitudinem & diſtantiam à cõmuni congreſſione,nullus meat. Et in ea loca iuſſit ſanctus Bartholomeus dæmones abire,quos idolis aut corporibus humanis expulerat:vt amplius hominibus infeſti non eſſent.

3 ¶ Atque curat energuminos. Dicuntur energumini Græca appellatione :qui à malis poteſtatibus aguntur, dæmonioque

nióque vexantur. Eos Latini arreptitios vocant: quia arripiuntur & agitantur ab immundis ſpiritibus, quemadmodum in ſecundo libro etiam eſt dictum. Lunaticus verò dicitur qui aut inſania vexatur certis lunæ temporibus: aut graui tentatur morbo. Vnde ſacra nobis euangelij hiſtoria mentionem facit de puero lunatico: quem ſecundum determinatum & ſtatum lunæ decurſum immundus ſpiritus vexauit, & ab ea vexatione diuina Chriſti virtus benigniter liberauit. *Matth.17*

4 ¶ Quod credentium repromiſit Chriſtus gregi puſillo. Sumpta ſunt propemodum hæc verba: ex eo domini noſtri dicto apud Lucã. Nolite timere puſillus grex: quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum. Vbi turbam electorum dominus vocat puſillum gregem, ſecundũ gloſam: vel ob comparationem maioris numeri reproborum vel potius ob humilitatis deuotionem: per quam creſcit eccleſia, & peruenitur ad regnum cælorũ. Humiles enim ſpiritu (vt ait propheta) ſaluabit dominus. *Ioan.12* *Pſal.33*

De ſancto Bartholomeo: alia proſa.

1 *Laudemus omnes inclyta*
Bartholomei merita.
2 *Cuius ſacra ſolennia,*
Nobis inſpirant gaudia.
3 *Per diem centum uicibꝰ*
Flexis orabat genibus
4 *Nec minus noctis tempore,*
Toto proſtratus corpore.
5 *In ipſius præſentia*
Obmuteſcunt dæmonia.
6 *Chriſti ſonante buccina.*
Falſa terrentur numina.
7 *Non Aſtaroth illudere*
Genti permiſit miſeræ.
8 *Nec fallere nec lædere,*
Nec læſis poteſt parcere.
9 *Graui dignus ſupplicio,*
Cruciatur incendio.
10 *Quãta ſit eius tortio,*
Berith patet indicio.
11 *Per uirtutes apoſtoli*
Pateſcit fraus diaboli.
12 *Arte detecta ſubdoli,*
Cultores ceſſant idoli,
13 *Liber exultat Pſeuſtius:*
Hoſtis repreſſa rabie.
Credit & rex Polymnius.

Propter

Propter ſalutem filiæ.

14 *Permiſſus ab apoſtolo*
Dæmon mugit ex idolo,
A uobis ultra miſeri
Sacra non poſco fieri.

15 *Me iam nil poſſe fateor,*
Qui uix reſpirās torqueor,
Ante diem iudicij
Pœnam ferens incendij.

16 *Sic effatus diſparuit,*
Et ſigilla comminuit.
Sed nec præſentes terruit
Nam uirtus crucis affuit.

17 *Chriſti ſignat charactere*
Phanum manus angelica,
Læſos abſoluit liberè
Poteſtate mirifica.

18 *Mox pellem mutat India,*
Tincta baptiſmi gratia.

19 *Ruga carens & macula,*
Cæleſti gaudet copula.

20 *Currunt ergo pontifices*
Ad Aſtyagen ſupplices,

21 *Athletam iam emeritum,*
Poſcentes ad interitum.

22 *Sub Chriſti teſtimonio*
Caput obiecit gladio.

23 *Sic triumphauit hodie,*
Doctor & uictor Indiæ.

24 *Bartholomee poſtula*
Pro ſeruis prece ſedula,

25 *Vt poſt uitæ curricula*
Chriſtum laudent in ſecula.
Amen.

Hæc proſa, rythmicæ formæ ſeruat menſuram ſatis vniformem. Nam in omnib⁹ ſuis verſibus ſolas habet clauſulas octo ſyllabarum: quarum penultima eſt breuis. In aliquibus quidem verſibus vt primis & poſtremis: duntaxat duas continet huiuſmodi clauſulas, adinuicem conſonantes. In aliis verò vt in meditullio fere conſtitutis: quatuor complectitur clauſulas, interdum quidem quālibet: ad proximam ſibi cōſonantiæ modulos ſeruantem, vt prima ſcilicet ſecundæ conſonet, & tertia quartæ. Interdum verò alternis locis reſponſum in finali deſinentia habentes: vt prima ad tertiam referatur, & ſecunda ad quartam. Author eius: Adam de ſancto Victore. Deſcribit autem ſanctitatem vitæ beati Bartholomei, vim coercendi dæmonia: quam in falſa idolorum numina exercebat, prędicationis

cationis euangelicæ ſtudium & operam: & demum glorio ſam eius mortem, vt præcedens.

6 ℭ ANNOTATIONES. In ſexto verſu. Chriſti ſonante buccina. In dicitur propter illud præconium, quod de hoc ſacto canit eccleſia. Vox ſancti Bartholomei quaſi tuba vehemens: ambulant cũ illo angeli dei Inſuper Chriſti buccina erat iſte ſanctus quoniam euangelicę veritatis erat altiſonus buccinator, vt per totam Indiam illius ſonitus fuerit auditus.

8 ℭ In octauo verſu. Nec læſis poteſt parcere. Non poteſt (inquit) Aſtaroth ceſſare à læſione eorum quos antè morbis, aut moleſtia corporis affecerat, licet magnopere id vellet: mitius ſcilicet cum illis agere, & amplius ipſos nõ lædere, vt deſiſtẽdo à læſione: videretur eos quos morbo grauauerat curare. Talibus enim ludificamentis fallere miſeros ſolitus erat dæmon ille: non in idolo Aſtaroth latitans, ſed propter apoſtoli præſentiam repreſſa fuit hęc eluſoria fallacia, virtúſque ſubdola.

10 ℭ In decimo verſu. Liber exultat Pſeuſtius. Hic Pſeuſtius prius à dæmonio vexatus, ſancti Bartholomei virtute & auxilio ab huiuſmodi infeſtatione liberatus eſt. Filia itidem regis Polymnij prius lunatica & ab immundo arrepta ſpiritu: integræ ſanitati per apoſtolum eſt reſtituta. Quorum occaſione ſignorum, certatim populus regionis illius vna cum rege ſuo in Chriſtum credidit.

14 ℭ In decimoquarto verſu. Permiſſus ab apoſtolo. Quemadmodũ in vita ſancti Bartholomei, memoriæ proditũ eſt: cũ poſt aduentum apoſtoli in Indiam, & primam ſui manifeſtationẽ occaſiõe idoli Aſtaroth populo & regi factã, templorum pontifices idolo ſacrificarent: cœpit ex eo clamare dæmon ac dicere. Ceſſate miſeri ſacrificare mihi, ne peiora me patiamini: qui catenis igneis ab angelis dei viui ſum vinctus. Apoſtolus autem dæmoni præcepit, vt idolo exiẽs ipſum cõminueret. Qui ꝓtinus egreſſus, omnia idola templi per ſeipſum confregit. Tũc angelus domini ibidẽ apparuit, & templũ circunuolãs in quatuor eius angulis ſignũ crucis digito ſuo inſculpſit, præcipiens vt omnes idem ſignum frontibus ſuis imprimerẽt, quatenus ſine horrore & timore, deum ſuum quem hactenus coluerant, cernere poſſent. Cuius dicto cum omnes obediſ-

obediſſent: oſtendit eis æthiopẽ nigriorem fulgine & horrenda forma terribilem, cuius oculi vt ferrũ candens ſcintillabant & manus poſt terga vinculis erant conſtrictæ, illique iuſſit vt in deſertum locum vbi nulla hominum eſt habitatio abiret. Qui cum ingenti ſtrepitu & magno vlulatu inde abiit, nullis tamen incuſſo terrore, quoniam ſignaculo crucis erant ante muniti. Deinde angelus ab eorũ oculis diſparuit. Infirmi omnes fuſa ad deum oratione ab apoſtolo ſunt curati: & rex Polymnius cũ toto ſuo populo vitale baptiſmi lauacrum accepit. Et ex hac enarratione, patet huius verſus & quatuor ſequentium ſententia. Id quoque euadit perſpicuum, quòd in decimoſexto verſu ſigilla accipiuntur pro idolis, ſimulacris ſiue ſculptilibus: quæ ſigna quædam erant, falſorum deorum numen repreſentantia ipſis idolatris. Dicuntur enim ſigilla, quaſi parua ſigna.

8 ¶ In decimooctauo verſu. Mox pellem mutat India. Nomine pellis hic metaphorice innuitur qualitas & conditio animi: quantum ad fidem & mores. Quam ſanè mutauit Indiæ populus, ad apoſtoli prædicationem & oſtenſionem ſignorum. Nam prius idolorũ cultui deditus, tunc ſynceram Chriſti fidem eſt amplexus. Et ergo exuta veteri pelle nonum induit: quoniam expoliato veteri homine cum actibus ſuis, nouum qui ſecundum deum creatus eſt in iuſtitia & veritate, aſſumpſit.

De ſancto Ludouico, rege Frácorum.

LAEtabunda
Pſallat plebs cũ mente munda
Chriſtiana.
2 *Deum more*
Collaudet gens lætiore,
Gallicana.
3 *Qui poſt regnũ labile,*
Ad inæſtimabile
Sublimauit
4 *Ludouicum ſolium,*
Turmiſq; lætantium
Sociauit.
5 *Hic licet ex germine*
Primæ natus fœminæ
Delinquentis.
6 *Fugato peccamine,*
Manſit in dulcedine
Piæ mentis.
7 *Cæli rex delitias*

Filioſa-

Filiofamilias
Reſeruauit.
8 *Inuitauit filium*
Pater ad conuiuium,
Quem amauit.
9 *Fulgentem in habitu,*
A celorum ambitu
Cum pudoris exitu
Non proiecit.
10 *Quem ſanctum miraculis,*
Crebris in articulis,
Prouectis & paruulis
Patefecit.
11 *In uitæ miſeræ*
Lapſis itinere,
Ludouice rex compatere.
12 *De nobis cogita,*
Prece reſuſcita
Quos facta premunt illicita
13 *Fauente deo fiat ita.*

Amen.

Hæc proſa, rythmicæ menſuræ ſeruat regulam, diuerſis in locis difformem. Nam in ſingulis duorum primorũ verſuum, prima clauſula quæ quatuor eſt ſyllabarum: cõſonat ſecundæ clauſulę eiuſdem verſus quę eſt octo ſyllabarum, in ipſo exitu & deſinentia. Tertia verò clauſula primi verſus reſpondet tertiæ ſecundi etiam in conſimili cadentia: & vtraque earum quatuor cõplectitur ſyllabas. In ſingulis autem ſupradictorum verſuũ clauſulis: penultima ſyllaba ſemper eſt lõga. Porrò à tertio vſque ad decimum, omnes eiuſdem verſus clauſulæ ante poſtremam poſitæ, ſiue duæ fuerint ſiue tres: adinuicem conſonant in fine, & ſingulæ earum ſeptem continent ſyllabas: penultimámque breuem, poſtrema verò ſupradictorũ verſuum clauſula, quatuor tantum comprehendit ſyllabas quarum penultima eſt longa: reſponſumque habet in ſimili cadentia ad poſtremam proximi verſus clauſulam. In vndecimo verò & duodecimo verſu, ſingulæ duarum primarũ clauſularum ſex conſtringunt ſyllabas, tertia verò nouem: & ſemper earum penultima breuis eſt, omnéſque illæ tres in exitu ſyllabarum ſymphoniam ſeruant ſimilémque ſonũ. Decimuſtertius autem verſ⁹ etiam nouem eſt ſyllabarum, reſpondens in ſimili deſinentia clauſulis duodecimi verſus. Et vt paucis abſoluam, omnino cõſimilis eſt hęc proſa illi proſæ de natiuitate domini ſuperius explicatæ. Lætabundus

tabũdus exultet fidelis chorus: halelu ia. Similis inquam: & in numero verſuum, & in genere rythmi, & ipſo cõtextu. Explicat autem ſublimitatem & excellentiã gloriæ cæleſtis, ad quam deus beatum Ludouicum clariſsimum Frãcorum regem euexit: ob præclara virtutũ opera, quæ hãc degens vitam exercuit. Cæterùm illa ex hiſtoria vitæ eius in regum Francorum geſtis diffuſius deſcriptæ liquido pateſcunt, neque hoc in loco ſunt recenſenda.

3 ¶ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Qui poſt regnum labile. Regnum labile vocat author, huius mundi regnum: quód certe caducum eſt & tranſitorium. Solium verò inæſtimabile, cæleſte dicit regnum: cuius ſplendor & gloria neutiquam æſtimari poteſt. Non enim oculus vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit: quæ præparauit deus diligentibus ſe. Itaque ſenſus huius loci eſt: quòd beatum Ludouicum deus de terreno ac temporali regno ad cæleſtis & æterni gloriam ſubuexit, & cæleſtium ſpirituum ſanctorúmque omnium choris eundem aſſociauit.

Math. 22 5 ¶ In quinto verſu. Hic licet ex germine. Quanuis (inquit) Ludouicus ex primæ matris Euæ (per quam peccatũ intrauit in mundum) ſtirpe duxerit originem, non tamen illius funeſtæ propaginis ſecutus eſt contagia, ſed propulſato à ſe omni peccato, permanſit aſsiduus in tranquillitate conſcientiæ & ſuauitate animi: quam præſtat dei gratia & mens ſibi conſcia recti, de qua loquitur apoſtolus. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sicut enim grauia peccata atque enormia inferunt horrorẽ animo & amaritudinem: ita virtutes & mandatorum dei opera admirabilem afferunt tranquillitatem & ſuauitatẽ ſpiritus, quam beatus Ludouicus continue eſt expertus.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Cæli rex delitias. Reſpondet hic verſus & proxime ſequens illi parabolæ euangelicæ, qua regnum cælorum dicitur eſſe ſimile homini regi qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos qui inuitarẽt omnes ad nuptias, eáque parabola huic propoſito accommodate applicatur. Siquidem deus ipſe (inquit) rex cęli, beato Ludouico filio ſuo per adoptionem & bonam imitationem, cæleſtis gloriæ delitias tãquam ſpirituales, nuptias præparauit, ipſúmque inuitauit ad nuptiale illud æternæ dulcedinis

dinis conuiuium, quãdo decurſo huius vitæ ſtadio eundẽ per fœlicem in domino obdormitionem hinc trãſtulit ad percipiẽda gaudia paradiſi. Porrò in hoc verſu: dictio filiofamilias, coniunctim debet legi, eſt enim compoſita ex geminis partibus quarum prior inflectitur, poſterior verò declinationem non recipit: ſed ſemper manet eadem in compoſitione, ſicut & in his dictionibus paterfamilias & materfamilias idem vſu venit. Eſt autem filiusfamilias, ipſe filius qui eſt de familia domus paternæ.

9 ¶ In nono verſu. Fulgentem in habitu. In ſupradicta parabola ſcribit Matthæus, quòd cum impletæ eſſent nuptiæ diſcumbentium, intrauit rex vt videret diſcumbẽtes, & vidit vnum hominem non veſtitum veſte nuptiali cui dixit. Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtẽ nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex miniſtris ſuis. Ligatis manibus & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Quem euangelij locum author huic accommodãs propoſito: dicit quòd rex cæleſtis hoc pacto non reiecit à conuiuio nuptiali fœlitatis æternæ beatum Ludouicum cum ignominia. Nam ipſe veſtitus fuit veſte nuptiali, pulchróque virtutum & bonorum operum amictus habitu, quo adornatus refulſit ſplendidus in conſpectu domini.

10 ¶ In decimo verſu. Quem ſanctum miraculis. Deus (inquit) beati Ludouici ſanctitatem multis declarauit miraculis: quæ & ſenibus & pueris, immo cuiuſuis ætatis & ſexus hominibus ipſum in neceſsitatis articulo & anguſtia inuocantibus, mirabiliter oſtendit. His etenim ſignorum prodigiis deus beatum Ludouicum, ſanctorum catalogo aſcribendum patefecit, & in terris celebri cultu venerandum, dum per, quanti ſit apud deum meriti, quantæque dignitatis in cælis: ipſi mundo inſinuauit.

De ſancto Ludouico rege Frãcorum: alia proſa.

Regem regnum ueneremur:
Et de regis gloriemur
Ludouici gloria.

2 *Ex Francorum regni cura,*
Beatorum regni iura
Poßidet

Poßidet in patria.
3 *Ipſum Chriſto confor-*
matum
Fecit magnum & beatum,
Virtutum immenſitas.
4 *Longum fides, amor la-*
tum,
Altum ſpes, ſed nō elatum,
Profundum humilitas.
5 *Vultum habens David*
regis,
Ezechiæ zelum legis,
Et Ioſiæ ſtudium.
6 *Dictus uere lucis da-*
tor,
Vitæ cuſtos, & amator
In Chriſto uiuentium.
7 *Orbis ſignis illuſtratur,*
Capto regi reſtauratur
Liber præda perditus.
8 *Vita datur morituris,*
Claudis greſſus, lux obſcu-
ris,
Et captiuis reditus.
9 *In extremis ſucceſſorem*
Informauit, & cultorem
Eſſe dei monuit.
10 *Certus demum de co-*
rona,
Maris undis dempta zona
Cæli portum tenuit.
11 *Vita uiuens beatorum,*
Fœlix regnat rex Frācorū
In beatis ſedibus.
12 *Supplicemus ſancto*
regi
Nos ſanctorum iungi gregi
Piis eius precibus.

Amen.

Conſimilem in omnibus verſibus modulationem rythmicam continet hæc proſa. Nempe ſinguli verſus, tres cōtinent clauſulas, quarum duæ primæ adinuicem conſonantes, habent ſingulæ octo ſyllabas & penultimam longam. Tertia verò cuiuſque verſus clauſula: ſeptem complectitur ſyllabas & penultimam ipſarum breuem, reſpondétq; tertiæ clauſulæ verſus proxime adiacentis, nunc quidem præcedentis nunc verò ſequentis.

Cōmendantur in ea præclaræ virtutes & opera inſignia beati Ludouici quondam Francorum regis: quibus cū hic vitam agebat eminenter effulſit. Ob quod & multa per ipſum dominus operatus eſt miracula: in teſtimonium eximiæ ſanctitatis vitæ anteactæ. Verùm hæc omnia diffuſius in hiſtoria vitæ eiuſdē, inſuper & in opuſculo de lau-

dibus

dibus eiuſdem ſancti regis à nobis ſuperioribus annis elaborato, enarrantur. Proinde ſermo noſter hic contrahendus eſt.

3 ¶ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Ipſum Chriſto conformatum. Præcipua hominis perfectio in eo conſiſtit, quòd conformitatē in virtutibus ad Chriſtum dominum & deum noſtrum habeat imitationémq; propinquā & aſsimilationē ad ipſum. Perfectus (inquit) erit omnis, ſi ſit ſicut magiſter eius. Et rurſum. Exemplū dedi vobis: vt quemadmodū ego feci, ita & vos faciatis. Hinc ſæpius nos admonet apoſtolus: vt ſimus imitatores Chriſti. At in beato Ludouico erat admiranda conformitas virtutū ad Chriſtum: & ergo ſumma perfectio. *Luc.6* *Ioan.13* *Ephe.5* *Ephe.5*

4 ¶ In quarto verſu. Longum fides, amor latum. Apoſtolus ad Epheſios ſcribens admonet eos quod ſtudeant cōprehēdere quæ ſit longitudo, & latitudo, ſublimitas & ꝓfundum. Hęc autem quatuor hoc in loco accommodātur quatuor virtutibus ſancti regis Ludouici. Siquidem longitudo, fidei aptatur, quòd non tantum in præſentia, ſed & præterita vt mundi productionem, & futura vt reſurrectionem mortuorum diémque iudicij, extendatur. Latitudo, charitati quòd ipſa non modo amicos ambit ſuo complexu: ſed & inimicos, quos etiam in domino diligit. Sublimitas ſiue altitudo, ſpei attribuitur: quòd in ſuperna & ſupercœleſtia bona animum erigit. Demùm profunditas, humilitati aſcribitur: quòd ipſa hominem infra alios conſtituit quantum ad ſui exiſtimationem, neque ſinit eius animum efferri aut aliis ſe præponere. Hæ autem quatuor virtutes, inſigniter in ſancto rege emicuerunt.

5 ¶ In quinto verſu. Vultum habens Dauid regis. Rex Dauid, ſerenitatem animi in vultu tanquam ſpeculo habuiſſe fertur relucentem, vt ex hilaritate vultu illius, ſyncęritas cordis & ſanctitas eius perpēderetur. Simile quiddam de beato Antonio refert Athanaſius, quòd & in vultu habebat magnam gratiam: & admirabile etiam à ſaluatore hoc munus acceperat. Siquis enim (inquit) ignarus eius, inter multitudinem monachorum ipſum videre deſideraſſet: nullo indicante cæteris prætermiſſis ad Antoniū currebat, & animæ puritatem cognoſcebat in vultu, & per ſpeculum corporis: gratiam ſanctæ mentis intuebatur. *Athanaſius Sāctus Anthonius.*

Prouer. 17 Nam ſemper hilarem faciem gerens, liquido oſtendebat
Gene. 13 ſe de cæleſtibus cogitare, ſicut ſcriptura ait. Corde lętan-
3.*Reg.* 16 te, vultus floret: in mœrore conſtituto, triſtatur. Itaque & Iacob cognouit Laban ſocerum ſuum inſidias ſibi machinantem dicens ad filias eius. Non eſt facies patris veſtri: ſicut heri & nudiuſtertius. Sicut Samuel agnouit Dauid. Lætiores enim habebat oculos & dentes ſicut lac candidos. Similiter agnoſcebatur Antonius: quia ſemper eandem faciem inter proſpera & aduerſa tenens, nec ſecundis extollebatur nec frangebatur aduerſis. Hæc, de beato Antonio Athanaſius. Ex quibus verbis & id perſpicuum euadit, quòd de vultu Dauid regis dictum eſt, quomodo hilaritatem quandam præ ſe ſe ferens, ſereniorem ac lætiorem eius animum indicabat. Ita & beatus Ludouicus vultum gerebat ſerenitate & hilaritate indicantem interioris hominis ſynceritatem & puritatem, quemadmodum de ipſo canit eccleſia. O quàm dulce ſpectaculum in Ludouico cerneret: qui virtutis ſignaculum eius vultũ inſpiceret. Eſt igitur ipſe myſtice Dauid, qui interpretatur vultu deſiderabilis. Ezechiæ verò & Ioſiæ zelum habuit idem rex ſanctus: ad ea extirpanda quæ vergebant in ignominiam aut cõtemptum diuini nominis, ſicut illi duo reges Iuda præclaris laudibus commendantur in ſcriptura, ob ardentiſsimum ſtudium euellẽdi omnem idolorum ſpurcitiam & cultum: à præcedentibus inductum regibus & obſeruatum à populo.

6 ¶ In ſexto verſu. Dictus verè lucis dator. Explicat
4. *Reg.* 18 hic verſus interpretationẽ nominis Ludouicus, quod ſe-
4. *Reg.* 13 cundum quatuor ſuarum ſyllabarum numerum ita interpretatur: lucis dator, vitæ cuſtos, vt primæ ſyllabæ prima reſpondeat dictio, ſecundæ ſecunda: & ita deinceps. Quã ſanè expoſitionem: & hic verſus hymni de ipſo compoſiti etiam continet. Ludouicus ex nomine, lucis dator exprimitur: & cuſtos in certamine præſentis vitæ ponitur. Lucis quidem dator, quòd bene viuendi exemplum tãquam lucem quandam omnibus præſtabat, qua dirigerent ſuos greſſus. Vitæ verò cuſtos, rectè dicitur Ludouicus: quòd probe viuendo cuſtodiuerit vitam animæ & in ſeipſo & in ſubditis, quos ad bonum ſuo hortatu & exemplo conuertit.

In

9 ❡ In ſeptimo verſu. Capto regi reſtauratur. Cum captus eſſet rex Ludouicus in prima expeditione ſua contra Saracenos apud Damiatã: dei nutu occulto, libertas illi eſt reſtituta pro modico admodum redemptionis precio, per pactum exoluendo. Vt præda quæ inciderat in manus hoſtium, quaſi deperdita cenſeri debuerit, quòd nõ tantũ ex ea captiuitate habuerint emolumentum, quantum humano iudicio putabatur.

10 ❡ In decimo verſu. Maris vndis dempta zona. Qui iã portum tenet, amplius non nauigaturus: anchoras & retinacula ſoluere impune poteſt, quibus nauis in mari detinebatur. Ita finito præſentis vitæ curſu, ad ſtationẽ æternæ quietis peruenit Ludouicus, per ſolutionem animæ à corpore.

De ſancto Auguſtino.

INterni feſti gaudia,
Noſtra ſonet harmonia
2 *Quo mens in ſe pacifica,*
Vera frequentat ſabbata.
3 *Mundi cordis lætitia,*
Odorans uera gaudia.
4 *Quibus prægustat auida,*
Quæ ſit ſanctorum gloria.
5 *Qua lætatur in patria*
Cælicolarum curia.
6 *Regem donantem præmia,*
Sua cernens in gloria.
7 *Beata illa patria,*
Quæ neſcit niſi gaudia.
Nam ciues huius patriæ
Non ceſſant laudes canerẽ.
8 *Quos ille dulcor afficit:*
Quẽ nullus mœror inficit.
Quos nullus hoſtis impetit,
Nulluſq; turbo concutit.
9 *Vbi dies clariſſima,*
Melior eſt quàm milia.
Luce lucens præfulgida,
Plena dei notitia.
10 *Quã mẽs humana capere*
Nec lĩgua ualet ꝓmere, ſed
Donec uitæ uictoria
Commutet hæc mortalia.
11 *Quãdo deus eſt omnia,*
Vita, uirtus, ſcientia.
Victus, ueſtis & cætera,
Quæ uelle poteſt mens pia.
12 *Hoc in hac ualle miſera*

Meditetur mens ſobria.
Hoc per ſoporem ſentiat.
Hoc attendat dum uigilat.
13 *Quo mundi poſt exilia*
Coronetur in patria,
Ac in decoris gloria
Regem laudet per ſecula.
14 *Harum laudum præco nia,*
Imitatur eccleſia.
15 *Dum recenſentur annua*
Sanctorum natalitia.
16 *Cum poſt peracta prælia*
Digna redduntur præmia.
17 *Pro paßione, roſea.*
Pro caſtitate, candida.
18 *Datur & torques aurea,*
Pro doctrina catholica
19 *Qua præfulget Auguſtinus,*
In ſummi regis curia.
20 *Cuius librorum copia,*
Fides firmatur unica.
21 *Hinc & mater eccleſia*
Vitat errorum deuia.
22 *Huius ſequi ueſtigia*
Ac prædicare dogmata
23 *Fide recta ac feruida*
Det nobis mater gratiæ.

Amen.

Hæc proſa, modulatione rythmica perſimilis eſt illi de ſancto Bartholomeo ſuperius expoſitæ. Laudemus omnes inclyta: Bartholomei merita. Author eius, Adam de ſancto Victore. Deſcribitur in ea, ſuaui admodum vocalitate cæleſtis illa gloria: quam ſancti in ſuperna ciuitate Hieruſalem percipiunt, & cum deo, perpetuo obtinebũt, vbi nullus dolori aut mœrori amplius eſt locus: vbi bonorum omnium vbertas & interminabile gaudium. Cæterùm conſpirat propemodum & plane conuenit hæc proſa in ſententia (ſicut & genere rythmi) cum illo elegantiſſimo eiuſdem authoris rythmico cantico: quod paulo pòſt de omnibus ſanctis exponetur. Supernæ matris gaudia repræſentet eccleſia. Id ſolum inter hanc & illam proſam eſt diſcriminis quòd illa ſanctis omnibus cuiuſuis ordinis eſt conueniens, hæc verò peculiaris & propria ſacris eccleſiæ catholicæ doctoribus: qui doctrina ſua & ſcripturæ ſanctę explanatione eam maiorem in modum illuſtrarunt

runt. Porrò quanuis in prima clauſula deciminoni verſus huius proſæ: ſancti Auguſtini nomen duntaxat exprimatur, vt illi peculiariter hoc loco adaptetur, cuius tamen aliorum eccleſiæ doctorum nihilo ſecius accommodari decentiſsime poteſt, cõmutato duntaxat nomine Auguſtini: in nomen Hieronymi, Ambroſij aut Gregorij, in eodem loco. Nempe huiuſmodi mutatio nominis neque rythmicam lædet ſonoritatem, quin potius illam reddet vocaliorem, ob penultimam ſyllabam illorum nominum breuem. Neque ſententiam etiam offendet, nam ea haud minus ſingulis aliis doctoribus quàm Auguſtino: integre conuenire dinoſcitur.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Interni feſti gaudia. Internum feſtum vocat hic author interiorem illam pij animi lætitiam & exultationem in domino, quã perfuſus diuina dulcedine in ſe percipit: cum tranquillitatem & pacem conſcientiæ cum deo ſentiens, ab omnibus curis mũdi ſequeſtratus ac liber: ſoli deo vacat, illiúſque laudi & contemplationi iugiter eſt intentus. Nempe hanc requiem internam conſecutus animus ex vitę munditia ac puritate, & ſpirituale quodam modo celebrans ſabbatum: ſubolfacit & tenuiter pręguſtat illa cæleſtis regni gaudia, quibus ſancti fœliciſſime perfruuntur. Et ad illa ſuſpirans ardenter, in hanc ſępius erumpit vocem. Quando veniam & apparebo ante faciem dei? *Pſal. 41* *Pſal. 84* *Apoc. 7*

7 ¶ In ſeptimo verſu. Nam ciues eius patriæ. Conſonat hoc dictum illi verbo diuini pſaltis. Beati qui habitant in domo tua domine: in ſecula ſeculorum laudabũt te. Quòd autem domus illius ciues nullo turbine hoſtili concutiantur amplius, vt hæc dicit litera: teſtatur diuinorum ſpectaculorum reſerator Ioannes in Apocalypſi, dicens de illis. Non eſurient neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol neque vllus æſtus, quoniã agnus qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Et mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra: quæ prima abierunt. Denique quòd in lucidiſsima illa viuorum regione dies vna melior ſit quàm multa milia dierum huius clamitoſæ vitæ: perhibet etiam pſalmographus, dicens. Quia melior *Apoc. 21* *Pſal. 48*

eſt dies vna in atriis tuis: ſuper milia. Demùm inſignem illius diuinę domus ſplēdorem inſinuat beatus Ioannes his verbis. Et ciuitas non eget ſole neque luna: vt luceant in

Apoc.21 ea. Nam claritas dei illuminabit illam: & lucerna eius eſt agnus. Et portæ non claudentur per diem: nox enim non erit illic.

10 ¶ In decimo verſu. Quam mens humana capere. Conſonat idipſum ſentētiæ ſancti Pauli ad Corinthios ita ſcribenus.

1.Corin.2 Nec oculus vidit, nec auris audiuit nec in cor hominis aſcendit: quæ præparauit deus diligentibus ſe, hæc tamē tum primum percipientur ab iis qui filij ſunt regni: cum vita ipſa victoriam fuerit aſſecuta ſuper mortalem hanc noſtram conditionem, id eſt cum ſors mortalitatis fuerit in nobis finita per immortalitatis gloriā, quod quidam particulatim in ſanctis ipſis contingit: quando beatę eorū animæ corporeis exutæ vinculis immortali vita potiuntur in cælo. Perfecte verò & conſummate illud complebitur in fine mundi: quando abſorpta erit mors in victoria vitæ, & mortale hoc induet immortalitatem & corruptibile incorruptibilitatem. Tūc enim victrix vita mor

1.Corin.15 tis commutabit hæc mortalia, nam ſuſtollet etiam à corporibus noſtris miſeriam mortalitatis, & immortali virtute illa præcinget. In illa iidem fœlicitate æterna deus erit (vt ait Paulus) omnia in omnibus: & ſanctis illis cæli ciuibus idem futurus eſt omninm bonorum quæ expeti poſſunt plenitudo, exuberantia & copia. Enimuerò erit ipſis fons vitæ, vigor indeficiens, & omnis ſcientiæ notio, erit & eiſdem cibus atque perpetua refectio, amictus item ſpiritualis: immenſo ſuæ gloriæ lumine ipſos circunfulgens, & cætera bona quæ ad perfectiorem animæ poſſent exoptari.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Harum laudum præconia. Beatorum in cælo gaudia, fœlicitatem & gloriam exprimit (inquit) ſymbolo quodam eccleſia catholica in terris conſiſtens, cum ſolennitates ſanctorū & fœlicem ex hoc mundo ad cælos tranſitum quotannis celebrat. Sunt enim hi dies feſti ſanctorum hic cum celebritate ſolēnes: quaſi imago quædam & repræſentatio illius ſummæ iucunditatis & lætitiæ, quam in cælis iugiter & continue obtineat. Verùm hæc feſta: annua ſunt: illa verò in cæleſti Hieru-

ſalem

ſalem, perpetua. Hęc finem habent: & reuolutione tempo ris redeũt, illa: intermina ſunt & neſcia finis. Hæc plærunque ob interuenientem caſum triſtem fiunt lugubria: vt dictum eſt per Amos prophetam. Dies feſti veſtri cõuertentur in lamentationem & luctum. Illa autem mœroris omnis & luctus ſunt immunia. Denique his feſtis noſtris ſuccedunt dies laborum: illa verò continuum habent ſabbatum placidámque requiem. A modo enim iam dicit ſpiritus: vt requieſcant à laboribus ſuis. Siquidem in illo ſupernæ ciuitatis die feſto diſtribuuntur pro tranſactis laboribus præmia iis: qui in labore huius vitæ legitimè certauerint. Vt ſanctis qui ſanguinem ſuum fuderunt pro Chriſto: roſea datur corona, propter purpureum colorẽ martyrio reſpondentẽ. Illis verò qui incontaminatam ſeruarũt & corporis & animi caſtitatẽ: candida, quòd virgineæ puritatis candor ſit index. Denique qui doctrinam ſacræ fidei ſuo labore elucidarunt: aurea inſigniuntur torque, tum quòd aurum: diuinorum eloquiorum ſplendorem ſæpius in ſcriptura inſinuat, tum qnod apud priſcos, ſapientes: eo inſigni, torquis ſcilicet aureæ, adornati fuerint ſoliti, quod colli & pectoris eſt ornamentum. Sapientia autem: & pectore reconditur, & voce depromitur. Vnde Sapiens in prouerbiis. Vt addatur gratia capiti tuo: & torques collo tuo.

Amos. 8
Tobiæ. 2
Apoc. 14
Prouerb. 1

In feſto decollationis ſancti Ioannis baptiſtæ.

PRæcurſorem ſummi regis,
Et præconem nouæ legis
Celebrat eccleſia.
2 *In hac luce tam feſtiua*
Gaude mater, & uotiua.
Deprome præconia.
3 *Huius ortum ueneremur,*
Sed minus delectemur,
In eius martyrio.
4 *Totus mundus ſit iocundus,*
Nulli martyr hic ſecundus
Virtute uel præmio.
5 *Non eſt noſtræ paruitatis:*

Virum tantæ ſanctitatis
Laudare per omnia.
6 Summa rei recitetur,
Vt affectus inflammetur
Ex eius memoria.
7 Non arundo leuitatis:
Sed columna ueritatis
Nulla palpat crimina.
8 Scribas tangit & docto
res,
Vocans legis trãſgreſſores
Viperæ genimina.
9 Arguebat hic Herodem,
Nec terretur ab eodem
Ligatus in carcere.
10 Fert iniuſte iuſtus pœnam:
Rem deteſtans tam obſcœnan
Regis & adulteræ.
11 Sæuit in hunc uis tyranni.
Laus accreſcit hinc Ioãni,
Tyranno ſupplicium.
12 Stultus ſeruit ſapienti.
Quia iuſtus in præſenti,
Purgatur per impium:
13 In natalis ſui cœna,
Capitali plecti pœna
Ioannem rex imperat.
14 Spiculator ſaltatrici,
Saltatrix dat genitrici
Caput, quod petierat.
15 Crux præſignat ſublimari
Chriſtum ſed hunc minorari
Capitis abſciſio.
16 Mors eſt iuſti precioſa,
Quam præceßit glorioſa
Vitæ conuerſatio.
17 Nos ad laudem tui Chriſte,
Præcurſoris & baptiſtæ
Colimus ſolennia.
18 Tu nos ab hac mortis ualle,
Duc ad uitam recto calle
Per eius ueſtigia.

Amen.

Hæc proſa rythmicæ conſonantiæ regulam vniformẽ obſeruat: ſicut illa de eiuſdem ſancti Ioãnis natiuitate, prius explanata. Præcurſoris & baptiſtæ. Author eius, Adam de ſancto Victore. Commendat autem beatum Ioannem ob præclaras eius virtutes, & præſertim inuictam animi conſtantiam qua intrepidus arguit ſcribas & phariſæos,

phariſæos: quinimmò & Herodem regem propter adulterium, ob quod & in carcerem coniectus & demùm capite obtruncatus: omnia æquanimiter ſuſtinuit pro iuſtitiæ & veritatis defenſione, vt ex lectione euangelica dilucidum eſt & conſpicuum,

4 ❡ANNOTATIONES. In quarto verſu. Nulli martyr hic ſecundus. Plerique libri hanc clauſulam ita habent contextam, nullus martyr huic ſecundus: ſed perperam & inemendate. Nam cum ſecundus dicatur qui alium ſequitur loco, ordine, virtute aut dignitate, eſtq; alio poſterior, qui dicit quòd nullus martyr eſt huic Ioanni ſecundus: is ꝓfecto ſignificat nullum alium martyrem Ioanni cedere ſanctitate, aut ipſo eſſe inferiorem: ſed vel æqualē virtute vel ſuperiorem. Quæ quidem ſententia non ſolum falſa eſt: ſed etiam omnino oppoſita illi quam author intendit his verbis exprimere, ad deſignandam eminentiam beati Ioannis ſupra cæteros. Itaque legendum eſt potius vt habet litera, nulli martyr hic ſecundus, quandoquidem hæc oratio ſignificat Ioannem nulli martyrum aut ſanctorum cedere virtute aut præmio, ipſumque nullo alio eſſe minorem, ꝙ mirificè eius præſtantiam & præcellentiam vltra alios arguit: & omnino conſonum eſt his domini verbis. Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne baptiſta. Et ſanè conſimili ratione loquendi Ouidius vt ſignificaret Aeneā cæteros omnes pietate antecellere: dixit de eo. Vir magnꝰ bello: nulli pietate ſecundus. Mat. 11.

7 ❡In ſeptimo verſu. Non arundo leuitatis. Hoc dictum ex euangelio deſumptum eſt: vbi dominus in Ioannis commendationem dixiſſe legitur ad turbas. Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Quo interrogādi modo & ſchemate innuit eum Chriſtus non fuiſſe talem vtpote nec inconſtantem nec leuem animo, neque facilem in quamlibet inflecti partem humano impulſu: inſtar arundinis quæ agitatur vento, ſed fuiſſe columnam veritatis, firmum ſcilicet animo & à veritate atque iuſtitia indeflexibilem, & ergo ipſum nulla vitia molliter diſſimulaſſe aut tacita dimiſiſſe, ſed citra omnem adulationem feruenti zelo quoſuis hominum reprehendiſſe.

8 ❡In octauo verſu. Scribas tangit & doctores. Id ex euāgelio conſtat vbi Matthæus ſcribit de Ioanne quòd videns

multos

multos phariſæorum & ſaduceorum venientes ad baptiſmum ſuum dixit eis. Progenies viperarum: quis demonſtrabit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Lucas autem eundem deſcribens locum
Luc. 3. dicit illos eſſe vocatos à Ioanne, genimina viperarum, & in eandem cum Matthæo redit ſententiam: huic tamē verſui quantum ad verborum contextum vicinius eſt & quadrantius.

12 ℭ In duodecimo verſu. Stultus ſeruit ſapienti. Conſonat huius clauſulę ſententia illi dicto Salomonis in prouerbiis. Qui ſtultus eſt, ſeruit ſapienti, & ex eo deducta eſt: Nempe in hac vita mortali: improbi & praui ſolent tribulationibus affligere bonos, & perſecutionibus opprimere.
Prou. 11 Quas cum iuſti viri æquo perferunt animo & in patientia purgantur per eas à maculis vitiorum pro fragilitate humana contractis. Quare ad huiuſmodi peccatorum expiationem mali præbent bonis miniſterium, materiam, & occaſionem, ſuntque velut huiuſce purgationis inſtrumentū, & hoc modo qui mali ſunt. bonis quos perſequuntur ſeruiunt, ſicut qui flagello excutit triticum à palea, aut qui aurum in fornace excoquit, ſeruit tritico & auro mūdando.

15 ℭ In decimoquinto verſu. Crux præſignat ſublimari. Illud præconium Ioannis de Chriſto, in euangelio ſcriptū Illum oportet creſcere, me autem minui, præſens verſus exponit quaſi dictum à Ioanne ad deſignandum genꝰ mortis ipſius Chriſti, & ſuæ ipſius: vtputa quod dixerit Chriſtum creſcere debere: quia in cruce exultandus eſſet à terra, ſeipſum autem aſſeruerit Ioannes minuendum: quia ca
Ioan. 3 pite foret obtruncandus, & ita ſecundum corporis quantitatem minor futurus. Verum quanuis ea expoſitio videatur ingenioſe excogitata, & ſecundum euentum rei poſtea conſecutum, humano placito, ſtudio & arbitratu adinuenta: non tamen reſpondet (meo quidem iudicio) intentioni beati Ioannis, neque ſenſui literali illius loci vbi ſcribitur ipſe ea verba protuliſſe. Quinpotius vera illius dicti ſententia ea eſt: quam aſſignat beatus Gregorius in homilia euangelij quod legitur in ſabbato quatuor temporū in aduentu domini, vbi ſupradicta euangelij verba exponens: ait. Hac in re quærendum eſt, in quo creuit Chriſtꝰ, in quo minutus eſt Ioannes? niſi quòd populus Ioānis abſtinentiam

ſtinentiam videns, remotum hunc ab hominibus eſſe conſpiciens: eum Chriſtum eſſe putabat. Chriſtum verò cum publicanis comedentem, & inter peccatores ambulantem intuens: eum non Chriſtum ſed prophetam eſſe credebat. Sed cum per acceſſum temporis, Chriſtus qui propheta eſſe putabatur: Chriſtus eſt agnitus, & Ioannes qui Chriſtus eſſe putabatur, propheta eſſe innotuit: impletum eſt quod de Chriſto ſuus præcurſor prædixit. Illum oportet creſcere: me autem minui. In æſtimatione quippe populi & Chriſtus creuit: & agnitus eſt quod erat, & Ioannes decreuit: quia ceſſauit dici quod non erat. Hæc Gregorius. Cui quidem expoſitioni tanquam accommodatiori ad ſenſum euangelicum & aptiori ad propoſitum: potius ſtandum eſt & accedendum quàm arbitrariæ præſentis verſus ſententiæ.

De ſancto Fiacrio proſa.

Lvcernæ nouæ ſpeculæ:
Illuſtratur Hybernia.
2 *Coruſcat meldis inſula*
Tantæ lucis præſentia,
3 *Illa miſit Fiacrium*
Hæc miſſum habet radiũ.
4 *Habent commune gaudium,*
Hæc patrem, illa filiũm.
5 *Ad uitam ſolitariam*
Suſpirans, exit patriam.
6 *Faronem Meldis reperit,*
Cui ſuum uotum aperit.
6 *Hunc loco ſolitario,*
Locat in ſolo proprio
8 *Sic fit Ioanni ſimilis,*
Cultor deſerti ſterilis.
9 *Dum locũ ſignat baculo,*
Nouo nemus miraculo
10 *Tanquam cæſum deiicitur,*
Humo non foſſa cingitur.
11 *Sic ſancti uiri meritum*
Loci dilatat ambitum.
12 *Res innoteſcit fœminæ*
Accuſat ut de crimine.
13 *Damnat opus malefici.*
Diffamat artem magici.
14 *Præſentandus hic præſidi,*

Laſſus

Laſſus inſedit lapidi.
15 *Lapis cedit nec cæditur*
Petræ cedes inſculpitur.
O fœminæ nequitia
Petræ maior duritia.
16 *Orat, ne loci limina*
Immunis intret fœmina.
Hæc eſt cauſa, cur fœminæ
Arceantur eius limine.
17 *Hic miſeris refugium*
Infirmis refrigerium.
Peregrinis hoſpitium
Spes lapſis, mœſtis gau-
dium,
18 *Vitam arctat ieiunio,*
Somno breui, cilicio.
Se dum occultat latebris,
Mundo fit mag:s celebris.
19 *Virtutũ fulget titulis,*
Medetur cæcis oculis,
Polypo, fico, calculis,
Febribus, morbis ſingulis:
20 *Fidentem in Fiacrio,*
Nulla lædet corruptio.
21 *Pia cuius deuotio,*
Purgat ab omni uitio.

¶ Hæc proſa in omnibus verſibus(ſiue duas habeãt clau
ſulas rythmicas: ſiue quatuor)eandem ſeruat rythmi for-
mam ac ſpeciem, quandoquidem in omnibus clauſulis to-
tius proſæ, octo contineantur ſyllabæ: quarum penultima
corripitur, habentq; ſingulę clauſulę reſponſum in conſi-
mili deſinentia: vel ad proximã clauſulã, vel ad eã quæ ter
tio ab ea loco & vnius clauſulę interſtitio cõſtituitur. Re-
feruntur in ea ſancti Fiacrij præconia & virtutes, contem-
ptus mundi, loci natalis dimiſſio, vita eremitica, & multi-
moda miracula atq; ſanitatis beneficia, quę de⁹ per ipſum
largitus eſt mortalibus, & illius precibus quotidie impar-
titur. 3 ¶ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Illa mi
ſit Fiacrium, hæc miſſum habet radium. Illa Hybernia ſci-
licet, ſancti Fiacrij natale ſolum, quæ inſula eſt inter ſeptẽ-
trionẽ & occidentẽ ſolẽ dimidio minor quàm Britãnia ma
ior ſiue Anglia: cui propinqua eſt, ab hyberno tempore(vt
quidã putant)ſic appellata, propter hyemis aſperitatem &
magnitudinem. Hæc: Meldis inſula, quæ Fiacrium aſpiran
tem ad vitam eremiticam ſuo ſuſcepit gremio: & ad exitum
vſque vitæ benigno ſinu fouit. Itaque Hybernia Fiacrium
habuit filium: quoniam illic in lucem eſt editus, & in pue-
rili ætate educatus. Meldis autem regio eundem habuit pa
trẽ: quoniam iam prouectus ad grandiorem ætatem & vir
tutum exercitio maturus, illic vitam ſuam tranſegit.

¶ In

6 ¶In ſexto verſu. Faronem Meldis reperit. Hic Faron, epiſcopus erat Meldenſis ea tempeſtate, qua ſanct⁹ Fiacri⁹ ex Hybernia in Franciam venit: quærens locum vitæ eremiticæ ducendæ accommodum. Qui in nemore haud procul à Meldis diſtante deſignauit eidem aptum habitationis locum: in quo cellam cõſtrueret, & vitam ageret ſolitariã. Cúmque eum locum Fiacrius baculo ſuo ſignaret, & certo definiret limite, arbores intra illius loci complexum conſitæ protinus in terram quaſi ſecuribus ſuccisæ ceciderunt. Quod conſpicata fœmina quædam illac tranſiens: non miraculo (vt debuit) hoc opus attribuit, ſed arti magicæ & dæmonum præſtigiis, ipſúmque Fiacrium accuſauit apud præſidem tanquam maleficum & ſuperſtitioſis atque ſortilegis artibus imbutum: Ipſe verò ſanctus indolens hanc calumniam innocenti ſibi irrogari: defeſſus, & animo cõſternatus inſedit lapidi, qui protinus poſita duritia ceſſit ſancto corpori, ſedémque aptauit concauitate cõueniente capacem ipſius: in teſtimonium ſuæ innocentiæ. Deinde conſtructo ſacello petiuit à domino: ne vlla vnquam mulier ſubiret illum locum impunéque intraret, & ita vnius quæ inſontem accuſauerat peccatum: in omnibus puniretur. Quod à domino impetraſſe dicitur: & ad hanc vſque ætatem illud integrum, illabefactúmque ſeruatur.

19 ¶In decimonono verſu. Polypo, fico, calculis. A polypo piſce marino à multis pedibus id nomen ſortito: dictus eſt etiam polypus narium morbus, cum caro interiora naſi occupat maxime flante Euro, à ſimilitudine marini polypi quod eius carni ſimilis ſit. Tunc enim caro radices agit plurimas: quæ tanquam pedes ſunt, hinc polypoſus dicitur: qui eo morbo laborat: Martialis. Naſutum volo non polypoſum. Ficus autem cum maſculini generis eſt & ſecũdę declinationis: morbus eſt & corporis vitium, cum caro in vlcus excreſcit & tuberculum: intus ſaniem & pus continens naſciturq; in capite, barba, & cęteris corporis partib⁹ quæ pilis teguntur. Martialis. Dicemus ficos Cæciliane tuos. Inde ficoſus: ficis & vlceribus eiuſmodi plen⁹. Demùm calculus, lapillus eſt in ore veſicę, impediens vrinæ emiſſionem: & inferens grauiſſimos cruciatus. Qui eo laborant morbo, niſi maturè occurratur, lætali: calculoſi à latinis dicitur.

De ſancto Egidio proſa.

Promat pia uox cantoris:
Huius laudem confeſſoris.
Ipſum laudans præſens chorus:
Fit feſtiuus & canorus.
2 Fide fuit deo charus:
Mundi quoque ſtirpe clarus.
Mundi tamen ſpreuit faſtum:
Se conſeruans deo caſtum.
3 Adhuc æuo puerilis,
Senſu fuit tam ſubtilis:
Quod in breui fit doctorum
Doctor ipſe dictorum.
4 Ardens intus charitate:
Foris lucet honeſtate
Intus ardens uis amoris:
Per exemplum lucis foris.
5 Dum languenti præbet ueſtem.
Mox languoris fugat peſtem,
Ex diuina dans uirtute,
Veſtem ſimul cum ſalute.
6 Quicquid rerum poßidebat,
Chriſto dedit quem colebat,
Fit egenus, ut egeni
Fiant eius bonis pleni.
7 Dum egenis hoc impendit,
Chriſtus ei plus rependit.
Dans pro Chriſto tranſitura,
Promeretur permanſura.
8 Quod fateri rex ueretur,
Scelus ſcire promeretur.
Chriſtus ei reuelauit
Scelus, quod rex perpetrauit,
9 Nam altari dum aſtaret,
Dumque miſſam celebraret,
De ſupernis charta miſſa,
Regis pandit huic commiſſa.
10 Hic horrendæ rei reum
Regem uidens apud deum,
Iam pro rege ſupplex orat,
Cuius culpam non ignorat,

Seru•

11 Seruo dei non ingratũ
Cerua præbet famulatum.
Seruit cerua nutu dei,
Quaſi grates agens ei.
12 Plura poſſunt reperiri
Mira facta tanti uiri,
Quibus clarè demonſtratur
Quàm præclarus habeatur
13 Hic præſentem iunet chorum:
Vt in regno beatorum
Regem uidens ſempiternum
Glorietur in æternum.
Amen.

¶ Vniformem & in omnibus verſibus eandem rythmi ſpeciem ac rationem: præſens obſeruat proſa. In ſingulis enim eorum, quatuor continet clauſulas rythmicas: quanque earum octo ſyllabis conſtantem, quarum penultima eſt longa. Duæ autem primæ eiuſdem verſus clauſulæ, inter ſe conſonantiam habent: & duæ etiam poſtremæ adinuicem. Cómemorantur in ea virtutes & præconia ſanctiſſimi Egidij, præclara ipſius indoles, mundi contemptus pro Christo, vitæ ſanctitas rara & admirabilis miracula ab ipſo cum adhuc viueret cooperante dei virtute facta: in teſtimonium bonitatis eius.

3 ¶ANNOTATIONES. In tertio verſu. Adhuc æuo puerilis. Sanctus. Egidius Athenis ex regia ſtirpe progenitus, & ſacris literis ab infantia apprime eruditus: tanta fuit ingenij perſpicacitate & capacitate: vt adiuuante dei gratia magiſtros & præceptores ſuos doctrina demùm antecelleret, eſſétque ſuorum magiſtrorum doctor. Vnde cum propheta: illud verbum pſalmi decantare domino potuit. Super omnes docentes me intellexi: quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi: quia mandata tua quæſiui. Pſal. 118.

5 ¶In quinto verſu. Dum languenti præbet veſtẽ. Adhuc in teneriuſcula ętate cõſtitutus ſanctus Egidius & necdum parentibus ſuis orbatus: cum quadã die templum accederet, cuidam ægroto in platea iacenti & eleemoſynam petenti tunicam ſuam tribuit: qua indut⁹ ęgrot⁹ integram ſanitatem mox recepit. Suis autem parentibus in domino piè defunctis: patrimonij ſui Chriſtum fecit hæredem, nam bona ſua omnia pauperibus diſtribuit, quemadmodũ ſequens

verſus

verſus explicat, vt pauper ipſe Chriſtum pauperem expeditius ſequeretur, de quo ſcribit Paulus ad Corinthios. Scitis enim gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt cum eſſet diues: vt illius inopia vos diuites eſſetis.

8 ¶ In octauo verſu. Quod fateri rex veretur. Carolus rex Francorum audita ſancti Egidij fama percelebri: rogauit eundem vt ad ſe veniret ſalutaribus monitis inſtituendum. Venientem cum magna veneratione & reuerentia ſuſcepit, ac poſt mutua colloquia ad animæ ſpectantia ſalutẽ rogauit eundem rex vt pro ſe dignaretur Egidius deũ orare, quia ſcelus quoddã infandum commiſerat, quod nulli mortalium nec ipſi ſancto auderet confiteri. Sequente autem die dominica cum ſanctus Egidius altaris ſacrificium deo offerens, pro rege inſtantius oraret: angelus domini eidem apparens chartam ſuper altare poſuit, in qua ſcriptũ erat per ordinem & regis peccatum, & Egidij precibus à domino dimiſſum: ſi tamen pœnitens & confitens ab illo deinceps abſtineret. Oblata igitur regi charta illa cælitus delata: peccatum ſuum humiliter confeſſus eſt, & veniã humiliter poſtulauit.

11 ¶ In vndecimo verſu. Cerua præbet famulatum. Beat^9 Egidius relicto natali ſolo, vt peregrinus pro Chriſto in aliena terra ac ignotus degeret: haud longè ab Arelatenſi ciuitate interiorem ſubiens eremum vt ſolitariam ageret vitam, antrum quoddã & fonticulum reperit ſuo propoſito idoneum, habuit ibidem & quandam ceruam diuinitus ſibi præparatam in nutricem: quæ certis horis lactis alimoniam illi præberet, hanc conſpicientes regis venatores: cũ canibus venaticis acriter eam inſequuntur. Illa verò cum vehementer ab ipſis premeretur: ad pedes ſui confugit alũni tanquam ad aſylum, ſalutiſque præſidium. Pro qua & ſanctus vir orauit deum: vt incolumis cõſeruaretur. Cũq; canes appropinquare loco non auderent, ſed cum vlulatu ad ſuos reuerterentur: vnus venatorum incautè ſagittam eiaculans vt ceruam inde effugaret, ſanctum Egidium pro cerua orantem ſauciauit. Rex autem re cognita: medicinã vulneri adhibere voluit, quam omnino recuſauit vir ſanctus: dominum rogans quòd quandiu viueret, ſanitati non reſtitueretur.

De

De natiuitate beatæ Mariæ uirginis.

Natiuitas Mariæ uirginis
Quæ nos lauit à labe criminis
Celebretur hodie.
Dies eſt lætitiæ.

2 *De radice Ieſſe propaginis*
Hanc eduxit ſol ueri luminis,
Manu ſapientiæ
Templum ſuæ gratiæ.

3 *Stella noua nouiter oritur*
Cuius ortu mors noſtra moritur.
Euæ lapſus iam reſtituitur
In Maria.

4 *Vt aurora ſurgens progreditur*
Sicut luna pulchra deſcribitur,
Super cunctas ut ſol erigitur
Virgo pia.

5 *Virgo mater & uirgo unica.*
Virga fumi ſed aromatica,
In te cæli mundique fabrica.
Gloriatur.

6 *Te ſignarunt ora prophetica,*
Tibi canit Salomon cantica
Canticorum, te uox angelica
Proteſtatur.

7 *Verbum patris proceſſu temporis*
Intrat tui ſecretum corporis
In te totum, & totum de foris
Simul fuit.

8 *Fructus uirens arentis arboris,*
Chriſtus gigas immenſi roboris:
Nos à nexu funeſti pignoris
Eripuit.

9 *Condoluit humano generi*
Virginalis filius uteri.
Accingantur ſenes & pueri.
Ad laudem uirginis.

10 *Qui potuit de nobis cõqueri*
Pro peccato parentis ueteris:

Mediator uoluit fieri
Dei & hominis.
11 *O Maria dulce cõmer*
cium
Intrat tuum cæleſte gre-
mium:
Quo ſalutis rei remedium
Indulgetur.
12 *O ſpes uera & uerũm*
gaudium
Fac poſt uitæ præſentis ſta
dium,
Vt optatum in cælis brauiũ
Nobis detur. Amen.

¶ Huius proſæ rythmica ſonoritas & menſura, eadem eſt & perſimilis ei quæ obſeruatur in illa proſa de dedicatione eccleſiæ ſuperius declarata. Hieruſalem & Sion filię. Quòd ſi huius ab illa, aliqua interdum occurrit difformitas & diuerſitas (ſicut & in pleriſque locis ea comperitur) facile inter legendum internoſci poterit, & ex ipſo clauſularum contextu deprehendi. Deſcribit autem ipſam nobilitatem ortus glorioſæ virginis ex Dauidica ſtirpe, & ſingularem ipſius dignitatem: variis rerum ſenſibilium nominibus vt ſtellæ, auroræ, ſolis, lunæ, virgæ aromaticę expreſſam. Commendat inſuper ipſius excellentiam, quòd propheticis fuerit oraculis ſæpenumero prius adductis ſignata, quòd dei etiam filium caſtis ſit complexa viſceribus, & humanæ carnis induerit amictu: à quo totius mundi facta eſt redemptio. Demùm piam fidelis populi orationem ad ipſam dirigit: implorantis aſſidua eius apud filium ſuffragia, & poſt hanc vitam æterna cæli gaudia.

Cant. 6. 4 ¶ ANNOTATIONES. In quarto verſu Aurora ſurgens progreditur. Depromptum eſt illud ſacroſanctæ virginis Marię pręconium ex Canticis canticorum: vbi ait Salomon: Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora cõſurgens: pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Vbi merito aurora nominatur beata virgo: nam depulſa ignorantiæ & vitiorum nocte, veri ſolis ortũ ſuo ſplendore præuenit. Luna verò, quia nobis in caligine noctis huius mundi oberrantibus ſuum lumen benigniter impendit. Dicitur & ſol, quod totum mundum ſuarum virtutum & gratiæ fulgore illuminat. Demùm ipſa terribilis eſt dæmonibus vt acies caſtrorum ordinata: quia ſuæ poteſtatis pede contriuit caput ſerpentis, & totã malignorũ ſpirituum

rituum cateruam tanquam cæleſtium acies caſtrorũ profligat,atque in trepidam fugam conuertit. Similiter ea nuncupatio ſequentis verſus,qua beata virgo prædicatur virga fumi aromatica:ex Canticis canticorum eſt deſumpta: vbi dicit Salomon.Quæ eſt iſta quę aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi,ex aromatibus myrrhæ & thuris Et recté illa denominatio illi aſcribitur propter incredibilem ſuauitatem odoris ſuarum virtutum,non modo terram omnem ſed & cælos implentem.Ob quam quidem ſuaueolentiam ſpiritualem:illud Eccleſ.dictum etiam ipſi adaptatur. Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi:quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris. *Cant.3.*

6 ¶ In ſexto verſu. Tibi canit Salomon cantica. Illa cantica canticorum dicitur hic Salomon ſacratæ virgini canere,quoniam licet altiſſima illius libri myſteria & dicta applicentur à catholicis expoſitoribus modo eccleſiæ Chriſti ſponſæ,modo verò animo fideli quam ſibi Chriſtus deſponſauit per fidem,& vtrumque quidem decenter ac aptè,nihilo ſecius etiam myſtica illa ſenſa congruenter & cõcinnè accõmodantur ſacroſanctæ virgini Mariæ, ipſius regis æterni ſponſæ dilectiſſimæ.Cuius id efficax eſt argumẽtum,nam eccleſia catholica,quæ in libro cantici canticorũ dicuntur:in præconiũ ſuperſanctæ virginis aſſumit ad vſũ eccleſiaſticum,antiphonas,reſponſoria & lectiones ex illis in officio eiuſdem accipiendo.Non immerito igitur Salomon hic dicitur beatę virgini & ad eius honorem decantare cantica canticorum. *Eccl.24.*

7 ¶ In ſeptimo verſu.In te totum,& totum deforis.Verbum dei,ſecundum diuinitatẽ ſimplex eſt & inſectile Quare cum ſubſtantiam noſtræ carnis aſſumpſit ex virgine & in virgine:nõ fuit vna verbi particula in vtero virginis & altera in cælo apud patrẽ,nã impartibile eſt & indiuiduũ. Neque verbum dei tunc ita fuit in patre : vt nullo modo fuerit in vtero virginis,ſic enim neq; fuiſſet vnione hypoſtatica vnitum naturæ humanæ,neq; verè incarnatũ. Neq; rurſum totum verbum tunc ita fuit in virgine:vt nullo modo fuerit apud patrem, nam immanet illi inſeparabiliter atque indigreſſibiliter,quandoquidẽ cũ in terris diuerſaretur:dixit Philippo & condiſcipulis eius. Neſcitis quia ego in patre & pater in me eſt ? Relinquitur igitur id quar-

tum membrum aſſerendum quod in ipſo incarnationis ſacræ articulo verbum dei totum fuerit in virgine & totum extra virginem:cælum & terram implens, licet alio modo hic extiterit,& alio modo illic,quemadmodum deus totus intra mundum eſt:totus & extra, quod neque includi mundo poſſit ob ſuam immenſitatem: neque eodem excludi propter ſuperexpreſſam in omnia ſuam plenitudiné vniuerſa permeantem & cuncta ſuperambientem diuino complexu.

8 ¶ In octauo verſu .Fructus virens arentis arboris.Hic Chriſtus appellatur fructus uirens:nam benedictus eſt fructus ventris virginei,virore gratiæ & virtutum indeficienter uernans.Vnde ſeipſum viride lignum appellauit : cum ait.Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt:in arido quid fiet? At verò fructus ille precioſus: eſt arentis arboris,ſacratæ ſcilicet virginis, quæ tametſi perpetuo virtutum decore virens fuerit & florens.hic tamen arens arbor dicitur ad exprimédum nouum ſuæ fœcunditatis & ſupernaturalem modum,vtpote quod ſine viri conſortio filium cælitus cóceperit,quód longè ſupra naturæ vires ſitum eſt, quemadmodum illud etiam naturæ metas tranſcenderet: quod arbor arida & nullo terræ fomento humectata, fructum virentem proferret.Itaque arbor arida hic dicitur ſacra virgo,in analogia:non per vituperium ſed ſingularem commendationem.Quemadmodum ipſa etiam per virgam Aaron prius arentem & deinde floridam eſt ſignata: & apud Eſaiam per terram ſitientem,cum ait de Chriſto. Et aſcendet ſicut virgultum coram eo. & ſicut radix de terra ſitienti.Enimuerò ſicca terra & aquam ſitiens natura nó poteſt proferre radicem.Chriſtus ergo ſicut radix de terra ſitienti aſcendit: quoniam de virgine incognita viro natus eſt. In eodem quoque verſu, gigas immenſi roboris Chriſtus nuncupatur:ex pſalmo dicente de ipſo. Exultauit vt gigas ad currendam viam. Et id quidem nomen gigantis ipſi attribuitur,propter inſignem ſuæ virtutis magnitudiné:qua principem huius mundi proſtrauit ipſe dominus fortis & potens,dominus potens in prælio. Denique eripuit nos Chriſtus à nexu funeſti pignoris(vt præſens ait verſus)ſcilicet à vinculo & laqueo dæmonis ac mortis:cui per primorum parentum culpam totum genus humanum in pignus

Num.17. Eſa.35. Pſal. 18. Pſal.23.

catum

datum erat,& loco pignoris pro peccato obligatum.

10 ¶ In decimo verſu. Qui potuit de nobis conqueri. Magna(inquit)eſt filij dei in homines miſeratio:& mira benignitas. Nam ipſe qui iuſtam habuit cauſam conquerendi de nobis,& expoſtulandi iniuriam ipſi elatam ex præuaricatione primorum parentum :neque ſolum conquerendi de nobis ſed etiam perpetua morte nos condemnandi :immemor tamen offenſionis acceptæque iniuriæ:exhibuit ſe ipſum mediatorem dei & hominum, vt per ipſum reconciliaremur deo patri:& rediremus in gratiam cum eo. Et ita qui iuſte potuit eſſe punitor criminis : factus eſt bonitate ſua illius delēdi author,& propitiatio pro peccatis noſtris. Cui ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

De natiuitate beatæ virginis: alia proſa.

Verbum bonum & ſuaue,
Perſonemus illud aue:
Per quod Chriſti fit conclaue
Virgo, mater, filia.
2 *Per quod aue ſalutata,*
Mox concepit fœcundata
Virgo Dauid ſtirpe nata,
Inter ſpinas lilia.
3 *Aue ueri Salomonis*
Mater, uellus Gedeonis,
Cuius magi tribus donis
Laudant puerperium.
4 *Aue ſolem genuiſti,*
Aue prolem protuliſti.
Mundo lapſo contuliſti
Vitam & imperium.
5 *Aue ſponſa uerbi ſummi:*
Maris portus ſignum dumi.
Aromatum uirga fumi,
Angelorum domina.
6 *Supplicamus nos emenda,*
Emendatos nos commenda
Tuo nato, ad habenda
Sempiterna gaudia.
Amen.

¶ Hæc proſa conſimilem tenet rythmicæ menſuræ legem ſicut illa de ſancto Stephano rege Hungariæ. Corde, voce, mente pura, quæ paulo antè iam eſt expoſita. Continet autem eximiam ſacroſanctæ virginis commendationem, ob generoſum regij ſtemmatis decus quo exorta refulget: & admirandam fœcunditatem, qua angelo nunciante de cælo ſuſcepit prolem & mundo genuit ſaluatorem. Deinde proſequitur piam fidelis populi ad ipſam inuocationem & humilem ſupplicationem.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Per q̃ Chriſti fit conclaue. Id nomen conclaue neutri generis eſt & tertiæ declinationis: quamuis etiam in fœminino genere inueniatur hæc conclauis. Et eſt locus ſecretior in interioribus tectis vbi colloquia fieri ſolent: habétque vnam clauem cómunem domeſticis ad ei⁹ ingreſſum. Horati⁹. Currere per totum pauide conclaue, magiſque. Et conclauia loca ſunt: quæ vna claue clauduntur. Quoniã igitur Chriſtum ſuo virginali complexa eſt vtero Maria: rectè hic ipſius conclaue dicitur. Eſt & eadem virgo (quemadmodum etiam ſuperius dictum eſt) ipſius Chriſti mater & filia. Mater quidem ſecundum humanitatem: filia verò ſecundũ diuinitatem, cum enim omnia per ipſum verbum facta ſint: ipſam itidem à dei verbo conditam ac creatam eſſe ambigit nemo. 3 ¶ In tertio verſu. Aue veri Salomonis mater. Verus Salomon, Chriſtus eſt, ſapientia & virtutum opulẽtia antecedens omnes veréque pacificus, ſicut Salomon figuralis & typicus, ſecundum carnem & continua & proxima ſerie ex Dauid progenitus: cæteros reges ſapientia antecelluiſſe & diuitiis ſcribitur, & pacificus interpretatur. Enimuerò hęc tria verius & perfectius ipſi Chriſto conueniunt: qui ſecundum apoſtolum eſt dei virtus & ſapientia, & in quo omnes theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ ſunt abſcon diti. Ipſius itidem domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarũ & vniuerſi qui habitant in eo. Gloria itidem & diuitiæ in domo eius: non tam auri & argenti quàm virtutum & ſpiritualium chariſmatum. Demùm princeps pacis à propheta dicitur & ſecundum apoſtolum ipſe eſt pax noſtra: qui fecit vtraque vnum. Appellatur inſuper hic beata virgo vellus Gedeonis, quod ſignificata fuerit per vellus Gedeonis cæleſti rore irrigatum, vt ſæpius eſt habitũ. Et propter

pter rei conformitatem: nomen ſigni, ipſi ſignato hic aſcribitur. 5 ¶ In quinto verſu. Maris portus ſignum dumi. Maris portus dicitur hic ſacroſancta virgo: nam tutum eſt receptaculum humani generis certiſſimáque ſtatio, à procellis & tempeſtatibus huius ſeculi protectrix, quod mare magnum & ſpacioſum in ſcriptura dicitur. Vt enim nauibus in portu poſt diuturnam nauigationem eſt quies: ita & peccatoribus poſt naufragiorum in peccatis pericula, beata virgo confugium eſt & aſylum. Præterea ſignum dumi eadem dicitur, attribuendo nomen figuræ, rei per eam figuratæ: quoniam vt ſæpius ante dictum eſt, ipſa per rubum ardentem Moyſi oſtenſum myſticè eſt ſignificata, & ſub typico illo velamine repræſentata. *Pſal.* 103 *Exod.* 3.

De eodem feſto alia proſa.

Aue ſydus lux dierũ,
Aue gemma mulierum:
Quæ lactaſti regem regũ,
Genitorem filia.
2 *Aue uerbi ſummi parens:*
Aue roſa ſpina carens
Per te uiret mundus arens
Per te datur uenia.
3 *Aue uerbi dei cella:*
Mundi decus maris ſtella.
Serua ſeruos à procella
Maris huius noxia.
4 *Mundum pingis nouo flore,*
Prolem paris miro more.
Virgo manens cum honore
Nouæ prolis gratia:
5 *Regis mater & regina*
Morum dux & diſciplina,
De malorum nos ſentina
Perduc ad cæleſtia.
6 Dele *culpas ò Maria,*
Placa regem prece pia.
Quia per te patet uia
Ad æterna gaudia.
Amen.

¶ Hæc proſa conſimilem habet rythmi compoſitionem ſicut præcedens: & præclaras itidem continet laudes ſacratiſſimę virginis Mariæ, ex rerum ſenſibiliũ denominationib⁹

variis ſumptas:quę illius virtutes & excellentiam apta ſignificatione deſcribunt. At quoniam multæ harum nuncupationum in locis præcedentibus ſæpius ſunt adductæ & explanatæ:non eſt illis enodandis hic amplius inſiſtendũ.

1 ¶ANNOTATIONES. In primo verſu. Aue ſid⁹ lux dierum. Sanctiſſima virgo Maria ſidus dicitur per metaphoram:quoniam in ſe ſpiritualem habens claritatem, cæteris hominibus per opaca mundi vagantibus irradiat. Dicitur & lux dierum:quoniam bonorum omnium & iuſtorum(qui nomine dierum inſinuantur ob internam animi lucem, ſicut & peccatores dicuntur tenebræ propter malitiæ noctem. Vnde Paulus Epheſus ſcribit. Fuiſtis aliquando tenebræ:nunc autem lux in domino, vt filij lucis ambulate)omnium inquam illorum ſplendor eſt clariſſimus & inextinguibilis. Demùm gēma mulierũ hic nuncupatur eadē virgo:quoniam ab angelo benedicta inter mulieres eſt prædicata, & haud dubiè mulierum omnium eſt excellentiſſima fœmineiq; ſexus decus egregium & ſingulare ornamentum. *Ephe.5* 2 ¶In ſecundo verſu. Per te viret mundus arens. Ante chriſti aduentum mundus erat aridus, & nullũ ferè bonorum operum virorem germinans:ob veri dei ignorantiam & cultum dæmoniorum. Per ſalutiferum autem beatæ virginis partum:ariditas illa & ſterilitas eſt depulſa atque in uiriditatem commutata, quoniam diuulgata euangelij veritate:ſalutarem fructum cœpit reuireſcens mũdus pullare. Huiuſmodi autem reuireſcentia : ſacroſanctæ. virginis Mariæ puerperio & ſingulari gratia eſt inducta

4 ¶In quarto verſu. Mundum pingis nouo flore. Hic flos nouus, eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus : de quo ait propheta. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini, *Eſaiæ 11.* hic autem flos, verè nouus eſt:quoniam nouo more productus quem natura ſtupet, miratur ratio, non capit human⁹ nec angelicus intellectus. At verò hoc ſuauiſſimo flore, beata virgo mundum pinxit:quoniam eundem nobis mirabiliter protulit, gratiſſimum itidem eius colorem internis noſtræ mentis oculis oſtendit, ſuauitatem odoris illius & redolentiam in omnes transfudit:& dulcedinem fruct⁹ ſalutaris eo flore exorti, benigna communicatione in cunctos populos diſtribuit.

In exaltatione ſanctæ crucis.

Salue crux, arbor
Vitæ præclara.
2 *Vexillum Chriſti,*
Thronus & ara.
3 *O crux, prophanis*
Terror & ruina.
4 *Tu Chriſtianis*
Virtus es diuina.
Salus & uictoria.
5 *Tu properantis*
Contra Maxentium,
9 *Tu præliantis*
Iuxta Danubium
Conſtantini gloria.
7 *Fauens Haraclio*
Perdis cum filio
Coſdroe prophanum.
8 *In hoc ſalutari*
Ligno gloriari
Decet Chriſtianum.
9 *Crucis longum, latum,*
Sublime, profundum
Sanctisq́; propalatum,
Quadrum ſaluat mundum
Sub quadri figura.
10 *Medicina uera,*
Chriſtus in ſtatera
Crucis eſt diſtractus,
Preciumq́; factus,
Soluit mortis iura.
11 *Crux eſt noſtræ*
Libra iuſtitiæ.
12 *Sceptrum regis,*
Virga potentiæ.
13 *Crux, cæleſtis*
Signum uictoriæ.
14 *Belli robur.*
Et palma gloriæ.
15 *Tu ſcala, tu ratis,*
Tu crux deſperatis,
Tabula ſuprema.
16 *Tu de membris Chriſti*
Decorem traxiſti,
Regum diadema.
17 *Per te nobis crux beata,*
Crux cruore conſecrata,
Sempiterna gaudia
Det ſuperna gratia.
Amen.

Hæc proſa, rythmicæ ſonoritatis ſeruat normam, ſed multiformem & variam. Aliquando enim in vna clauſula quatuor duntaxat comprehendit ſyllabas: vt in vndecimo verſu & tribus ſubſequentibus. Aliquãdo quinque: vt in primo verſu & conſequentibus vſque ad ſextũ. Interdum verò in eadem clauſula ſex cõplectitur ſyllabas,

vt

vt in ſeptimo verſu, & cæteris deinceps vſque ad decimũ. Nonnunquam item ſeptem immò & octo conſtringit in eadem clauſula ſyllabas: vt in vltimo verſu, cuius duæ primæ clauſulæ: octo ſingulatim ſunt ſyllabarum, duę verò poſtremæ, ſeptem. Verùm commiſcentur ſæpius in eodem verſu clauſulæ diuerſum ſyllabarum numerum ſortitæ: vt ſola lectio quemque diligentius animaduertentem facilè edocebit. Quæ etiam liquido monſtrabit: quomodo inter ſe conſonantiam ſeruant ipſæ clauſulæ rythmicæ, & ad quam vnaquæque ſuum habeat reſponſum.

Author eius, Adam de ſancto Victore. Recenſentur autem in ea, præclara ſanctæ crucis præconia, denominationéſq; inſignes: vim illius viuificam & miram virtutẽ declarantes. Memoratur & gemina victoria: duobns imperatoribus Romanis ipſius inuocatione & præſidio indulta, Conſtantino inquam & Heraclio. Verùm vtriuſque earum hiſtoria, in expoſitione proſæ de inuentione ſanctæ crucis ſcilicet. Laudes crucis attollamus, eſt ſuperius enarrata: & eo ex loco requirenda. Demùm pia in fine ponitur inuocatio fidelis populi ad ſanctam crucem: ad quam per totam proſam ſiue laus fiat ſiue oratio, dirigitur ſermo.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Arbor vitę præclara. Sacratiſsima crux, arbor vitæ dicitur, quoniam per Chriſtum in ea mortem paſſum toti mundo vitam attulit. Proinde ipſa, & vitalis & viuifica rectè ſolet appellari: præſignatáque creditur per lignum illud vitæ quod erat in medio paradiſi in primordio cõſtitutiõis ipſius mundi, hoc enim ſeruandi vitam corporis incolumem & illabe factam, vim habuit. Illa verò: toti mũdo authore Chriſto qui ipſam conſecrauit, perditam vitam reſtituit. Conſimili modo cæterarum denominationum admodum dignarum (quæ ſanctæ cruci hic attribuũtur) aſsignetur propria ratio.

6 ¶ In ſexto verſu. Tu præliãtis iuxta Danubium. Quomodo Conſtantinus in Maxentium tyrannum arma mouens, ſacræ crucis beneficio victor euaſerit: iam antè narratum eſt. At verò quonam pacto iuxta Danubium Scythiæ fluuium (qui & Iſter nuncupatur) bella gerens adiutrice ſancta cruce victoria potitus fuerit: quia præſens id litera commemorat, paucis nunc dicendum. Eo tempore

quo

quo Romani imperij moderabatur habenas Cõſtantinus, congregata eſt iuxta Danubium fluuium innumera barbarorum multitudo, volens fluuium tranſire & regiones omnes occiduas ſuæ ditioni ſubiugare. Quod vbi cõſtantinus accepit, coacto ingenti exercitu caſtra ad Danubiũ metatus eſt tranſitum illorum ſiquo modo poſsit, prohibiturus. Verùm cum indies increſceret barbarorum turba & iam fluuium tranſiret inuito Conſtantino & id prohibere non valente: magno ipſe timore concutitur, ſolicito voluens animo quòd poſtridie cum hoſtibus ſe fortioribus manum haberet conſerere. Sequente verò nocte ſopore preſſus, ab angelo excitatur: & vt oculos in cælum attollat admonetur. Qui ſurſum erigens obtutum: ſignum crucis præfulgido lumine coruſcans in aere conſpexit, cum huiuſmodi titulo literis aureis inſcripto. In hoc ſigno vinces. Itaque cæleſti viſione confortatus figuram crucis in vexillis ſuis deformari iuſſit: & ante ſe in acie deferri. Mox irruens in hoſtes, ipſos penitus profligauit: interfectáque ipſorum numeroſa multitudine reliquos in fugã vertit. 8 ¶ In octauo verſu. In hoc ſalutari. Reſpondet hæc ſententia verbis beati Pauli ad Galatas. Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Ex quibus ſumptum eſt illud præconium: quod in principio miſſæ de ſancta cruce ex inſtituto eccleſiaſtico canitur. Nos autẽ gloriari oportet in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra, per quam ſaluati & liberati ſumus, vnde huius verſus ſumpta eſt ſentẽtia. *Gala.6*
9 ¶ In nono verſu. Quadrum ſaluat mundum, ſub quadri forma. Quadrus hic dicitur mundus ob quatuor eius pręcipuas partes quaſi latera quadrati conſtituentes: oriẽtem, occidentem, meridiem, & ſeptentrionem, in quibus habitãt homines per crucis myſterium ſalutem adepti. In ipſa verò cruce dicitur ineſſe quadri figura: aut propter quatuor eius extremitates, primam ſurſum, ſecundam deorſum, tertiam ad dextrum & quartam ad ſiniſtrum conſtitutam, aut propter quatuor magnitudinum eius interualla ſiue dimenſionum rationes: vtpote longitudinem à ſummo in imum porrectam, latitudinem à dextro in ſiniſtrum extentam, altitudinem in ſupremo eius faſtigio à culmine aſsignatam, & profunditatem in ima eius parte

quæ terræ infixa fuit ſumptam. Hæc autem quadruplex ſanctæ crucis ſecũdum magnitudinẽ poſitio, ſanctis propalata hic dicitur, quoniã à deo & ſanctis eſt inſpirata myſtica ratio ſitus & figuræ ipſius crucis: quidve in ipſa forma ſacri gerat myſterij, & deinde à ſanctis ſcriptoribus & doctoribus eccleſiaſticis toti populo fideli, ſcripto eſt declarata. Verùm de hac aſsignatione dimenſionum ſanctæ crucis, in proſa inuentionis eiuſdem latior habitus eſt ſermo. 15 ¶ In decimoquinto verſu. Tu crux deſperatis tabula ſuprema. Quemadmodum de pœnitentia id dici aſſolet, quod eſt ſecunda tabula poſt naufragiũ: ita de ſancta cruce rectè dixerint omnes, quòd prima & præcipua ſit tabula poſt naufragium a primis inductum parentib', cui innitens totus mundus naufragus: peruenit ad portum ſalutis æternæ, & placida ſtatione receptus quieſcit.

De ſancto Matthæo euangeliſta.

IOcundare plebs fidelis
Cuius pater eſt in cælis,
Recolens Ezechielis
Prophetæ præconia.
2 *Eſt Ioannes teſtis ipſi,*
Dicens in Apocalypſi.
Vere uidi, uere ſcripſi
Vera teſtimonia.
3 *Circa thronũ maieſtatis*
Cum ſpiritibus beatis,
Quatuor diuerſitatis
Aſtant animalia.
4 *Formam primum aquilinam,*
Et ſecundum leoninam:
Sed humanam & bouinã
Duo gerunt alia.
5 *Formæ formant figurarum*
Formas euangeliſtarum:
Quorum imber doctrinarum
Stillat in eccleſia.
6 *Hi ſunt Marcus, & Matthæus,*
Lucas, & quem Zebedeus
Pater tibi miſit deus,
Dum laxaret retia.
7 *Formam uiri dant Mattheo.*
Quia ſcripſit ſic de deo,
Sicut deſcendit ab eo,
Quem plaſmauit, homine.
8 *Lucas bos eſt in figura,*
Vt præmõſtrat ĩ ſcriptura.
Hoſtiarum tangens iura

Legis

Legis ſub uelamine.

9 *Marcus leo per deſertū*
Clamans, rugit in apertum.
Iter fiat deo certum,
Mundum cor à crimine.

10 *Sed Ioannes ala bina*
Charitatis, aquilina
Forma, fertur in diuina
Puriori lumine.

11 *Ecce forma beſtialis,*
Quam ſcriptura prophetalis
Notat, ſed materialis
Hæc eſt impoſitio.

12 *Currunt rotis, uolant alis:*
Viſus, ſenſus ſpiritalis.
Rota, greſſus eſt æqualis.
Ala, contemplatio.

13 *Quatuor deſcribūt iſti,*
Quadriformes act⁹ Chriſti
Et figurant ut audiſti,
Quiſque ſua formula.

14 *Natus homo declaratur,*
Vitulus ſacrificatur.
Leo mortem deprædatur,
Sed aſcendit aquila.

15 *Paradiſus his rigatur:*
Viret, floret, fœcundatur.
His abundat, his lætatur
Quatuor fluminibus.

16 *Fons eſt Chriſtus: hi ſunt riui.*
Fons eſt altus, hi procliui.
Vt ſaporem fontis uiui
Miniſtrent fidelibus.

17 *Quorū trahat nos doctrina,*
Vitiorum à ſentina,
Ne ſic morte repentina
Damnemur cum impiis.

18 *Horum fonte debriatis*
Sitis creſcat charitatis,
Vt ſupernæ claritatis
Perfruamur gaudiis.

Amen.

Hæc proſa rythmicam ſeruat formam perinde atque illa de beata virgine paulò antè declarat. Verbum bonū & ſuaue. Author eius, Adam de ſancto Victore. Explicat autem myſteria ſanctorum quatuor euangeliſtarū, qui in viſione Ezechielis prophetæ ſimiliter & in Apocalypſi ſignati ſunt per quatuor animalia, hominem, leonem, bouem & vitulum. Et cui euangeliſtarum quódque animal reſpondet, & propter quam cauſam myſticam: hic aperte diſſerit. Eſt autem hæc proſa cuius euangeliſtarum commu-

communis,& in cuiuſque feſto poteſt legitime decantari: quoniam generatim omnia complectitur,quæ ad ſanctorum euangeliſtarũ laudes & præconia cõmuniter attinẽt.
Eze.1 1 ℂ ANNOTATIONES. In primo verſu. Recolens Ezechielis ꝓphetæ præconia. Ezechiel capite primo deſcribens viſionem cælitus ſibi oſtenſam, dicit inter cætera ſe cõſpexiſſe ſimilitudinem quatuor animalium in medio ignis & ſplẽdoris. Similitudo autem vultus eorum: facies hominis & facies leonis à dextris ipſorum quatuor: facies autem bouis, à ſiniſtris ipſorum quatuor: & facies aquilę, de ſuper ipſorum quatuor. Quæ quidem quatuor animalium figuræ à beato Gregorio in homilia ſuper Ezechielem applicantur ad myſterium quatuor euangeliſtarum, & eam Grægorij expoſitionem tota ſequitur eccleſia.
2 ℂ In ſecũdo verſu. Eſt Ioãnes teſtis ipſi. Vt non ſolum veteris ſed & nouæ legis teſtimonio, ſanctorum euangeliſtarum ſacer numerus & inſignis dignitas declaretur: Ioannes euangeliſta ipſi Ezechieli aſtipulatur & teſtis accedit in ſacra illa & figurali, ipſorum deſcriptione, in Apocalypſi myſticam quatuor animalium viſionem ſibi etiam
Apoc.4 oſtenſam hoc modo depromens. Ecce ſedes poſita erat in cælo: & ſupra ſedem ſedens, & in medio ſedis & in circuitu ſedis quatuor animalia, plena oculis ante & retro. Et primum animal ſimile leoni, & ſecundum ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti.
6 ℂ In ſexto verſu. Et quem Zebedeus pater. Beatũ Ioannem euangeliſtam hac deſcriptione innuit hic author & circũloquitur: qui filius fuit Zebedei, & vocatus à Chriſto ad apoſtolatum cum Iacobo fratre ſuo: quando erant
Matth.4 ſimul cum patre in naui reficientes retia ſua, vt Matthæus quarto capite refert, & ſuperius etiam eſt adductum.
7 ℂ In ſeptimo verſu Formam viri dant Matthæo. Beatus Gregorius in Ezechielem, figurationis ipſorum euangeliſtarum per ſupradicta quatuor animalia rationẽ myſticam: paucis ita conſtringit. Quia ab humana generatione cœpit, iure per hominem ſignatur Matthæus. Quia per clamorem in deſerto: rectè per leonem Marcus. Quia verò à ſacrificio exorſus eſt: bene per vitulum Lucas. Denique quia à diuinitate verbi cœpit, dignè per aquilam ſignificatur

nificatur Ioannes. 9 ¶ In nono verſu. Marcus leo per Marci I
deſertum. Concernit hæc ſententia & reſpicit initium euã Eſa.40
gelij ipſius Marci: in quo deſcribit prædicationem Ioannis baptiſtæ in deſerto, & affert teſtimoniũ Eſaię prophetæ de eodem, ſcilicet: Vox clamantis in deſerto, parate viam domini: rectas facite ſemitas eius, quod quidem vaticinium, præſente etiã verſu exprimitur. Idcirco per leonem dictus eſt ſignari beatus Marcus: qui in ſyluis rugitũ ſolet ędere.
10 ¶ In decimo verſu. Sed Ioannes ala bina charitatis. Aquila geminis alis fertur in ſublime: & irreuerberata oculorum acie ſolis intuetur orbem. Ita beatus Ioannes vi mentis contemplatrice conſcendit in ſcri- Ioan.I
bendo euangelio ad ardua ſummæ deitatis ſacramenta: & intrepida mẽtis acie conſpicatus eſt verbum quod erat in principio apud deum. Porrò binas alas charitatis hic vocat author amorem in deum, & in proximum, qui duobus præcipuis & primariis explicatur mandatis, in quibus to- Matth.22
ta lex pendet & prophetæ. His enim duabus alis ſubnixa fidelis anima: fertur in excelſa cælorũ atria celeri volatu.
12 ¶ In duodecimo verſu. Currunt rotis: volant alis. Hoc ex viſione Ezechielis prophetæ (cuius ante facta eſt mentio) ſumitur: vbi poſt deſcriptionem quatuor animalium dicit propheta. Cunque aſpicerẽ animalia: apparuit Eze.I
rota vna ſuper terram iuxta animalia, habens quatuor facies. Et aſpectus rotarum & opus earum quaſi viſio maris, & vna ſimilitudo ipſarum quatuor & aſpectus earum & opera: quaſi ſi ſit rota in medio rotæ. Cunque ambularent animalia: ambulabant pariter & rotæ iuxta ea, & cum eleuarentur animalia de terra, eleuabantur ſimul & rotæ. De alis verò ipſorum animalium: dicit paulo antè idem propheta. Et manus hominis ſub pennis eorum in quatuor partibus, & facies & pennas per quatuor partes habebant: iunctæque erant pennæ eorum, alterius ad alrum. Et facies eorum & pennæ eorum: extentæ deſuper. Duæ pennæ ſingulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum. Similiter beatus Ioannes in Apocalypſi dicit. Et quatuor animalia: ſingula eorum habebant Apoc.4
alas ſenas. Quid autem myſticum rotæ illæ & alæ inſinuent, præſens verſus aperte ſatis & patenter explicat.

In decimo-

13 ¶ In decimotertio verſu. Quadriformes actus Chriſti. Scilicet natiuitatem, paſsionem, reſurrectionẽ & aſcenſionem Chriſti: quiſque euangeliſtarum ſignat per ſuam formulam & figuram. Matthæus enim per hominis figuram: ſignat Chriſti natiuitatem ſecundum carnem. Lucas ſpecie vituli, eiuſdem paſsionem. Marcus leonis effigie, Chriſti reſurrectionem. Et Ioannes aquilæ forma, aſcẽſionem eius in cælum. Quinimmò vt ſequens innuit verſus, ipſe etiam Chriſtus: vnus quidẽ perſona ſed quadrifidus operatione, ſignificatur his quatuor animalibus: & eſt myſticè homo, vitulus, leo & aquila. Homo quidem: per natiuitatem in hunc mundum, vitulus: quia in truce immolatus pro nobis. Leo autem: quia mortem deuicit reſurgens ex mortuis. Aquila verò: quia aſcendit ſuper omnes cælos.

10 ¶ In decimoquinto verſu. Paradiſus his rigatur. In ſecundo capite Geneſis legimus, quòd fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum: qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen primi fluminis: Phiſon, ſecundi: Geon, tertij: Tigris, quarti verò nomen: Euphrates. Ita à Chriſto, æterno ſapientiæ fonte procedẽte de abyſſo diuinitatis, prodeunt quatuor euangeliſtę & ſpiritualia fluenta, quorum doctrina rigatur eccleſia catholica: & fœcundatur mens humana ad proferendũ fructum iuſtitiæ ac bonorum operum. *Gene. 2*

De ſancto Michaele archangelo.

Summi regis archangele Michael. Intende quæſumus noſtris uocibus. Tu deum obſecra pro nobis, ut mittat auxilium miſeris.

1 *Te namque profitemur eſſe ſupernorum principem ciuiũ. Principalis eſt poteſtas à domino tibi data, peccantes ſaluificare animas. Idem tenes perpetui principatum paradiſi: omnes conciues te honorant ſuperi.*

2 *Tu in templo dei thuribulum aureum uiſus es habuiſſe manibus. Inde ſcandẽs uapor aromatum plurimorum,*

peruenit

peruenit ante conſpectum dei.

3 *Quando cum dracone, magnum commiſiſti prælium, faucibus illius animas abſtraxiſti plurimas. Hinc maximum agebatur in cælo ſilentium: multa milia miliũ dicebant, ſalus regi domino. Audi nos Michael archangele ſumme, huc parum deſcende de poli ſede: nobis ferendo opem domini atque leuamen indulgentiæ. Tu noſtros Gabriel hoſtes proſterne. Tu Raphael ægris affer medellã: morbos abſterge, noxas dilue, noſque fac intereſſe gaudiis beatorum. Amen.*

Hæc proſa ſolutæ habet orationis cõtextum, nec rythmica lege tenetur. Proſequitur laudes ſupernorum ſpirituum, angelicarúmque ſubſtantiarum: & præſertim beati Michaelis archangeli, cuius poteſtatem, dignitatem & excellentiam à deo illi indultam multipliciter prædicat: & demùm pias illi cæteriſque angelis preces offert.

1 ¶ ANNOTATIONES. Te namque profitemur eſſe. Non id ſimpliciter intelligendum: in comparatione ad omnes ſpiritus cęleſtes. Nam cum ſanctus Michael ſit de medio ordine poſtremæ atque infimæ hierarchiæ, vtpote de ordine archangelorum: non antecedit excellẽtia angelicos ſpiritus medię hierarchiæ neq; ſupremæ, quinimmò nec æquatur illis dignitate: ſed ſecundum ordinatiſsimam diuinæ ſapientiæ legẽ illis ſubeſt & obſequitur. Quinpotius id intelligi debet collatione facta ad eos ſpiritus angelicos: qui mittuntur in miniſterium ad homines & mundi adminiſtrationẽ. Inter illos enim, Michael primatũ tenet & ſortitur principatum qui de poſtremo aut medio ſunt vltimæ hierarchiæ ordine. Eodẽ quoque modo accipiendum eſt quod paulo pòſt ſubiũgit literà: quòd ſcilicet michaelem omnes conciues honorant ſuperi. De illis enim conciuibus ſupernis ibi fit ſermo qui eiuſdem cum eo ſunt ordinis aut inferioris, quandoquidẽ ſuperiores nõ dicuntur proprie inferioribus honorẽ impendere.

2 ¶ Tu in templo dei thuribulum. Id ſumptum eſt ex octauo cap. Apocalypſis, vbi ſcribit Ioannes. Et alius angelus venit & ſtetit ante altare: habens thuribulum au- *Apoc. 8*

reum. Et data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum: quod eſt ante thronum dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum: de manu angeli coram deo. Is autem angelus hic dicitur fuiſſe Michael qui pias orationes iuſtorum ſignatas per fumum incenſorum offert in conſpectu domini. Quemadmodum angelus Raphel de ſeipſo dicit ad Tobiam ſeniorem, Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos: & relinquebas prandiũ tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos: ego obtuli orationem tuam domino.

Tobia. 12 3 ¶ Quando cum dracone, magnum commiſiſti præliũ. Ex duodecimo ca. Apocalypſis illud eſt depromptum: vbi dicit ſcriptura. Et factum eſt prælium magnum in cælo. Michael & angeli eius præliabantur cum dracone: & draco pugnabat & angeli eius, & non valuerunt, neque locus

Apoc. 12 inuentus eſt eorum amplius in cælo. Et proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus qui vocatur diabolus & ſathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo miſsi ſunt. Et audiui vocẽ magnam in cælo: dicentem. Nũc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum: qui accuſabat eos ante conſpectum dei noſtri die ac nocte. Per draconẽ autẽ illum intelligitur præcipuus ille angelus, qui cæteris fuit princeps ac author apoſtaſiæ diſceſsioniſque à deo, & cũ illis cælo exturbatus tanquam fulgur in terram cecidit.

Luc. 10 De ſilentio verò cuius hic etiam meminit litera: loquitur Apocalypſis cap. octauo dicens. Et cum aperuiſſet ſigillũ ſeptimum: factum eſt ſilentium in cçlo quaſi media hora.

De ſancto Michaele: alia proſa.

1 *Laus erumpat ex affectu,*
Pſallat chorus in conſpectu
Supernorum ciuium.

2 *Laus iocunda, laus decora:*
Quando laudi concanora
Puritas eſt cordium.

3 *Michaelem cuncti laudent.*

dent,
Nec ab huius ſe defraudent
Diei lætitia.
4 Fœlix dies: qua ſancto-
rum
Recenſetur angelorum
Solennis uictoria.
5 Draco uetus exturba-
tur.
Et draconis effugatur
Inimica legio.
6 Exturbatus eſt turba-
tor,
Et proiectus accuſator
A cæli faſtigio.
7 Sub tutela Michaelis
Pax in terra, pax in cælis,
Laus & iubilatio.
8 Cum ſit potens hic uir-
tute,
Pro communi ſtans ſalute
Triumphat in prælio.
9 Suggeſtor ſceleris
Pulſus à ſuperis,
Per huius aeris
Oberrat ſpacia.
10 Dolis inuigilat
Virus inſibilat.
Sed hunc adnichilat
Præſens cuſtodia.
11 Tres diſtinctæ hierar-
chiæ
Iugi uacant theoriæ,
Iugiq; pſalterio.
12 Nec obſiſtit theoria,
Siue iugis harmonia;
Iugi miniſterio.
13 O quàm miræ chari-
tatis
Eſt supernæ ciuitatis
Ter trina diſtinctio.
14 Quæ nos amat & tu-
etur,
Vt ex nobis reſtauretur,
Eius diminutio.
15 Sicut ſunt hominum
Diuerſæ gratiæ,
Sic erunt ordinum
Diſtinctæ gloriæ
Iuſtis in præmio
16 Solis eſt alia
Quàm lunæ dignitas,
Stellarum uaria
Relucet claritas.
Sic reſurrectio.
17 Vetus homo noui-
tati,
Se terrenus puritati
Conformet cæleſtium.
18 Coæqualis his futu-
rus,
Licet nondum plene pu-
rus
Spe præſumat præmium.
19 Vt ab ipſis adiuue-
mur,

Hos deuote ueneremur
Inſtantes obſequio.
20 *Deo nos conciliat,*
Angelisq; ſociat
Syncera deuotio.
21 *De ſecretis reticẽtes*
Interim cæleſtibus,
Erigamus puras mentes
In cælum cum manibus.
22 *Vt ſuperni nos dignetur*
Cohæredes curia:
Et diuina collaudetur
Ab utriſque gratia
23 *Capiti ſit gloria,*
Membrisq; concordia.

Amen.

Huius proſæ conſimilis eſt rythmica forma ei quæ de ſancti Ioannis decollatione paulo antè eſt expoſita, ſcilicet. Præcurſorem ſummi regis. Attamen nonnulla eſt huius ab illa in aliquibus verſibus euariatio: quæ inter legendum facilè à quouis internoſcetur. Author eius, Adam de ſancto Victore. Complectitur autem commendationes & præconia cæleſtium ſpirituum: diſtinctiones eorum, ordines & functiones à deo ordinatiſsime diſpoſitas recenſens. Præſertim verò ſanctũ Michaelem debita laude extollit ob victoriam contra antiquum ſerpentem habitam: & tutelam eius qua noſtras tutatur animas ſuóque defendit præſidio.

5 ¶ ANNOTATIONES. In quinto verſu. Draco vetus exturbatur: Huius verſus & quinque ſequentium intelligentia, pendet ex eo dicto Apocalypſis, quod in vltima annotatione præcedentis proſæ eſt adductum, & proinde hic nequaquam repetendum.

11 ¶ In vndecimo verſu. Tres diſtinctæ hierarchiæ. De triplici cæleſtium ſpirituum hierarchia ſacróque principatu, & cuiuſque hierarchiæ triplici ordine: beatus pater Dionyſius præclaram & diuinam facit determinationem in ſuo libro inſcripto de cæleſti hierarchia, ex quo quicquid de ſacris eorum diſtinctionibus, functionibus & officiis ac denominationib⁹ eſt cognitu dignum: abundè depromas. Ipſi autem ſuperni ſpiritus aſsiduè vacant dei cõtemplationi (quæ Græco nomine theoria dicitur, à viſione & ſpeculatione) & pſalmodiæ, laudationique diuini no-
Pſal. 83 minis, ſecundum illud verbum prophetæ in pſalmo. Bea-
ti

ti qui habitant in domo tua domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te. Nihilo ſecius angelici ſpiritus qui ad exteriora mittuntur officia, vt populorum regnorúmque moderationem & ſingulorum hominum cuſtodiam: propter hæc miniſteria & munia quæ foris exequuntur non deſiſtunt à continua dei comtemplatione ac viſione. Nã neque adminiſtratio rerum exterarum, impedimento eſt eorum contemplationi: neque contemplatio adminiſtrationi. Quod ex verbis domini noſtri in euangelio de angelis paruulorum cuſtodibus: liquidò conſtat. Amen (inquit) dico vobis: quoniam angeli eorum ſemper vidẽt faciem patris veſtri qui eſt in cælis. Matth. 18

15 ¶ In decimoquinto verſu. Sicut ſunt hominum diuerſæ gratiæ. Quemadmodum (inquit) homines diuerſa ſortiti ſunt gratiarum munera, & ſecundum illas diuerſitatẽ habent bonorum operum in hac vita: in qua alij plus, alij minus laborãt, alij arctiore via progrediuntur ad regnũ, alij verò calle magis plano. Ita etiam homines, diuerſorũ ordinum aſſequentur præmia: & ad diuerſos aſſumentur ordines angelicorum ſpirituum. Enimuerò qui uitam duxerunt auſteriorem & ſanctiorem ad ſuperiores euehentur ordines, vt zelo diuinæ charitatis ſuccenſi: ad ſanctorum ſeraphim ordinem, & cõtemplationi diuinorum dediti: ad ordinem ſanctorũ cherubim, & ita de cæteris. Qui verò vitam egerunt minus aſperam & duram, à mandatis tamen domini non declinarunt: ad inferiores prouehentur cæleſtium ſpirituum ordines, vt angelorum. Teſtatur planè illud dominus noſter in euangelio: cum ait. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Ioan. 14

16 ¶ In decimoſexto verſu. Solis eſt alia quàm lunæ dignitas. Hæc ſententia ex verbis apoſtoli ad Corinthios eſt deſumpta: vbi ait. Et corpora cæleſtia, & corpora terreſtria. Sed alia quidem cæleſtium gloria: alia autem terreſtrium. Alia claritas ſolis, alias claritas lunæ: & alia claritas ſtellarum, ſtella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Nempe aliqui ad ſublimiorẽ reſurrecturi ſunt gloriam: vt quorum cumulatiora & maiora ſunt bona opera. Alij verò reſurgent ad minorem gloriæ dignitatem: quòd eorum minora ſint & pauciora bona opera, ſecundum quæ: fit gloriæ diſtributio. 1. Corin. 15

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. Vetus homo nouitati. Vetus homo dicitur: qui ſecundum carnē ambulat, & ea quæ carnis ſunt inquirit. Nouus autem homo eſt qui amubulat ſecundum ſpiritum: & quærit ea quæ dei ſunt. Si igitur volumus (velle autem debemus omnes) ad angelicorum ſpirituum gloriam ſubuehi: debemus exuere veterē hominem cum actibus ſuis (vt ait Paulus) & induere nouum hominem qui ſecundum deum creatus eſt in iuſtitia & veritate, abiectáque vetuſtate peccati: in nouitate vitæ ambulare. Ita terrenus homo hic dicitur: qui ſecularia ſectatur deſideria & huius mundi concupiſcentias. Cæleſtis autem, qui ea quæ ſurſum ſunt ſapit: non quæ ſuper terram, æternorúmque bonorum rapitur deſiderio. Eo enim ipſo aſſimilauit ſpiritibus ſupernis, ciuibúſque beatis: in ſolum deum intentiſsime ſe ferentibus: Itaque ſi volumus ſanctorum angelorum tandem adipiſci conſortium: debemus terrenæ affectionis contagia mentibus noſtris abradere, & ſpirituum cæleſtium puritati pro viribus aſſimilari. Si enim ſimiles ipſis fuerimus virtute & animorū mundicia: erimus itidem ipſis perſimiles præmio & gloria.

Ephe.4 *Coloſ.3*

De ſancto Dionyſio.

1 *Gaude prole, Græcia.*
Glorietur Gallia,
Patre Dionyſio.
2 *Exultet uberius*
Fœlici Pariſius
Illuſtris martyrio.
3 *Speciali gaudio*
Fœlix gaudet concio.
Martyrum præſentia.
4 *Quorum patrocinio*
Tota gaudet regio,
Regni ſtat potentia.
5 *Iuxta patrem poſiti*
Bellatores inclyti,
Digni ſunt memoria.
6 *Sed illum præcipue*
Recolit aſsidue
Regalis eccleſia.
7 *Hic à ſummo præſulē*
Directus ad Galliam,
Non gentis incredulæ
Veneremur inſaniam.
8 *Gallorum apoſtolus*
Venerat Lutetiam,

Quam tenebat ſubdolus
Hoſtis,uelut propriam,
9 Hic errorũ cumulus,
Et omnis ſpurcitia.
Hic infœlix populus
Gaudens idolatria.
10 Adorabat idolum
Fallacis Mercurij.
Sed uicit diabolum
Fides Dioniſij.
11 Hic conſtructo dei tẽplo,
Verbo docet & exemplo,
Coruſcat miraculis.
12 Turba credit, error cedit.
Fides creſcit, & clareſcit
Nomen tanti præſulis.
13 His auditis,fit inſanus
Immitis Domitianus,
Mittitq; Siſinnium.
14 Qui paſtorem animarũ
Fde,uita,ſignis clarum,
Trahat ad ſupplicium.
15 Infligũtur in ſe pœnæ,
Flagra,carcer,& catenæ.
Cataſtam, lectum ferreum,
Et æſtum uincit igneum.
16 Prece domat feras truces,
Sedat rogũ,perfert cruces
Poſt clauos & patibulum,
Translatus ad ergaſtulum.
17 Seniore celebrante
Miſſam turba circunſtãte:
Adeſt Chriſtus,comitante
Cœleſti militia.
18 Specu clauſum carcerali
Conſolatur,& uitali
Pane cibat, immortali
Coronandum gloria.
19 Prodit martyr conflicturus,
Sub ſecuri ſtat ſecurus.
Ferit lictor,ſicq; uictor
Conſummatur gladio.
20 Se cadauer mox erexit,
Trũcus truncũ caput uexit
Quo ferentem hoc direxit
Angelorum legio.
21 Tam præclara paſſio:
Repleat nos gaudio.

Amen.

Hæc proſa conſimilẽ habet rythmicæ conſonantiæ menſuram:ſicut ea in ſolennitate paſchali decantari ſolita & ſuperius declarata,mane prima ſabbati. Author eius, Adam de ſancto Victore. Deſcribit autem beati patris.

Dionyſij ortum, in Galliam aduentum, & annũciationem euangelicæ veritatis apud Pariſios: cum magno ſpiritualis lucri prouẽtu. Deinde eiuſdem ſacrum pro Chriſto agonem: poſt diuerſa tormentorũ genera, capitis obtruncatione conſummatum, capitis proprij iam amputati deportationem vſque ad locum ſepulturæ eius, in quo ſacri ipſius cineres cum magna veneratione nunc etiam conditi aſſeruantur. Hæc autem omnia, ex hiſtoria vitæ & paſſionis eius quæ paſſim legitur: dinoſcuntur apertius, & potiſſimũ ex eo opere clariſsimi viri Baptiſtæ Mantuani: quod tribus libris elegantiſsimo carmine de actis huius ſancti patris ſuperioribus annis conſcripſit.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Gaude prole Græcia. Quòd Græcia prolem Dionyſium tulerit, Gallia verò patrem: de corporis ætate primum poteſt intelligi, quoniam in Gręcia natus eſt & in iuuenilibus annis educatus. In Gallia verò prouectam egit ætatem & propemodum ſenilem. Poteſt itidem illud ſecundũ animæ qualitatem conditionémque accipi, quòd Dionyſius in Græcia ex aqua & ſpiritu ſancto renatus ſit, & Pauli apoſtoli in baptiſmo filius: vt Acta apoſtolorum planè teſtantur. In Gallia verò & apud Pariſios per euangelium ſpirituales filios deo genuerit, quorum pater ſecundum ſpiritum merito dici poteſt.

5 ¶ In quinto verſu. Iuxta patrem poſiti. De ſanctis Ruſtico & Eleutherio beati Dionyſij ſociis, hic verſus loquitur qui fidi fuerunt comites itineris eius in Galliam, in prædicatione euangelij, eiuſdem etiam ſocij, & in morte non ſunt abinuicẽ ſeparati. Quos quoniam paterno fouit affectu beatus Dionyſius, & tanquam filios in iis quæ dei ſunt direxit: iure eorum pater, dignitate ſcilicet cura & authoritate hic nuncupatur. In ſexto verò verſu regalis eccleſia vocatur eccleſia Gallicana: quòd vnius regis ſceptro gubernetur: ea enim præcipuè Dionyſium vt ſuũ apoſtolum & tutelarem patronũ veneratur. Quòd ſi quis eccleſiæ nomine vniuerſalem intelligi velit eccleſiam: ea regalis dicitur, ſicut à beato Petro nominatur regale ſacerdotium.

1.Pet.2 8 ¶ In octauo verſu. Venerat Lutetiam. Lutetia, vrbs eſt celebratiſsima in Gallia omniũ bonarum literarũ emporium

porium: quæ in ſecundo huius proſæ verſu Pariſius etiam nominatur. Siquidem vtroque nomine apud probatos authores nuncupata legitur: nam & Cæſar in commentariis Lutetiam Pariſiorum commemorat. Hæc ſanè inter multa quibus inclyta nobilitatur: florentiſſimum ſtudiorum gymnaſium, ſupremum iuſtitiæ gallicanæ ſenatum, ſedem epiſcopalem, habitatorum frequentiam, rerúmque omnium ad vitam conducentium affluentiam, nihil habet antiqui⁹ & quo magis gloriári debeat: quàm quòd beati patris Dionyſij prædicatione ſit primum illuſtrata, eiuſque ſtudio ac opera verè fidei ſplendorem percepit, & ſancto ipſius ſanguine ſit domino conſecrata.

10 ¶ In decimo verſu. Fallacis Mercurij. Aptum ipſius Mercurij epithetum hic author expreſſit: cum eum fallacē dixit. Nam apud poetas & gentiles habebatur fraudis furtíque magiſter. Et hi certè licet ignorantes: propemodum vera dixerunt, nempe Mercurij nomine, dæmon intelligitur, furtum ingenioſus ad omne: qui mendacia, dolos, fraudes & fallacias hominibus ſuggerit, quibus clanculum aliena ſubducant, furtis inuigilent, & per omne nefas quæ aliorum ſunt ſibi ſurripiant. Ab huius nomine, mons præcelſus qui Pariſiis ad ſeptentrionem imminet, mons Mercurij quondam dictus eſt: quòd in eo phanum ipſius cōſtructum eſſet & ibidem coleretur. Verum poſtquam eo in mōte hi ſancti martyres Dionyſius, Ruſticus & Eleutherius cęſi ſunt, ſanguinémque ſuum fuderunt: eliminatus illinc eſt fallax Mercurius, omnis ſuperſtitio cultus eius exploſa, & cum religione noua mutatum eſt etiam montis nomē: qui deinceps mons martyrum, à cæſis inibi ſanctis martyrib⁹ appellatus eſt.

15 ¶ In decimoquinto verſu. Cataſtam: lectum ferreum. Cataſta, machina eſt lignea: qua ſerui vincti tenebantur. Plinius. Tandem in cataſta videre Chryſogonum Syllæ. Vnde & ligneum illud machinamentum quo reorū pedes in carcere conſtringuntur: hoc nomine aptè exprimitur. Ergaſtulum verò (nam ſequens verſus id nomen habet) locus eſt vbi quippiam operis à vinctis ſeruis efficitur, quippe apud antiquos vincti & captiui: durius operari in carcere cogebantur. Vnde etiam ergaſtulum ſæpenumero pro carcere ſumitur: vt hoc in loco.

¶ In

19 ¶ In decimonono verſu. Sub ſecuri ſtat ſecurus. Id dictum eſt: quoniam ſancti Dionyſij & ſociorum eius capita non gladio (vt nũc ferè in reos animaduertitur) ſed obtuſis & hebetatis ſecuribus amputata ſunt, ſecundum morem Romanorum: qui capite damnatos ſecuri percutere in vſu habebant.

20 ¶ In viceſimo verſu. Truncus truncum caput vexit. Truncus nomen ſubſtantiuum: pars eſt arboris quę ramis truncatis, ſuperſtat. Horatius. Olim truncus eram ficulnꝰ: inutile lignum. Sumitur etiam pro ipſo corpore: cui caput eſt abſciſum. Virgilius de Priamo occiſo. Iacet ingens littore truncus, Auulſumque humeris caput: & ſine nomine corpus. Truncus verò nomen adiectiuum: id ſignificat quod eſt truncatum. Virgilius. Et truncas in honeſto vulnere nares. Itaque in hac clauſula, id nomen primo loco ſubſtantiuum eſt: ſecundo verò adiectiuum.

De ſancto Luca euangeliſta.

Pſallat chorus corde mundo:
Hos attollat, per quos mundo
Sonant euangelia.

2 *Voce quorum ſalus fluxit,*
Nox receßit, & illuxit
Sol illuſtrans omnia.

3 *Curam agens ſui regis*
Paſtor bonus, author legis
Quatuor inſtituit.

4 *Quadri orbis ad medelam*
Formam iuris & cautelã:
Per quos ſcribi uoluit.

5 *Circa thema generale,*
Habet quiſque ſpeciale
Styli priuilegium.

6 *Quod præſignat in ꝓpheta,*
Forma pictus ſub diſcreta
Vultus animalium.

7 *Supra cælos dum conſcendit,*
Sũmi patris comprehẽdit
Natum ante ſecula.

8 *Pellens nubem noſtræ molis,*
Intuetur iubar ſolis
Ioannis in aquila.

9 *Eſt leonis rugientis*

Marco

Marco uultus: reſurgentis
Quo claret potentia.
10 *Voce patris excitatus*
Surgit Chriſtus: laureatus
Immortali gloria,
11 *Os humanum eſt Matthæi:*
In humana forma, dei
Dictantis proſapiam.
12 *Cuius genus ſic contexit:*
Quòd à ſtirpe Dauid exit
Per carnis materiam.
13 *Ritus bouis Lucæ datur:*
In qua forma figuratur
Noua Chriſtus hoſtia.
14 *Ara crucis manſuetus*
Hic mactatur: ſicq́; uetus
Tranſit obſeruantia.
15 *Paradiſi hæc fluenta*
Noua pluunt ſacramenta,
Quæ deſcendunt cœlitus.
16 *His quadrigis deportatur*
Mundo deus. ſublimatur
Iſtis area uectibus.
17 *Nõ eſt domus ruitura*
Hac ſubnixa quadratura.
Hæc eſt domus domini.
18 *Gloriemur ĩ hac domo,*
Qua beatè uiuit homo
Deo iunctus hoĩ. Amen.

¶ Hæc proſa, ſimili texitur rythmicæ menſuræ forma: ſicut illa de feſto decollationis ſancti Ioannis baptiſtæ. Præcurſorem ſummi regis. In ſingulis enim verſibus vniformiter tres cõplectitur clauſulas rythmicas: duas primas (quarum ſingulæ: octo ſyllabarum) adinuicem conſonantes, & tertiam heptaſyllabam: proximi verſus tertiæ clauſulæ in exitu terminalique deſinẽtia reſpondentẽ. ¶ Author eius: Adam de ſancto Victore. Commendat autem ipſa inſigniter eximiam dei bonitatem: qui quatuor euangeliſtas verborum & operum Chriſti ſcriptores ordinant ad totius orbis illuminationem & ſalutem. Hi autem, per quatuor Ezechielis animalia ſunt ſignati: & per quatuor paradiſi flumina in vniuerſam terram profluentia. quemadmodum in illa proſa de ſancto Matthæo. Iocundare plebs fidelis (cui hæc in materiæ conformitate & ſenſu propemodum reſpõdet) diffuſius ea omnia ſunt explicata. Et quæ illic dicta ſũt ad huius quoque proſæ intelligentiam apprimè conducũt Eſt autem hæc (ſicut & illa proſa) euangeliſtis omnibus cõmunis: & de quolibet eorũ recte põt, ac legitime decãtari.

¶ ANNO

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu Pſallat chorus cor de mundo. Aliqui hanc clauſulam ita legunt. Plauſu chorus lætabundo, & eo pacto proſam hanc auſpicantur. Et rectè itidem ſicut & alij. Nam ſiue hoc ſiue illo modo dixeris: & integra eſt ſententia, & rythmicæ ſonoritatis concinnitas. Idcirço ſicubi in hac proſa aut aliis interdum occurrit exemplarium & librorum in contextu earum euariatio: non eſt protinus emendandus aut hic codex aut ille modo & ſententiæ ſeruetur integritas & rythmi vocalitas, quandoquidem in iis quæ humano ſunt ſtudio compoſita non vſque adeò exactè eſt ſicut in aliis quæ diuinitus emanarunt, curanda identitas aut conformitas.

3 ¶ In tertio verſu. Quatuor inſtituit. Sicut beatus Lucas in ſui euangelij prologo teſtatur: multi conati ſunt cõſcribere euangelia & enarrationes operum verborúmque Chriſti, & plærique eorum ſuo potius ſenſu quàm diuino ſpiritu ad id inducti. Soli tamen hi quatuor quos legimus à deo ad id munus delecti ſunt: vt formam iuris diuini euangelicæque legis, & cautelam bene viuendi, declinãdique à malo & faciendi bonum, nobis deſcribant. Et hi ſoli vt euangeliſtę: ab eccleſia catholica ſunt recepti. Quòd autem quatuor inſtituit euangeliſtas deus & non alio quouis numero, ſequens verſus cauſam aſſignat ſatis ipſi rei accõmodam: vt quadripartitus & quadrifidus orbis, atque in orientalem plagam, occiduam, meridianam & ſeptentrionalem diſtinctus: horum quatuor ſcriptis quaſi ſpiritualibus quibuſdam antidotis ſanaretur à graui morbo ignorantiæ & vitiorum, quo laborabat.

5 ¶ In quinto verſu. Circa thema generale. Thema generale, materiáque communis quam omnes pertractant euangeliſtæ eſt conſcriptio operum, verborumque & ſignorũ Chriſti, quę in terris diuerſatus dixit & fecit. Nullus enim euangeliſtarum eſt: qui illa non pertractet & conſcribat. Speciale verò ſtyli priuilegium, eſt peculiaris aliquorum Chriſti verborum aut operum enarratio ab vno ipſorum facta: quæ ab aliis non fit. Habent enim ſinguli euangeliſtæ quędam propria: quæ à nullo aliorum enarratur. Sicut & quædam habent in quibus enarrandis conueniunt omnes: quædam in quibus tres tãtum coincidunt, quædã verò in quibus ſolum duo, quemadmodum ex prologo beati Hiero-

Hieronymi in euangeliſtas:& ex canonibus Euſebii ſuper hac re confectis dilucide conſtat.

9 ¶In nono verſu. Reſurgentis quo claret potentia. Per formam leonis ſancto Marco aſcriptam: elucet potẽtia reſurrectionis Chriſti. Nam ſecundum apoſtolum Chriſtus 2.Cor.13. reſurrexit ex virtute,& diuinitatis eius poteſtas in reſurrectione innotuit: cum templum corporis ſui in triduo excitauit,& ſumpſit rurſum animam quam poſuerat. Leo autem fortiſsimus beſtiarum: ad nullius pauebit occurſum. Prou.30 Pſal.67. Apoc.5. Dicitur item leò rugitu ſuo catulos recens editos,& iacẽtes quaſi mortuos ac exanimes ad vitalẽ motum excitare Ita & Chriſtus voce patris)qui dedit uoci ſuæ vocem virtutis) eiuſqúe nutuac virtute eſt reuocatus ad vitam. Et plane Chriſtus vt agnus occiſus eſt: ſurrexit autem vt leo quemadmodum Ioannes in Apocalypſi inſinuat cum ait. Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid

13 ¶In decimotertio verſu. Noua Chriſtus hoſtia. Nõnulli libri hanc clauſulam ita habent contextam, noua reſurrectio, ſed perperam & mẽdoſe. nam per formam bouis ſiue vituli non reſurrectio figuratur, ſed Chriſti in cruce immolatio) ſicut bos animal eſt immolatitium) qui noua eſt hoſtia pro mundi ſalute oblata. Et ergo caſtigandus eſt hic locus,& tertia præſentis verſus clauſula, ita eſt legẽda noua Chriſtus hoſtia. Tertia verò clauſula proxime ſequẽtis verſus, huic in deſinentia ſimilique cadentia reſpondẽs hoc pacto legatur, vetus obſeruantia. Ita enim in caſtigatiore exemplari contextam vtramque dictarum clauſularum legi: eúmque contextum exprimendæ ſententiæ magis quadrare diiudicaui.

14 ¶In decimoquarto verſu. Ara crucis manſuet⁹. Quẽadmodũ in carmine per diæreſim interdum vna ſyllaba in duas diuiditur: ad integrum pedum ipſius metri coplementum, ita & in modulatione rythmica: quæ certum in vnaquaque clauſula exigit ſyllabarum numerum. Quod hoc loco præſertim factitandum eſt.& dictio manſuetus proferenda eſt quadriſyllaba in hac clauſula · quæ in vulgato vſu eſt triſyllaba· 16 ¶In decimoſexto verſu. His quadrigis deportatur. Zach.cap.6. vidiſſe ipſe dicit in ſpiritu quatuor quadrigas egredientes de medio duorum montium, & equos in eis varios: quibus iuſſum eſt vt totã terram Zach.6.

ram perambularent. Hæ autem quadrigæ figura ſunt ſan ctorum quatuor euangeliſtarum: quibus dei cognitio per vniuerſum orbem defertur & promulgatur. Inſuper Exo.
Exod.25. 25. ca. iubentur in lateribus arcæ fieri quatuor circuli aurei: duo in vno latere arcæ, & duo in altero. Præcipiuntur item fieri vectes de lignis ſethim operti auro: qui inducantur per circulos in arcæ lateribus fixos, vt ipſis vectibus deportetur arca. Iubentur etiam illi vectes ſemper dimitti in circulis: nec vnquam extrahi ab eis. Per hos autem quatuor circulos & vectes illis inſertos quibus deferebatur arca: intelliguntur ipſi ſancti euangeliſtæ, quorum euangelica narratione Chriſtus arca myſtica & ſpiritualis in omnem mundi partem quantum ad ſui notitiam eſt delatus. 17 ¶ In decimoſeptimo verſu. Non eſt domus ruitura. Tertius liber Regum deſcribens ædificationem templi domini à Salomone magnificè factam: & id refert quod præcepit rex operariis ſuis vt tollerent lapides grandes, lapides precioſos in fundamentum templi: & quadrarent eos. Per hos autem quadros lapides in fundamento collocatos intelligi hic dicuntur ſancti euangeliſtæ: qui poſiti ſunt in fundamento domus domini, ſcilicet eccleſiæ militantis. Et quemadmodum apud Lucam domus à viro ſapiente ædificata ſupra petram, irruente fluctuum procella & ventorum tempeſtate non potuit dirui: quoniam fun
Luc.6. data erat ſupra firmam petram ita profectò domus domini ædificata ſuper fundamentum quatuor euangeliſtarũ, nullo perſecutionum turbini poteſt concuti aut euerti. Hæc eſt enim domus domini firmiter ædificata: bene fundata eſt ſupra firmam petram ſcilicet Chriſtum, cui quatuor iſti lapides quadrati firma compage connexi ſunt in hac ſpirituali fabrica.

De undecim millibus uirginum proſa.

VIrginalis turma ſexus:
Ieſu Chriſti quæ connexus
Dono ſentis gratiæ.

2 Flos candoris tui rubet:
Trucidari dum te iubet
Tortor pudicitiæ.

3 Britannorum inſulæ
Rector pater Vrſulæ:

Deo notus claruit.
4 Hanc Conamus uirginem,
Propter pulchritudinem:
Parem thori uoluit.
5 Procos mittit & precatur:
Minis terret, ſi ſpernatur,
Sibi poſcens Vrſulam.
6 Pater eius iam baptiſmi
Fonte lotus, paganiſmi
Prorſus uitat copulam.
7 Interim Vrſula
Chriſti diſcipula,
Docta per ſomnium.
8 Statuit nuptias,
Quærens inducias:
Trimatus ſpacium.
9 Vice dotis coniugii
Reginæ uotis habiles:
Dato ſumptu nauigii
Coæuæ dantur nobiles.
10 Vndena demum milia.
Sponſæ trāſmittit uirginū
Ducunt naues per maria,
Curam ſpernantes hominū
11 Aura flante lenius:
Diſcedunt à litore,
Huc, illucque ſæpius,
Plano ludunt æquore.
12 Sic manus fœminea
Rexit dante domino
Naues, quas Baſilea
Breui uidit termino.
13 Relictis nauibus
Ordinant acies,
Ventis & æſtibus
Exponunt facies,
Et Romam adeunt.
14 Per monaſteria
Fundentes lachrymas,
Trahunt ſuſpiria
Commendant animas
Sanctis, & redeunt.
15 Quam in portu reliquerunt,
Claſſem ſimul inuenerunt.
Magnum flumen & amœnum
Nauigantes, intrant Rhenum
Per dei clementiam.
16 Hinc ad locū paſſiōis
Duxit eas dux agonis,
Florem ſuæ iuuentutis
Paruipendunt, ſpe ſalutis,
Euntes Coloniam.
17 O fœlix Colonia.
Iuxta cuius mœnia,
Barbarorum rabies,
18 Enſes, tela, frameas,
Cultros, in uirgineas
Cruentauit acies.
19 Turmæ cœliſpōſas regi
Adduxe-

Adduxerunt: quæ ſteterũt
Ante regem gloriæ,
Palmá fretæ uictoriæ.
20 *Has ſpeciali gloria*
Diuina ditat gratia:
Hæ ſponſo noua cantica
Voce canunt melliflua.
21 *Fœlicia ſunt uirginũ*
Connubia tot milium:
Agnum quæ ſine macula
Duce ſequuntur urſula.
22 *Quarum orationibus*
Fælices cum fœlicibus
Pace fruamur ſedula
Per ſeculorum ſecula.
Amen.

¶ Hæc proſa, multiformem habet rythmi ſpeciem ac modum. Nempe in aliquibus verſibus tres continet clauſulas rythmicas, in aliis autẽ quatuor in aliis verò quinque: Rurſum nonnullæ clauſulæ octo cõplectuntur ſyllabas, quarum penultima in aliquibus eſt longa, in aliis verò breuis. Aliæ, ſeptem habent ſyllabas, aliæ verò ſex, & in vtriſque penultima ſemper eſt breuis. Conſonantiam autem ſeruant omnes in exitu ſyllabarum aut ad proximam ſibi clauſulam, aut ad eam quæ tertio conſtituitur loco, vt ipſa lectio atque literalis contextus apertiſſime commonſtrat. Narrantur in ea ſanctiſſimæ virginis Vrſulæ & vndecim millium eius comitum virginum præconia ac ſeruandæ virginitatis ſtudio peregrinationes per maria ac terras, diuerſáque loca, demùm fœlix earum conſummatio per martyrium. Quæ omnia, ex hiſtoria vitæ & agonis earum quæ vulgo habetur, requirenda ſunt, neque hic exactius aperienda aut referenda.

1 ¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Ieſu Chriſti quæ connexus, Virginei ſexus turba: hic dicitur ſentire connexus, coniunctionẽmq; Chriſti dono gratiæ, quoniam diuinæ gratiæ munere adiuta: ſocietatem habuit in hac vita & connexionem ſpiritualem animorum cũ Chriſto, qui ſponſus eſt virginum, earumque conſortio & intimo contubernio delectatur. Nunc verò in cæleſti gloria, ſtrictius eidem connectuntur: cantantes canticum nouum & ſequentes agnum quocunque ierit. Demùm virginei candoris flos rubere dicitur: cum puritati virginali, adiũgitur effuſio ſanguinis per martyrium pro Chriſto. Vt enim candor, virginitatis eſt inſigne: ita rubor purpureuſque

que color martyri. Quoniam igitur hæc glorioſa virginū turba, candori virginali cõiunctam habet coronam martyrii: rectè flos candoris eius rubere hic dicitur, roſeoque decore adornari.

5 ¶ In quinto verſu. Procos mittit & precatur. Proci dicuntur proprie: qui in eandem libidinem nimia appetētia conſpirant. à procādo dicti: quòd eam quam adamant nimium importune ſolicitant ad explendam ſuam cupidinē Quales erant, qui abſente Vlyſſe Penelopen eius vxorem caſtiſſimam petebant in coniugem: & quotidiana efflagitatione infeſtabant. De quibus ipſa, ita viro ſuo ſcribit. Turba ruunt in me luxurioſa: proci. At tales nō erant, qui miſſi ſunt à Conano ad expoſcendam Vrſulam in ſuum connubium: ſed ſolennes nuncij cum honoratiſſimo comitatu (vt regum mos eſt) ad id negotiū miſſi. Quare procos hic accipere debemus legatos: ad fœdera nuptialia concilianda directos.

¶ In ſexto verſu. Paganiſmi prorſus vitat copulam. Sicut in veteri lege prohibiti ſunt Hebræi accipere filias Chananeorum & gentilium in vxores: ne ipſarum conſortio inducerentur in cultum idolorum. Vnde & Eſdras ſcriba legitur alienigenas mulieres diſſeparaſſe à populo Iſraelitico: cui contra domini præceptum erant connubio iunctæ. Ita & in lege gratiæ & euangelica fieri non debet coniugium mulieris fidelis cum viro infideli: potiſſimum quoniam ſubeſt periculum ne mulier fidelis per viri conſortiū pertrahatur ad infidelitatem, ritum paganorum, & ipſius dei contemptum ac contumeliam. Quod & hic pater ſanctæ Vrſulæ Chriſtiana lege rectè imbutus formidaſſe creditur. *Deut. 7.* *1. Eſd. 10.*

30 ¶ In octauo verſu. Trimatus ſpaciū. Anniculus: vnius anni. vt agnus anniculus ſine macula: iuſſus eſt in veteri lege immolari. Bimus: duorum annorū. Trimus: trium. quadrimus: quatuor annorum ætatem aut durationem habēs. Inde bimatus duorum annorū ſpacium. vt Herodes Chriſtum natum perſequens: iuſſit pueros Bethleemiticos occidi à bimatu & infra. Trimatus: trium annorum ſpacium. & quadrimatus: quatuor. *Exod. 12.* *Mat. 2.*

38 ¶ In decimo verſu. Vndena demum milia. Verbū tranſmittit: referendum eſt ad nominatiuum Conanus. vt hic

habeatur ſenſus. Ipſe Conanus, ſanctæ Vrſulæ ſponſus, tranſmittit ſuæ ſponſæ vndena milia virginum: quas expetierat loco dotis coniugalis, vt aut difficultate implendi quod petiit: ipſe Conanus reſiliret à propoſito expetendi eam in thori ſociam, aut ipſa virgines illas ad ſe miſſas domino etiam conſecraret, & ad propoſitũ conſimile ſeruandæ virginitatis induceret. Quod quidem ſecundum: deo diſponente & adiuuante completum eſt.

12 ¶ In duodecimo verſu. Quas Baſilea breui vidit termino. Baſilea: vrbs in Germania Heluetiis finitima, & celebratiſſima, ob diuerſarum artium cultum ac exercitium: & regium quiddam ex nomine præferens. Baſileos enim: Græci regem nuncupant. Ad hanc vrbem, antequam Romani accederent: nauigio applicuerunt ſanctæ virgines, relictiſque nauibus eo in portu vrbem Romanam pedeſtres adierunt.

15 ¶ In decimoquinto verſu. Nauigantes intrant Rhenum. Rhenus ſiue Rhenú in nominatiuo ſingulari (vtroque enim modo dicitur) fluuius eſt Galliæ Belgicæ: qui de iugo Rheticarum alpium vſque in Oceani profunda curſum ſuum dirigit. & imperii Romani murus contra efferas gentes habebatur: quem ſuperare & tranſgredi haud facile potuerũt. Virgilius extremique hominum Morini: Rhenuſque Bicornis.

17 ¶ In decimoſeptimo verſu. O fœlix Colonia. Prius Agrippina dicta eſt ea vrbs, aut quòd ab Agrippa ſit condita: aut quoniam ab Agrippina matre Neronis illuc Colonia Romanorũ eſt deducta. Nunc Colonia dicitur, vrbs in Germania inferiore celeberrima, potiſſimum ob inſigne literarum gymnaſium: illic florens. Cui accedit tot ac tantarum virginum patrocinium ac tutela: vna cum trium regum nobili mauſoleo. Demùm framea in ſequenti verſu lãceam ſiue haſtam ſignificat, vel gladium: vt alij interpretantur. vt in pſalmo. Erue à framea deus animã meam. Et apud Iuuenalem. Et martis frameam: & Cyrrhei ſpicula vatis. Pſal. 21.

DE OM-

De omnibus ſanctis.

OMnes ſancti ſeraphim, cherubim, throni quoque dominationeſque.

1 *Principatus, poteſtates, uirtutes, archangeli, angeli, uos decet laus & honores. Ordines nouem ſpirituum beatorum. Quos in dei laudibus firmauit charitas. Nos fragiles homines firmate precibus.*

8 *Vt ſpirituales prauitates ueſtro iuuamine uincentes fortiter. Nũc & in æuum ueſtris ſimus digni ſolenniis intereſſe ſacris.*

3 *Vos quos dei gratia uincere terrea. Et angelis ſocios fecit eſſe polo. Vos patriarchæ, prophetæ, apoſtoli, cõfeſſores, martyres, monachi, uirgines. Et viduarum ſanctarum, omniumque placentium populus ſupremo domino. Nos adiutorium nunc & perenniter foueat, protegat ut ueſtrum, in die poſcimus gaudiorũ ueſtrorum. Amen.*

¶ Hæc proſa ſolutam habet orationis cõpoſitionem: nec rythmi legibus aſtringitur Inuocat autem ſuppliciter omnes ſanctorũ ordines, ſpiritus angelicos, patriarchas, apoſtolos, martyres, cõfeſſores, virgines & omnes electos dei: vt nobis ſint præſidio, precibuſque ſuis præſtent auxilium ad poſſidenda ſecum regna cœlorum.

¶ ANNOTATIONES. Principatus, poteſtates, virtutes. Si virtutes ante poteſtates, principatus autẽ poſt vtraſque nominati fuiſſent, omnes nouem angelicorum ſpirituum ordines ſuo fuiſſent loco ſecũdum trium hierarchiarum diſpoſitionem ſigillatim nominati. Nempe ſupremæ hierarchiæ tres ordines ſunt: ſeraphim, cherubim, throni. Mediæ verò: dominationes, virtutes, poteſtates. Poſtremæ autem: principatus, archangeli & angeli. Porrò virtutum & angelorũ nomina hic ſpeciatim ſumuntur: vt vnius tantum ordinis cœleſtes ſubſtantia ſignat. non autem communiter: vt ſupernorum omnium ſpirituum cuiuſuis ſint ordinis appellationem deſignent.

2 ¶ Vt ſpirituales prauitates veſtro iuuamine. Vocatur ſpirituales prauitates: quæcunque vitia, *etiam carnalia*: vt crapula, libido, iracundia, quoniam ſpiritum animamq́ue noſtram lædunt & commaculant. Nempe non ſolum corpus contaminant hæc ſcelera quæ per corpus aut in corpore committuntur, ſed & animam ſordida lue polluunt. miſeriſq́ue conſpurcant madis Manifeſtū eſt etiam & alia vitiorum genera quæ non per corpus ſed animum precipue contrahuntur & exercentur: etiam ipſi animæ terram in ferre maculam & ſordem. Merito igitur quæuis vitiorū genera ſpirituales ſunt iniquitates: quoniam noſtro ſpiritui exitium inferunt & mortem, quemadmodum dicit Sapiens quòd homo per malitiam occidit animam ſuam. Et angelus ad Tobiam ait: quòd qui faciunt iniquitatem hoſtes ſunt animæ ſuæ.

Sapi.16
Tob.12

3 ¶ Vos quos dei gratia vincere terrea. Hoc non peculiarē aliquem ſanctorū ordinem: ſed ad omnes promiſcue & ſine diſcrimine eſt referendū. Nam quicunque hominū ad cœleſtem euecti ſunt regionem angeliſq́ue ſpiritbus ſociati: ob terrenorum cōtemptum (quem adiutrix dei gratia illorum animis induxit) ad fœlicitatem illam ſupremā peruenerunt. Non enim poteſt quiſpiam ad ſublima aſpire cœli atria: qui mundum hunc in corde ſuo non contēpſerit, cum dicat Iohannes in epiſtola ſua: quòd ſiquis diligit mundum non eſt charitas in eo. Sine charitate autem quis vnquam ſaluabitur? Et beatus Iacobus ait, quòd amicitia huius mundi inimica eſt deo, & quicūque vult amicus eſſe huius mundi, inimicus dei conſtituitur. Ceterū gratia dei hunc nobis ingenerat mundi contemptum, quoniam illa amori dei ſemper eſt coniuncta, neque ab illo diſſeparatur vnquā. Amor autem dei omnino ex oppoſito pugnat cū amore mūdi, vt calor aduerſatur frigori, vita morti, lux tenebris, quare extinguit amor dei in nobis amorem mundi, & oppoſitam illi inducit animi affectionem, ſcilicet mundi deſpicientiam, vt ſanitas depellens morbum ē corpore, cōtrariam illi bonam valetudinem afferet. Cū itaque gratia dei nobis ingignat amorē in deum, & is amor ingerat nobis mundi, contemptum conſequens eſt & gratiam dei in nobis mundi contemptum efficere.

1. Ioan. 12
Iacobi. 4

De

De omnibus ſanctis: alia proſa.

SVpernæ matris gaudia,
Repræſentet eccleſia.
1 Dum feſta colit annua,
Suſpiret ad perpetua.
3 In hac ualle miſeriæ
Mater ſuccurrat filiæ.
4 Hic cœleſtes excubiæ
Nobiſcum ſtent in acie.
5 Mundus, caro, dæmonia,
Diuerſa mouent prælia.
6 Incurſu tot phantaſmatum
Turbatur cordis ſabbatū.
7 Dies feſtos cognatio
Simul hæc habet odio.
8 Certatque pari fœdere
Pacem de terra tollere.
9 Cōfuſa ſunt hic omnia,
Spes, metus, mœror, gaudium.
10 Vix hora uel dimidia
Fit in cœlo ſilentium.
11 Quā fœlix illa ciuitas,
In qua iugis ſolennitas.
12 Et quàm iucūda curia,
Quæ curæ prorſus neſcia.
13 Nec languor hic nec ſenium
Nec fraus, nec terror hoſtium.
Sed una uox lætantium,
Et unus ardor cordium.
14 Illic ciues angelici
Sub hierarchia triplici,
Trinæ gaudēt & ſimplici
Se monarchiæ ſubiici.
15 Mirantur nec deficiunt
In illum, quem proſpiciūt.
Fruuntur nec faſtidiunt,
Quo frui magis ſitiunt.
16 Illic patres diſpoſiti
Pro qualitate meriti,
Semoto iam caligine
Lumen uident in lumine.
17 Hi ſancti, quorum hodie
Recenſentur ſolennia.
18 Nunc reuelata facie
Regem cernunt in gloria.
19 Illic regina uirginum
Tranſcendens culmen ordinum,
20 Excuſet apud dominū
Noſtrorum lapſus criminum.
21 Nos ad ſanctorum gloriam
Per ipſorum ſuffragia,
22 Poſt præſentē miſeriā
Chriſti perducat gratia.

¶ Hæc proſa cõſimilem habet rythmi ſymphoniam, cum illa de ſancto Bartholomeo prius expoſita. Laudemus omnes inclyta: Bartholomei merita. Author eius: Adã de ſancto Victore. Deſcribit autem amœna & admodum ſuaui emodulatione fœlicia illa gaudia ſupernæ patriæ: quibus derfruuntur ſancti omnes aulæ cœleſtis incolæ. primũ huius vitæ miſeriam & pericula tentationum animis noſtris obiiciens: & inde ciuitatis illius æthereæ fœlicitatem colligens. quòd omnino aliena ſit ab omni turbine, inquietudine & metu, Quanta deinde ibi ſit ordinis pulchritudo in diſpotiſſima angelicorum ſpirituum ac ſanctorum omniũ ſecundum ſuũ gradum & ſortem collocatione, quanta dulcedo viſionis diuinæ cum aſſidua ſatietate ſine faſtidio, & continuo deſiderio ſine tædij amaritudine: elegãter & ſuauiter expromens. Et certe ipſa præſentis proſæ lectio ſynceritate mentis & attentatione: rapit quodam modo legentis animum pio quodam affectu & ardore potiundi illa æterna beatitudine.

¶ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Mater ſucurrat filiæ. Matrem vocat author eccleſiam illam cœleſtem & triumphantem in cœlis: quam in primo etiam verſu appellat ſupernam matrém. Illa certe eſt Hieruſalẽ quæ eſt ſurſum mater noſtra. Filiam verò dicit eccleſiam hic in terris militantem: quæ adhuc deſudat in paleſtra & currit in ſtadio huius mundi. Et merito in collatione ad alteram, filia dicitur: quòd dignitate & excellentia ſit inferior: atque illius cœleſtis indiget cõtinuo adiutorio & directione: ſicut filia, matris. Et id quidem adiutorium in ſequẽte petit verſu: cum orat quòd cœleſtes excubiæ, cuſtodia ſcilicet angelica ſuper nos iugiter vigilans & intenta: nobiſcum in certamine contra hoſtes ſpirituales conſiſtant, ferantque nobis ſuppetias.

Gal. 4.

21 ¶ In quinto verſu. Mundus caro, dæmonia. Verum plane eſt quod dicit Iob. Militia eſt vita hominis ſuper terrã. aut vt alia habet tranſlatio. tentatio eſt vita hominis ſuper terram. Siquidem mundus blanditur vt fallat: ſpeciem boni oſtentans in extrariis iſtis & tranſitoriis bonis, quæ verè bona non ſunt. Caro verò concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſuis illecebris trahit ad voluptaria: quorum extrema luctus occupat. Demùm aduerſarius noſter diabolus tanquam leo

Iob. 7. *Prou. 14.* *1. Pet. 5*

quam leo

quam leo rugiens circuit: quærens quem deuoret. Nimirũ tot hoſtilium tentationũ inſultu & incurſione ſabbatum ac tranquillitas animi perturbatur: quòd nulla fere præſtatur nobis requies quandiu præſens agitur vita, quin animus infeſtetur ſuggeſtionibus & impulſu aut huius aut illius hoſtis. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Dies feſtos cognatio. Hæc cognatio eſt trium ſupradictorum hoſtium germanitas ac affinitas: in iis ſuggerendis quæ noſtræ ſaluti ſunt noxia. Videntur enim conſpiraſſe & mutuo conſenſu percuſſiſſe fœdus adinuicẽ ipſi tres. vt nos homines auertant à cœlo. Illa verò cognatio dies feſtos odio proſequitur: quoniã inimica eſt virtuti & bonis operibus, quæ diebus feſtis potiſſimum exercentur. moleſtéque fert homines deo eſſe deditos, & diuinis intentos officiis: quod præſertim in ſolennium dierum celebritate fieri ſolet. Idcirco facta quaſi coniuratione pro viribus elaborat hæc noſtrorum hoſtium in malo cõſpiratio: vt de terra animæ noſtræ pacem & tranquillitatem conſcientiæ tollant, omnia commiſceant bellis inteſtinis, & in regno noſtro ſumma imis confundant & ima ſummis.

28 ¶ In nono verſu. Spes, metus, mœror, gaudium. Succinctæ & decenter hic quatuor animorum noſtrorum exprimuntur affectus præcipui: à quibus fere omnes & grauiſſimæ perturbationes in nobis ſuſcitantur. Eſt enim ſpes futuri boni deſiderium. Metus illi oppoſitus: imminentis mali formido. Mœror verò eſt de præſente malo triſtitia premens animum. Gaudium autem: de præſente bono lætitia geſtiens. Itaque ob aſſiduas tempeſtates & ſtrepitus quos ingerunt hæ paſſiones: vix modico admodum tẽpore habetur in cœlo noſtro & cordis cubiculo ſilentiũ. Sanè Apocalypſis teſtatur: quòd factum fuerit ſilẽtium in cœlo *Apoc. 8.* quaſi dimidia hora. At in ſecreto animæ noſtræ, & penetralibus illis præcordiorum (quæ deus inhabitare quærit: in *Pſal. 10.* cœlis eſt, & cuius in cœlo ſedes eſſe prædicatur) vix bene exigua temporis morula fit ſilentiũ & tranquillitas à commotione & perturbatione dictorum affectum. 3 ¶ In decimoquarto verſu. Se monarchiæ ſubiici. Monarchia Græcum nomen: vnius principatus interpretatur. Et quoniam vnus eſt omnium deus, & vnus eſt dominus: ipſius in omnes principatus & dominatio, iure monarchia nominatur.

Huiuſmodi autem monarchia:& trina eſt & ſimplex. trina in perſonarum diſtinctione:ſimplex verò in ſubſtantiæ in vnitate.quoniam deus & vnus eſt in eſſentia,& trinus in perſonis.

1.Corin.13 4 ¶ In decimoſexto verſu. Semota iam caligine. Vide-
1.Ioan.3. mus enim(vt ait Paulus)nunc per ſpeculum in ænigmate:tunc autem facie ad faciem. Et beatus Ioannes in ſua epiſtola.Scimus quoniam cum apparuerit,ſimiles ei erimus:quoniam videbimus eũ ſicuti eſt.Itaque ſancti quoniam in regno cœleſti vident deum facie ad faciem,& vident eum ſicuti eſt:omnis caligo ænigmatis & velamẽ ab eis eſt ſublatum. & in lumine gloriæ ipſis circunfuſo ac irradiante: vident lumen illud incircunſcriptum ſummæ deitatis.ſecundum illud verbum pſalmi.Quoniam apud te eſt fons vitæ:& in lumine tuo videbimus lumen.

Pſal.35. 5 ¶ In decimoſeptimo verſu. Hi ſancti quorum hodie. Solet in plæriſque eccleſiis hæc proſa de quolibet ſancto confeſſore promiſcue decantari,mutato numero plurali horum nominum,pronominum & verborum,ad variandam locutionem pertinentium:in numerum ſingularem, hoc modo.Hic ſanctus cuius hodie recenſentur ſolennia nunc reuelata facie regẽ cernit in gloria.Et in viceſimoprimo verſu.Nos ad ſanctorũ gloriã per ipſius ſuffragia. Verũ aptius hæc proſa ſicut hic eſt contexta,de omnibus ſanctis canitur:quàm de vno quouis ſancto confeſſore: quoniam nichil in ea ſẽtẽtiæ continetur:quod vni confeſſori debeat potius quàm alii cuiuis ſanctorum,vt apoſtolo,martyri aut virgini accommodari . & quicquid in ea dicitur:ſanctis omnibus cuiuſuis ordinis eſt cõmune.

De ſancto Euſtachio:proſa.

Corde puro , mente munda,
Moduletur uox iocunda:
Lucis huius gaudia.
2 Lux eſt grata , lux inſignis:
In qua digna deo dignis
Conferuntur præmia.
3 Ignem uincens & leonem,
Christi martyr poſt agonem,
Et decurſum ſtadium.
4 Natis iũctus & uxori,
Hac in die uiſus mori,

Vitæ

vitæ cepit brauium.
5 Veritati deditus
Dum oberrat neſcius,
Inuitatur cælitus
Ad fidem Euſtachius.
6 Ne gentilis perderet
Fructum boni ſeminis,
Cum iam caſtè uiueret
Omnis expers criminis.
7 Hic tentatus grauiter,
Fit exemplum poſteris,
Dum amiſſa pariter
Cum uxore liberis,
8 Fidem puram retinet,
In ſpe cuncta ſuſtinet,
Nec fide confunditur
Neque ſperans fallitur.
9 Iam procurat dei cura.
Vt propinet in menſura
Lachrymarum calicem.
10 Non oblita miſereri,
Nec in ira contineri
Iuſtum paſſa iudicem.
11 Viro iuſto poſt laborē
Natos reddit & uxorem,
Et in ſtatū hunc priorem
Et fortunam erigit.
12 Sed non parens regis iræ,
Dum iubetur aut perire,
Aut à fide reſilire,
Mori magis eligit.
13 Ergo Chriſto conuicturus,
Fide fortis, ſpe ſecurus,
Bouem ingreſſus æneum,
Vaporem ſpernis igneum.
14 Corpꝰ quale prius erat
Incorruptum perſeuerat.
Nec in extremis crinium
Vires apparent ignium
15 Tāquam aurū in fornace,
Mundus exit ſpiritus.
Locus eius ſit in pace,
Quā non turbat gemitus.
16 Nullus enim ibi luctꝰ:
Nullus timor hoſtium.
Sed laborum dulcis fructus,
Et perenne gaudium.
17 Martyr dulcis & præclare,
Quos hic uides laborare,
Tuis iuua precibus.
18 Vt amarū mūdi mare
Sic poſſimus tranſmeare,
Ne mergamur fluctibus.
19 Sed finito uitæ ſtatu,
Ex hoc rapti incolatu,
Ad cæli palacia.
20 Tecum Chriſtum uideamus,
Cum beatis gaudeamus,
In cæleſti gloria.
Amen dicant omnia.

Hæc

Hæc proſa multiformem habet rythmi modulationẽ & in diuerſis verſibus variam. Nonnulli enim, tres habẽt clauſulas rythmicas duas primas octo ſyllabarum, & tertiam heptaſyllabam. Alij verò quatuor: tres prima octo ſyllabis comprehenſas: quarum penultima eſt longa: & quartam heptaſyllabam: penultima breui conflatam. Occurrent & alij verſus, quatuor clauſulis integrati: quarum ſingulæ ſeptem continent ſyllabas, & penultimam longã. Quomodo autem conſonantiam ſeruent in exitu ſyllabarum: ipſa ſola lectio plane docebit Commendatur in eo beati Euſtachij conſtantia in tribulatione & aduerſitatib⁹ vitæ præſentis: ac deinde in tolerantia tormentorum pro fide Chriſti illi inflictoru m, quibus fortiter ſuperatis: ipſe martyrij palma inſignitus, cum vxore & duobus liberis Agapito & Theoſpito, peruenit ad cæleſtia regna, quemadmodum vita eius & agon pro Chriſto, vulgo cognitus: clarius edocet:

3 ℭ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Ignem vincens & leonem. Ignem quidem, æneo boui (cui cum vxore & liberis iuſſu Cæſaris erat immiſſus) ſuppoſitum, vt illius ardore abſumeretur. Illum autem vicit: quoniam timore ipſius non eſt à confeſsione fidei abductus, neq; ab eo læſus, ſed inuſto prorſus corpore & crinibus: placida morte & tranquilla obdormiuit in domino, vt decimuſtertius & duo ſequentes verſus huius proſæ latius explicãt. Leonem verò vicit: quando in arena poſitus immiſſum cõtra ſe leonem ferociſsimũ iuſſu cæſaris: ſuſtinuit, qui poſita naturæ feritate ad pedes illius procumbens: nihil mali illi intulit.

4 ℭ In quarto verſu. Hac in die viſus mori. Reſpondet ea ſententia illi præconio iuſtorum: in libro ſapiẽtiæ à Salomone, panegyrico more decantato. Iuſtorum autẽ animæ in manu dei ſunt: & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori: & æſtimata eſt afflictio exitus eorum. Et ab itinere iuſto exierunt in exterminium, & quod à nobis eſt iter exterminij, illi autẽ ſunt in pace. Etſi coram hominibus tormenta paſsi ſunt: ſpes illorum immortalitate plena eſt. Et certè immortalis vitæ brauium accepit Euſtachius, compendio temporariꝭ mortis: quoniam hac morte tranſitoria conſecutus eſt vitam perennem.

5 ¶ In quinto verſu. Veritati deditas dum oberrat neſcius. Non inter ſe pugnant hæc duo, quòd veritati deditus fuerit Euſtachius, neſcius tamen oberrauerit, quoniã ad diuerſa referuntur. Siquidẽ deditus erat veritati, quantum ad agendum rationem. iuſte & rectè ſecundum naturæ legem humanis cordibus inſcriptum viuens, in pauperes beneficus & miſericors. Neſcius autem oberrauit: quantum ad credendorum legem ac regulam. Nam cultui idolorum deditus, deum creatorem ſuum ignorabat. Et ergo venantem ipſum Euſtachium Chriſtus inter cornua cerui crucifixus apparens: retibus miſericordiæ ſuæ venatus eſt & accepit.

9 ¶ In nono verſu. Vt propinet in menſura lachrymarum calicem. Sumpta eſt ea ſentẽtia ex illo verbo pſalmi, Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſura. Siquidem lachrymarũ calicẽ propinat deus ſanctis ſuis: quãdo illis amaritudinẽ paſsionis nomine calicis ſignificatã tolerãdũ offert, ſicut & ipſe primus calicem illum bibit. In menſura verò eundem porrigit, nã moderatur atrocitatem perſequentium, vt non extrema inhumanitate & prorſus efferata deſæuiant in dei martyres, ſed tolerabilia inferant ſupplicia. Fidelis enim deus (inquit apoſtolus ad Corinthios) qui non patietur vos tentari vltra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cũ tentatione prouentum, vt poſsitis ſuſtinere. *Pſal. 79* *1. Corin. 10*

10 ¶ In decimo verſu. Non oblita miſereri. Conſonat id verbum illi dicto prophetæ in pſalmo. Nunquid in æternum proiiciet deus, aut non apponet vt complacitior ſit adhuc? Aut in finem miſericordiam ſuam abſcidet: à generatione in generationẽ? Aut obliuiſcetur miſereri deus aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Certè nõ eſt oblitus miſereri deus ipſius Euſtachij graui aduerſorũ caſuum turbine concuſsi. Nam poſt vxorem à barbaro magiſtro nauis pro naulo detentam atque ablatam: poſt raptos etiam duos filios ſuos in diuerſa fluminis ripa vnum à leone, alterum à lupo, magno temporis interuallo tranſacto: incolumẽ atque intactam recepit vxorem, filios etiam duos ſoſpites ac illæſos: magiſtérque militum (vt ante hanc fortunæ aduerſitatem fuerat) conſtitutus eſt: quẽadmodum ſequens verſus perhibet. *Pſal. 67*

15 ¶ In decimoquinto verſu. Tanquam aurum in

Sapien. 5 fornace: mundus exit ſpiritus. Illa ſimilitudo, ex eo libri Sapientiæ verbo deſumpta videtur: quod de iuſtis & ſanctis commemoratur. In paucis vexati, in multis bene diſponentur: quoniam deus tentauit illos, & inuenit eos dignos ſe, Tãquã aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Quod autem ſubiungitur: locus eius fit in pace, ex eo verbo pſalmi depromptum eſſe dinoſcitur. In pace factus eſt locus ei⁹: & habitatio eius in Sion. Quod etſi de Chriſto capite ad literam intelligatur; attamen etiam ad membra eius, apta concinnitate applicatur.

Pſal. 75

16 ¶ In decimoſexto verſu. Nullus enim ibi luctus: nullus timor hoſtium. Ex eo Apocalypſis verbo, conſolationem & gloriam ſanctorum in cælis explicante: deprompta eſt hæc ſententia. Non eſurient neque ſitiẽt amplius: neque cadet ſuper illos ſol neque vllus æſtus: quoniam agnus qui in medio throni eſt reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Et abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Et quoniam ipſius Sapientis teſtimonio, bonorũ laborũ glorioſus eſt fructus: poſt exanclatos huius vitæ mortalis labores. dulciſſimũ eorũ fructum præmia & mercedem ſancti in cælis recipiunt. Beati enim mortui: qui in domino moriuntur. A modo enim iam dicit ſpiritus: vt requieſcãt à laboribus ſuis. Opera enim illorum: ſequuntur illos.

Apoc. 7

Apoc. 21

Sapien. 3

Apoc. 14

De ſancto Martino.

Sacerdotem Chriſti Martinum cuncta per orbem canat eccleſia pacis catholicæ. Atque illius nomen omnis hæreticus fugiat Pallidus. Pannonia lætetur: genitrix talis filij. Italia exultet alitrix tanti iuuenis.

2 *Et Galliæ trina diuiſio ſacro certet litigio, cuius eſſe debeat præſul. Sed pariter habere ſe patrẽ omnes gaudeant. Turoni ſoli eius corpus foueant. Huic Francorum*

atque

atque Germaniæ plebs omnis plaudat.

3 *Quibus uidendum inuexit dominum in ſua ueſte. Hic celebris eſt AEgypti partibus, Græciæ quoque cunctis ſapientibus.*

4 *Qui impares ſe Martini meritis ſentiunt atque eius medicamini. Nam febres ſedat, dæmonesq; fugat: paralytica membra glutinat. Et mortuorum ſua prece trium reddit, corpora uitæ priſtinæ. Hic ritus ſacrilegos deſtruit, & ad Chriſti gloriam dat ignibus idola. Hic nudis myſteria brachiis conficiens, præditus eſt cæleſti lumine. Hic oculis ac manibus in cælum ac totis uiribus ſuſpenſus, terrena cuncta reſpuit.*

5 *Eius ori nunquam Chriſtus abfuit, ſine iuſtitiæ, uel quicquid ad ueram uitam pertinet. Igitur te cuncti poſcimus O Martine, ut qui multa mira hic oſtendiſti. Etiam de cælo gratiam Chriſti nobis ſupplicatu tuo ſemper infundas. Amen.*

Huius proſæ ſolutus eſt contextus: nullæ rythmi lege coercitus. Continentur in ea, beati Martini mira præconia, tum à celebritate nominis in omnem fere mundi plagam diuulgati, tum à miraculorũ magnitudine & frequentia: quæ adhuc in terris digens fecit, tum denique à vitæ ſanctitate & rara & ſingulari: quam Seuerus Sulpitius eius diſcipulus ſtylo elegãti & terſo conſcripſit. Ex cuius opere, quæ hic dicuntur omnia requirenda ſunt: neq; hic latius explicanda.

1 ¶ ANNOTATIONES. Italia exultet: alitrix tanti iuuenis. Siquidem ex Sibaria Pannoniorũ oppido oriundus fuit beatus Martinus, & Hungariæ ſecundum carnem filius. In Italia autem inueniles tranſegit annos, militiam exercens ſub Iuliano Cæſare. In Gallia verò adultam & prouectam vixit ætatem: cũ apud Pictauos tum Turonos eximia vitæ ſanctimonia refulgens. Cæterùm alitrix verbale (vt vocant) nomen, ab alo verbo deducitur, quod ſupinum facit alitum vel altum. Idcirco, vtrunque nomen

indo

inde proficiſcitur & rectè dicitur: ſcilicet alitrix & altrix. Virgilius. Et terram altricem ſæui execramur Vlyſsi.

2 ¶ Et Galliæ trina diuiſio. Gallia regio nominatiſsima, trifida eſt atque in tres partes diuiſa, authore Cæſare in principio ſuorum commentariorum de bello Gallico, vt pote in Belgicam Celticam & Aquitanicã. Nẽpe à Rheno ad Sequanã, Belgica eſt ab eo autẽ ad Garũnã flumẽ: Celtica, eadẽmque Lugdunenſis. Inde ad Pirenei montis excurſum: Aquitanica, quæ & Narbonenſis. Dicitur autẽ Gallia triplex certare pia contentione, cuius eſſe præſul debeat Martinus. Nam à multis eccleſiis Gallicanis expetitus fuit: vt in eis epiſcopatum gereret. Verũ ipſe vt vere humilis, tãtum honoris apicem eſt aſpernatus: & demum inultus ac renitens ad Turonenſis vrbis præſulatum diuino nutu delectus: vbi & reliquum egit vitæ: & piè in domino defunctus ac ſepultus eſt.

3 ¶ Quibus videndum inuexit dominum: Alij hoc loco, inueſtit legunt, alij verò aſpexit ſiue inſpexit, ſed neutri rectè. Nam neque ſententia neque conſtructio grammatica: aut vnum aut alterum admittit verbum. Inuexit verò: vtrique rectè quadrat, quoniam datiuum caſum cũ accuſatiuo depoſcit, quando ſignificat in aliquem locum vehere ſiue inducere: nihilque illius orationis tunc ſuper uacuum eſt. Dicitur autem beatus Martinus illis populis inuexiſſe dominum, in ſua veſte videndum: quòd chlamyde quam pauperi fuerat impartitus veſtitum Chriſtũ nocturno viſo conſpexit, cum adhuc eſſet catechuminus.

4 ¶ Atque eius medicamini. Non ſolum (inquit) partes AEgypti & ſapientes Græciæ profitentur ſe inferiores eſſe Martino quantum ad merita & vitę ſanctitatem: verùm etiam quam tum ad miraculorum virtutem, qua ægris & languidis medẽtur qui ea gratia ſanitatum à domino ſunt donati. Raro enim leguntur viri virtute percelebres: qui tanto miraculorum ſplendore claruerunt quanto beatus Martinus cum hanc adhuc vitam ageret. Porrò hoc loco medicamini legendum eſt, non medicamine: vt faciũt nõnulli. Nam impar nomen, datiuum requirit non ablatiuũ.

5 ¶ Siue iuſtititia, vel quicquid ad veram vitam pertinet. Hi duo nominatiui: ad verbum præcedens abfuit vel (vt alij habent) defuit, ſunt referendi, vt hic habeatur

tur ſenſus. Sicut Chriſtus nunquam abfuit ori Martini: quoniam ſacratiſsimum illius nomen frequens habuit in ore, ita neque iuſtitia defuit ori ipſius: quandoquidem de iuſtitia & æquitate in omnes ſeruãda crebro loquebatur, quinimmo quicquid ad veram vitam pertinet: virtus ſcilicet omnis, fortitudo, temperantia, liberalitas, prudentia (quæ ad veram animæ vitam & ſecundum deum agẽdam pertinent) etiam non defuit ori eius: quoniam hortatorium ſemper ad omnes habuit ſermonem de ſeruanda vitæ honeſtate, de cuſtodiendis dei mandatis, de amplectenda virtute, quæ ducit ad vitam perpetuam.

De ſancto Martino: alia proſa.

Gaude Sion, quæ diem recolis,
Qua Martinus compar apoſtolis
Mundum uincens, iunctus cælicolis
Coronatur.

2 Hic Martinus pauper & modicus
Seruus prudens, fidelis uillicus,
Cælo diues, ciues angelicus
Sublimatur.

3 Hic Martinus iam catechuminus
Nudum ueſtit: & nocte protinus
In ſequẽti, hac ueſte domin⁹
Eſt indutus.

4 Hic Martinus ſpernens militiam
Inimicis inermis obuiam
Ire parat: baptiſmi gratiã
Aſſecutus.

5 Hic Martinus dum offert hoſtiam,
Intus ardet per dei gratiã.
Super ſedẽs apparet etiam
Globus ignis.

6 Hic Martinus qui cælum reſerat,
Mari præeſt, & terris imperat.
Morbos ſanat, & monſtra ſuperat
Vir inſignis.

7 Hic Martinus nec mori timuit,
Nec uiuẽdi laborẽ reſpuit,
Sicq; dei ſe totum tribuit
Voluntati.

8 Hi Martinus: qui nulli nocuit.
Hic Martinus, qui cunctis profuit.
Hic Martin⁹, qui trinæ placuit
Maieſtati.

9 *Hic Martinus, cuius eſt obitus*
Seuerino per uiſum cognitus:
Dum cæleſtis canit exercitus
Dulce *melos.*

10 Hic *Martinus, cuius Sulpitius*
Vitam ſcribit, aſtat Ambroſius
Sepulturæ, *nil ſibi conſcius*
Intrat cælos.

11 *O Martine, paſtor egregie,*
O cæleſtis conſors militiæ.
Nos à lupi defendas rabie
Sæuientis.

12 O *Martine, fac nunc quod geſſeras*
Deo preces pro nobis offeras,
Eſto memor (quam nũquã deſeras)
Tuæ gentis.
Amen.

Hæc proſa eandem ſeruat rythmicæ vocalitatis menſuram: ſicut illa de natiuitate beatæ virginis ſuperius expoſita. Natiuitas beatæ virginis, & illa de dedicatione ecclesiæ etiam prius explicata. Hieruſalem & Sion filiæ. Id tamen peculiare habet iſta proſa: quòd omnes eius verſus à ſecundo vſque ad decimum, vtroque quidem incluſo, idem habent exordium, & in ipſa fronte præferũt earundem dictionem coincidentiam, mira ſuauitate & elegãtia elaboratam. Penultimus etiã & vltimus verſus in eodẽ inter ſe conueniunt initio: ad inuocatoriam orationem apto. Author eius, Adam de ſancto Victore. Complectitur autem ſanctam conuerſationem beati viri ante ſuſceptam baptiſmi gratiam: & poſt acceptum illius ſignaculũ virtutem ipſius & efficaciam in oſtenſione miraculorum & operatione ſignorum. Deſcribit autem fœlicem ipſius obdormitionẽ, reuelationem de morte eius ſanctis Seuerino epiſcopo Colonienſi, & Ambroſio Mediolanenſi factam. Quæ omnia latius ediſſeruntur in vita eiuſdem beati Martini à Sulpitio Seuero conſcripta: & paſsim omnibus perſpecta.

2 ¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu. Seruus prudens, fidelis villicus. Denominationes iſtæ ad modum præclaræ colliguntur ex euangelio, vbi de ſeruo pruden-

te dicit ipſa veritas. Quiſputas eſt fidelis diſpenſator & prudens: quem conſtituit dominus ſupra familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? Et alio in loco. Eugo ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui. Luc.12 Fidelis autem villicus nominatur beatus Martinus: ex op poſito illius villici iniquitatis qui diffamatus eſt apud do minum ſuum, quaſi diſsipaſſet bona ipſius Denique ciuis angelicus itidem dicitur: quoniam ipſis angelicis ſpiritibus in regno cælorum conciuis eſt effectus, cælúmque diues virtutibus & bonorum operum fructũ ſubiit: qui in hoc mundo pauper & mendicus abiectúſque vixerat. Luc.16 Matth.25

5 ¶ In quinto verſu. Super ſedens apparet etiam. Hæc teſtificatio excellentiæ beati Martini cælitus facta: ita exprimitur in officio eccleſiaſtico. Dum ſacramenta offerret beatus Martinus: globus igneus apparuit ſuper caput eius. Fuit autem huiuſmodi ignis exterius apparens: ſymbolum quoddam & ſignum ardẽtiſsimæ charitatis in deũ, quo Martinus flagrabat interius. Et ſenſibili indicio promicans ignis: quanto feruore diuini amoris æſtuaret introrſum: patenter eloquebatur. Ita & ſeptimi verſus ſententiam: eccleſiaſticus vſus ita depromit. O virum ineffabilem, nec labore victum nec morte vincendum: qui nec mori timuit, nec viuere recuſauit.

10 ¶ In decimo verſu. Nil ſibi conſcius: intrat cælos. Cum ſpiritum deo eſſet redditurus beatus Martinus, in ſtrato cilicino & cinere decumbens: vidit ſathanam aſtantem ad extremitã lecti ſui, illúmque increpitans ait. Quid hic agis cruenta beſtia? nihil in me funeſtum reperies: ſed ſinus Abrahæ me ſuſcipiet. Tum ille nihil ſuum in viro dei inueniens: confuſus inſtar fumi euanuit. Eodẽ quoque modo ſuperiorum verſuum ſententiæ recenſentes aut eiuſdem miracula aut inſignia opera: ex iis ſcribuntur de vita eius aut in eccleſiaſtico cantu depromuntur, ſunt declarandæ.

12 ¶ In duodecimo verſu. O Martine fac nunc quod geſſeras. Nunc (inquit) O Martine id nobis effice quod olim egeras cum adhuc mortalem duceres vitam. Solebas enim tunc in oratione eſſe aſsiduus: cum de te canat eccleſia. Oculis ac manibus in cælum ſemper intentus:

inuictum ab oratione ſpiritum Martinus non relaxabat. Petimus igitur vt eandem orandi ſedulitatem pro nobis etiam nunc præſtes. Et ſicut quondam tibi fuit ſtudium iugiter pro hominum ſalute preces deo fundere, ita & nunc quoque pro noſtra ſalute perpetuus apud deum ſis exorator, patronus ac deprecator, aſsiduámque noſtri habeas memoriam.

De ſancta Elizabeth: vidua: proſa.

1 *GAude Siõ, quòd egreſſus*
A te decor, & depreſſus
Tui nitor ſpeculi,
2 *Rediuiua luce redit.*
O & alpha quòd accedit,
Iam in fine ſeculi.
3 *Poma prima, primitiuos*
Deus ſanctos adhuc uiuos,
Vidit in cacumine.
4 *Vt extremos addat primis,*
Quamuis ſtãtes nos in imis
Suo uiſit lumine.
5 *Sed præ multis te reſpexit.*
Odor tuus hunc allexit,
Et ſaporis puritas.
6 *Vt de regum ramis nata,*
Iuſte uere ſis uocata
Tu dei ſaturitas.
7 *Gaudent aſtra matutina,*
Quòd in hora ueſpertina
Ortu noui ſyderis,
8 *Celi ſydus illuſtratur.*
In quo terræ deſignatur.
Noui ſignum fœderis.
9 *Vere ſydus tu præclarum*
Quod à ſole differt parũ,
Et luna lucidius.
10 *Tu quòd ſole ſis amicta,*
Carne probat hic relicta
Lucis tuæ radius.
11 *O quàm dignis luces ſignis.*
Vaſa rapis: à malignis
Poſſeſſa dæmoniis.
12 *Lepræ mundas labe tactos,*
Claudos ponis & cõtractos
In pedum officiis.
13 *Quod negatum eſt natura*

ture,
Tu uirtutis agis iure,
Et potes ex gratia.
14 *Vita functos tu reducis,*
Cæcis reddis membra lucis,
Et membrorum ſpatia.
15 *Eia mater nos agnoſce,*
Libro uitæ nos depoſce
Cum electis inſcri.
16 *Vt conſortes tuæ ſortis*
Et à pœnis & à portis
Eruamur inferi.
Amen.

Hæc proſa, conſimilem in omnibus verſibus obſeruat rythmi ſonoritatem ac rationem. Quippe eorum quiſque tres cõplectitur clauſulas rythmicas: quarum duæ primæ cõtinent ſingulæ octo ſyllabas & penultimã earum longã, habéntque inter ſe in ſyllabarum deſinentia conformitatem Tertia verò cuiuſque verſus clauſula: ſeptem cõplectitur ſyllabas, & penultimam earum breuem. In exitu verò ſyllabarum: ſeruat reſponſum ad tertiam proximi verſus ſiue præcedentis ſiue ſequentis, clauſulam. Commendatur in ea, ſingularis & eximia ſanctitas inclytæ Elizabeth viduæ, quæ in fine ſeculorum ſplendore mirabili ſuarum virtutum inſigniter illuſtrauit eccleſiam: & à deo in teſtimonium admirandæ ſuæ ſanctimoniæ multis miraculis eſt illuſtrata.

1 ☾ ANNOTATIONES. In primo verſu. Gaude Siõ quòd egreſſus. Nomine Sion, ſancta accipitur eccleſia catholica. Sion enim interpretatur ſpecula: ſiue ſpeculũ vel ſpeculatio. Eccleſia autem nunc videt deum per ſpeculum in ænigmate: & per fidem ſynceram ipſum ſpeculatur. Ab ipſa quidem eccleſia egreſſus fuit decor ſanctitatis priſtinæ, & offuſcatus nitor ſui ſpeculi, quoniam ſplendor ipſe ſanctitatis & feruor deuotionis, qui in ſanctitatis viris primitiuæ eccleſiæ tempore florentibus effulſerat: obtenebratus erat & propemodum extinctus tempore ſequente ſtatum naſcentis eccleſiæ, quoniam abundauit iniquitas: & refriguit charitas multorum. Ille verò decor rediit circa finem ſeculi, quoniam circa extrema eius tempora rurſum emicuerunt viri & mulieres eximiæ ſanctitatis & vitæ admirabilis, quẽadmodũ ſancta Elizabeth, circa annũ ab incarnatione domini milleſimum ducenteſimum & viceſimũ: miro ſãctitatis fulgore hoc in mũdo reſplẽduit Matth. 24

Et ita Chriſtus qui eſt alpha & ω, pricipium & finis, nunc ſuam viſitat eccleſiam in fine ſeculi per ſanctos quibus eã illuſtrat: ſicut & in principio eam inuiſit per corporalem præſentiam. Finis item principio coniũgitur nunc per ſanctitatis cõformitatem, quando in fine temporis eccleſiæ militantis: ruſum viget ſanctitas & decor virtutum (qui intermedio tempore fuerat obnubilatus) quemadmodum in principio ipſius eccleſiæ prius viguerat.

3 ¶ In tertio verſu. Poma prima primatiuos. Apta quadam metaphora comparat hic author & aſsimilat eccleſiam arbori fructiferæ & fecundæ, in cuius cacumine viſuntur pulcherrima poma, ſimiliter & in eius ima parte. Per poma miri odoris ac fragrãtiæ in ſummitate illius arboris pendentia: intelliguntur ſancti primitiui, & qui apoſtolorum ſanctorúmque martyrum temporibus florebant. Per poma verò in imis ramis illius arboris collocata: accipiuntur ſancti, qui tranſacto medio illo tempore decurſus eccleſiaſtici, circa finem mundi reiecta tepiditate & torpore noua, ſanctitate & virtutũ magnitudine excellere ſunt viſi, reſuſcitaréque decorem eccleſiæ præſtinum. 5 ¶ In quinto verſu. Sed præ multis te reſpexit. Inter poma illa quæ in ima arboris illius parte conſpicua ſunt: ſpectabilis fuit & ſancta Elizabeth: quoniam rara ſanctitate & præclara circa ſeculi finem refulſit. Et quemadmodum pomi fragrantia, ſaporiſque ſuauitas vnà cum grato colore: nos allicit ad deſiderandum aliquod pomum. Ita viuus decor virtutum ſanctæ Elizabeth tanquam ſpiritualis quidam color, & odor boni nominis eius ſparſus in multos per boni exempli communicationẽ: demum & ſyncerus deuotionis eius affectus tanquã dulciſsimus ſapor, allexit Chriſtum: vt hoc pomum ſpirituale præ cæteris expeteret, illius delectaretur eſu atque ſatiaretur fructu. Proinde ipſa ſancta matrona quam prædicamus, rectè Elizabeth eſt appellata, quod nomen interpretatur ſecundum vetuſtorum patrum ſententiam: dei mei ſaturitas, quæ ſanè interpretatio ſicut & nomen, aptè congruit huic tam ſanctæ viduæ: quoniam eius communicatione deus (vt ita dixerim) ſaturatus eſt. Dicitur & ipſa in ſexto verſu nata de ramis regum, quoniam regis Hungariæ erat filia: & longo ſtemmate ex regia ſtirpe

pe ſuorũ maiorum deducta. 7 ¶ In ſeptimo verſu. Gaudēt aſtra matutina. Aſtra matutina, ſācti ſunt circa eccleſię primitiuæ tempora decore virtutum radiantes: quòd circa exortum legis euangelicæ tanquam horam matutinam effulſerint. Hora verò veſpertina, tempus eſt extremum ecclesiæ & nouiſsimum: circa mundi veſperam ac finem decurrens: quale eſt noſtrum ipſorum tempus: in quos fines ſeculorum deuenerunt. Circa illam autem horam veſpertinam, nouum ſydus myſticum & ſpirituale exoritur: ſancta ſcilicet Elizabeth, mira virtutum claritate refulgens, quo & cæleſtis illa ſanctorum ſocietae mirificè adornatur: & homines deo nouo pacis fœdere conciliantur. Itaque ipſa Elizabeth ſydus eſt illud pręclarum, quod à ſole, Chriſto ſcilicet (qui ſol eſt iuſtitiæ) parum diſtat, quoniam in humilitate, paupertate, patientia, & huiuſmodi virtutibus, ipſi propemodum eſt conformis & perſimilis. Idem quoque ſydus, eſt ipſa luna ſenſibili & oculis noſtris conſpicua, lucidius, quoniam illa interdum patitur luminis ſui deliquium & eclypſim, diuerſáſque ſuſtinet vices & alternationes nunc crementi nunc decrementi fulgoris ſui: à ſole precario accepti. Claritas autem ſyderis huius ſpiritualis, nulli obnoxia eſt mutabilitati aut occaſui, perpetuo rutilat ſplendore in cælo, & incorruptibili luce radiat, neque diminuetur vnquam neque obnubilabitur in æternum. 1. Cor. 10

10 ¶ In decimo verſu. Tu quòd ſole ſis amicta. Sancta Elizabeth nũc ſole in cælis eſt amicta, quoniam à deo qui ſol eſt immenſi iubaris, circumambitur, atque circũluſtratur lumine cæleſtis gloriæ, quo tota abſorbetur atque oppletur, amicta lumine ſicut veſtimento. Hanc autem in cælis gloriæ celſitudinem comprobat ſplendor ipſe ſignorum & miraculorum, qui hoc in mundo fiunt ad ſacri ipſius corporis præſentiam & venerationem, vt radius quidam clariſsimæ illius lucis qua ſpiritus ſanctæ Elizabeth in cælis illuſtratur, videatur quodãmodo in corpus ipſius redundaſſe, quod tot & tantis clareſcit miraculis in teſtimonium anteactæ ſanctitatis, & ſublimitatis gloriæ eius in cælo. Pſal. 103

11 ¶ In vndecimo verſu. Vaſa rapis à malignis. Vaſa hic dicuntur humana corpora: quòd ex luto conflata, li-

móque terræ concreta, animarum rationalium ſunt rece-
2. Cor. 4 ptacula. Quæ quidem appellatio: à ſacræ ſcripturæ vſu
1. Theſ. 4 non eſt aliena. Scribit enim ad Corinthios Paulus: quòd habemus theſaurum iſtum (animæ ſcilicet rationalis & diuinorum chariſmatum) in vaſis fictilibus, vtpote noſtris corporibus. Et ad Theſſalonicenſes idem ſcribens, ipſos admonet abſtinere à fornicatione, vt ſciat (inquit) vnuſquiſque veſtrum, vas ſuum poſsidere in ſanctificatione & honore. Itaque ſancta Elizabeth vaſa rapit ſiue diripit poſſeſſa à malignis ſpiritibus, quoniam hominum corpora vexata à dæmoniis liberat huiuſmodi infeſtatione, & ipſa expellit dæmonia.

12 ¶ In duodecimo verſu. Claudos ponis & contractos. Contrahere inter varias quas habet acceptiones: ſignificat etiam interdum cõſtringere ſiue retrahere, puta cum nerui contrahuntur & colliguntur rigore & metu: ita vt extendi nequeant: Vnde contractio: diſſolutio. Diſſolutio. Cicero libro primo Tuſculanarum quæſtionum. Sed eo quòd in hoc eſt omnis animi contractio, ex metu mortis. Et libro quarto idem, Animóſque demittunt & cõtrahunt, ſcilicet timore. Inde contracti dicuntur, qui neruos habent ita rigore conſtrictos: quòd libere extendi nequeant, ideóque manuum aut pedum deſtituũtur officio.

14 ¶ In decimoquarto verſu. Cæcis reddis mẽbra lucis: & membrorũ ſpacia. Hic membra lucis dicuntur oculi: ꝙ inſtrumenta ſint naturalia & à natura deſignata ad vſum videndi. Spacia verò membrorum lucis, ſunt conçauitates ipſæ & loca, in quibus natura conſtituuntur orbes oculorum. Itaque duplex hic miraculum inſinuatur: à domino ad inuocationem ſanctæ Elizabeth cæcis præſtitum. Primùm, quòd reddita eſt oculis eorum prorſus excæcatis, ſupra naturam videndi facultas. Secundum, quòd nõnullis oculorum orbes & ſphærulas non habentibus, diuina virtute efformati ſunt ſuis in locis oculi, vna cum libera videndi poteſtate ac virtute. Quod ſanè ſecundum, mirabilius cenſeri iure debet, quàm primum.

De ſancta

De ſancta Catharina.

Anctiſſimæ
Virginis uotiua feſta
Recolamus.
2 *Venerantes.*
Hunc diem præclarum omnes,
Concinamus.
3 *Proferat hæc concio*
Laudes, & deuotio
Sit ſyncera.
4 *Concrepet organicis*
Modulis & canticis,
Laude digna.
5 *Hanc fuiſſe filiam*
Coſti regis unicam,
Tradunt ſcripta.
6 *Annis puerilibus,*
Sophiſticis artibus
Fuit clara.
7 *Turbam philoſophicã,*
Vicit, & rhetoricam,
Diſputando.
8 *Hinc regina credidit,*
Deos uanos reſpuit
Venerari.
6 *Fit pœnalis machina,*
Pereunt ac milia
(Dum rotatur) agmina
Paganorum.
10 *Mox trũcatur capite,*
Aſſunt turbæ cœlicæ,
Sepelitur debite
Monte Sina.
11 *Ora pro populo,*
Precare pro clero,
Martyr Chriſti Catharina
12 *Aſtantem populum,*
Laudantem te clerum,
Foue, rege ꝑ ſecula. Amẽ.

Hæc proſa cõſimilis eſt ſonoritate rythmica illi de natiuitate domini ſuperius explanatæ. Lætabundus exultet fidelis choruſe hallelu ia. In primis tamen duobus, iſtius proſæ verſibus non vſque à deo perſpecta eſt rythmica forma ſicut in ſequentibus, quòd prima eorũ clauſula ſecundæ non reſpõdeat in numero ſyllabarum neque in ſono terminali, ſed tãtum tertia primi tertiæ ſecundi verſus cõſonet. In cæteris autẽ verſibus, rythmicæ vocalitatis tenor manifeſtius elucet. Continet autẽ exhortatorium exordium ad ſanctæ virginis Catharinæ celebranda præconia, deinde vitam ipſius, agonem & glorioſam mortẽ prædicat, ex parthenice Catharinaria Mãtuani & hiſtoria paſſionis eius ſatis notam. Poſtremum inuocat eãdem ſacram

virginem, vt ipſius laudibus intentos ſedula oratione ſua adiuuet.

4 ¶ ANNOTATIONES. In quarto verſu. Modulis & canticis laude digna. Dictio illa, digna, ibidem accuſatiuus eſt pluralis neutri generis, ordinatúrque cum verbo cōcrepet, vt huiuſmodi ſit ſenſus. Hæc concio perſonet atque decantet organica modulatione & ſpiritualibus canticis, ea quæ ſunt laude digna, ſacratæ ſcilicet virginis Catharinæ præconia, inſigni laudæ dignifsima. Quòd ſi ponatur eſſe nominatiuus ſingularis fœminini generis & referri ad nomen ſubſtantiuum concio vel deuotio, ineptus reddetur ſenſus, nam neque hæc concio rectè dicitur laude digna, neque etiam noſtra deuotio.

6 ¶ In ſexto verſu. Sophiſticis artibus fuit clara. Non hic dicuntur artes ſophiſticæ, cauillatoriæ illæ & captioſæ artes, quibus ad ſui oſtentationem & aucupandam auram popularem ſubdoli ſophiſtæ calumniantur verum, & falſum defendunt. Siquidem illæ clarum non reddunt hominem, ſed ignobilem, garrulum, vanum & deſpicabilem, cum dicat ſcriptura. Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt. Ideo neque veræ ſunt artes, ſed meræ impoſturæ præ ſe ferentes ſcientiæ ſpeciem ſine rei veritate, & ab omnibus diſciplinis haud aliter explodendæ, quàm infœlix lolium ab agris fertilibus. Sed hoc loco vocantur ſophiſticæ artes, diſciplinæ philoſophiſticæ, quibus rerum ſenſibilium naturam mens ingenua diligentius rimatur. Siquidem interdum ſophiſta (licet rarius) pro ſapiente ſumitur, & eo qui ſophiæ eſt cōſectator, qui & ſophos vulgo dicitur, inde ſophiſtica ars quæ ſapientię eſt indagatrix.

Eccl. 37

9 ¶ In nono verſu. Pereunt ac milia. Ita potius legenda eſt illa clauſula per coniunctionem copulatiuam ac, cōiungentem illam orationem ſuperiori ſententiæ, quā per nomen indicatiuum numeri, tot, ſicut legunt eam nōnulli hoc modo. Pereunt tot milia. Nam nomen illud numerale non habet ante expreſſum aliquem numerum neque poſtea ſequentem: quem referat aut demonſtret, quod illius conditioni ac naturæ repugnat. Porrò verbum, rotatur, ad nominatiuum pœnalis machina prius poſitū reuocatur. At verò præter grammaticorum conſuetudinem & artē rectè locutionis ponuntur hic duo nomina ſubſtātiua

milia & agmina: in eodem caſu, cum potius dicendum foret, ſi admitteret rythmus: pereunt multa milia agminum paganorum. Verùm id authori propter rythmum eſt concedendum: qui potius conſonantiam in exitu ſyllabarum, quàm rectam loquendi normam ſtuduit obſeruare.

De ſancta Catharina alia proſa.

Vox ſonora noſtri chori
Noſtro ſonet conditori,
Qui diſponit omnia.
2 *Per quem dimicat imbellis:*
Per quem datur & puellis
De uiris uictoria.
3 *Per quem plebs Alexandrina.*
Fœminæ non fœminina
Stupuit ingenia.
4 *Cùm beata Catharina*
Doctos uinceret doctrina:
Ferrum patientia
5 *Hæc ad gloriam parentum,*
Pulchrum dedit ornamentum
Morum priuilegia.
6 *Clara per progenitores,*
Claruit per ſacros mores
Ampliori gratia.
7 *Florem teneri decoris,*
Lectionis & laboris
Attriuere ſtudia.
8 *Nam perlegit diſciplinas*
Seculares & diuinas,
In adoleſcentia.
9 *Vas electum: uas uirtutum,*
Reputauit ſicut lutum
Bona tranſitoria.
10 *Et reduxit in contemptum*
Patris opes, & parentum
Larga patrimonia.
11 *Vaſis oleum includens,*
Virgo ſapiens & prudens,
Sponſo pergit obuia.
12 *Vt aduentus eius hora*
Præparata, ſine mora
Intret ad conuiuia.
13 *Siſtitur imperatori,*
Cupiens pro Chriſto mori.

Cuius

Cuius in præſentia.
14 *Quinquagita ſapiẽtes,*
Mutus reddit & ſilentes
Virginis facundia.
15 *Carceris horrẽdi clauſtrum,*
Et rotarum triſte plauſtrum,
Famen & ieiunia,
16 *Et quæcunque fiunt ei.*
Suſtinet amore dei.
Eadem ad omnia.
17 *Torta superat tortorem:*
Superat imperatorem.
Fœminæ conſtantia.
18 *Cruciatur imperator,*
Quia cædit cruentator,
Nec valent ſupplicia.
19 *Tandem capite punitur,*
Et dum morte mors finitur
Vitæ ſubit gaudia.
20 *Angelis mox fuit curæ:*
Dare corpus ſepulturæ
Terra procul alia.
12 *Oleum ex ipſa manat:*
Quod infirmos multos ſanat
Euidenti gratia.
22 *Bonum nobis dat unguentum,*
Si per ſuum interuentum
Noſtra ſanat uitia.
23 *Gaudens ipſa uideat*
De ſe præſens gaudia.
Et futura præbeat.
Quæ dedit præſentia,
24 *Et hic nobis gaudeat,*
Nos illi in gloria. Amen.

Hæc proſa conſimilem habet rythmicæ ſtructuræ formam: ſicut illa de ſancto Luca prius declarata. Pſallat chorus corde mundo. Verumtamẽ in penultimo & vltimo verſu, diuerſus à cæteris præcedentibus eſt rythmi modus: in quo vnaquæque clauſularum, ſeptem complectitur ſyllabas, quarum penultima breuis. & alternis locis conſimilis ſoni habent reſponſum, vt prima ad tertiam & quintam ſecunda verò ad quartam & ſextam. Author eius: Adam de ſancto Victore. Concelebrat autem laudes & præconia ſacræ virginis Catharinæ, nobilitatem generis & ſplendodorẽ doctrinæ in primis recuſans. Deinde paſsionẽ ipſius & pretioſam mortem pro Chriſti nomine: honorabilẽmq; ſepulturam angelico miniſterio factam cõmemorans. Quę omnia

omnia(vt iam dictum eſt) ex ſecunda Parthenice Mantuani & hiſtoria paſsionis eiuſdem, manifeſta euadunt.

3 ¶ANNOTATIONES. In tertio verſu. Fœminæ non fœminina ſtupuit ingenia. Nō fœminina, nō fragilia, mollia, inſtabilia, & inconſtātia. Nā vt ait poëta: variū & mutabile ſemper fœmina, muliebréq; ingeniū ſecūdū propriā naturæ cōditionē imbecilli⁹ eſt & infirmi⁹ ingenio viri. Verū in hac eximia virgine gratia ſuperauit & corroborauit naturā: deditq; illi in corpore fœmineo animū virilē, incōcuſſum & à fidei confeſsione indimobilē, vt ſupra ſortē & modū fœminæ, fuerit cōſtās, ſupergreſsáque ſexū, etiā viros ſuperauit, doctos quidē, excellentiore doctrina. feros autē & crudeles: euicerit patientia. Quod ſequens innuit & deducit verſus, in poſtrema eius clauſula: ferrū vocans, durum ipſius Maxentij & crudum animum. qui nullo modo emolliri potuit ad pietatem fidei & veræ religionis amplexum, ſed adamantis inſtar obduratus permanſit.

11 ¶In vndecimo verſu. Vaſis oleū includens. Hoc ex parabola angelica de decem virginibus, quinque prudentibus & quinque fatuis(quæ accipientes lāpades ſuas: exierunt obuiā ſpōſo & ſpōſæ)ſumptū eſt. Dicitur enim beata Catharina hic fuiſſe de numero virginū ſapientū, & accepto oleo in lāpadibus ſuis vna cū lumine prodiſſe obuiā ſpōſo, quòd charitate adornata, humilitate decorata, & cæteris prædita virtutibus, ad cœleſtem ſponſum ſit poſt mortem introducta. In prima autem præſentis verſus clauſula: dictio vaſis, datiuus eſt pluralis nō genitiu⁹ ſingularis. Nā participium includens: exigit ſecū datiuum cū accuſatiuo, Matth. 25

19 ¶In decimonono verſu. Et dum morte mors finitur. Vita præſens quoniā continuus eſt ad mortem excurſus & acceleratio: nomine mortis nōnunquā exprimitur, vt hoc in loco. Nēpe ſi ea conferatur ad vitam perpetuam, interminam & indeficientem, quæ nullo mortis metu concutitur, mors potius quàm vita eſt dicenda. Perinde atque exiguum lumen & ſubrutilum ſi comparetur ad immenſum ſolis iubar, vmbra cenſetur & tenebræ. Poteſt nomen mortis ſecundo loco in hac clauſula poſitum, recte ſumi pro mortalitate, ſeu morali conditione præſentis vitæ, quæ dum finitur in beata Catharina per mortem corporis illatam à tyranno: ipſa ſubiit æternæ vitæ gaudia.

¶In

¶ In vicesimotertio versu. Gaudens ipſa videat. Expoſcit hic locus, quòd beata Catharina fauore & gratia præſens huic concioni, ſpectet lætabunda & lubens, immò & accepter ea gaudia: quæ in ſua ſolennitate celebrantur à nobis Conferat etiam nobis futuræ vitæ gaudia: quæ præſentia induliit in hac die, ob paſſionem ipſius & ſolennitatem nobis læta, feſta, & iocunda. Petit itidem quòd beata Catharina in hac vita nobis gratuletur: de profectu virtutũ & honore illi impenſo. Nos verò illi gratulemur in cœlo poſt hanc vitam: propter ſublimitatem & magnitudinẽ gloriæ ipſius. Gaudere enim verbum cum datiuo poſitum, vt hic: eſt alicui de bono habito gratulari.

Sequuntur proſæ, ſanctis, cuiuſuis ſint ordinis & gradus, communes. Et primum de Apoſtolis.

COEli ſolem imitantes,
In occaſu triumphantes:
Ortum ſolis referunt.
Ortum ſolis, & occaſum,
2 *Quorum omnes ita caſum,*
Terræ fines aſſerunt.
3 *Petrum, Paulum & Andream*
Per Neronem, per Egeam
Roma, Paras perimunt.
4 *Herodes, gens phariſæa*
Iacobis & in Iudæa
Binis: uitam adimunt.
5 *Ioannes ut eſt uocatus,*
Ad Epheſo eſt tranſlatus
Ad Chriſti conuiuia.
6 *Mauri trucidant Mattheum,*
Et Indi Bartholomeum,
Et Philippum Scythia.
7 *Thomam Indi, Iudam Perſæ.*
Simonémque. ſic ſuper ſe
Cœli cælos penetrant.
Sic aſcendunt cœli cælos.
Vbi Chriſto pangunt melos:
Nobis uitam impetrant. Amen.

¶ Huius

¶ Huius proſæ eadem eſt rythmica forma cum præceden te. Recenſet autem peculiariter tyrãnos illos ac populos, qui ſanctis apoſtolis mortem intulerunt ob confeſſionem & prædicationem fidei catholicæ, ſpeciatim etiam regiones & locos nominans: in quibus vnuſquiſque apoſtolorũ glorioſum conſummauit martyrium.

¶ ANNOTATIONES. In primo verſu. Cœli ſolem imitantes. Locutione metaphorica & per quandã manuductionem à ſenſibilibus ad intelligibilia: cœli hic nominantur apoſtoli, quemadmodum ſæpe in ſcriptura. Sol autem dicitur hic Chriſtus dominus noſter: qui eſt ſol iuſtitiæ exortus timentibus nomen domini. Cœli igitur ſolem imitantur: quoniam apoſtoli Chriſtum ſecuti ſunt in paupertate, prædicationis inſtantia, & morte propter iuſtitiam. Et quemadmodum ſol noſter in ſuo occubitu per mortem triumphauit de principe huius mundi: ita & ipſi cœli myſtici, ſuo occaſu & obitu de tyrannis & perſecutoribus egerunt triumphum, euaſeruntque inclyti illorum victores. Demùm hi cœli ſpirituales ortum ſolis referũt: quia Chriſti aduentum in carnem per natiuitatem temporalem iam eſſe completum, ſuis ſcriptis & verbis prædicant, eſt enim aduentus ille Chriſti in mũdum: quaſi quidam ſolis ortus, de quo propheta. Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde: miſericors & miſerator & iuſtus dominus. Nec ſolum ſolis ortum, ſed & occaſum eiuſdem per morté carnis, annunciant huiuſmodi cœli, quoniam Chriſtum pro nobis in cruce mortuum prædicatione ſua conſtanter aſtruunt. At verò quonam modo hi duodecim cœli ad occaſum huius vitæ tetenderint & in quibus terræ plagis ac finibus: ſequentes verſus referunt.

Mala. 4.

Pſal. 111.

3 ¶ In tertio verſu. Petrum, Paulum & Andream. Nam Petrus & Paulus per Neronem imperatorem Romæ curſum huius vitæ conſummarunt. Petrus quidem cruce: Paulus verò gladio. Andreas autem per Egeam proconſulem in Patras ciuitate Achaiæ cruci addictus tranſiuit à morte ad vitam æternam. Inſuper Herodes rex Iacobum fratrem Ioannis occidit gladio in Iudæa. Turba autem phariſæorum Iacobum fratrem domini præcipitauit de pinnaculo templi Solymi: & fuſte trucidauit. At verò beatus Ioãnes euangeliſta poſt reditum eius à Pathmos inſula in quam fuerat

Act. 12.

fuerat relegatus: diutius Epheſiorũ rexit eccleſiam, & demùm in pace quieuit, traductus ad ſplendida illa cœli conuiuia: ad quæ à Chriſto, paulo ante obdormitionem ſuam fuerat inuitatus.

4 ℭ In ſeptimo verſu. Sic ſuper ſe cœli cœlos penetrãt. In hac poſtrema præſentis verſus clauſula, cœli primo loco pro apoſtolis ſumuntur, ſecundo verò pro habitaculis & tectis cœleſtibus: ad quæ per glorioſam mortẽ demùm omnes apoſtoli ſunt ſubiecti. Vnde quòd particulatim de ſingulis ipſorum modo dictum eſt: nunc in vniuerſum de omnibus colligitur atque aſſeritur. At verò dicuntur hic cœli ipſi ſpirituales penetrare tecta cœleſtia: ſuper ſe, atq; ſupra propriam ipſorum naturam, quoniam id ſupra hominem eſt atque humanam conditionem: quòd huius mundi incolæ conſcendant excelſa cœli palatia, neque ſua ipſorum virtute id aſſequuntur aut attingunt, ſed præſertim miſeratrice & adiutrice dei gratia. Non eſt enim volentis neque currentis (vt ait Paulus) ſed dei miſerentis. Roma. 9.

De apoſtolis: alia proſa.

Clare ſanctorum ſenatus apoſtolorum: princeps orbis terrarum: rectórque regnorum. Eccleſiarum mores & uitam moderare. Quæ per doctrinam tuam fideles ſunt ubique.

1 *Antiochus & Remus concedunt tibi Petre regni ſolium.*

2 *Tyrannidem tu Paule Alexandrinam inuaſiſti Græciam.*

3 *Æthiopes horridos Matthæe, agnelli uellere (Qui maculas neſciat aliquas) ueſtiſti candido. Thoma, Bartholomæe, Ioãnes, Philippe, Simon. Iacobique pariles, Andrea, Thadee, dei bellatores inclyti. En uos oriens & occidens, immò teres mundi circulus, ſe patres habere gaudet, & expectat iudices. Et idcirco mundus omnis, laudes uobis & honorem ſanctis debitum: ſupplex impendit. Amen.*

ℭ Hæ

¶Hæc proſa ſolutam habet orationis cōpoſitionem: neque rythmica lege coercetur. Inuocatur in ea ſacer ille ſenatus & ſancta ſocietas apoſtolorum, totius mundi principatum in recta fidei inſtitutione conſecuta: ſecūdum illud pſalmi de eis dictum. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Et rurſum. Principes populorum congregati ſunt cum deo Abraham. Deinde ſpeciatim nominātur apoſtoli: cum expreſſione aliquorum populorum & locorum, quos ad fidem conuerterunt. Demùm quantus ipſis exhibetur honor à toto mundo, paterna eorum directione ad Christum adducto & in conſummatione ſeculi per eos iudicando (vt Chriſtus eis eſt pollicitus in euangelio) circa finem hæc proſa commemorat. Pſal.44. Pſal.47. Mat.19.

1 ¶ANNOTATIONES. Antiochus & Remus concedunt tibi Petre. Antiochus rex Syriæ ciuitatem ſui regni (quæ prius Reblata dicebatur) magnificētius iuſtaurauit: atque à ſe nuncupauit Antiochiam. In hac conſtituta eſt primum beato Petro cathedra pōtificalis, fuitque primus eccleſiæ Antiochenæ epiſcopus. Poſtea verò Romam commigrauit, vbi pontificiam cōſtituit ſedem: in qua ad finem vſque vitæ conſedit. Romæ autem conditor fuit vna cum Romulo fratre ſuo Remus, vt ſcribunt hiſtorici, idcirco Antiochus & Remus (id eſt, Antiochia & Roma) dicuntur Petro conceſſiſſe regni ſpiritualis & eccleſiaſtici ſolium.

2 ¶Tyrannidem tu Paule Alexandrinam. Beatus Paulus totam ferè peragrauit Græciam, illamqúe cum verbis tum ſcriptis ad ſacræ fidei agnitionem perduxit. Dicitur autem Græcia tyrannis Alexādrina, quoniam Alexander magnus totā Græciam ſuo ſubiecit imperio, regnauitque primus in ea. vnde & in ſacra viſione Danielis: ipſe rex Græcorum appellatur, quòd deuicto Dario rege Perſarū tranſtulit monarchiam à Perſis in Gręcos, vt fuerat ipſi Danieli in ſomnij Nabugodonoſor interpretatione reuelatum. ¶Aethiopes horridos Matthæe agnelli vellere. Beatus Matthæus AEthiopiæ populos & atro colore corporis & peccatorum maculis horridos, conuertit ad Chriſtum, fecitqúe vt mutauerint AEthiopes pellem ſuam, quantum ad animi ſtatum & conditionem. Nam ſuperinduit illos cādido vellere ipſius veri agni, qui nullas habet maculas,

vt pote Ieſu Chriſti, qui peccatum non fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius. Siquidem ſacro regenerationis lauacro abluit in eis omnem peccatorum ſordem: quam idolorum cultu contraxerant, & abiecta vetuſtate vitæ induit eos veſtem nouam puritatis & innocentiæ quæ à Chriſto confertur omnibus in ipſum credentibus. Hanc autē munditiæ & ſynceritatis veſtem ſacram: author hic vocat apta metaphora candidum vellus agnelli immaculati, ſiue agni incoinquinati atque incontaminati.

De uno martyre.

SPe mercedis & coronæ
Stetit martyr in agone
Ad mortem obediens.
2 *Morte Chriſtum imitatus*
Fide firmus & firmatus,
Firmo greſſu gradiens.
3 *Furit furor militaris:*
Vt uir ſanctus ſacris aris
Immoletur hoſtia.
4 *Quem occidunt ut ſcientes*
Introducunt neſcientes
Ad æterna gaudia.
5 *Chriſti fortis hic athleta*
Qui ſubire mente læta
Mortem non abhorruit.
6 *Vt ſit ſalus infirmorum*
Et medella peccatorum:
Gratiam promeruit.
7 *Non eſt morbus quem non curet.*
Dum morborum non obduret
Plagam diffidentia.
8 *Cæci claudi, ſurdi, muti,*
Sunt ad uſum reſtituti
Diuina clementia.
9 *Hoſtes Chriſti, Chriſto cedunt,*
Signa ſignis dum ſuccedunt
Argumenta fidei.
10 *Ergo martyr innocetur,*
Vt per eum nobis detur
Ad ſuperna prouehi.

¶ Hæc proſa, rythmicæ tenet modulationis legem, quemadmodum illa de apoſtolis paulo ſuperius explicata Cœli ſolem

ſolem imitantes. Commendat autem inuictam conſtantiam cuiuſuis ſancti martyris: qua ſuperatis ignibus, vinculis, flagris & denique ipſa morte: ad vitã peruenit ſempiternam. Miraculorum deinde virtutem & gratiam ſanitatum illi à domino indultam concelebrat: & demùm eundem inuocat. Rom.12

3 ❡ ANNOTATIONES. In tertio verſu. Immoletur hoſtia. Beatus Paulus ad Romanos ſcribens nos hortatur: vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam & bene placentem deo. Si igitur cum qui boni exercemus in corpore aut per corpus, tunc hoſtiam deo viuentem dicimur offerre, quanto magis fortes Chriſti, milites & in bello ſtrenui, quando corpora ſua tradiderunt propter Chriſtum ad ſupplicia, ſeipſos immolarunt vt hoſtias ſacris altaribus. Vnde in libro Sapientiæ dicit de ipſis Salomon, quòd deus tanquam aurum in fornace probauit illos: & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos. Et in hoc vere Chriſtum imitati ſunt: qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam deo patri in odorem ſuauitatis. Sapien.3 Ephe.5

6 ❡ In ſexto verſu. Dum morborum non obduret plagam diffidentia. Omnem (inquit) morborum moleſtiam curat hic ſanctus martyr: ſi modo diffidentia de curatione morbi conſequenda non redat plagam morbi obduratiorem & deteriorem. Enimuerò ſi languidus diffideret de diuina virtute aut meritis martyris, quòd non poſſet à deo impetrare ſanitatem à tali morbo quo laborat huiuſmodi infirmitas fidei & imbecillitas confidentiæ in deo, eſſet impedimento ſanitati recuperandæ. Idcirco mulieri vexatæ duodecim annos profluuio ſanguinis, & ad contactum fimbriæ veſtimenti domini noſtri (vt fidem habuerat) ſubito curatæ: dixit Ieſus. Confide filia fides tua te ſaluam fecit. Et aliis in locis ſæpius legitur dominus dixiſſe ſanatis à ſe, quòd fides eorum ſalnos ipſos fecerat, ad innuendum quòd ad impetrandam gratiam ſanitatis aut quoduis aliud donum à deo aut ſanctis: neceſſaria in primis eſt fides atque fiducia impetrandi quòd petitur. Quemadmodum etiam monet beatus Iacobus dicens. Poſtulet autem, in fide nihil hæſitans. Mat.9 Iaco.1

Qui enim hæſitat: ſimilis eſt fluctui maris qui à vento mouetur & circunfertur. Non ergo æſtimet homo ille: quòd accipiat aliquid à domino.

¶ In nono verſu. Signa ſignis dum ſuccedunt: argumenta fidei. Huiuſmodi ſigna & miracula à deo precibus ſancti martyris facta, dicuntur argumenta fidei: quoniam approbationes ſunt & quædam teſtificationes veritatis fidei chriſtianæ. Et viſis huiuſmodi ſignis multi fidem catholicam ſunt amplexati: ad eam miraculorum occaſione inducti. Vnde & beatus Marcus dicit de apoſtolis, quòd ipſi profecti prædicauerunt vbique domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, quoniam ſequentia doctrinam apoſtolicam, ſigna erant confirmatoria ſermonis ipſorum ante facti, quemadmodum Chriſtus in euãgelio poſt ſermonem factum in monte: ſanauit leproſum

De pluribus martyribus.

O Beata beatorum
Martyrum ſolennia.
2 *O deuote recolendo*
Victorum certamina.
3 *Digni dignis fulgent ſignis:*
Et florent uirtutibus.
4 *Illos ſemper condecẽter*
Veneremur laudibus.
5 *Fide, uoto, corde toto,*
Adhæſerunt domino.
6 *Et inuicti ſunt addicti*
Atroci martyrio.
7 *Carcerati, trucidati,*
Tormentorum genera
8 *Igne læſi, ferro cæſi,*
Pertulerunt plurima.
9 *Dum ſic torti cedunt morti*
Carnis per interitum,
10 *Vt electi ſunt adepti*
Beatorum præmium.
11 *Per contemptum mundatorum*
Et per bella fortia,
Meruerunt angelorum
Victores conſortia.
12 *Ergo facti coheredes*
Chriſto in cœleſtibus,

Apud

13 *Apud ipſum uota no-*
ſtra
Promouere precibus.
14 *Vt poſt huius finem*
uitæ
Et poſt tranſitoria,
15 *In perenni mereamur*
Exultare gloria. Amen.

¶ Hæc proſa conſimilem habet rythmi compoſitionem cum ea de ſancto Nicolao ſuperius explicata. Congaudentes exultemus: vocali concordia. In ſingulis enim ferè verſibus duas complectitur clauſulas rythmicas. primam octo ſyllabarum, quarum penultima eſt longa. ſecundam verò heptaſyllabam: & penultima breui contextam.

¶ Commendantur in ea glorioſi martyres ob inuictam animorum fortitudinem: qua tyrannis & duris perſecutoribus ſuperiores, quæuis ſuppliciorum genera illis inflicta cõſtãter pertulerunt pro confeſſione fidei. Et demùm mortem perpeſſi: celebri triumpho cœleſtibus atriis ſunt inuecti. Poſtremùm pia ad ipſos dirigitur inuocatio: vt noſtri apud deum aſsidue memores eſſe dignentur.

¶ ANNOTATIONES. In ſecundo verſu, Victorũ certamina. Genitiuus ille pluralis non à participio victus deducitur, neque paſſiuam habet acceptionem: ſed à nomine verbali victor, actiuámque ſortitur ſignificationem. quemadmodum & in illo carmine hymni de martyribus, victorum genus optimum. Verùm id admonuiſſe: ferme ſuperuacuum videri poſsit.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Tormentorum genera. Beatus Paulus ad Hebræos ſcribens: hæc varia tormentorum genera ita paucis conſtringit. Alij autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem: vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti: inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Hebr. 11.

11 ¶ In vndecimo verſu. Ergo facti cohæredes Chriſto. Sancti martyres dicuntur cohæredes Chriſto: quoniã eandem cum ipſo hæreditatem cœleſtis ſcilicet gloriæ ſunt aſſecuti. Eũdem in modũ apoſtolus ad Romanos ſcribẽs ait. Roma. 8.

Ipſe enim ſpiritus teſtimoniū reddit ſpiritui noſtro: quòd ſumus filij dei. Si autem filij & hæredes, hæredes quidē dei: cohæredes autem Chriſti. Cæterùm nomen cohæredes, hic rectius cum datiuo ponitur ratione compoſitionis quàm cum genitiuo, ſicut apud Pauli interpretem.

De vno confeſſore.

1 *QVem inuiſibiliter*
Sequitur eccleſia,
2 *Deus uiſibiliter*
Facit mirabilia.
3 *Confeſſorum iugiter*
Vigilat cuſtodia.
4 *Per quos mirabiliter*
Operatur gratia.
5 *Lumbos cinxit ſanctus iſte,*
Et lucernam tenuit.
6 *Pro te mundum ſpreuit Chriſte,*
Et carnem prohibuit.
7 *Hic anguſtam uitam uitæ*
Fortiter arripuit.
8 *Et in uitiorum lite*
Brauium obtinuit.
9 *In te Chriſtus firmat templum*
Spiritali quadratura.
10 *In decorem dat exemplum,*
Inuiſibili ſtructura.
11 *Tu ſplendorem præſtas eccleſiis,*
Miraculis, & ſignis uariis.
12 *Tu coruſcas uirtutum radiis,*
Tu protegas nos ab inſidiis.
Amen.

Hæc proſa, multiforme habet rythmi genus: & in diuerſis locis varium. Nam in quatuor primis verſibus, ſingulæ clauſulæ ſeptem complectuntur ſyllabas: quarum penultima eſt breuis. In reliquis verò quatuor ſequentibus prima cuiuſq; verſus clauſula octo eſt ſyllabarū: & penultimam habet longam, ſecunda verò hepta ſyllaba eſt, & penultimam corripit. Inſuper in nono & decimo verſu

verſu, ſingulæ clauſulæ octo complentur ſyllabis: quarum penultima eſt longa. Demùm in duobus poſtremis verſibus ſingulæ clauſulę decem complectuntur ſyllabas, quarum penultima eſt breuis, ſecundum eam rythmi formam in proſa illa de ſancto Martino obſeruatam. Gaude Sion quæ diem recolis. Id vnum tamen eſt commune omnibus huius proſæ verſibus: quòd duo proximi mutuũ habent adinuicem in terminali ſyllabarum conſonantia reſponſum. Nam prima clauſula vnius, primæ alterius: & ſecunda ſecundæ ſemper conſonare deprehenditur.

Prædicatur in eo virtus & excellentia cuiuſuis ſancti cõfeſſoris, quòd mundum aſpernatus fuerit, carnem frenauerit, inſidias dæmonum declinauerit & ad cæleſtia totis animi viribus aſpirauerit: quæ tandem poſt huius vitæ curſum conſecutus eſt.

1 ❡ ANNOTATIONES. In primo verſu. Quem inuiſibiliter ſequitur eccleſia. Deum ipſum eccleſia militaris & adhuc currens in ſtadio vitæ præſentis, ſequitur inuiſibiliter, quoniam non paſsibus corporis ſed imitatione virtutum & diuinarum denominationum, eius veſtigia conſectatur, quæ ſpiritualis eſt & inuiſibilis affectatio. Siquidem deus ipſe: ſanctus eſt, iuſtus, purus, manſuetus & miſericors. Et fideles eccleſiæ filij ambulantes in via mandatorum domini, contendunt ipſi deo aſsimilari in hiſce virtutibus, ſanctitate, iuſtitia, puritate, mãſuetudine, & miſericordia, idcirco illum imitari dicuntur: & inuiſibili greſſu ſequi. Luc.12

3 ❡ In tertio verſu. Confeſſorum iugiter vigilat cuſtodia. Locus iſte ex euangelio deductus videtur: vbi diſcipuli domini & quicunque fideles, dicuntur ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptiis, vt cum venerit & pulſauerit: confeſtim aperiant ei. Qui ſanè locus euangelicus accommodatur aptè in laudem & præconium ſanctorum cõfeſſorum: qui vigilauerunt in bonorum operum exercitio expectantes aduentum domini ſui, & diligentem adhibuerunt cuſtodiam circa domum ſibi commiſſam.

5 ❡ In quinto verſu. Lumbos cinxit ſanctus iſte. Id Luc.2

quoque ex eodem euangelij loco depromptum eſt: vbi legitur dominus dixiſſe diſcipulis ſuis. Sint lumbi veſtri præcincti: & lucernæ ardentes in manibus veſtris, qui etiam locus: ex inſtituto eccleſiaſtico de ſanctis con-
Matth.5 feſſoribus legitur. Sanè quiſque eorum lumbos cinxit: quia carnis concupiſcentiam per continentiæ diſciplinam coarctauit, lucernã verò tenuit in manibus ſuis, quia ſplẽdore bonorum operum etiam proximis ad exemplum illuxit, ſecundum illud dictum euangelij. Sic luceat lux ve-
Matth.19 ſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona: & glorificent patrem veſtrum qui eſt in cælis.

7 ¶ In ſeptimo verſu. Hic anguſtam viam vitæ. Via vitæ: eſt ſemita mandatorum dei quæ ducit ad vitam, ſecundum illud verbum euangelij. Si vis ad vitam ingre-
Matth.7 di: ſerua mandata. Huiuſmodi autem via, eſt arcta & anguſta: teſtimonio ſummæ veritatis dicentis in euangelio. Quàm anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt qui inueniunt eam. E diuerſo via mortis eſt via vitiorum declinans à mandatis dei: & deducens ad perditionem æternam, de qua dicit dominus eodem loco. Lata porta & ſpacioſa via eſt quæ ducit ad perditionẽ: & multi ſunt qui intrant per eam. At verò quoniam progredientibus per viam vitæ permulti occurſant & aduerſantur hoſtes: rectè dicit ſequens verſus, quòd quiuis ſanctus confeſſor in aſsidua pugna & conflictu vitiorum obtinuit brauium: quoniam ſuperatis hoſtibus animæ, victoria potitus eſt & brauio.

Ioan.14 9 ¶ In nono verſu. In te Chriſtus firmat templum. In anima cuiuſque ſancti confeſſoris templum ſuũ Chriſtus conſtituit: quia illam vt gratum domiciliũ ſpiritualiter inhabitauit: ſecundum illud verbum euangelicum
Apoc.3 Siquis diligit me: ſermonem meũ ſeruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & manſionẽ apud eum faciemus. Cui reſpondet etiam illud verbum domini in Apocalypſi. Ecce ego ſto ad oſtium & pulſo. Siquis aparuerit mihi, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. At verò templum illud dei myſticum, ſpirituali quadratura (vt ait hic litera) eſt conſtructum: quoniam quatuor virtutibus præcipuis (quas cardinales vocant) eſt

ſubnixum, fortitudine ſcilicet, tẽperantia, iuſtitia, & prudentia. Aut quoniam quatuor ſortitur dimenſionum interualla ſpiritualiter ſumpta: huiuſmodi templum, vtpote longitudinem, latitudinem, ſublimitatem & profunditatem: quemadmodum eas nominat apoſtolus in epiſtola ad Epheſios. Demùm hac ſtructura virtutum inuiſibili, in animo ſancti cuiuſuis confeſſoris erecta: deus dat exemplum in decorem & ornatum tanti operis, quoniam ipſe deus ſeipſum proponit exemplar ipſi ſancto: quod aſpiciens, ſplendidam illam & magnificam in animo ſuo extruat fabricam. Aut quoniam deus ipſum ſanctum confeſſorem & virtutes eius eximias proponit exemplum aliis fidelibus: vt ad illius imitationem ſibi etiam comparent conſimilium virtutum decorem & ornamentum. *Ephe. 3*

De vna virgine.

EXultent filiæ Sion in rege ſuo, neſcientes thorum delicti crimine ſordidatum. Quarũm Chriſte ſponſus uirginum: uirginis es filius. Cuius gratia, mira opera in ſanctis tuis ſunt edita. Vt das cernere hac in uirgine: cuius hæc feſta ſunt hodie.

2 *Quæ in fragili ſexu fœmineo: uiriliter carnis iure domito. Angelicam hic uitam duxerat in carne: dum præter carnem uixerat.*

3 *Hoc miratur ſerpens antiquus calcaneum eius obſeruat callidus. Qui nocere dum machinatur: ſub pedibus fœminæ caput eius teritur. Inſidias hoſtis hanc Chriſte docuiſti uirginem uincere in prima congreſſione. Dum non conſentiret ſed illi reſiſteret: uincere qui ſolet tentatos ſi non repugnent.*

4 *Quem, Hæc uirgo reſiſtens: à ſe fecit fugere. Quo fugato: appropinquauit tibi domine.*

5 *Nunc inter uirgines adducta poſt eam quæ mater eſt intacta uirginum uirginis Mariæ eſt pediſſequa. Te agnum ſine Macula iam ſequitur ſtola candida filium uirginis, quocunque uirginum flos ierit. Cuius interceßione tu nos tuere. Amen.*

Hæc proſa liberiorem habet orationis ſolutæ cõtextum: nec rythmicis ſubiicitur legibus. Continet autem commendationem vnius cuiuſuis virginis, præclariſque eam laudibus extollit, quòd carnis edomuerit concupiſcentiam, & virginalem domino integritatem ſeruauerit intactam. Ob quod nunc in cælis coronata candentéque amictu circundata: æternæ gloriæ particeps eſt effecta.

Pſal.149 1 ❡ ANNOTATIONES. Exultent filiæ Sion in regno ſuo. Prima huius ſententia, ſũpta eſt ex eo loco pſalmi. Lætetur Iſrael in eo qui fecit eum: & filiæ Sion exultent in rege ſuo. Vbi per filias Sion intelliguntur animæ fideles, quæ deum in præſentis vitæ curriculo per fidem *Sapien.3* ſpeculantur. Poſterior verò eiuſdem verſus ſententia deprompta eſt ex illo verbo Salomonis in libro Sapientiæ. Fœlix eſt ſterilis & coinquinata, quæ neſciuit thorum in delicto: habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum. Quod rectè ſanctis accommodatur virginibus: cuiuſuis thori etiam coniugalis expertibus.

2 ❡ Quæ in fragili ſexu fœmineo. Adiuncta eſt circa principium huius verſus præpoſitio in, quæ ſubaudiri debuit. Nam appoſita, claram reddit ſententiam: prætermiſſa verò, obſcuram & duriuſculam. Sumpta eſt autem huius verſus & proxime ſequẽtis ſententia: ex eo dicto beati Hieronymi in ſermone de aſſumptione beatæ virginis. Bene angelus ad virginem mittitur, quia ſemper eſt angelis cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt ſed cæleſtis. Vnde in carne angelicam gratiam acquirere: maioris eſt meriti q̃ habere. Eſſe enim angelum, fœlicitatis eſt, eſſe verò virginẽ, virtutis, dũ hoc obtinere viribus nititur cũ gratia: quod habet angelus ex natura. Vtrũq; tamẽ, & eſſe virginẽ & angelũ: diuini

diuini muneris eſt officium : non humanum . hæc Hieronymus.

3 ℭ Hoc miratur ſerpens antiquus. Ex verbis dei ingerentis maledictionem ſerpenti poſt deceptos primos parentes : hic locus trahitur, vbi ait illi. Inimicitias ponam inter te & mulierem : & ſemen tuum & ſemen illius. Ipſa conteret caput tuum : & tu inſidiaberis calcaneo illius. Quæ quidem verba licet primum & præcipuè de benedicta inter mulieres ſacroſancta virgine Maria intilligātur: quòd inimicitias cum ſerpente geſſerit, & caput illius ſuarum virtutum pede contriuit. nihilo ſecius de alia etiam quauis ſancta virgine, ſecundo loco poſſunt eadem verba accipi : qui deiparæ virginis æmula & conſectatrix, inimicitias habuit graues cum antiquo ſerpente & continuum cum eo geſsit bellum, in quo tamen adiutore deo victrix: continentia ſingulari & caſtimonia contriuerit caput & ſuggeſtiones tentationum ipſius. Ipſe verò ſerpens inſidiatus eſt & calcaneo illius virginis : ſcilicet carni, poſtremum dignitatis locum in ea habenti, ſicut calcaneus eſt poſterior pars pedis. Huic autem calcaneo virginis inſidiatur & hunc obſeruat ipſe ſerpens : quoniã ſuſcitare molitur in carne ſtimulos & incendia libidinum, quibus ſpiritum pertrahat in peccatum. Gen.4.

4 ℭ Quem hæc virgo reſiſtent. Id faciendum admonet Beatus Iacobus dicens. Reſiſtite diabolo : & fugiet à vobis. Cui conſonat hoc dictum Ambroſij. Debilis eſt hoſtis : qui non vincit niſi volentem vinci. At verò reſiſtédum hoſti eſſe in prima congreſsione & certaminis initio : ne ſemel admiſſus inualeſcat in nos & extrudi non poſsit : edocet propheta cum ait in pſalmo. Beatus qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram. Is autem eſt, qui ſuggeſtiones in malum cum primum ebulliunt, ad Chriſtum petram iuſtitiæ confringit, neque ſinit eas longiore mora noxias vires ſumere. Iacob.4 Pſal. 36.

5 ℭ Nunc inter virgines adducta poſt eam. Alludit hic verſus ad locum illum in pſalmo. Adducentur regi virgines poſt eam : proximè eius afferentur tibi. Nam & oblatæ ſunt domino quaſi ſponſo ſuo. ſequentes illius in puritate veſtigia dum hic viuerent : & nunc in gloria eundé comitan- Pſal.44.

Apoc. 14. comitantur aſſectatu indeficiẽti, minimẽque moleſto, quẽadmodum in Apocalypſi de virginibus dictum legimus: quòd ſequuntur agnum quocunque ierit.

DE VNA VIRGINE, alia proſa.

VIRGINIS uenerandæ de numero ſapientium feſta crelebremus ſocii.
1 *Filiæ matris ſummi regis ſacroſanctæ Mariæ. Quam ſibi in ſororem: dei adoptauit filius. Hæc corpus ſuum domuit freno ieiunii.*
2 *Et luxuriam ſecuit enſe agnoniæ. Iſta contra cunctos mortis dimicauit impetus. Et hoſtem cruentum, freta Chiſti dextera: ſtrauerat.*
3 *Hæc ſponſum ab aula cœli ſeſe inuiſentem alacris. Corde iucundo ſecuta: eius eſt ingreſſa thalamum, Tutè iam dulcibus plena deliciis. Chriſto meſerias ueſtras ſuggerito. Nobis conſolationem precando, Amen.*

¶ Hæc proſa etiam habet ſolutam orationis compoſitionem: nec rythmica modulatione texitur. Complectitur autem commandationem cuiuſuis ſanctæ virginis, quæ ad imitationem dei genitricis Mariæ, in mundicia corporis & animi domino aſsiduè ſeruiuit, ebullientes corporis æſtus ieiuniorum frigore extinxit, & pullulantem carnis libidinẽ virtute ſpiritus refrenauit. Propter quod ab æterno ſpõſo inuitata ad nuptias: cœleſtem ipſius thalamum eſt ingreſſa, perpetuáque perfruitur cœli gloria.

¶ ANNOTATIONES. Filiæ matris ſummi regis.

gis. Sancta quælibet virgo, ſacratæ dei matris eſt filia, per imitationem: quoniam in virginali candore eam conſequitur ac imitatur, vt filia matrem. Ex quo protinus conſequens eſt: Chriſtum adoptaſſe vnam quamuis virginum in ſororem. nam Chriſtus eandem cum qualibet ſacra virgine habet matré: vtpote glorioſam virginé Mariã. quæ ipſius quidem Chriſti mater eſt ſecundum carnem: cuiuslibet autem ſanctarum virginum mater eſt ſecundum ſpiritum, & imitandæ virtutis exemplum.

¶ Luxuriam ſecuit enſe agoniæ. Enſis ille non materialis eſt, ſed ſpiritualis: refrenatio ſcilicet carnalis concupiſcentiæ per continentiam, ieiunia & abſtinentiam, vigilias & diſciplinam. Hæc ſiquidem non minus reſecant titillantes ac prurientes libidinũ motus: quàm acutus gladius obuia quæq; quibus admouetur diuellit ac diſſecat. Vocatur autem enſis ille agoniç: id eſt certaminis, anguſtiæ ac laboris. quoniam difficile eſt admodum propriam edomare carnem, & intrinſecum illum hoſtem debellare: neque id fit ſine graui ſudore, nixu & difficultate. Corruunt enim in ea pugna, & ſuccumbunt quàm plurimi: perpauci verò euadunt victores. Inſuper eadem deo ſacrata virgo quæ præſenti proſa celebratur, contra cunctos mortis dimicauit impetus: quoniam quæuis tormentorum genera mortem inferentia lubens pertulit pro Chriſti nomine. Hoſtem verò cruentum dei virtute munita proſtrauit humi: quoniam & dæmonis tentationes & molimina ſuperauit, & tyrannos illius ſatellites ac miniſtros per indomabilem animi conſtantiam triumphans euicit.

¶ Hæc ſponſum ab aula cœleſti. Sicut ſponſus dimiſſo ſuo domicilio ad ædes ſponſæ (quam ſingulari proſequitur amoris affectu) ſolet proficiſci: vt eam inuiſat & ſuum ducat in thalamum. Sponſa verò morem illi gerens, regredientem in ſua tecta ſubſequitur ſponſum: & vna cum ipſo connubialem ſubit thalamũ. Ita Chriſtus beatarum virginum ſponſus à cœli throno progreſſus in terras (vt humano loquar more) deſcendit. & ſponſam ſuã, quãlibet ſanctã virginem adhuc in terris degentem inuiſere venit: vt eam inuitet ad cœleſtis regni conſortium. Illa verò dulcibus his

Cant. 2. *Cant.* 4. *Cant.* 8.

alloquiis inuitata à ſpóſo. ſurge ꝑpera amica mea, formoſa mea veni de Libano, veni coronaberis. currit in odore vnguētorū eius, & tracta eſt poſt ſponſum ſuū. Quinimmò ſpō te ſua, greſſus illius ſecuta: introducta eſt per fœlicem huius vitæ conſummationem, in æterna cœli tabernacula. Quæ nobis etiam annuat præſentis vitæ decurſum dominus noſter Ieſus Chriſtus: animarum omnium fidelium ſponſus dulciſſimus. Cui pro completa præſentis operis elucubratione, ſit cum deo patre & ſpiritu ſancto: laus: honor, & gratiarum actio, in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

QVARTI ET VLtimi Libri, ipſius Elucidatorii Eccleſiaſtici.

FINIS.

EXCVDEBAT
Anthonius Iurianus.
1548.

Digitized by Google

Digitized by Google